SUMMA THEOLOGICA

AD MODUM COMMENTARII

IN AQUINATIS SUMMAM

PRAESENTIS AEVI STUDIIS APTATAM

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE
SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« Nova et vetera. »
MATTH. XIII, 52.

TOMUS V.

DE DEO-HOMINE

(II. PARS. - MARIOLOGIA - SOTERIOLOGIA.)

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MCMII
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

TRACTATUS

DE DEO-HOMINE

SIVE

DE VERBO INCARNATO

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE
SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« *Nova et vetera.* »
MATTH. XIII, 52.

II. PARS. - MARIOLOGIA. - SOTERIOLOGIA.
(III. - Q. XXVII-LIX.)

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

Property of
CLgA

Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
J267
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MCMII
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

25754

BX
1749
T5
J2
1900
v.5

†
PAX

APPROBATIO

Opus cui titulus *Tractatus De Deo-Homine,* auctore R. D. Laurentio Janssens, S. T. D. monacho Abbatiae nostrae Maredsolensis, necnon Rectore Collegii nostri S. Anselmi de Urbe, et in eodem Sacrae Theologiae Lectore, typis mandari libenti animo permittimus.

Datum Romae, ex Abbatia S. Anselmi de Urbe, die festo S. Ioannis Baptistae, 1902.

† HILDEBRANDUS,
Abbas S. Anselmi, Primas O. S. B.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

Iosephus Ceppetelli, Archiep. Myr., Vicesgerens.

SALVO IURE PROPRIETATIS ET TRANSLATIONIS.

Romae. Typis Vaticanis.

TU REX GLORIAE, CHRISTE;

TU PATRIS SEMPITERNUS ES FILIUS;

TU AD LIBERANDUM SUSCEPTURUS HOMINEM

NON HORRUISTI VIRGINIS UTERUM;

TU DEVICTO MORTIS ACULEO,

APERUISTI CREDENTIBUS REGNA CAELORUM;

TU AD DEXTERAM DEI SEDES

IN GLORIA PATRIS;

IUDEX CREDERIS ESSE VENTURUS;

TE ERGO QUAESUMUS,

TUIS FAMULIS SUBVENI,

QUOS PRETIOSO SANGUINE REDEMISTI!

PROLOGUS

« *Sic Deus dilexit mundum,*
« *ut Filium suum Unigenitum*
« *daret* ».
IOANN. III, 16.

Quae titulo *Christologiae* in praecedenti volumine de Deo–Homine exposuimus, hisce Symboli verbis quasi comprehenduntur: « *Qui* propter nos homines et propter « nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus « est ». Idem enim Ipse, in quem credimus Patris Filium, « Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de « Deo vero », incarnatus Deus-Homo, factus est Dominus noster Iesus Christus; tantaque in hoc Deo-Homine est unitas, ut unum in eo adorandum sit esse, ipsum scilicet esse Verbi, salva utriusque naturae distinctione ac veritate [1].

Iam in contemplandis mysteriis Christi pergamus, iuxta sequentia Symboli verba: « Incarnatus est de Spi- « ritu Sancto ex Maria Virgine, etc. ». Ab ipsa enim mirabili conceptione Iesu de Virgine Matre exordimur

[1] Inter auctores praecipuos, qui defendunt sententiam quam nos S. Thomae esse contendimus, adnumerandus est I. B. Terrien (*S. Thomae Aquinatis O. P. doctrina sincera de unione hypostatica Verbi Dei cum humanitate*). Ex quo opusculo sane egregio placet imprimis commendare duo prima capita libri tertii, in quibus Cl. auctor concinne exponit ac solvit argumenta contra sententiam nostram afferri solita.

expositionem, quae usque ad Christi triumphum pertingit.

Cui expositioni *Soteriologiae* nomen damus, tum quia hic usus invaluisse videtur, tum quia princeps huius partis argumentum est opus salvificum a Filio Dei infinita charitate peractum.

At, ducibus simul Symbolo et Aquinate, in hac tractatione Matrem a Filio nullatenus seiungendam putamus. Unde *Mariologiae* alterum veluti secundarium huic volumini titulum addimus [1].

Et sane inter merita et glorias, quibus prae aliis religionis Christianae formis eminet Ecclesia Catholica, non ultimum gradum tenet pietas illa, quam in vindicanda excellentia Deiparae constanti zelo nunquam dimisit. Si eximio cuidam Patri dicere licuit: « Ubi « Petrus, ibi Ecclesia », eodem iure proclamare fas est: « Ibi Ecclesia, ubi Maria » [2].

Etsi non uno loco, praecipue tamen de Beatissima Virgine dicemus in initio Sectionis primae, iuxta ipsam indolem argumenti, et ad normam ordinis quem tenet Angelicus.

Porro quemadmodum de Christi dignitate agentes, illis adhaesimus theologis, qui Deum–Hominem comprehensorem simul ac viatorem in rigore utriusque ter-

[1] Ita quoque inter recentiores Chr. PESCH, S. I. quae de B. M. V. agunt, praeter exemptionem a peccato originali, evolvit in tractatu adnexo Soteriologiae. (*Tract. dogmat.* t. IV, tract. 2, p. 282, sqq.).

[2] Veritatem huius asserti optime illustravit CARD. NEWMAN (*Anglican difficulties* (II): *Letter to Pusey: Discourses to mixed Congregations*); necnon recentissime, licet obiter, JOHN M. M. CHARLESON (*Why I left the Church of Scotland* p. 11).

mini in hac mortali vita praedicant atque extollunt; ita in hac explanatione excellentiae B. M. Virginis illorum vestigia premimus, qui Deiparam uberius saniusque magnificant. Nec ullatenus methodi parum scientificae vituperium pertimescimus. In rebus fidei et gratiae, quo plenius Dei dona praedicantur, eo securius veri nominis scientia ampliatur. Nec videre possumus, quem historia, exegesis, apologia profectum inde acquirant, si, v. gr., Christo mortali apud nos commoranti visio beatifica denegetur, potius quam tribuatur. Imo si haec non sunt scientiae maioris, nonne forte minoris fidei? Iam vero nihil scientiae magis consonum, quam fides integra atque robusta. Unde si per excessum peccandum foret, scientiam minus offenderet methodus fidei argumenta exaggerans, quam deprimens.

Haec, servata sane debita proportione, valent de B. Virgine uti de Christo. Maria enim, ut ait pius scriptor, « ipsa est, qua maiorem Deus facere non « posset. Maiorem mundum posset facere Deus, maius « caelum posset facere Deus; maiorem matrem quam « matrem Dei non posset facere Deus »[1]. Et re quidem vera, in ordine creationis purae, – (pura enim creatura Maria), – nulla ratio inveniri potest, ob quam Deus Matrem suam, – (ac proin humana natura, non angelica praeditam), – aliqua praerogativa oeconomiae Redemptionis utili non dicam carere sivisset, sed non libentissime et abundantissime ditasset. De quibus dotibus loco suo copiosa erit disserendi facultas.

[1] *Speculum B. M. Virginis*, lect. 10.

Nec obiicias, de B. Virgine esse loquendum ad normam Scripturarum; Scripturas autem de Maria non agere nisi parcissime [1], et quidem talibus verbis, quae per excessivam eiusdem extollentiam offendantur potius quam explanentur. Qui hoc modo arguunt, iidem sunt, qui ob similem Scripturae, uti aiunt, obiectivam parcitatem, Christo vel propriam denegant divinitatem, vel saltem conditionem viae a comprehensione alienam [2].

Reponant isti nobis, num possit Immaculata B. Virginis Conceptio iuxta ipsos Scripturis stricte probari? Iam vero hoc privilegium est de fide, quantacumque generalitate S. Paulus legem transmittendae originalis labis extendat. Ad lucem igitur huius celsissimi privilegii tota conditio Mariae contemplanda est. Porro quae rationes moverunt Deum, ut Filii Matrem a tam universali lege eximeret, ipsissimae sunt ob quas eidem ab exordio conferre debuit vitae plenitudinem, quae Vitae Genitricem harmonice deceat.

Ne autem plura argumenta ex Scripturis per decursum huius voluminis ex Vet. Test. adducenda, tanquam minus scientifica aut solida recusentur, monemus ab exordio, sensum maxime solidum ac scientificum Scripturarum nobis esse, quem tenet Sancta Mater Ecclesia, quippe quae a Conditore cum immortalitatis promissione inter alia charismata accepit Scripturarum

[1] Satis esse ad plenam Mariae laudem, ut praedicetur Mater Christi, iam proclamabat ipse Lutherus (*Comment. in B. V. M. cant.* op. IX, 85, ed. 1554).

[2] Absit ut utrumque in eadem linea ponamus. Prius simpliciter ad fidem pertinet; alterum vero non. At non ideo facili negotio est inficiandum, praesertim si prae oculis habeatur quantopere haec altissima cognitio in Christo fuerit necessaria, ut tanquam homo sui uti Dei condecenti modo conscius esse potuerit.

scientiam [1]. Sicuti enim tota historia populi Israëlitici in Ecclesiam tendit, ita tota Scriptura Vet. Test. convergit

[1] Liceat heic afferre quae de hoc argumento alibi scribebamus : « Et puis-« que je viens de nommer la méthode rationaliste, je crois utile de faire une distinc-« tion importante surtout en matière exégétique. Qui niera la force des exégètes « protestants pour ce qui regarde la somme d'érudition dépensée? Mais autre chose « est l'outillage savant, autre chose l'usage qui en est fait. Autant l'outillage est « digne d' admiration, autant l' usage en est suspect. La raison de ceci est fort sim-« ple. L'exégète rationaliste ne possède pas le sens des Écritures. Un savant qui « méconnaît le caractère symbolique, mystique et prophétique de l'Ancien Testament, « qui ne retrouve dans les Évangiles ni la divinité du Christ, ni la virginité de sa « Mère, ni le principe constitutif de l'Église, ni la dignité du plus excellent des « Sacrements, ce savant, si érudit soit-il pour le reste, perd tout droit à la confiance, « du moment qu'il se mêle d'interpréter la parole inspirée. Son incrédulité entrave « sa clairvoyance. Il pourra fournir des observations philologiques, historiques, topo-« graphiques, patristiques pleines d'intérêt et d'utilité, fruit d'un labeur patient et « judicieux. Là se borne son rôle et sa compétence. Exégète, il ne l'est point. Même « défiez-vous de son criterium historique, puisque le fait divin de la révélation, le « caractère merveilleux du christianisme, vérités palpables, démontrées mieux que « n' importe quelle thèse d'histoire profane, semblent lui échapper. Tant est forte « sur la pauvre intelligence humaine l'action, même inconsciente, du préjugé, sur-« tout dans l'ordre religieux et moral.

« Et pourtant nous cédons trop, malgré nous, à ce courant. Si nous avions la « foi de St Augustin, nous nous obstinerions à conserver tant d'interprétations figu-« rées, mystiques, dont on se prend presque à rougir aujourd'hui. Le sens figuré, « mystique, mais l'Écriture en déborde. Le vouloir nier, c'est rejeter l'autorité des « interprètes inspirés eux-mêmes. Supposez que quelque exégète moderne de l'école « romaine, dans un commentaire de Jonas, s'avise pour la première fois de faire « un rapprochement entre le temps que le prophète indocile passa dans le ventre « du monstre et celui que le Sauveur devait passer dans les entrailles de la terre. « Quel *tolle* s'élèverait dans le camp rationaliste. Les graves docteurs luthériens « crieraient au *lächerlich*, les anglicans au *shocking !* L'interprétation est de Jésus « lui-même : force est de s'y soumettre. Imaginez qu'un autre écrivain compare pour « la première fois Sara et Agar aux deux Testaments, recueillerait-il autre chose « chez bien des exégètes qu'un succès d'hilarité ? L'explication est de St Paul : on « ne peut s'y soustraire. Ces exemples, aisés à multiplier, prouvent que l'interpré-« tation figurée, mystique de l'Écriture a ses droits indéniables. Il sera difficile, bien « souvent téméraire peut-être, de vouloir préciser le sens spirituel véritable. Mais « ce sens n'en existe pas moins. La foi nous l'assure. A nous de garder ce trésor. « Loin d'en rougir jamais, revendiquons-le fièrement comme une perle du plus grand « prix.

« Se limiter au sens littéral, et n'admettre le sens figuré qu'à titre de curio-« sité littéraire, comme une fantaisie de vieille école, une espèce de sport monacal, « ce n'est donc pas un progrès, mais un recul dans l'exégèse catholique ». (*Catholicisme et Progrès. Revue Bénédictine.* n. 10, Oct. 1897, p. 461 sq.).

in Christum [1]. Quodsi sensus altior, typicus adducendus sit frequentius, ista non ideo argumentandi ratio, quia magis vulgo absconsa, minus erit in se fundata. Pessima sane exegeseos methodus est illa quae altiorem sensum a Scripturis semovere studet [2]. Porro si iuxta S. Paulum omnia in figura contingebant Iudaeis [3], quis piae mentis non largam B. Virgini partem in hac praefigurationis lege concedet?

Caeterum praeter ipsam Scripturam, agnoscimus ut criterium supremum solidae pietatis ac proin dogmaticae veritatis, ipsum sensum Ecclesiae [4]. Quare frequen-

[1] Hanc veritatem nuper egregie illustrat D. Hildebrandus Höpfl O. S. B. in fine sui opusculi *Die höhere Bibelkritik*. Cuius ultima verba heic afferre liceat. « Abyssus abyssum invocat. Ein Irrtum ruft den andern hervor. Die irrtümliche « Auffassung des N. T. und die Verkennung der Gottheit Christi hat die Verkeh- « rung des A. T. zur Folge, und die falsche Auffassung des A. T. führt hinwiederum « zur Leugnung der Gottheit Christi und unrichtigen Anschauung des N. T. Und « das Schicksal der rationalistischen Bibelkritiker ist dasselbe wie das der Ungläu- « bigen zur Zeit des hl. Paulus: " Semper discentes et nunquam ad scientiam veri- « tatis pervenientes " (II. Tim. III, 7). Nur wer Christus, welcher beide Testamente « vereinigt (qui fecit utraque unum, Ephes. II, 14), als Sohn Gottes anerkennt und « anbetet, dem wird der Herr den Sinn eröffnen, dass er die Schriften verstehe » *.

[2] De sensu typico nuper concinne scripsit P. Adalbertus Müller O. S. B. (Opusc. I. *Hermeneutica sacra* p. 31 sqq.).

[3] I. Cor. x, 11. — Cf. S. Bedam in hunc locum (*De Tabern.* I, 1). Inde illud axioma S. Augustini: « Novum Testamentum in Vetere latet, Vetus Testamentum « in Novo patet »; quod axioma a Patribus passim agnitum, tesseram Liturgiae et exegeseos catholicae iure vocaveris. Quousque autem pateat illud « omnia » textus Paulini, lege apud laudatum P. Müller (op. cit. p. 40 sqq.).

[4] De habitudine Scripturarum ad Ecclesiae doctrinam recte monet idem P. Hildebrandus Höpfl, tantam esse praestantiam magisterii Ecclesiae, ut etiamsi Scripturae perirent, fides nostra maneret inconcussa. « Wir glauben ja nicht, dass das

* *Die höhere Bibelkritik. Studie über moderne rationalistische Behandlung der hl. Schrift* v. P. Hildebrand Höpfl O. S. B. Mönch der Beuroner Kongregation p. 110. (Paderborn, Ferd. Schöningh, 1902). — Miror, Paulum Dornstetter, in *Literarische Rundschau* (1902, n. 6, p. 174, sq.), hoc opusculum veluti scholae rationalisticae potius favens descripsisse. At, licet in nonnullis sententiis, quas tamen in contextu perpendere oportet, D. Höpfl huic scholae quaedam concedat, eius dissertationem his, qui de hoc gravissimo argumento criterium prudens acquirere volunt, non parum commendandam existimo.

tius ad Liturgiae fontes in hoc volumine recurremus, eo vel magis quod Liturgia passim constat ipsa Scriptura iuxta triplicem suum haustum, ut Augustini verbo utar, singulis dogmatibus sive festis accommodata [1]. Porro quam dives sit Ecclesiae catholicae cultus in laudanda Matre Dei, ostendit imprimis Antiphona illa *Salve Regina*, cuius magnus Deiparae praeco S. Bernardus Claravallensis et partem composuisse fertur, et usum ardenter propagavit [2].

At si Deiparae dignitatem ac proin cultum tantopere extollimus, absit ut inter ipsam et divinam Prolem non alte praedicemus infinitam illam distantiam, quam

« Christentum in der Bibel eingeschlossen sei, nein, wir haben das *lebendige Wort* « *Gottes in der Kirche,* die nach der Verheissung unseres Heilandes bis ans Ende « der Zeiten fortbestehen soll. Wenn daher selbst die hl. Schrift vom Erdboden « verschwinden würde, so würde unser Glaube dennoch nicht wanken, denn er hat « einen festen Halt an der Kirche, in welcher der Geist der Wahrheit lebt und « wirkt. Es ist eine furchtbare Blasphemie, wenn Wellhausen sagt: " Der Geist « Christi wurde der Hl. Geist, der Hl. Geist wurde zum Geiste der Kirche und « schwebte über den Konzilien, mitunter in Gestalt einer Eule oder Fledermaus » *. « Die Stelle zwingt uns fast, anzunehmen, dass auch über manchem der modernen « Bibelkritiker ein Geist schwebt, aber nicht der Hl. Geist! Sie zeigt uns aber « auch, welches der eigentlichste, tiefste Grund der verkehrten Anschauungen der « höheren Kritiker ist. Dieser Grund ist die *Leugnung der Gottheit Jesu Christi* » **.

[1] Inde nil pulchrius, nil altius Scriptura in ore Ecclesiae. Bene J. K. Huysmans: « Tout est dans les psaumes, nos adorations et nos joies, nos contraintes et nos transes; « la liturgie, seule, nous fait parler à Dieu sa langue, répond à toutes nos pensées, à « tous nos besoins; elle épure par ses moyens d'expression nos pauvres désirs, nos « pauvres plaintes; elle agit enfin, par elle-même, virtuellement; supplée à ce qui « nous manque, en rappellant à Notre Seigneur les phrases mêmes dont celui qui le « préfigura dans l'ancien Testament, se servit » (Epist. ad moderatorem ephemeridum « *L'Aube* ». — Cf. *Revue du Chant Grégorien.* Grenoble. Avril 1902, p. 134).

[2] De antiphona *Salve Regina* optime nuper scripsit Rm̃us Abbas Ios. Pothier, celeberrimus liturgici cantus instaurator, cuius opera, necnon confratrum Solesmensium, Leo XIII publico testimonio non semel collaudavit (*Antienne « Salve Regina ».* — *Revue du Chant Grégorien.* x, 10 Mai 1902, p. 145 sqq.).

* *Isr. und jud. Gesch.* 1901, p. 393.
** Ibid. in fine II. partis.

ipsa, humillima simul ac sanctissima, toto corde proclamat: quippe quae in instanti suae celsissimae maternitatis, ancillam se Domini demisse professa, humilitatem cecinit ipsius suae elevationis fundamentum. Quare a principio despicimus haereticorum calumniam, quae Ecclesiam Romanam ob eximium cultum Mariae exhibitum, idololatriae insimulat. Quam iniuriam, tabernis vix dignam, iuramento regio impie insertam Catholici Angli nuper indignabundi depulere. Et sane confessio, quae ad sibi consulendum tam perfida arma non veretur arripere, haec ipso suo mendacio, mendacii principe se reserat ortam. Quare si in impugnanda impietate B. Virgini pertinaciter infensa, severiorem forsan hic illic stylum adhibemus, liceat filio Matris honorem non frigido calamo tueri!

Ne tamen Deiparae haec nostra laus aut ab hostili fraude tuitio in ore indigno languescat, ipsa Fautrix adesse dignetur, quam celebrare est iubilus et propugnare triumphus: « Dignare me laudare te, Virgo « sacrata; da mihi virtutem contra hostes tuos! ».

Porro in hisce tractationibus eadem servatur quae in praecedentibus methodus; licet non uno titulo potius ingrata, tum quia scribenti viam ac motum nonnihil continet; tum quia, si apud eruditos moderniori methodo genetico-historicae plerumque addictos, ob nimia praeiudicia [1] parum favoris sibi a priori vindicat,

[1] Doleo apud optimos quoque scriptores huiusmodi praeiudicia interdum reperiri. Ita eruditissimus Dr. Alb. Ehrhard in suo libro « *Der Katholizismus und das zwan-* « *zigste Jahrhundert im Lichte der katholischen Entwicklung der Neuzeit* » nonnulla de Scholastica scribit, quae mentem non omnino liberam a moderniori praeoccupa-

e regione ob maiorem sive formae sive doctrinae libertatem ab ipsis interdum rigidioribus Scholasticis benigno vix oculo excipitur. Sed haec, sane praevisa, sicuti ab onere ex obedientia suscipiendo non deterruere, ita nec ab eodem in finem usque protrahendo, Deo dante, removebunt. Equidem initam methodum non inutilem fore, plane confido.

Et sane Aquinatis littera tantam claritatem emittit, ut et in nostra aetate provide eluceat. Quot enim errores, inflataeve declamationes vitarentur, quanto tempori parceretur, si Angelici doctrina ab eruditis viris non dicam cognosceretur melius, sed minus ignoraretur [1].

tione ostendere videntur. Talis est sententia, ut unam tantum proferam, in qua loquitur de tendentia mentium in media aetate, « die auf das Sein und das Wesen « der Dinge abzielte, nicht auf ihr Werden und ihr Vergehen » (p. 30 sq. — Cf. illud Schell: « Die scholastische Denkweise hatte keinen Sinn für das Werden » *Dogm.* III, 1, p. 113). Haec assertio exaggerationem non levem sapit; uti sat manifestat, v. gr., theoria scholastica de materia et de forma, utpote super ipsum « Werden und Vergehen » magna ex parte fundata. — De dogmatica praecisione terminologiae scholasticae cf. P. Hart. Strohsacker O. S. B. (*Zeitschrift für kathol. Theologie*, Innsbruck XXVI, 1902, 342 sq.). — De merito Scholae deque provide instaurato cultu Aquinatis nuper egregie disseruit Canon. CONFALONIERI (*Dei caratteri della coltura del Clero nei tempi moderni*).

[1] Quanta sit S. Thomae excellentia, demonstrat recens confessio *R. von Ihering*, qui in secunda editione sui libri « *Der Zweck im Recht* » haec scribit: « In der gegen « wärtigen zweiten Auflage mache ich zum Texte einen Nachtrag, den ich der Be« sprechung meines Werkes im " Litt. Handweiser ", Münster, Iahrg. 23 Nr. 2, durch « W. Hohoff, Kaplan in Häffe, verdanke. Derselbe weist mir durch Citate aus Tho« mas nach, dass dieser grosse Geist das realistisch-praktische und gesellschaftliche « Moment des Sittlichen, ebenso wie das historische, bereits vollkommen richtig « erkannt hatte. Den Vorwurf der Unkenntnis, den er für mich daran knüpft, « kann ich nicht von mir ablehnen, aber mit ungleich schwererem Gewichte als « mich, trifft er die modernen Philosophen und protestantischen Theologen, die es « versäumt haben, sich den grossartigen Gedanken dieses Mannes zu nutze zu ma« chen. Staunend fragte ich mich: Wie war es möglich, dass solche Wahrheiten, « nachdem sie einmal ausgesprochen waren, bei unserer protestantischen Wissen« schaft so gänzlich in Vergessenheit geraten konnten? Welche Irrwege hätte sie « sich ersparen können, wenn sie dieselben beherzigt hätte! Ich meinerseits hätte

Ignoratur autem quia favorem aurium cathedrae pestilentiae possident, et imo in quibusdam scholis catholicis pruritus quidam insaevit ab inimicis emendicandi pauperiora, neglecta proprii thesauri ubertate.

Sed et Aquinatis forma tam larga est atque flexibilis, ut quidquid novae aetates exposcunt, facile, si tamen proprio loco ac lumine, collocari possint, quin harmoniosam synthesim tabulae analyticamve praecisionem ulla ratione perturbent [1].

Indoles autem argumenti liberiorem interdum scribendi rationem imposuit, maxime in *Mariologia*, ad normam praesentis aevi non parum dilatanda. In vindicando insuper dogmate Immaculatae Conceptionis penitius de genuina sententia Aquinatis inquirendum fuit. In qua investigatione libertate usi sumus illa, quam ab initio veluti sacram nobis legem praestituimus, non

« vielleicht mein ganzes Buch nicht geschrieben, wenn ich sie gekannt hätte, denn « die Grundgedanken, um die es mir zu thun war, finden sich schon bei jenem ge- « waltigen Denker in vollendeter Klarheit und prägnantester Fassung ausgespro- « chen. — Die katholische Ethik baut auf dieser Grundlage weiter fort. Der persön- « lichen Mitteilung des genannten Recensenten verdanke ich die Namaftmachung « eines soeben 1886 erschienenen Werkes des P. Theodor Mayer: " Institutiones iuris « naturalis u. s. w. ", in welchen Verfasser auch zu meinem Werke Stellung nimmt. « Ich meinerseits bin leider nicht mehr im stande, dasselbe in Bezug auf den mittel- « alterlichen Scholasticismus und die heutige katholische Ethik zu thun und das « früher Versäumte nachzuholen, aber wenn mein gegenwärtiges Werk Erfolg « haben sollte, so wird es sich auch darin bewähren müssen, dass die protestanti- « sche Wissenschaft sich die Förderung, welche sie durch die katholisch-theologische « erfahren kann, zu nutze macht. Wer sich Belehrung, welche er durch seinen « Gegner erhalten kann, entgehen lässt, schädigt sich selber! » *.

[1] Id unus ex antesignanis eruditionis modernae, cuius nomen discretionis causa tacere malo, nuper agnovit, dum mihi de *Christologia* (T. IV) haec eleganter scribebat: « J'ai admiré une fois de plus comment les questions les plus contemporaines « s'adaptent bien au vieux cadre de St Thomas. Il paraît que l'outre n'est pas si « usée, puisque l'on peut y mettre tant de vin nouveau ».

* II, p. 161, nota.

modo ipsa Aquinatis opera perscrutando, sed et coaevos scriptores ex aliis quoque coetibus consulendo, utpote testes opinionis, quae tunc in variis scholis aperte tradebatur [1].

Sobrie in hoc volumine, sicuti in praecedente, tractamus de erroribus apud modernos Protestantes spargi solitis. Ratio est in promptu. Quidquid enim apud istos grassante audacia propugnatur, aut iam prisci haeretici Photinus, Nestorius, Pelagius aliique docuerunt, aut non iam ad theologiae sanctuarium, sed ad praeambula apologetica et exegetica pertinere dicendum est [2]. Quare in hac tota expositione non agimus nisi cum illis viris, qui Scripturarum authentiam et veracitatem agnoscunt [3].

[1] Hoc sensu Ægidium Romanum, licet Ordinis S. Augustini, adduximus veluti testem opinionis tunc apud Praedicatores vigentis (p. 147); imo Aquinatis, indirecte scilicet, commentatorem appellavimus (p. 489).

[2] Caeterum cur nos essemus tantopere solliciti de arbitrariis quibusque conceptibus qui e protestanticis cerebris boletorum more quotidie pullulant, quum videamus protestanticos scriptores Catholicorum opera superbo passim silentio praeterire? Et tamen si nervum speculationis attendis potius, quam eruditionem positivam, saepius argumento extraneam, de protestantibus theologis in comparatione ad catholicos non raro valet illud, quod nuper de concivibus suis Rm̃us Aid. Gasquet, — verba refero, non iudico, — fateri non erubuit: « It has frequently been remarked « that as a people (lege hic: "uti corpus religiosum") we (lege hic: "Protestantes") « are far too easily pleased with ourselves, that we like to estimate ourselves at our « own value, and neither care to have our labours and method contrasted with those « of other civilised nations (lege hic: "Catholicorum"), nor able to conceal our « resentment when this is done for us, or we are invited to do it for ourselves » (*Editing and Reviewing*, p. 1). Citata verba protraherem ulterius, nisi in offensionem « insularis amici cedere possent. Quod autem paulo inferius Cl. Gasquet monet de « thoroughness » operum Germanorum, quibuscum relatum « our work is seldom « more than second best », concinne addens: « and in the case of matters of serious « import this must inevitably end in some awakening as we lately experienced in « regard to our military system » (p. 4), rationem suggerit ob quam frequentius ad Germanorum opera recurrere solemus.

[3] De doctrinali et constitutionali ruina Protestantismi lege: *Le Protestantisme contemporain. — Ruine doctrinale,* par les Drs. K. Krogh-Tonning et Baltus — *Le Protestantisme contemporain. — Ruine constitutionnelle,* par le Dr. K. Krogh-

Sed ut brevis noster prologus ad Eum redeat, a quo exordium sumpsit, placet, hac sacra Dominicae Resurrectionis vigilia, opus salutis per Prolem Virginis completum istis cum S. Anselmo compellare amatoriis verbis: « Adoramus te Christe, Rex Israël, princeps regum « terrae, lux gentium, Domine Sabaoth, virtus Dei « omnipotentis fortissima. Adoramus te, pretiosum re- « demptionis nostri pretium, hostia pacifica, quae sola « odoris tui mirabili suavitate Patrem, qui in caelis « habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, et solus « ipse ipsum placabilem reddidisti. Tuas, Christe, mise- « rationes praedicamus; tuae suavitatis memoriam cum « abundantia eructamus; tibi, Christe, sacrificium laudis « immolamus pro multitudine bonitatis tuae » [1].

Scribebam Romae, in aedibus Collegii Anselmiani, Sabbato Sancto, anno 1902.

TONNING, traduction libre de l'allemand par Dom URBAIN BALTUS, S. T. D. moine bénédictin de l'abbaye de Maredsous (Belgique). — Parisiis. B. Bloud, 1901.

[1] Medit. IX. — *P. L.* CLVIII, 749.

INDEX RERUM.

PROLOGUS. VII
Index rerum. XIX

DE OPERIBUS SALVATORIS SEU SOTERIOLOGIA ET MARIOLOGIA.

Conspectus tractatus. 1
I. SECTIO. — De pertinentibus ad ingressum Christi in mundum. . . 2
II. SECTIO. — De pertinentibus ad progressum Christi 2
III. SECTIO. — De pertinentibus ad exitum Christi de mundo. 3
IV. SECTIO. — De pertinentibus ad exaltationem Christi. 3

SECTIO I.

—

MEMBRUM I.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

CAPUT I.

MARIOLOGIA.

Praevia 4
I. — De B. M. Virginis praefiguratione 4
II. — De B. M. Virginis praedestinatione 15

QUAESTIO XXVII.

DE BEATAE MARIAE SANCTIFICATIONE.

Ordo Quaestionis 21
Articulus I. — Utrum B. V. Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero 21
Articulus II. — Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem 24

Dissertatio de Immaculata Conceptione B. M. V.

I. — Explicatur ipsa dogmatica definitio. 30
1) " Revelata est a Deo doctrina ". 30
2) " In primo instanti Conceptionis suae ". 32
3) " Singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio " 32
4) " Intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis ". . . . 33
De debito contrahendae labis originalis in B. Virgine admittendo. 34
5) " Ab omni originalis culpae labe ". 40
6) " Praeservatam immunem ". 42
II. — Vindicatur dogma Immaculatae Conceptionis. — *A)* Ex Scripturis. . . 43
1) Protoëvangelium 43
2) Salutatio Angelica. 56
3) Encomia Sapientiae ac Sponsae Cantici. 59
4) De doctrina S. Pauli ad Romanos 62
B) Vindicatur dogma Immac. Conc. ex Traditione. 64
1) De monumentis liturgicis 64
2) De doctrina Patrum 73
Obiectiones e Patribus desumptae breviter discutiuntur. 85
3) De doctrina Scholarum. — §. 1. - De mente S. Bernardi 93
§. 2. - De mente S. Anselmi. 97
§. 3. - De mente Hugonis Victorini et Lombardi 99
§. 4. - De mente B. Alberti Magni 100
§. 5. - De mente S. Bonaventurae 101
§. 6. - De mente Scoti 104
Praecipua acta S. Sedis de Immac. Concept. B. M. V. 107
III. — Tanguntur quaedam praecipuae rationes theologicae 110
Conclusio 127
Appendix de mente S. Thomae circa Immac. Concept. B. M. V. 130
§. 1. - Perpenduntur textus Immac. Conc. faventes. 133
§. 2. - Perpenduntur textus Immac. Conc. contrarii. 137
§. 3. - Conclusio fertur. 147
Articulus III. — Utrum per sanctificationem fuerit B. M. Virgini fomes totaliter sublatus 151
De doctrina S. Bonaventurae 157
Corollaria 159
Articulus IV. — Utrum per huiusmodi sanctificationem B. V. fuerit consecuta ut nunquam peccaret. 160
De S. Bonaventura 166
Quaestiones connexae 170
Articulus V. — Utrum beata Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum. 171
Quaestiones connexae 174
Articulus VI. — Utrum sic sanctificari, fuerit proprium beatae Virgini . . . 182
Appendix de sanctificatione B. Iosephi, Sponsi B. M. Virginis 184

Appendix. Dissertatio de B. Virginis ortu, dotibus ac nomine 186
§. 1. - De B. V. ortu 186
§. 2. - De B. Mariae dotibus naturalibus. 191
§. 3. - De Mariae nomine. 209

QUAESTIO XXVIII.

DE VIRGINITATE B. MARIAE.

Ordo Quaestionis. 225
De adversariis virginitatis B. M. V. 226
Articulus I. — Utrum Beata Maria fuerit virgo in concipiendo. 234

Dissertatio de virginali maternitate B. Mariae.

I. — Virginalis maternitas B. M. demonstratur ex Scripturis. 236
II. — Virginalis maternitas Mariae unanimi Patrum consensu fulcitur . . . 251
III. — Idem dogma per auctoritatem Ecclesiae corroboratur. 265
IV. — Idem dogma per liturgiam celebratur 268
V. — Virginalis maternitas per artem sacram illustratur 270
Articulus II. — Utrum Mater Dei fuerit virgo in partu. 276
Appendix de controversia inter Paschasium Radbertum et Ratramnum. . . . 289
Articulus III. — Utrum Mater Dei permanserit virgo post partum 293
Articulus IV. — Utrum Mater Dei virginitatem voverit 309
Quaestiones connexae 313
Corollarium. 315
Brevissima totius Quaestionis synopsis 318

QUAESTIO XXIX.

DE MATRIS DEI DESPONSATIONE.

Nexus et Ordo Quaestionis 319
Articulus I. — Utrum Christus nasci debuerit de Virgine desponsata 319
Quaestio connexa 322
Articulus II. — Utrum inter Mariam et Ioseph fuerit verum matrimonium. . 323
Corollaria 334
Brevissima totius Quaestionis synopsis 337
Appendix. **De virgineo Sponso B. M. V.** 338

QUAESTIO XXX.

DE BEATAE MARIAE VIRGINIS ANNUNTIATIONE.

Ordo Quaestionis. 353
Articulus I. — Utrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini quod in ea erat generandum. 353
Articulus II. — Utrum annuntiatio B. V. fieri debuerit per angelum 355

Articulus III. — Utrum angelus annuntians debuerit B. Virgini visione corporali apparere 357
Articulus IV. — Utrum annuntiatio convenienti fuerit ordine perfecta. . . . 359
Brevissima totius Quaestionis synopsis 364
Appendix de cantico B. M. Virginis 365

CAPUT II.

DE IPSA CONCEPTIONE SALVATORIS.

QUAESTIO XXXI.

DE CONCEPTIONE SALVATORIS QUOAD MATERIAM DE QUA CORPUS EIUS CONCEPTUM EST.

Ordo Quaestionis 377
Articulus I. — Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam 377
Articulus II. — Utrum caro Christi fuerit sumpta de David. 379
Articulus III. — Utrum convenienter genealogia Christi ab evangelistis texatur. 381
Corollaria 385
Articulus IV. — Utrum decuerit Christum nasci de femina 387
Articulus V. — Utrum corpus Christi ex purissimis sanguinibus virginis formatum sit 389
Corollarium 395
Articulus VI. — Utrum corpus Christi fuerit in antiquis patribus secundum aliquid signatum. 395
Corollarium 397
Articulus VII. — Utrum caro Christi in patribus fuerit peccato obnoxia. . . 398
Articulus VIII. — Utrum Christus in lumbis Abrahae fuerit decimatus . . . 400
Quaestio connexa. 402
Brevissima totius Quaestionis synopsis 403

QUAESTIO XXXII.

DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM.

Ordo Quaestionis 404
Articulus I. — Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi. 404
Appendix de mente S. Bonaventurae 408
Articulus II. — Utrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu Sancto . . . 410
Corollarium 412
Articulus III. — Utrum Spiritus Sanctus dici debeat pater Christi secundum carnem. 413

Articulus IV. — Utrum B. V. aliquid active egerit in conceptione corporis Christi 415
Appendix de mente S. Bonaventurae 419
Brevissima totius Quaestionis synopsis 422

QUAESTIO XXXIII.

DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI.

Ordo Quaestionis. 423
Articulus I. — Utrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis. 423
Appendix de mente S. Bonaventurae 426
Articulus II. — Utrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suae conceptionis. 429
Articulus III. — Utrum corpus Christi in primo instanti suae conceptionis fuerit a Verbo assumptum 431
Corollaria. 434
Articulus IV. — Utrum conceptio Christi fuerit naturalis vel miraculosa. . . 436
Appendix de mente S. Bonaventurae 437
Brevissima totius Quaestionis synopsis 438

CAPUT III.

DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTAE.

QUAESTIO XXXIV.

Ordo Quaestionis 439
Articulus I. — Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam. 439
Articulus II. — Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis habuerit usum liberi arbitrii. 441
Corollarium 443
Articulus III. — Utrum Christus in primo instanti conceptionis suae mereri potuerit 443
Articulus IV. — Utrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis. 445
Brevissima totius Quaestionis synopsis 446

MEMBRUM II.

DE CHRISTI NATIVITATE ET MANIFESTATIONE.

CAPUT I.

DE NATIVITATE CHRISTI.

QUAESTIO XXXV.

Ordo Membri et Quaestionis. 448
Articulus I. — Utrum nativitas sit naturae vel personae. 449
Articulus II. — Utrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis . . 450
Articulus III. — Utrum secundum temporalem Christi nativitatem B. V. possit dici Mater eius. 453
Articulus IV. — Utrum Beata Virgo debeat dici Mater Dei 455
Quaestio connexa. — Corollarium 466
Appendix. Dissertatio de excellentia divinae maternitatis 468
Quaestio connexa. — Corollarium 498
Articulus V. — Utrum in Christo sint duae filiationes 500
Articulus VI. — Utrum Christus fuerit natus sine dolore Matris 502
Corollarium 504
Articulus VII. — Utrum Christus debuerit in Bethlehem nasci. 504
Articulus VIII. — Utrum Christus fuerit tempore congruo natus. 506
Brevissima totius Quaestionis synopsis 508

QUAESTIO XXXVI.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI.

Ordo Quaestionis. 509
Articulus I. — Utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta . . . 509
Articulus II. — Utrum nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari . . . 511
Articulus III. — Utrum sint convenienter electi illi quibus est manifestata Christi nativitas. 512
Articulus IV. — Utrum Christus manifestare debuerit per seipsum nativitatem suam. 514
Articulus V. — Utrum nativitas Christi per Angelos et stellam debuerit manifestari. 515
Articulus VI. — Utrum nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata 517
Articulus VII. — Utrum stella quae apparuit Magis, fuerit una de caelestibus stellis 520
Articulus VIII. — Utrum Magi convenienter ad Christum adorandum venerint. 522
Brevissima totius Quaestionis synopsis 525

III. MEMBRUM.

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM IESUM IMPLETIS.

QUAESTIO XXXVII.

Ordo Quaestionis. 526

CAPUT I.

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

Articulus I. — Utrum Christus debuerit circumcidi 526
Quaestio connexa. 529
Articulus II. — Utrum convenienter fuerit Christo nomen impositum 530
Appendix. **Dissertatio de praecipuis nominibus Christi** 534
A) De nominibus potius entitavis 534
B) De nominibus potius operativis. 552

CAPUT II.

DE OBLATIONE CHRISTI IN TEMPLO.

Articulus III. — Utrum Christus convenienter fuerit in templo oblatus . . . 579
Articulus IV. — Utrum Mater Dei convenienter ad templum purganda accesserit 581
Brevissima totius Quaestionis synopsis 584

IV. MEMBRUM.

DE CHRISTO BAPTIZATO A IOANNE.

CAPUT I.

DE BAPTISMO IOANNIS.

QUAESTIO XXXVIII.

Ordo Quaestionis. 585
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens Ioannem baptizare 585
Articulus II. — Utrum baptismus Ioannis fuerit a Deo. 587
Articulus III. — Utrum in baptismo Ioannis gratia daretur 589
Articulus IV. — Utrum alii, praeter Christum, baptismo Ioannis baptizari debuerint. 591

Articulus V. — Utrum baptismus Ioannis debuerit cessare Christo baptizato . 592
Articulus VI. — Utrum baptizati baptismo Ioannis essent postea baptismo Christi baptizandi. 594
Brevissima totius Quaestionis synopsis 597

CAPUT II.

DE BAPTISMO CHRISTI.

QUAESTIO XXXIX.

Ordo Quaestionis. 599
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens Christum baptizari. 599
Articulus II. — Utrum Christus baptismo Ioannis debuerit baptizari 600
Articulus III. — Utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus. . . . 602
Articulus IV. — Utrum Christus debuerit in Iordane baptizari. 603
Articulus V. — Utrum Christo baptizato, caeli debuerint aperiri. 605
Articulus VI. — Utrum convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbae 607
Articulus VII. — Utrum illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus, fuerit verum animal. 613
Articulus VIII. — Utrum convenienter, Christo baptizato, fuerit audita vox Patris Filium protestantis. 614
Brevissima totius Quaestionis synopsis 616

SECTIO II.

DE PERTINENTIBUS AD PROGRESSUM CHRISTI.

CAPUT I.

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI.

QUAESTIO XL.

Ordo Quaestionis. 617
Articulus I. — Utrum conveniens fuerit Christum inter homines conversari. . 617
Articulus II. — Utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit. 619
Articulus III. — Utrum Christus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere. 621
Articulus IV. — Utrum Christus fuerit secundum legem in hac vita conversatus. 623
Brevissima totius Quaestionis synopsis 625

CAPUT II.

DE TENTATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XLI.

Ordo Quaestionis 626
Articulus I. — Utrum conveniens fuerit Christum tentari. 626
Articulus II. — Utrum Christus in deserto tentari debuerit 629
Articulus III. — Utrum tentatio Christi debuerit esse post ieiunium. 631
Articulus IV. — Utrum fuerit conveniens ordo et modus tentationis Christi . 634
Brevissima totius Quaestionis synopsis 637

CAPUT III.

DE DOCTRINA CHRISTI.

QUAESTIO XLII.

Ordo Quaestionis 637
Articulus I. — Utrum conveniens fuerit, Christum Iudaeis et non Gentilibus praedicare. 638
Articulus II. — Utrum Christus debuerit Iudaeis sine eorum offensione praedicare. 639
Articulus III. — Utrum Christus omnia publice docere debuerit 640
Articulus IV. — Utrum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere . . 643
Brevissima totius Quaestionis synopsis 645

CAPUT IV.

DE MIRACULIS CHRISTI.

QUAESTIO XLIII.

DE MIRACULIS A CHRISTO FACTIS IN GENERALI.

Ordo Quaestionis 645
Articulus I. — Utrum Christus debuerit facere miracula 646
Articulus II. — Utrum Christus fecerit miracula divina virtute 648
Corollarium 650
Articulus III. — Utrum Christus inceperit facere miracula in nuptiis 650
Articulus IV. — Utrum miracula per Christum facta sufficienter eius divinitatem ostenderint 652
Brevissima totius Quaestionis synopsis 655

QUAESTIO XLIV.

DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS.

Ordo Quaestionis 656
Articulus I. — Utrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias fuerint convenientia. 656
Articulus II. — Utrum convenienter facta fuerint miracula per Christum circa corpora caelestia. 657
Articulus III. — Utrum convenienter Christus circa homines miracula fecerit. 659
Articulus IV. — Utrum convenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationales. 661
Brevissima totius Quaestionis synopsis 663

QUAESTIO XLV.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

Ordo Quaestionis 663
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens Christum transfigurari. 663
Articulus II. — Utrum claritas Christi in transfiguratione fuerit claritas gloriosa 665
Articulus III. — Utrum testes transfigurationis convenienter fuerint inducti. . 667
Articulus IV. — Utrum convenienter auditum fuerit testimonium paternae vocis in transfiguratione. 669
Appendix ascetica 671
Brevissima totius Quaestionis synopsis 672

SECTIO III.

DE PERTINENTIBUS AD EXITUM CHRISTI DE MUNDO.

MEMBRUM I.

DE PASSIONE CHRISTI.

CAPUT I.

DE IPSA PASSIONE CHRISTI.

QUAESTIO XLVI.

Ordo Quaestionis. 673
Articulus I. — Utrum fuerit necessarium, Christum pati pro liberatione humani generis 674

Articulus II. — Utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanae quam per passionem Christi 677
Articulus III. — Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis quam per passionem Christi 679
Appendix de mente S. Anselmi et S. Bonaventurae 682
Articulus IV. — Utrum Christus pati debuerit in cruce 686
Corollarium. 690
Articulus V. — Utrum Christus omnes passiones sustinuerit. 690
Articulus VI. — Utrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus 692
Articulus VII. — Utrum Christus passus fuerit secundum totam animam. . . 695
Articulus VIII. — Utrum tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata 697
Quaestio connexa 699
Corollarium. 700
Articulus IX. — Utrum Christus fuerit convenienti tempore passus 703
Articulus X. — Utrum Christus fuerit convenienti loco passus. 708
Articulus XI. — Utrum conveniens fuerit Christum cum latronibus crucifigi. 709
Articulus XII. — Utrum passio Christi sit eius divinitati attribuenda. . . . 712
Brevissima totius Quaestionis synopsis 714

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI.

QUAESTIO XLVII.

Ordo Quaestionis 716
Articulus I. — Utrum Christus fuerit ab alio occisus, an a seipso. 716
Corollarium. 720
Articulus II. — Utrum Christus fuerit ex obedientia mortuus 720
Dissertatiuncula de mandato quod Christus a Patre accepit, ut pro humano genere in cruce moreretur. 721
I) Exponuntur opiniones praecipuae 721
II) Demonstratur et illustratur sententia S. Thomae. 726
A) Argumenta ex S. Scriptura colliguntur 727
B) Exponitur doctrina ex Scripturis hausta 729
III) Solvuntur difficultates sententiae nostrae ab aliis obiectae. 731
IV) Inquiritur de mente S. Anselmi 736
Corollaria 741
Articulus III. — Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni. 743
Articulus IV. — Utrum fuerit conveniens Christum pati a Gentilibus 745
Articulus V. — Utrum Christi persecutores eum cognoverint 746
Articulus VI. — Utrum peccatum Christum crucifigentium fuerit gravissimum. 748
Corollarium. 751
Appendix de specie ac symbolismo crucifixi Domini 751
Brevissima totius Quaestionis synopsis 756

CAPUT III.

DE MODO PASSIONIS CHRISTI QUANTUM AD EFFECTUM.

QUAESTIO XLVII.

Ordo Capitis ac Quaestionis 757
Articulus I. — Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti. 757
Articulus II. — Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis 763
Articulus III. — Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii . . . 768
Articulus IV. — Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis 774
Appendix de rigore satisfactionis a Christo praestitae sive pretii per eius sacrificium soluti 777
Articulus V. — Utrum esse Redemptorem sit proprium Christi 785
Corollarium. 786
Articulus VI. — Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiae 787
Corollarium. 788
Brevissima totius Quaestionis synopsis 789

QUAESTIO XLIX.

DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI.

Ordo Quaestionis. 789
Articulus I. — Utrum per passionem Christi simus liberati a peccato 790
Articulus II. — Utrum per passionem Christi simus liberati a potestate diaboli. 792
Articulus III. — Utrum per passionem Christi homines sint liberati a poena peccati 794
Articulus IV. — Utrum per passionem Christi simus Deo reconciliati 796
Corollarium. 799
Articulus V. — Utrum Christus sua passione aperuerit nobis ianuam caeli. . 800
Articulus VI. — Utrum Christus per suam passionem meruerit exaltari . . . 802
Brevissima totius Quaestionis synopsis 805
Appendix. **Dissertatiuncula de cultu SS. Redemptoris**. 805
I. De devotione erga pretiosissimum Sanguinem. 806
II. De devotione erga plagas Salvatoris 811
III. De devotione erga SS. Cor Iesu 813
I. De obiecto devotionis erga SS. Cor Iesu 813
II. De fine devotionis erga SS. Cor Iesu 819
IV. De devotione ad septem verba a Iesu de Cruce prolata. 825
Corollarium 832

MEMBRUM II.
DE MORTE CHRISTI.

QUAESTIO L.

Ordo Quaestionis 835
Articulus I. — Utrum conveniens fuerit Christum mori 835
Articuli II et III. — Utrum in morte Christi divinitas fuerit separata a carne aut ab anima 838
Corollaria 847
Articulus IV. — Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo 849
Appendix de mente Hugonis Victorini et Magistri Sententiarum 852
Articulus V. — Utrum fuerit idem numero corpus Christi viventis et mortui . 855
Corollarium de forma cadaverica 857
Articulus VI. — Utrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem . 858
Brevissima totius Quaestionis synopsis 860
Appendix de morte B. M. Virginis 860

MEMBRUM III.
DE SEPULTURA CHRISTI.

QUAESTIO LI.

Ordo Quaestionis 867
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens Christum sepeliri 867
Corollarium I. de cultu S. Sepulchri 869
Corollarium II. de cultu S. Sindonis 870
Articulus II. — Utrum convenienti modo Christus fuerit sepultus 871
Articulus III. — Utrum corpus Christi in sepulchro fuerit incineratum . . . 873
Corollarium de B. M. Virgine 875
Scholion 875
Articulus IV. — Utrum Christus fuerit in sepulchro solum una die et duabus noctibus 876
Brevissima totius Quaestionis synopsis 878

MEMBRUM IV.
DE DESCENSU AD INFEROS.

QUAESTIO LII.

Ordo Quaestionis 879
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens, Christum ad inferos descendere . . . 879

Articulus II. — Utrum Christus descenderit ad infernum damnatorum . . . 882
Articulus III. — Utrum Christus fuerit totus in inferno 884
Articulus IV. — Utrum Christus aliquam moram traxerit in inferno 885
Articuli V-VIII. — Utrum Christus descendens ad inferos inde liberaverit: 1) sanctos patres, 2) damnatos quosdam, 3) pueros cum originali peccato mortuos, 4) animas in purgatorio detentas 887
I. Conclusio. 887
II. Conclusio 887
III. Conclusio 888
IV. Conclusio 888
Brevissima totius Quaestionis synopsis 888

SECTIO IV.

DE PERTINENTIBUS AD EXALTATIONEM CHRISTI.

MEMBRUM I.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

CAPUT I.

DE IPSA RESURRECTIONE.

QUAESTIO LIII.

Ordo Quaestionis. 890
Articulus I. — Utrum fuerit necessarium, Christum resurgere 890
Articulus II. — Utrum fuerit conveniens Christum tertia die resurgere . . . 894
Articulus III. — Utrum Christus primo surrexerit. 897
Articulus IV. — Utrum Christus fuerit causa suae resurrectionis. 899
Corollaria. 901
Brevissima totius Quaestionis synopsis 901

CAPUT II.

DE QUALITATE RESURGENTIS.

QUAESTIO XIV.

Ordo Quaestionis 902
Articuli I-IV. — Utrum Christi corpus resurrexerit 1) verum, 2) integrum, 3) gloriosum, 4) cum cicatricibus 902
Brevissima totius Quaestionis synopsis 907

CAPUT III.

DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS.

QUAESTIO LV.

Ordo Quaestionis 908
Articulus I. — Utrum resurrectio debuerit omnibus manifestari 908
Articulus II. — Utrum fuisset conveniens quod discipuli viderent Christum resurgere 910
Articuli III et IV. — Utrum convenienter Christus apparuerit 1) non continuo, 2) semel in aliena effigie 912
Articuli V et VI. — Utrum Christus resurrectionis suae veritatem argumentis 1) ostendere debuerit, 2) sufficienter ostenderit. 914
Brevissima totius Quaestionis synopsis 918

CAPUT IV.

DE RESURRECTIONIS CHRISTI CAUSALITATE.

QUAESTIO LVI.

Ordo Quaestionis 919
Articulus I. — Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum. . 919
Articulus II. — Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum . 921
Corollarium. 923
Brevissima totius Quaestionis synopsis 924

MEMBRUM II.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

QUAESTIO LVII.

Ordo Quaestionis. 924
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens Christum ascendere. 924
Articulus II. — Utrum convenerit Christo ascendere in caelum secundum divinam naturam. 928
Articulus III. — Utrum Christus ascenderit propria virtute. 930
Articuli IV et V. — Utrum corpus Christi ascenderit 1) super omnem locum, 2) super omnem creaturam spiritualem. 931
Corollarium. 933
Articulus VI. — Utrum ascensio Christi sit causa nostrae salutis. 934
Brevissima totius Quaestionis synopsis 935

MEMBRUM III.

DE SESSIONE CHRISTI A DEXTRIS PATRIS.

QUAESTIO LVIII.

Ordo Quaestionis 937
Articulus I. — Utrum Christo conveniat sedere ad dexteram Dei Patris . . . 937
Articuli II et III. — Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo 1) secundum quod Deus, 2) secundum quod homo 939
Articulus IV. — Utrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi . . . 941
Corollarium 943
Brevissima totius Quaestionis synopsis 944
Appendix. Dissertatio de Assumptione et Exaltatione B. M. V. 944
A) De Assumptione B. M. V. 944
I. Perpenduntur argumenta scripturistica 945
II. Exhibetur traditio liturgica et patristica 948
III. Perpenduntur rationes theologicae 956
IV. Definibilitas Assumptionis B. V. vindicatur 960
B) De B. Virginis in caelo exaltatione 961

MEMBRUM IV.

DE IUDICIARIA POTESTATE CHRISTI.

QUAESTIO LIX.

Ordo Quaestionis 964
Articuli I et II. — Utrum iudiciaria potestas sit attribuenda 1) specialiter Christo, 2) secundum quod est homo 694
Articulus III. — Utrum Chr. ex meritis adeptus fuerit iudiciariam potestatem . 969
Corollarium 971
Articulus IV. — Utrum Christo conveniat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas 972
Corollaria. 974
Articulus V. — Utrum post iudicium quod agitur in praesenti tempore, restet aliud iudicium 975
Articulus VI. — Utrum iudiciaria potestas Christi se extendat ad angelos . . 977
Corollarium 979
Brevissima totius Quaestionis synopsis 980
EPILOGUS 981

Index alphabeticus analyticus. 987

PARS II.

DE OPERIBUS SALVATORIS

SEU

SOTERIOLOGIA ET MARIOLOGIA.

CONSPECTUS TRACTATUS.

Haec altera pars tactatus nostri quatuor sectionibus constat, quas, licet in primo volumine, p. 1, enumeratas, iterum huic tomo praemittere iuvat.

I. SECTIO. - De pertinentibus ad ingressum Christi in mundum, (Q. XXVII-XXXIX).
II. SECTIO. » ad progressum Christi, (Q. XL-XLV).
III. SECTIO. » ad exitum Christi de mundo, (Q. XLVI-LII).
IV. SECTIO. » ad exaltationem Christi, (Q. LIII-LIX).

Apparet, ordinem cui adhaeret hic Angelicus, esse historicum ad normam ipsius narrationis Scripturarum. Unde mirum non erit, si in hac tractatione interdum exegetica et apologetica argumentis stricte dogmaticis misceantur. Hisce sane ultimis magis insistemus, quin tamen alia praetermittamus, utpote et ipsa doctrinis uberrima et mystico veluti aromate plerumque condita.

Distributionem sectionum placet ab exordio assignare, quemadmodum in praecedenti volumine fecimus, ut totius argumenti syntheticus conspectus prae oculis habeatur.

I. SECTIO. - De pertinentibus ad ingressum Christi in mundum.

A) Consideranda de *conceptione Christi:* (Mariologia) (I. *Membrum*)

- 1) quantum ad *matrem concipientem:* (I. *Caput*)
  - *a*) de eius sanctificatione (Q. XXVII),
  - *b*) » virginitate (Q. XXVIII),
  - *c*) » desponsatione (Q. XXIX),
  - *d*) » annuntiatione (Q. XXX),
  - *e*) » praeparatione (Q. XXXI); [1]
- 2) ad *modum* conceptionis: (II. *Caput*)
  - *a*) quantum ad materiam (Q. XXXI),
  - *b*) » ad auctorem (Q. XXXII),
  - *c*) » ad modum et ord. (Q. XXXIII);
- 3) ad *perfectionem prolis conceptae:* (III. *Caput*) (Q. XXXIV).

B) Consideranda de *Christi nativitate:* (II. *Membrum*)

- 1) quantum ad *ipsam nativitatem* (Q. XXXV), (I. *Caput*)
- 2) » ad eius *manifestationem* (Q. XXXVI), (II. *Caput*).

C) Consid. de *circumcisione Christi* (Q. XXXVII), (III. *Membrum*).

D) Consid. de *baptismo Christi:* (IV. *Membrum*)

- 1) de baptismo *Ioannis in genere* (Q. XXXVIII), (I. *Caput*)
- 2) de baptismo *Christi* (Q. XXXIX), (II. *Caput*).

II. SECTIO. - De pertinentibus ad progressum Christi.

A) De modo *conversationis* Christi (Q. XL), (I. *Membrum*)

B) De *tentatione* Christi (Q. XLI), (II. *Membrum*)

C) De *doctrina* Christi (Q. XLII), (III. *Membrum*)

D) De *miraculis* Christi (Q. XLIII), (IV. *Membrum*).

[1] Quintum considerandum de conceptione Christi quoad *matrem concipientem*, coincidit cum primo de *modo conceptionis*. Quaestio itaque XXXI pertinet simul ad primum et ad secundum membrum huius capitis. Loco suo hanc quaestionem initio secundi membri assignabimus.

III. SECTIO. - **De pertinentibus ad exitum Christi de mundo.**

A) De *passione* Christi: (I. *Membrum*)
- 1) de *ipsa passione* (Q. XLVI), (I *Caput*)
- 2) de *causa* efficiente passionis (Q. XLVII), (II. *Caput*)
- 3) de *fructu* passionis (III *Caput*):
  - *a*) de modo efficiendi (Q. XLVIII),
  - *b*) de ipso effectu (Q. XLIX).

B) De *morte* Christi (Q. L), (II. *Membrum*)

C) De *sepultura* Christi (Q. LI), (II. *Membrum*)

D) De descensu ad *inferos* (Q. LII), (IV. *Membrum*).

IV. SECTIO. — **De pertinentibus ad exaltationem Christi.**

A) De *resurrectione* Christi: (I. *Membrum*)
- 1) de *ipsa resurrectione* (Q. LIII), (I. *Caput*)
- 2) de *qualitate* resurgentis (Q. LIV), (II. *Caput*)
- 3) de *manifestatione* resurrectionis (Q. LV), (III *Caput*)
- 4) de *causalitate* resurrectionis (Q. LVI).

B) De *ascensione* Christi (Q. LVII), (II. *Membrum*)

C) De *sessione* Christi a dextris Patris (Q. XVIII), (III *Membrum*)

C) De *iudiciaria potestate* Christi (Q. LIX), (IV. *Membrum*).

I. MEMBRUM.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

(MARIOLOGIA)

PRAEVIA.

Quemadmodum in prologo monebamus, si huic membro *Mariologiae* nomen praecipue tribuimus, non est quasi non agat nisi de privilegiis Deiparae, nec quasi contineat omnia quae ad excellentiam B. Virginis pertineant. Etenim non pauca heic spectant ad Virginis Prolem, et alibi plura de B. Mariae dotibus complenda supersunt. Nihilominus, quum summa rerum ab Angelico in hisce quaestionibus tradatur, Mariologiae titulo huic membro iure servato, addemus nonnulla, quae circa praerogativas Matris Dei devotio hodierna exposcit; ipsique Deiparae non ingratum fore speramus, si verbulum etiam de virgineo eius Sponso addiderimus. Compendiose tamen nobis in hisce argumentis procedendum erit, ne in molem nimiam tractatio exsurgat. Parce itaque, ad mentem optimorum theologorum, medullam doctrinae de Sacra Familia hoc loco exhibebimus, fontes insuper praecipuos assignando, unde studiosus tiro uberiora sibi hauriat.

Et primo quidem antequam ad textum S. Thomae accedamus, quaedam de B. Mariae praefiguratione atque praedestinatione praemittenda visa sunt.

I. - De B. M. Virginis praefiguratione.

Tanta prae omnibus mulieribus, Angelo teste, Mater Dei excellentia pollet, ut omnino decens fuerit, eam saeculis anteactis fulgida luce praenuntiari, feminis imprimis egregii muneris atque virtutis, necnon realibus verbalibusque oraculis sive figuris.

A) Inter feminas eminent Eva, Maria, Anna, Bethsabee, Iudith et Esther, de quibus singulis haec pauca sint.

1) Ante omnes, tum tempore, tum originali puritate *Eva*, mater viventium, typum egregium gessit Mariae, novae Evae, matrisque nobiliori foecunditate eorum, qui vera Christi vita per gratiam vivunt. Et sane: *a*) Eva immaculata e manibus Conditoris prodiit; Maria, per merita Salvatoris ex ea nascituri, licet de genere lapso oriunda, nullam labis contagiem sensit; quin et uberioribus charismatibus ornata, innocentiâ fuit Evâ praestantior.

b) Utrumque nomen primae mulieri datum non absque typica significatione est. *Virago* enim uxor ab Adamo vocata est, quia de viro orta [1]; *Heva*, quia mater omnium viventium [2]. Iam vero sub emorientis Filii Cruce Maria utrumque nomen haereditavit; prius, quando e latere novi Adami cum aqua et sanguine profluit Ecclesia, cuius ipsa figuram gerebat; alterum, quando de expirantis Filii ore verba excepit Ioannis nomine de genere nostro sibi dicta: « Ecce Filius « tuus ».

Haec de ratione typica per similitudinem. Adde sequentia per oppositionem. *a*) Eva colloquendo cum serpente praevaricationi consensit, recedens a servitio divino; Maria in colloquio cum Angelo, ancillam Domini se profitendo, reparationis operi adhaesit. - *b*) Eva porrexit mortis fructum, malo acta spiritu; Maria, repleta Spiritu Sancto ipsam foecundante, fructum edidit vitae. - *c*) Eva parturiens de concupiscentia susceptos, mortis aeternae in omnes generationes mediatrix fuit, iure propterea a saeculis maledicta; Maria, virgineo partu maternis visceribus mediatrix est vitae, beata exinde ab omnibus generationibus dicta. - *d*) Eva in seductionis poenam damnata est quae in dolore filios ederet; Maria, enixa Virgo, in laetitia parit quoscumque materna mediatione Filio lucratur. - *e*) Eva cum praevaricatore Adamo e paradiso ab Angelo pellitur; Maria ab Angelis ad dexteram Filii in caelestem gloriam transfertur; etc.

Hanc oppositionis rationem inter Evam et Mariam brevissime canit hymnus « *Ave maris stella* » per versum: « Mu-

[1] Gen. II, 23.
[2] Ibid. III, 20.

« tans Evae nomen »: *Eva* enim inverso ordine sonat *Ave*. Sed et Patres, imprimis Augustinus et Bernardus eam eloquenter exposuerunt. De Virgine Maria prior ait: « Summa cum exul-« tatione gaudeat terra nostra, tantae Virginis illustrata die « solemni. Haec est enim flos campi, de qua ortum est pretio-« sum lilium convallium, per cuius partum mutatur natura, « protoplastorumque deletur et culpa. Praecisum est in ea illud « Hevae infelicitatis elogium, quo dicitur: In tristitia paries « filios: quia ista in laetitia Dominum parturivit. Heva enim « luxit, ista exsultavit. Heva lacrymas, Maria gaudium in ven-« tre portavit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem... « Mater generis nostri poenam intulit mundo; Genitrix Do-« mini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Heva, « auctrix meriti Maria. Heva occidendo obfuit; Maria vivi-« ficando profuit. Illa percussit; ista sanavit. Pro inobedientia « enim obedientia commutatur; fides pro perfidia compen-« satur » [1]. - S. Bernardus ait: « Ad commendationem gratiae « suae et ad destructionem humanae sapientiae, Deus de « femina, sed de Virgine... dignatus est carnem assumere, ut « similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pesti-« feram spinam evelleret, peccati chirographum potentissime « deleret... Eva spina fuit, Maria rosa extitit. Eva spina vulne-« rando, Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina « infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam « omnibus sortem » [2]. Quae oppositio saepius apud Mellifluum Doctorem recurrit, uti in homiliis *Super missus est*.

2) Post Evam, occurrit *Maria, Moysis soror*. Postquam Deus prodigiose populum suum ab Aegypto liberavit, via Rubri maris ipsi aperta, undisque super ipsum insequentes reductis, Moyses carmen composuit, quod Maria prophetissa, tympanum manu pulsans, praecinuit, stipata mulieribus « cum « tympanis et choris » [3]. Haec autem typice gesta, traditio catholica agnovit. In Moysis sorore veram Mariam salutavit, quae, gravida Liberatore veri Israel, id est omnium electorum, sancte exsultans, prophetarum regina carmen cecinit sibi a vero Moyse, quem gestabat, inditum. « Cantemus Do-

[1] Serm. 18, de Sanctis, qui est. 2. De Annuntiat. Domini. - *P. L.* XXXIX, 2105.
[2] Serm. de S. Maria. - *P. L.* CLXXXIV, 1020.
[3] Exod., XV, 20.

« mino, gloriose enim magnificatus est! » Nonne hoc initium cantici Mosaïci resonat in exordio hymni Matris Dei: « Ma- « gnificat anima mea Dominum? » [1]

Similitudinem typicam inter Mariam sororem Moysis et Virginem Augustinus ita exprimit: « Plaudat nunc organis « Maria, et inter veloces articulos tympana puerperae con- « crepent. Concinant laetantes chori, ut alternantibus modulis « dulcisona carmina misceantur » [2]. Et sane, sicut tunc mulieres Mariam sequebantur choros agentes ita praecinentem Mariam comitantur laetabundi, non modo quotquot habet suae celsitudinis admiratores, sed specialiori titulo quotquot virginitatis ipsius aemuli, Deum in se operantem magnificant [3].

3) Alia Mariae figura est *Anna, mater Samuelis,* quae filium miraculose precibus obtentum Deo in templo obtulit, atque exsultans hymnum Domino cantavit; digna inde quae repraesentaret illam, quae Virgo erat paritura, suumque primogenitum, Samuele praestantiorem, inter propheticos hymnorum accentus in templo oblatura [4].

4) Sed et *Bethsabee mater Salomonis,* typum gessit Matris Christi, quando filium adiit ut favorem ab eo exposceret. « Et « surrexit Rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit « super thronum suum; positusque est thronus matri regis, « quae sedit ad dexteram eius » [5]. Et sane, quam ob causam auctor inspiratus tam fuse hanc scenam descripsit, nisi quia altiori symbolo figurabat auditum, quem Matri Reginae praebet Christus, Mariae thronum throno suo admovens, eamque in gratiae signum ad dexteram sibi collocans? Et quae verba, quaeso, eloquentius exprimere valent auctoritatem, qua Virgo gloriosa apud Filium gaudet, quam verba Salomonis ad matrem suam: « Pete, mater mea, neque enim fas « est ut avertam faciem tuam? » [6].

5) Adde hisce fortem, castam, pulchram *Iudith,* triplici hac

[1] Canticum « *Magnificat* » Mariae vere tribuendum esse, loco suo data opera ostendemus.

[2] Ibid.

[3] Cf. S. Bened. Prolog. in Regulam.

[4] I. Reg. I.

[5] III. Reg. II, 19.

[6] Ibid. II, 20.

dote figuram egregiam B. Virginis. - *a*) Cunctis animum dimittentibus, Iudith se auxilio Domini confidit; Maria, per triduum inter mortem et resurrectionem Christi, sola trepidantibus omnibus, manet inconcussa. - *b*) Pulchritudine sua divinitus adaucta, Bethuliae vidua incedit, regemque hostilem sibi amore vinculat; tota pulchra, Maria caelos ipsos demulcet, iramque divinam triumphat. - *c*) Secretum fortitudinis atque pulchritudinis Iudith castitas est; immaculata puritas Virgini Matri origo totius excellentiae atque virtutis. - *d*) Princeps Ozias Iudith a trucidato Holopherno reducem salutavit « bene« dictam prae omnibus mulieribus super terram »; Ioachim pontifex cum presbyteris suis ei benedixerunt uno ore dicentes: « Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israël, tu honorificentia « populi nostri ». Maria a principe curiae caelestis modo solemniori salutatur benedicta inter mulieres; ipsamque pontifices omnes Deo sacri acclamant easdem laudes de ea verius canentes [1].

6) Demum candida, pacifica *Esther*, illustris est figura Matris Dei. - *a*) Esther propter egregiam formam inter omnes filias in uxorem Assuero electa; Maria est speciosissima inter mulieres, cuius dotes cor Regis vincientes in Cantico canticorum celebrantur. - *b*) Estheri dixit rex Assuerus: « Quid « petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiamsi dimi« diam partem regni mei petieris, impetrabis » [2]; ita Mariae pro populo roganti Christus auditum praestat. - *c*) Esther gratia sua gentem a pessima clade iam imminente liberavit; quoties impetravit Maria ut calamitates a populo suo deflecterentur, vere a S. Bernardo omnipotentia supplex nuncupata? - *d*) Aman insidiarum ac caedis structorem Esther deperdidit; Maria cunctas haereses per saecula profligavit [3].

His figuris principalioribus alias adde feminas a scriptoribus sacris tamquam figuras Mariae multifariam celebratas: *a*) *Saram*, ob miraculosam fecunditatem, necnon ob gratiam quam Abrahamo, uti soror carissima conciliavit [4];

[1] Iudith., pass.

[2] Esth., v, 6.

[3] Similitudinem inter Esther et Mariam pie evolvunt inter alios S. Bonaventura (*Spec.* B. V. lect. 6), et S. Bernard. Sen. (Serm. 3, de *Hom. Maria*, art. 4, c. 3.).

[4] S. Bonav. Ibid.

Rebeccam, ob hydriam, id est, animam gratia plenam, quam generosissime omnibus in poculum praebet; - *Rachel,* venustissimam, quae Ioseph, figuram Salvatoris mundi genuit; - *Debboram*, ob magnitudinem animi, canticique splendorem, quibus dux Israël surrexit, victoriamque de Sisara cecinit; - *Iahel* ob brachii virtutem; - *Suzannam,* ob castam pulchritudinem; etc. [1]

B) Sed et *inanimatas* figuras in antiquo Testamento B. Virgo perplures habet. Imo, sicuti homo est microcosmus, ita dici potest, Vetus Testamentum, imo universum, esse veluti symbolum Christi atque Mariae. Unde vix in mundo aliqua creatura speciosior invenitur, cui Patres Deiparam non contulerint. Quas analogias plerumque asceticas prope infinitas Card. Vives in aureo opusculo, cui titulus *Dictionarium Marianum*, pia manu nuper collegit.

Praeter ipsum *paradisum* originis, omni ubertate nitoreque conspicuum, symbolum mirae fecunditatis gratiae atque virtutum, quae animam Virginis decoravit, et quidem eo securius, quod fuerit serpenti impervia, - en quosdam typos Mariae breviter in Bulla *Ineffabilis Deus* a Pio IX collectos: « Hunc eximium, singularemque triumphum, excel-
« lentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, eiusque
« ab omni labe integritatem, atque ineffabilem caelestium
« omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et
« magnitudinem iidem Patres viderunt tum in *arca* illa Noë,
« quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio
« plane salva et incolumis evasit [2]; tum in *scala* illa, quam
« de terra ad caelum usque pertingere vidit Iacob, cuius gra-
« dibus Angeli Dei ascendebant et descendebant, cuiusque
« vertici ipse enitebatur Dominus; tum in *rubo* illo, quem in

[1] Nec ad feminas haec ratio typica limitanda est: « Quidquid sacra recitat historia, « ait iure pius auctor, de magni sanctique nominis heroibus ac heroinis, Virginis erat « encomium; quomodo excelsis quorumvis virtutibus recte magnificamus sanctorum « omnium Reginam ». Et pergit sanctiores viros ac feminas, ipsosque angelos enumerando; unde concludit: « Et tandem quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, « quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae « famae; si qua virtus, si qua laus disciplinae (*Philipp.* IV, 8) haec Virginis sunt « omnia, haec omnia sunt in Virgine » (BERLEN., *Litan. Lauretan.*).

[2] Adde, arcae lateribus ipsam spem mundi fuisse inclusam.

« loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis « flammas non iam comburi aut iacturam vel minimam pati, « sed pulchre virescere ac florescere conspexit [1]; tum in illa « inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pen- « dent, omnisque armatura fortium [2]; tum in *horto* illo *con- « cluso,* qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum « fraudibus [3]; tum in corusca illa *Dei civitate,* cuius funda- « menta in montibus sanctis; tum in augustissimo *Dei templo,* « quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Do- « mini » [4].

Adde Aaronis virgam mire efflorescentem [5]; - ipsam *foederis arcam,* e ligno incorruptibili confecta, auroque contexta, in qua virga Aaron, manna et tabulae Legis fuerunt inclusae, sicuti ipsa immaculata Virgo virtutibus exculta, Christum Legislatorem mundi, Pontificem Summum vitaeque panem in utero virginali gestavit [6]; - *Gedeonis vellus,* caelesti rore madefactum, sicut Virgo de Spiritu Sancto concepit [7]; - adde *columnam nubis* ob tutelam et refrigerium, *Carmeli* montem ob celsitudinem niveumque splendorem; *nubeculam* ab Elia propheta signatam, ob miram Virginis humilitatem ac feracitatem; etc. etc.

C) Ab huiusmodi typis realibus ad *orales prophetias* transitus valde facilis; quin et utraque oracula sese compenetrant

[1] Inde canit Ecclesia in festo Circumcisionis: « Rubum, quem viderat Moyses incombustum, agnovimus tuam laudabilem virginitatem ». Et Bernardus: « Quid « deinde rubus ille quondam Mosaicus portendebat, flammas quidem emittens, sed non « ardens, nisi Mariam parientem et dolorem non sentientem? » (Hom. II, sup. *Missus est,* n. 5).

[2] Cf. invocationes: « *Turris Davidica, turris eburnea* ».

[3] Inde apparet Pium IX Canticum canticorum de Christo et Maria interpretari.

[4] Cf. invocationem: « *Domus aurea* ».

[5] « Quid, rogo, virga Aaron florida, nec humectata, nisi ipsam concipientem quamvis virum non cognoscentem? » S. Bernardus (Ibid.)

[6] Cf. invocationem: « *Foederis arca* ».

[7] Inde canit rursus Ecclesia: « Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletae sunt Scripturae: sicut pluvia in vellus descendisti », etc. (Ibid.). Et S. Bernardus: « Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed « sine vulnere carnis in arca ponitur, et nunc quidem lana, nunc vero aerea rore « perfunditur, nisi carnem assumptam de carne virgine et absque detrimento virgi- « nitatis? Cui utique distillantibus caelis tota se infundit plenitudo divinitatis: adeo « ut ex hac plenitudine omnes acceperint, qui vere sine illa non aliud quam terra « arida sumus? » (Ibid.). Cf. Ps. LXXI: " Descendet sicut pluvia in vellus ».

ac vicissim suffulciunt, quum unum sit Verbum Dei, qui utique tamquam auctor mundi materialis et intellectualis simul loquitur rebus et verbis. Inde Pius IX in eadem Bulla hoc modo prosequitur: « Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti « summam, originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, « integritatem describendam iidem (Patres scilicet) Prophe- « tarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Vir- « gines concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et san- « ctam Ierusalem et excelsum Dei thronum, et arcam « sanctificationis ac domum, quam sibi aeterna aedificavit « Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens et innixa « super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino « perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam « labis naevo maculata ».

Haec autem oracula in duplicem velut speciem distribui possunt. Alia enim disertius ac expressius de B. Virgine vaticinantur; alia magis figurative ad eam alludunt.

1) *Diserta* vaticinia sunt maxime: *a*) protoevangelium tertii capitis Geneseos [1]; - *b*) signum Virginis pariturae ab Isaia regi Achaz promissum [2]; - *c*) vaticinium de radice Iesse [3]; - *d*) de porta clausa [4]; - *e*) de femina virum circumdatura [5]; - *f*) de stella ex Iacob oritura [6]. Quarum figurarum seriem in Scripturis N. T. clausit illud signum magnum Ioanni demonstratum, mulieris amictae solis cum luna sub pedibus eius [7]. De quibus vaticiniis infra erit data opera dicendum, ubi singulas praerogativas Deiparae contemplabimur per eadem celebratas.

2) Magis *adumbratae* prophetiae sunt illae maxime quae in Cantico canticorum, in pluribus psalmis, necnon in sat multis locis librorum paraeneticorum occurrunt, quibus testimoniis iuxta variorum indolem festorum Liturgia docte simul ac mystice utitur. Et sane imprimis *a*) *Canticum canticorum* celebrat unionem plus quam sponsalem qua Christus et Maria coniunguntur; ita ut ex una parte, cum respectu ad

[1] III, 15.
[2] Is. VII.
[3] Is. XI.
[4] Ezech. XLIV.
[5] Jerem. XXXI.
[6] Num. XXIV, 17.
[7] Apoc. XII.

Mariam, plura quae in hoc sublimi poëmate occurrunt, plenius veluti sponte intelligantur; ex altera autem Virginis laus ad extaticum amorem in eo celebratum quasi instinctive recurrat. Quod sane nos edocet Ecclesia, quae liberius huius libri verba ad Deiparam extollendam adhibet. Equidem scio connubium inter Christum et Ecclesiam esse magis obvium huius Cantici argumentum [1]. Quis autem inficiabitur, Ecclesiam in Maria veluti in speculo contineri, utpote in qua perfectissime congesta miramur, quae de Ecclesia Sponsa Christi praedicantur. « Quam pulchra es, amica mea, absque eo quod intrinsecus latet » [2], soli Deo cognitum, nemini manifestum! Ita pius Richardus a S. Laurentio [3]. Et ad verba: « Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum »,. etc., [4] Cardinalis Alanus ait: « Bene autem dicitur: Quaeremus eum tecum: « quia sine gloriosae Virginis fide, qui Christum quaerit, « errare potest proficere non potest » [5].

[1] Ista interpretatio est simul antiquissima et communissima. Porro de altiori significatione Cantici non est hic locus disserendi. Si non alium haberet sensum quam litteralem verbalem, atque mere historicum, nunquam sane inter libros sacros fuisset adnumeratum. Ipsa Synagoga quovis tempore ad occultiorem sensum se recepit; et Ecclesia in Concilio oecumenico V (ann. 553) damnavit litteralem interpretationem a Theodoro Mopsuesteno inductam. Quaestio autem subtilior moveri potest, utrum altior significatio absque dubio tenenda, sit allegorica tantum seu mystica, an insuper cum fundamento historico, typico. Plerique exegetae catholici prius tenent; et sane prope unanimis Patrum traditio in hoc convenit. A saeculo tamen XVI non defuere interpretes optimi etiam nominis, qui alteram sententiam propugnarint, uti Pontius Legionensis, Clarius, Mariana, Azor, Bossuetius, Calmet, etc. Anceps haesit Iansenius Gandavensis. Et re quidem vera, rationi a plerisque allatae, verecundiae scilicet sacri pudoris, quae vetat fundamentum historicum huic cantico subesse, in promptu est respondere, eamdem verecundiam vetare, ne de rebus, quibus ob sacram verecundiam fundamentum historicum subesse nequit, imago allegorica desumatur. At deest perfecta paritas. Allegoria enim abstrahere potest a conditione naturae lapsae; fundamentum autem historicum huic conditioni necessario subiacet. Inde discrimen. Quare putamus, typicam Cantici explicationem eo minus sufficere, quod nonnulla vix alium praeter allegoricum sensum patiuntur.

Non ideo tamen typica interpretatio est in damnationem sententiae Theodori trahenda. Esset haec exaggeratio parum logica. Damnata enim est sententia Mopsuesteni ob litteralem sensum exclusivum, non ob fundamentum litterale sensus typici. Tutius nihilomnius ab hac damnatione recedit interpretatio allegorica, tunc temporis in Ecclesia universaliter accepta.

De interpretatione Cantici canticorum tum a Synagoga, tum ab Ecclesia decursu temporum lege synthesim apud Dr. Tiefenthal O. S. B. (*Das hohe Lied,* p. 3-59).

[2] Cant. iv, 1.

[3] *De laud. Virg.* l. 12.

[4] Cant. v, 17.

[5] *In Cant.* Inter multiplices formas quibus Liturgia Canticum adhibet ad Dei-

Sed inter omnes eminet S. Bernardus, qui ingeniosissime ad Virginem ea quoque applicat quae primo intuitu minus ei convenire videntur. Ita in quarta homilia *Super Missus est* compellens Mariam ut poscenti Angelo praestet assensum, ait: « Aperi, Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera « Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus, fortis pulsat « ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias « dolens quaerere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi! « Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confes- « sionem » [1].

b) *Psalmi* pluries ad Mariam alludunt. Imprimis ps. XIV qui intime cum argumento Cantici connectitur, directe quippe messianicus est, Regem Christum efferens, atque Reginam ipsi presse adhaerentem; sub cuius Reginae symbolo omnes ascetici scriptores Mariam agnoverunt [2]. Quantopere iste psalmus - cui adde et XVIII, - cum Cantico concordet habes ex sequentibus verbis S. Bernardi ex utroque simul ac veluti uno haustu melliflua depromentis. Agens de complacentia Dei erga Mariam gratia plenam, ait: « Cum esset Rex in « accubitu suo, nardus " Virginis dedit odorem suum " [3], « et ascendit in conspectu gloriae eius fumus aromatis, et « invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui cir- « cumstabant: " Quae est ista quae ascendit per desertum « sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris? " [4]. « Statimque Rex egrediens de loco sancto suo " exultavit « ut gigas ad currendam viam » [5] et licet " a summo caelo « egressio eius " nimio tamen pervolans desiderio praevenit « suum nuntium ad Virginem quam amaverat, quam sibi « elegerat, cuius decorem concupierat. Quem prospiciens a

parae laudes celebrandas, placet eam referre, quae in Breviario a Petro II Rascher episcopo Chur. (1581-1601) confecto reperitur; ubi septem prima Cantici capita per octavam Assumptionis B. Virginis distribuuntur, et quidem cum exegeticis titulis, uti « Vox Mariae », « Vox Christi ad Mariam »; « Vox Ecclesiae ad Mariam », etc. (Cf. ibid. p. 7.).

[1] Loc. cit., n. 9.

[2] Cf. de hoc psalmo necnon de aliis psalmis, quos Liturgia Mariae applicat, commentaria doctissimi simul ac piissimi viri D. Mauri Wolter O. S. B. in opere « *Psallite sapienter* ».

[3] CANT. I, 11.

[4] Ibid. III, 6.

[5] Ps. XVIII, 6.

« longe venientem gratulans et exultans ait Ecclesia: « Ecce « venit is saliens in montibus, transiliens colles " [1]. Merito « autem concupivit rex decorem Virginis. Fecerat enim quid- « quid longe antea praemonita fuerat a patre suo David, « dicente sibi: " Audi filia, et vide et inclina aurem tuam, « et obliviscere populum tuum et domum patris tui ". Et "si « hoc feceris ", concupiscet Rex decorem tuum » [2]. - Idem valet de psalmo LXXXVI, in quo mystica Dei civitas poëtice extollitur. Ubi ad verba: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas « Dei », laudatus Richardus exclamat: « Nec solum dicta, sed « etiam dicuntur quotidie, et dicentur usque in aeternum; Chri- « stus enim Mariae Filius, qui antiquos inspiravit ut de Matre « sua sub aenigmatibus gloriosa praedicerent, ipse et quos- « dam modernos illustrat, et etiam usque in finem mundi « aliquos illustrabit, ut Matris praeconio semper aliqua et « gloriosa superaddant » [3]. Ad quae verba pius Christ. de Vega S. I., cuius *Theologia Mariana* unum ex praecipuis testimoniis prostat pietatis qua recentior aetas Dei Matrem prosequitur, in haec verba candida prorumpit: « Utinam et « nos horum numerum adaugeamus! » [4].

c) Et sane ex *aliis* Scripturae *libris* moralibus, non parum ad Virginis laudem excitat illa promissio: « Qui elucidant me, « vitam aeternam habebunt » [5]. « Quod, ait pius scriptor, si de « Filio tuo qui est Dei Sapientia, id dictum esse de te etiam, « quae es Eius superexaltata et superbenedicta Mater, id « negandum non est » [6]. Et re quidem vera quae in Scripturis de Sapientia proferuntur, Ecclesia non solum de Christo, sed et de Maria intelligere solet. Ita verba libri Proverbiorum: « Ego sapientia, etc. Mecum sunt divitiae et gloria..... Ab « aeterno ordinata sum.... Qui me invenerit, inveniet vitam.... « Sapientia aedificavit sibi domum, etc. » [7]; verba Ecclesiastici: « Ab initio et ante saecula creata sum... Ego mater pulchrae

[1] Cant. ii, 8.
[2] Ps. xliv, 72.
[3] Op. cit. l. 4.
[4] *Palaestr. proaem. Certam.* 5, n. 57.
[5] Eccl. xxiv, 31.
[6] Idiota, *lib. de Compl.*, c. 1, t. iii, Bibl. Patr.
[7] C. viii, ix.

« dilectionis... Transite ad me omnes, qui concupiscitis me » [1]; etc. quotidiano usu ad Virginem ab Ecclesia applicantur [2].

Et haec, licet pauca, scopo nostro sufficiant. Qui plura quaerit, adeat inter alias Passaglia [3].

Pulchre S. Bernardus in sermone cui titulus: « De domo « divinae Sapientiae, id est, Virgine Maria », inter alia habet: « Haec ita Sapientia, quae Dei erat, et Deus erat, de sinu « Patris ad nos veniens aedificavit sibi domum, ipsam scili- « cet Matrem suam Virginem Mariam: in qua septem co- « lumnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere « nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus prae- « parare; nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanc- « tam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter « quatuor principales virtutes ». Tres personas SS. Trinitatis in Maria habitasse, demonstrat ex verbis salutationis angelicae. Moralium autem quatuor virtutum Mariam fuisse habitaculum illustrat ex ipsa eius agendi ratione, unde concludit: « Fuit igitur Beata Virgo fortis in proposito, temperans in « silentio, prudens in interrogatione, iusta in confessione. His « itaque quatuor morum columnis et tribus fidei praedictis « extruxit in ea sibi domum Sapientia caelestis; quae adeo « mentem eius replevit, ut de plenitudine mentis fecunda- « retur et caro, ac Virgo singulari gratia eandem ipsam « Sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura « conceperat » [4].

Porro si nullus artifex domum exstruit quin prius mente ideam eius foverit, ita Deus Mariam sibi templum aedificans idipsum exsequebatur consilium, quod ab aeterno de ea firmarat. Unde de hac ipsa praeordinatione iam aliquid peculiare addendum videtur.

II. - De B. M. Virginis Praedestinatione.

Testimonia hucusque collecta iam abunde demonstrant, B. Virginem speciali titulo a Deo esse praedestinatam. Quid

[1] C. XXIV.

[2] De huius applicationis virtute dogmatica mox sermo recurret.

[3] *De Immac.* Deip. *semp. Virg.* Conceptu; P. II. *Script. ad Virg. accomodatio*, p. 316-389.

[4] Serm. LII, Ed. Lugd. 1662. t. II, col. 238, sq.

enim sunt tot figurae, tot vaticinia, nisi tot divinae praedestinationis argumenta? Placet tamen parumper huic consilio immorari, ut splendidior inde Mariae excellentia eluceat.

Lex sapientiae est, ut quo magis aliqua res operanda eminet, et sedulior de ea antecedens cura praecedat. Unde sicut praedestinatio stricti nominis non pertinet nisi ad gubernium creaturae rationalis in finem supernaturalem, - est quippe pars nobilior providentiae; - ita in ipsa praedestinatione tot gradus sunt intensitatis ac prioritatis, quot in praedestinatis ipsis dignitatis ac muneris.

Caput proin praedestinatorum est homo Christus Iesus « primogenitus in multis fratribus » [1]. Post Christum vero prima praedestinata est absque dubio Maria. Nec refert, utrum in divina oeconomia Incarnatio Redemptioni subordinetur necne. Ordo enim praedestinationis non sequitur necessario ordinem connexionis [2]. Hoc sensu canit Ecclesia de Virgine: « Ab « aeterno ordinata sum, etc. » [3]. Inde Bullam « *Ineffabilis Deus* » Pius IX exorditur excellentiam praedestinationis Mariae extollendo: « Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, « cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a « fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum « ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius hu- « mani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, « atque« in mysterio a saeculis abscondito primum suae boni- « tatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento « occultiore complere, ut contra misericors suum propositum « homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non « periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo « felicius erigeretur [4], *ab initio et ante saecula* Unigenito « Filio suo *Matrem,* ex qua caro factus in beata temporum « plenitudine nasceretur, *elegit atque ordinavit, tantoque prae « creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una*

[1] Rom. ix, 27.

[2] Cf. quae de hoc argumento disputavimus in prima parte tractatus, p. 44. sqq.

[3] Prov. viii. 23.

[4] Modus quo hic loquitur Pius IX, sane potius favet sententiae, quam S. Thomas amplectitur quoad relationem existentem inter Incarnationis et Redemptionis sacramentum. Tenacior Scotista potius ordinem periodi invertere deberet, ac dicere, v. gr.: « Ineffabilis Deus.... cum ab omni aeternitate divinam naturam in Filio humanae naturae coniugendam statuerit.... »

« *sibi propensissima voluntate complacuerit.* Quapropter illam « longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos « caelestium omnium charismatum copia de thesauro divi- « nitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni « prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et per- « fecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se « ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam « praeter Deum nemo assequi cogitando potest ». Vides, iuxta Bullam laudatam haec duo sibi correlatione arctissima respondere: eximiam ac prorsus singularem sanctitatem B. Virginis, et eius singularem omnino ac eximiam praedestinationem.

Nec aliter S. Bernardus: « Missus est Angelus ad Virgi- « nem. Virginem carne, virginem mente, virginem profes- « sione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente « et corpore sanctam. Nec noviter, nec fortuitu inventam, sed « a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi prae- « paratam, ab Angelis servatam, a Patribus praesignatam, a « Prophetis promissam » [1]. Et postquam plura praeordinantis Dei vaticinia de futura Virgine illustravit, concludit: « Vides « quam pulchre et concorditer Sanctorum mira facta et my- « stica dicta sibi invicem concinant? Vides quam stupendum sit « hoc unum de Virgine et in Virgine factum miraculum, quod « tot miracula praevenerunt, tot oracula promiserunt. Unus « nimirum fuit Spiritus prophetarum; et licet diversis modis, « signis et temporibus, eamdem rem diversi non diverso spi- « ritu et praeviderunt et praedixerunt. Quod Moysi monstra- « tum est in rubo et igne, Aaroni in virga et flore, Gedeoni in « vellere et rore; hoc aperte Salomon praedixit in forti muliere « et eius pretio; apertius Hieremias praecinuit de femina et « viro, apertissime Isaias declaravit de Virgine et Deo, Ga- « briel tandem exhibuit ipsam Virginem salutando. Ipsa nam- « que est de qua nunc Evangelista: " Missus est, ait, Angelus « Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam Ioseph " » [2]. Scilicet a fine praedestinationis ad finem executionis sapientia Dei fortiter et suaviter cuncta disposuit. Quare Maria habet cum Filio, iuxta modum loquendi Patrum, ut sit πρωτοτόκος.

[1] Homil. II, *sup. Missus est,* n. 4. — *P. L.* CLXXXIII, 63.
[2] Ibid. n. 11, col 66.

Hanc aeternam praedestinationem Virginis diserte celebrant Graeci in suis Menaeis: « Salve, Mons Dei, in quo ante « omnia saecula complacuit habitare Verbo divino ». Die (27 Ian. od. 7, de B. Virgine.) « Ab aeterno propter splendo- « rum integritatis, et pulchritudinem virginalem, ac demum « propter charismata seu gratiae dona, quae ab omni te naevo « immanem fecerunt, manifesto sola fuisti digna tanti partus « honore ». (Die 12 Febr. in od. 1, de S. Meletio). Hinc Maria praedestinatur veluti alterum caelum: « Qui unus et unicus « caelum extendit, illud quoque aliud caelum, et quidem ani- « matum elaboravit, te nimirum, o Deipara! » (Die 26. Ian. in od. 6, de S. Xenophonte.) Caeterum mos ipse, quo Graeci Hymnos et Odas Sanctorum claudere solebant cum stropha ad B. Virginem, quam *Theotocium* appellant, demonstrat, iuxta Graecos Mariam una cum Christo ad ordinem prorsus singularem pertinere.

Quum igitur tam primarium locum Maria in praeordinatione una cum Filio occupet, iure dici potest, universum esse a Deo factum intuitu Christi atque Mariae. Hoc sensu ait Rabbi Onkalos: « Propter sapientiam creavit Deus caelum et « terram. Propter sapientiam, hoc est amore intemeratae Vir- « ginis, quae est mundi sapientia, creavit Deus hunc mun- « dum, et amore Messiae Filii sui, cui in divinis sapientia tri- « buitur » [1]. Nec aliter ipse S. Bernardus: « Et ut breviter « concludam, de hac et ob hanc et propter hanc, nempe Ma- « riam, omnis Scriptura facta est: propter hanc totus mundus « factus est » [2]. Et S. Bernardinus eumdem conceptum parum aliter evolvens ait, intuitu Mariae Deum post protoparentum scelus mundo pepercisse: « Adam et Eva ex propria trans- « gressione, non solum mortis, sed annihilationis exterminium « meruerunt; sed propter praecipuam reverentiam et singu- « larissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, prae- « servavit; quia eam ab aeterno super omnes creaturas Deo « non uniendas, quae creandae erant, superexcessive dilexit: « propterea praeservati sunt protoplasti, nec, ut merebantur, « in nihilum sunt redacti » [3].

[1] *Gloss.* chald.

[2] Serm. 3. in *Salve.* — *P. L.* CLXXXIV, 1069.

[3] Tom. I, serm. 65, a. 1, c. 2.

Ne autem huiusmodi locutiones in excessum trahantur, prae oculis semper habendum est, talia de Maria dici ob Christum, iuxta verba Ruperti: « Quae causa est propter quam « Deus omnia creavit, nisi iste Filius hominis? religiose dicen- « dum, reverenter est audiendum, quia propter istum Filium « hominis gloria et honore coronandum, Deus omnia crea- « vit » [1]. Atqui a Filio nequibat seiungi Mater. « Haec eadem « Beatissima Virgo, ait S. Petrus Damiani, ante constitutio- « nem mundi in consilio aeternae sapientiae electa et prae- « electa » [2].

Unde evidenter in ordine salutis primum fructum redemptio tulit in Maria: « Nec mirum, ait S. Ambrosius, si Dominus « redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria, « ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum « salutis hauriret ex pignore » [3].

Sed de his aspectibus praedestinationis Mariae sermo mox redibit, ubi de relatione Immaculatae eius Conceptionis ad merita Christi erit agendum.

Dicta hucusque recte perpendenti facilius solvetur quaestio, utrum haec tanta Virginis praedestinatio fuerit ante an post praevisa merita. Equidem intelligo, licet ob rationes alibi fuse expositas non admittam, electorum passim praedestinationem praecisive ad gloriam affirmari consequentem ad merita praevisa, non antecedentem. Sed de B. Virgine idem sentire, mihi videtur quasi dignitatis eius offensivum. Unde laudo illos theologos, qui, etsi consequentem quoad alios praedestinationem propugnantes, pro Christi tamen Matre [4] aliter censendum existimant. Inter hos placet citare laudatum de Vega. « Quare censeo, ait, electionem ad gloriam in reliquis « praedestinatis, dempto Christo et Maria, non esse priorem « praevisione meritorum, sed posteriorem » [5].

Nos autem opinamur, omnium electorum praedestinationem esse logice meritis anteriorem, utpote meritorum causam; maxime autem Christi, atque Beatissimae Virginis. Et sane

[1] In *Matth.* l. XIII. — *P. L.* CLXVIII, 1624. — Cf. simile quid apud S. Cyrillum (Alex. *Thesaur.* l. V, c. 8).

[2] Serm. de Nativ. Virginis.

[3] *In Luc.* ad verba: « Ecce ancilla Domini ». — *P. L.* XV, 1640.

[4] De Christo ipso res est evidens nimis.

[5] Op. cit. Pal. II, art. 5, n. 184. Legesis hanc integram suppositionem.

quid magis antecedens Immaculata Conceptione; quid magis gratuitum divina maternitate? Porro si ex his duobus privilegiis, quorum prius antecedenter ordinabatur in alterum, tum mirabilis gratiarum plenitudo, tum perfecta in sanctitate confirmatio effluunt, quid magis simplex magisque tantae exaltationis dignitati congruum, quam affirmare, totam Beatissimam Virginem, a Conceptione illibata ad gloriosum in caelis triumphum, esse gratuitae divinae praeordinationis opificium? Non inde sane a Maria excluduntur merita, sicut nec a Christo; sed haec ipsissima merita eo propinquius ad fontem meritorum accedunt, quo magis gratuita ex eodem effluxisse praedicantur [1].

Liceat ergo concludere ipsis verbis S. Augustini de praedestinatione Christi disserentis: « Praeclarissimum etiam lu-« men praedestinationis et gratiae est ipse Mediator Dei et « hominum homo Christus Iesus » [2], addendo: necnon Mater Dei-Hominis Beatissima Virgo Maria.

Quomodo autem haec praedestinatio in *Mariae* nomine exprimatur, exponemus in fine Quaestionis, ad quam Angelico duce iam accedimus.

[1] Cf. quae de eodem argumento scripsimus in tract. de Deo Uno t. II, p. 436.
[2] *De praedest. SS.* 30. - *P. L.* XLIV, 981.

QUAESTIO XXVII.

DE BEATAE VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

Ad normam ordinis quem tenet S. Thomas, imprimis de Sanctificatione B. Virginis nobis est sermo. Cui quaestioni, ob graves controversias ante definitum dogma exortas, longius immorandum erit. Post vindicatas dotes gratiae, nonnihil de reliquis Mariae dotibus tum animi, tum corporis disseremus.

Ordo Quaestionis haec tria continet: 1) de *tempore* sanctificationis B. Virginis; 2) de eius *extensione;* 3) de eius *singularitate.*

1) Quaestio *de tempore* per gradus movetur: *a*) utrum ante *nativitatem* (art. 1); *b*) utrum ante *animationem* (art. 2).

2) Quaestio de *extensione* tria quaesita complectitur ope gradationis aeque distributa: *a*) de *fomite* (art. 3), *b*) de *peccato* (art. 4), *c*) de gratiarum *mensura* (art. 5).

3) Tertia quaestio de *singularitate* unico articulo (art. 6) absolvitur.

ARTICULUS I.

UTRUM B. V. MATER DEI FUERIT SANCTIFICATA ANTE NATIVITATEM EX UTERO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Post definitum dogma Immaculatae Conceptionis nullus praesenti quaesito locus superest. A fortiori enim B. Virgo erit ante nativitatem sanctificata, si immaculate concepta. At longe aliter sese res habebat tempore S. Thomae, praesertim pro theologo praerogativae Immaculatae Conceptionis parum faventi. Tali sane praesens quaestio movenda erat, alterique praemittenda, ut ita per gradum a certo ad minus certum fieret incessus. Inde scopus huius articuli.

A certo inquam: etenim, licet praesens veritas in Scrip-

turis expresse non contineatur, quemadmodum infra patebit; nihilominus nunquam est a scriptore catholicum sensum habente impugnata.

2) Quid autem per *sanctificationem,* et per *nativitatem* in titulo quaestionis intelligatur, paucis determinandum est, antequam ad ipsum textum accedamus.

a) *Sanctificatio* haec formaliter consistit in infusione gratiae gratum facientis; et consequenter - nisi talis sit, quae labis contagiem praeveniat, de quo in articulo sequente - consistit in remissione peccati originalis; quod, sicuti formaliter residet in privatione gratiae cum relatione ad peccatum Adae uti ad causam, ita per infusionem gratiae formaliter tollitur [1].

b) *Nativitas,* in sensu tituli dicit nativitatem completam, sive eductionem ex utero. Dupliciter enim sumi potest nativitas: *initialiter,* et tunc est ipsa communicatio humanae naturae; et *terminative,* et tunc est in lucem editio.

Unde, iuxta philosophiam tempore S. Thomae vigentem et etiam nunc a quibusdam retentam, triplex in generatione gradus datur: α) conceptio prolis, β) conceptae prolis animatio, γ) prolis animatae ex utero effusio.

Porro Scripturae textus, in quibus sanctificatio vocatur nova nativitas, non exigunt absolute ut haec sanctificatio post gradum ultimum γ) habeatur; satis quoad essentiam servantur, si fiat post secundum gradum β), quo gradu ipsa formalis communicatio naturae consummatur, ac proin iam adest nativitas, licet in sensu minus completo.

Quanti momenti sit hos tres gradus sedulo distinguere, ad mentem Divi Thomae de Immaculata Conceptione aeque investigandam, mox uberrime patebit.

3) Praesentis autem articuli sensum ad secundum gradum esse contrahendum, manifesto liquet. Tertius enim ipsis verbis excluditur; primus per sequentem articulum a praesenti quaesito semovetur.

[1] De hoc effectu talis sanctificationis eleganter disserit S. Bernardus in famosa epistola ad canonicos Lugdunenses. Post inductam timidius sententiam, pergit: « Quis « dicat, Spiritu Sancto repletum, manere adhuc filium nihilominus irae; et si mori in « utero contigisset cum hac plenitudine Spiritus, poenas luiturum damnationis? Durum « est ». Sed ad modestiam rediens, concludit: « Minime tamen ausim hinc quippiam « mea sententia diffinire ». Epist. CLXXIV, n. 4, edit. Ludg. 1662, l. I, p. 76.

II. **Ad Textum.** Obi. 1, 2, 3, non considerant duplicem sensum quem potest habere nativitas. - Insuper prima magis offendit, quasi sanctificatio quaevis in utero tolleret successionem inter ortum naturalem et supernaturalem. - Tertia non distinguit tres praedictos gradus in successione nativitatis vel ortus.

Sed contra est. Argumentum hic allatum confirmatur ex festo Nativitatis Ioannis Baptistae [1]. Cf. homiliam S. Augustini isto die recitandam [2].

Argumentum hic a S. Thoma adductum S. Bernardus in praefata epistola his verbis evolvit. Allato privilegio Ieremiae et Praecursoris, ita disserit: « Quod itaque vel paucis « mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspi- « cari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis morta- « litas emersit ad vitam. Fuit procul dubio et Mater Domini « ante sancta quam nata. Nec fallitur omnino Sancta Eccle- « sia, sanctum reputans ipsius nativitatis eius diem, et omni « anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate « suscipiens » [3]. Imo maiorem fuisse Mariae sanctificationem sequentibus docet.

Insinuatur doctrina huius articuli in Versu 5, Ps. XLV: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » [4]. Proclamatur autem, uti modo arguebat Bernardus, per Liturgiam Nativitatis B. Virginis.

In corpore S. Thomas tria agit. 1) Ostendit non omnia quae de B. Virgine pie creduntur, Scripturis diserte contineri, afferens Assumptionis eiusdem exemplum. - 2) Rationem directam exhibet, cur Matrem Dei in utero sanctificatam

[1] II. Noct. Serm. 20. de Sanctis.

[2] De antiquitate festi Nativitatis B. M. V. inferius dicemus. Sane id recentius esse, saltem ubique, festo nativitatis B. Ioannis Baptistae ex hac ipsa homilia apparet. Quare verba ibidem a S. Augustino dicta non esse intelligenda ad excludendam sanctificationem Deiparae, constat tum ex indole argumenti, tum ex doctrina ipsius Hipponensis aliunde cognita.

[3] Ibid. n. 5.

[4] Elegantissime hunc Psalmistae locum ad sanctificationem Mariae applicat Albertus Magnus in opusculo *de duodecim privilegiis* B. M. Virginis. Exordiens a sanctificatione carnis B. Virginis haec habet: « Caro Mariae caruit peccato origi- « nali in sanctificatione. Unde, " sanctificavit tabernaculum suum Altissimus " quando « eam purgavit ab originali, ut tota munda nasceretur » (Cap. I). De cuius sententiae virtute infra sermo redibit.

fuisse rationabiliter credatur. - 3) Corroborat idem ratione indirecta, allegans privilegium ex auctoritate expressa ipsius Scripturae Ieremiae atque Praecursori concessum.

Circa secundum adverte, verba salutationis "*gratia plena*", si referantur non ad gratiam, quam Virgo tunc habebat, vel per Incarnationem erat acceptura, sed ad principium gratiae, non solum valere ad probandam Mariae sanctificationem in utero, sed et insuper ipsam conceptionem immaculatam. De quo fusius in art. seq.

Pariter duo exempla allata in idem tendunt. Etenim, si munus Ieremiae et Ioanni Baptistae praedestinatum eosdem ex divina ordinatione a lege exemit nascendi in peccato; nonne dignitas B. Matris Dei, altioris longe ordinis, exegit ut modo sublimiori ante nativitatem sanctificaretur? Iam vero quis supererat modus, nisi talis sanctificatio quae contrahendam labem praeveniret? [1].

Quare, nisi aliunde constet, B. Virginem revera originalem labem contraxisse, rationes in hoc articulo allatae in tota sua feracitate iam Immaculatae Conceptionis praerogativam veluti in radice continent.

Accedamus ergo cum S. Thoma ad hoc Deiparae privilegium penitius investigandum.

ARTICULUS II.

UTRUM B. VIRGO FUERIT SANCTIFICATA ANTE ANIMATIONEM.

De ipsa Quaestione. - 1) In hoc articulo non solum exponenda est doctrina catholica de Immaculata Conceptione Matris Dei, sed et enodanda subtilissima quaestio de mente Doctoris Angelici circa hoc dogma fidei catholicae. Qua in investigatione ab utroque excessu cavebimus: tum ne, auctoritate magis quam veritate ducti, Scholarum Principem quasi et invitum ad ea trahamus, quae utique sunt vera., quin tamen ea docuerit ipse; tum ne verba materialiter oppositum sonantia levi negotio sine ullo moderamine tanquam veritati aliena intelligenda esse putemus.

[1] Cf. plura dicenda, ubi convenientiae rationes adducemus ad dogma Immaculatae Conceptionis corroborandum.

Ut autem maior lux non huic tantum examini sed et ipsius dogmatis expositioni admoveatur, brevius primo articulum praesentem percurremus, dein doctrinam catholicam exponemus uberius, demum ad Angelici mentem altius scrutandam redibimus.

2) Titulum huius articuli attentius cum praecedentis articuli titulo conferenti obvia difficultas menti ingeritur. Prior sciscitatur de Mariae sanctificatione *ante nativitatem;* hic alter de eadem *ante animationem.* Disiunctio apparet incompleta. Cur non addit S. Thomas tertium membrum, quaerens scilicet utrum B. Virgo fuerit sanctificata *in ipsa* animatione? Et re quidem vera quatuor hypotheses fieri possunt, etiam admissa sanctificatione ante nativitatem proprie dictam: 1) in ipsa conceptione activa; 2) post hanc conceptionem, sed ante animationem (iuxta philosophiam S. Thomae loquimur); 3) in ipsa animatione seu in ipsa conceptione passiva; 4) post animationem. Iam vero praesens articulus quaerit simul de primo et de secundo, et conclusio fit ad quartum sine discussione tertii. Ergo incessus *Summae* non videtur completus.

Quaeramus igitur, utrum alibi S. Doctor aliter procedat.

In *III. Sent.* Dist. III, Q. 1, a. 1, S. Thomas praemissa exclusione sanctificationis in ipsis parentibus, reiicit, facta distinctione, primum in quaestiuncula prima; secundum in initio quaestiunculae secundae; et tunc transit ad discutiendum tertium, quod solvit negando.

In *Quodlib.* VI, art. 7, 9, 5, S. Thomas duplicem quaestionem movet, alteram " principalem " de conceptione immaculata, quam solvit negative, alteram " accessoriam ", quam solvit positive, de sanctificatione B. M. V. ante nativitatem. Negat autem principale privilegium, quin distinguat inter 1m. 2m. et 3m.

Quare ex tribus istis locis, magis completus, saltem uti prostat in optima editione Parmensi, est ille Commentarii in Lombardum. Ibi enim legitur in corpore solutionis secundae: « Sanctificatio B. M. Virginis non potuit esse decenter ante « infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat (en 2m), « sed *nec in ipso instanti infusionis* (en 3m), *ut scilicet per gra-* « *tiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam origina-* « *lem incurreret* ». Et ratio additur solita, imo unica apud

S. Thomam, quod tale privilegium derogaret singulari dignitati Christi, quum aliam quamdam creaturam ab influxu redemptionis per Christum eximeret.

3) Factum tenemus. Rationem facti quaeramus.

Iam vero haec S. Thomae doctrina fundamentum suum habet in doctrina Augustini, ab ipso admissa, de modo traductionis peccati originalis [1]. Audiamus Angelicum in corpore articuli 7, Q. V, Quodlib. VI. « Unusquisque peccatum originale « contrahit ex hoc quod fuit in Adam secundum seminalem « rationem, ut Augustinus dicit super Genesim ad litteram. « Omnes autem illi in Adam fuerunt secundum seminalem « rationem, qui non solum ab eo carnem acceperunt, sed etiam « secundum naturalem modum originis ab eo sunt propagati. « Sic autem processit ab Adam Beata Virgo, quia nata fuit per « commixtionem sexuum, sicut et caeteri; et ideo concepta « fuit in originali peccato, et includitur in universalitate illo- « rum de quibus Apostolus dicit, ad Rom. V, 12: " *In quo « omnes peccaverunt* ", a qua universalitate solus excipitur « Christus, qui in Adam non fuit secundum seminalem ratio- « nem; alioquin si hoc alteri conveniret quam Christo, non « indigeret Christi redemptione » [2].

4) Quibus attentius perpensis, doctrinam S. Thomae ad duo capita reducere possumus. *a*) Traductionem per seminalem rationem Aquinas consideravit tanquam materiale peccati originalis. *b*) In ipsa infusione animae non distinxit inter debitum labis contrahendae, et ipsam labis contractionem. Utrumque assertum aliquali expositione indiget.

5) Caro primi hominis, divina formata manu, tanta puritate enitebat, ut animae ornatae dotibus gratiae harmonice esset praeparata. Destructo autem gratiae splendore per peccatum, ipsum corpus hanc proportionem ad gratiam amisit, in lutum quippe libidinis prolapsum. Quae libido maxime ipsum modum propagationis humani generis invasit; ita ut caro, per libidinem procreata, fieret iam intrinsece caro peccati per labem veluti materialiter transfusam, antequam animam reciperet peccati formalis atque labis consummatae capacem. Quotquot proin secundum seminalem rationem ex Adamo

[1] De hoc argumento data opera disseremus in tractatu *de peccato originali*.

[2] Cf. *sed contra est* in loc. cit. III. Sent.

procedunt, in peccato illo materiali concipiuntur, quia caro eorum est caro peccati, absque debita proportione ad recipiendam animam gratia ornatam. Quum porro sanctificatio proprie non sit nisi ipsius animae, et quum aliunde, secundum philosophiam tempore Angelici vigentem, animatio non fieret nisi sat diu post conceptionem carnis, pronum erat concludere, B. Virginem non esse conceptam sine peccato originali, scilicet materiali, propter traductam carnem per viam communem, qua ipsum traducitur originale peccatum.

Fatemur quidem ultro, hanc conclusionem non esse urgentem. Nihil enim impediebat Deum quominus, si vellet, praeveniret carnem, ne, etsi via seminali traducta, morbum carnis contraheret. Unde sublata macula aut saltem deficientia carnis, iam ante animationem proportio adfuisset ad gratiam originalem. De qua operatione divina in ipso instanti conceptionis, logice tamen post eam, non videtur S. Thomas cogitasse: immediate enim ab hoc quod Mariae parentes non fuerint sanctificati in ordine ad transfundendam naturam sine labe originali, concludit ad negandam Mariae sanctificationem quoad carnem ante eius animationem [1].

Infra videbimus, quotuplici modo concipi possit haec actio divina praeveniens materialem labem in carne contrahendam.

6) De altero iam capite aliquid dicendum, scilicet quod S. Thomas non distinxisse videtur inter contractionem peccati originalis et debitum illud contrahendi. Et re quidem vera, quotiescumque a singulari Christi privilegio argumentum sumit, contra Immaculatam Deiparae Conceptionem ne Mater per hanc praerogativam exempta fiat a salutifero influxu Filii; quid aliud facit, nisi iudicare eodem modo de *debito* labis originalis contrahendae et de eiusdem labis originalis *contractione?* Etenim, si Maria naturali via ab Adamo orta, ac proin, nisi per auxilium praeveniens gratiae liberaretur, legi peccati obnoxia, hoc auxilium per merita Filii sui, sive intuitu meritorum Filii recepit, nonne haec duo optime conciliantur: eam esse *a*) a Filio redemptam, et tamen *b*) ab originali macula immunem? Quare in rigore logico S. Thomas

[1] III Sent. loc. cit.

argumentum ex dignitate Christi proferens, non potuit concludere nisi ad aliquod debitum labis a parte Matris Dei contrahendae. Undenam hoc debitum derivetur, et quotuplex intelligi possit, in proxima dissertatione de dogmate Immaculatae Conceptionis investigabimus. Stet igitur in praesenti conclusio, S. Thomam privilegium Immaculatae Conceptionis non aperte agnovisse ex particulari modo, quo sibi quaestionem ponebat tum circa relationem inter transfusionem carnis peccati et culpae animae in conceptione et in animatione; tum circa ipsam peccati contractionem non distinctam a debito idem contrahendi.

Hisce de mente S. Thomae omni reverentia dictis, quaedam pauca addemus, ubi post expositam ipsius dogmatis doctrinam de stadio controversiae agemus.

II. **Ad Textum.** - Breviter iam articuli textum consideremus.

1. Obi. Procedit ex falsa exaggeratione privilegii Ieremiae et Baptistae concessi.

2. Obi. Verba Anselmi, si in tota sua vi intelligantur, conducunt sane ad Immaculatam Conceptionem affirmandam. Utrum autem in mente auctoris hanc vim habuerint, loco suo discutiemus. Vide interim quanta insistentia S. Thomas redeat ad argumentum dignitatis Christi. Haec verba tam explicita sunt, ut non sine magna detortione in contrarium explicari possint, ea scilicet intelligendo tanquam dicta sive de mera contractione labis in carne, sive de mero debito.

3. Obi. De traditione festi Immaculatae Conceptionis mox ex professo dicemus. Interim animadverte: si Immaculatae Conceptionis festum, (quod etiam Angelicus contendit in *Quodl. VI,* loc. cit.) nihil aliud colit nisi sanctificationem Mariae ante nativitatem, quid iam colit festum Nativitatis? Vel si hoc alterum non colit sanctificationem ante nativitatem, cur, quaeso, ex eo argumentum trahitur ad eam demonstrandam? [1]

4. Obi. Procedit secundum sanctificationem prolis per ipsam sanctitatem parentum; quae utique tolleret debitum

[1] Cf. art. 1.

contrahendae labis, ac proin a redemptione eximeret. Adverte in resp. doctrinam expositam n. 6.

Sed contra est. Allegoria unde petitur hoc argumentum, probat unice, Mariae sanctificationem non praecessisse animationem, imo saltem logice hanc praecessisse illam; sed eamdem praecedentiam fuisse temporalem, ex hoc loco erui nequit.

Operae pretium est, huic allegoricae argumentationi iam hic alteram conferre eiusdem naturae, quam S. Bonaventura in favorem Immaculatae Conceptionis Deiparae utique ab aliis refert adductam: « Beata enim Virgo Maria signata « fuit per arcam: anima vera B. V. signata fuit per urnam, « in qua positum fuit manna. Cum ergo urna illa prius fuerit « impleta manna quam posita in arca, prius saltem per natu- « ram sanctificata fuit anima B. Virginis quam carni unita ». (III. Sent. Dist. III, p. 1, a. 1, q. 2). De mente S. Bonaventurae fusius infra.

In Corpore. Duplicem rationem S. Thomas adducit ut intentum ostendat. Prior petitur ex ipsa emendatione a culpa, quae non potest fieri nisi per gratiam, cuius sola anima capax est. Altera petitur ex ipsa culpa, quae non potest inveniri propria nisi in ente praedito ratione. Ergo utrimque animatio sanctificationem praecedere debuit.

Quid de geminata hac argumentatione dicendum, nisi utramque rationem intelligi posse dupliciter: 1) de ipsa culpa contracta, a qua anima emendatur; 2) de culpa contrahenda, a qua, ne contrahatur, per emendationem vel sanctificationem praeservatur. Iam vero posito hoc altero, perit consequens quod inde S. Thomas in fine *Corporis* exponit. Etenim, quia a debito *liberata*, B. Virgo liberata per merita Redemptoris. Tunc enim unice esset a fructu Redemptionis exempta, si neque contraxisset debitum, aut a contrahenda labe per aliam viam esset soluta.

Reliqua huius articuli vel iam patent, vel peracta dissertatione de B. Virginis Immaculata Conceptione patebunt.

DISSERTATIO

DE

IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V.

Investigationem hanc in dogma Immaculatae Conceptionis B. M. V. sequenti ordine disponemus: I) Ipsam definitionem dogmaticam ante omnia explicabimus; - II) Dogma definitum vindicabimus, tum A) ex Scripturis, tum B) ex traditione catholica; - III) Rationes theologicas super addemus.

I. - Explicatur ipsa dogmatica definitio.

Veluti totius argumenti tesseram praemittimus verba Bullae dogmaticae " *Ineffabilis Deus* " Pii IX. v. m., quibus ipsa dogmatis proclamatio continetur [1]. « *Revelata est a Deo* « *doctrina, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in* « *primo instanti Conceptionis suae fuisse singulari omnipo-* « *tentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi* « *Iesus Salvatoris humani generis, ab omni originalis cul-* « *pae labe praeservatam immunem* ».

Tanti momenti haec definitio est, ut singula eius verba perpendere attentius oporteat. Quare ea per singula incisa reassumendo ponderare, evolvere, enodare, optima nobis ipsius dogmatis exponendi methodus est visa.

1) " Revelata est a Deo doctrina ".

Hisce verbis assignatum habemus fontem, unde hausit Ecclesia certitudinem declarandae veritatis. Et sane ut Romanus Pontifex sive Ecclesia aliquid definire valeat, non suf-

[1] Singulare huius Bullae momentum ita inducit I. B. Malou: « Lorsque Sa Sain- « teté Pie IX manifesta l'intention de ranger parmi les dogmes de foi la pieuse croyance « à l'Immaculée Conception de la très Sainte Vierge Marie, il y avait plusieurs siècles « que le Saint-Siège n'avait point prononcé de définition dogmatique ». *(Histoire de la définition dogmatique de l'Imm. Conc. de la tr. S. V. M.).*

ficit definiendae rei veritas; requiritur insuper ut sit veritas *a Deo nobis revelata.* Ministerium quippe docentis Ecclesiae declaratur hisce verbis Pauli: " *Depositum custodi* ". Per apostolicam scilicet aetatem completa est revelatio; quam Ecclesia, Spiritus Sancti lumine ducta, infallibiliter servat, tuetur, explicat; quin tamen quidquam eidem addere valeat [1].

Quotiescumque igitur Ecclesia de definiendo dogmate sollicitatur, oportet ut investiget, utrum necne catholica traditio fundamentum definitioni suppeditet. Est autem haec traditio duplex: scripta altera; altera oralis, at monumentis liturgicis, operibus Patrum consignata. *Scriptura, Liturgia, opera Patrum:* en ergo fontes a vivente magisterio consulendi, ut de primaeva revelatione alicuius doctrinae certius fiat. Quando proinde Pius IX in haec verba prorupit: « *Revelata est a Deo* « *doctrina,* etc. », testatus est, in *Scriptura, Liturgia, operibusque Patrum* fundamentum contineri divinitus conditum ad Immaculatam Deiparae Conceptionem absque erroris formidine adstruendam.

Hic autem sedulo perpende, non requiri ut doctrina de qua agitur, in aliquo loco expresse contineatur [2]. Sufficit ut pertineat ad aliquam veritatem, cuius integre explicandae quasi partem efformet. Talis est, v. gr., in re praesenti veritas traductionis peccati originalis. Depositi custos, Ecclesia de amplitudine huius legis authentice iudicat. Aliis verbis, quando Paulus in epistola ad Romanos declarat, ab uno homine praevaricatore peccatum in omnes homines pertransiisse, Ecclesia Scripturarum sensum a Spiritu Sancto infallibiliter edocta eiusdemque magistra, muneri esset impar, nisi authentice declarare posset, utrum universalis illa lex intelligenda sit absque ulla exceptione, an, propter singulare quoddam meritum, cum aliqua in idem exemptione, illius nempe qui vel quae tale meritum possidet. Quod et Ecclesia praestitit in definiendo dogmate Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis. Iure proin, doctissimus Abbas Guéranger, sciscitanti undenam magisterium infallibile Ecclesiae hoc

[1] Cf. haec principia ex professo in tractatu *de Ecclesia et Romano Pontifice* statuenda.

[2] Cf. inter animadversiones ab episcopis de praesenti argumento ad Pium IX missas, optima verba episcopi Trapanensis (*Pareri de' Vescovi,* I, 47).

dogma posset declarare, inter alia ad locum Pauli provocabat, utpote in quo indirecte, licet per modum exceptionis, continetur inclusum.

2) " In primo instanti Conceptionis suae ".

Haec verba solvunt quaesitum de tempore quo B. Virgo a Deo est sanctificata. Ubi adverte, non refelli hic sententiam philosophicam de animatione non logice tantum sed et tempore posteriore conceptione activa seu passiva inchoata; nec praedicari, Deiparam fuisse ab hoc ordine, si detur, exemptam, per animationem scilicet in ipso instanti conceptionis activae [1].

Favent quidem, caeteris paribus, haec verba sententiae quam et nos alibi iam praetulimus, sed eam non sibi exigunt. Sufficit ut, iuxta hanc formulam, non admittatur temporis instans, in quo Maria nondum fuerit a labe munda. Haec autem munditia spectat formaliter ad animam; materialiter tamen spectat quoque ad corpus. Unde, ut plena adsit, in sententia discernente inter conceptionem proprie dictam et animationem; iam ante animationem aliquid exposcere videtur relate ad carnem naturali via ab Adamo traductam, ne caro sit caro peccati. De quo fusius mox, ubi de debito contrahendae labis.

Putamus proinde, vocem *Conceptionis* in hac definitione sumi sensu latiori, complectente in se tum conceptionem activam, tum animationem, vel utrumque uno vocabulo, veluti rem unam intellectum.

3) " Singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio ".

Hic habemus quomodo exceptio praedicata de B. Virgine universalem legem traductionis peccati originalis non inficiat. Imo nisi haec tam urgens, tamque universalis esset lex, immunitas quae praedicatur, nec tantam dignitatem in exempta,

[1] Conceptio activa et passiva non ab omnibus eodem modo intelligitur. Activa potest dici a parte parentum; passiva a parte prolis. Utraque subdistingui potest in inchoatam et perfectam. Perfectam activam constituit evolutio germinis usque ad animationem, quae et passivam in philosophia scholastica complet. Sed hoc subdistinctione relicta, animationem intelligimus conceptionem passivam; procreationem autem corporis, activam.

nec tantam solemnitatem in eiusdem affirmatione requireret. Et sane perpende singula huius formulae verba.

a) *Lex* per hoc adstruitur, quod exemptio vocatur *privilegium.*

b) Porro sicuti lex est *mortis,* privilegium istud fundatur in *gratia.* Alii quippe nascuntur *filii irae;* B. Virgo *invenit* ab initio *gratiam.*

c) Haec autem gratia, vocatur privilegium *singulare* ad ostendendum, nullam prorsus paritatem inde posse adduci in favorem alicuius eximii Sancti; est quippe praerogativa vere singularis, id est unica.

d) Neque minor requirebatur vis ad Mariam a lege irae ac mortis eximendam, quam *omnipotentia* Dei. « Dominus « qui mortificat, Dominus qui vivificat ». Nova etenim condenda est creatura, et quidem immaculata e massa corrupta. Huc proinde faciunt verba Iob: « Quis *potest* facere mundum, « de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? » Quae verba duplicem gradum patiuntur: prior consistit in hoc, quod immundo semine maculatus purificetur; alter in hoc, quod eodem maculandus impediatur, ne maculetur. Porro iste alter gradus nunquam productus extaret, nisi Maria fuisset immaculate concepta. Christus quippe, uti Deus et de Spiritu ortus ac Virgine, nullo modo erat maculandus.

Vides proin quam bene de nostro mysterio valeat effatum: exceptio legem non tollit, sed confirmat.

4) « Intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis » [1].

Haec pars dogmaticae definitionis maximi momenti est. Exprimit enim qua ratione Matris privilegium et gratia titulo Filii nullatenus obsint, quasi ab influxu salutifero redemptionis humani generis eam eximerent. Declaratur proin quod, si lex transfusionis peccati in Immaculata Deiparae Conceptione exceptionem accepit, nullam inde lex salutis per Christum exceptionem agnovit. Ex quo novum argumentum,

[1] Haec verba desumpta sunt ex constit. dogm. *Sollicitudo* Alexandri VII. - Cf. et orationem propriam officii Sixti IV: « *Ex morte Filii tui praevisa* eam ab omni labe « praeservasti ».

idque praestantissimum ad superabundantiam gratiae prae delicto illustrandam.

Fuit igitur in B. Virgine haec ipsa gratia praeveniens contagiem originalem insignis influxus meritorum Filii sui. Ac ne quis dicat, hunc influxum latiori sensu esse accipiendum, sicuti interdum ipsi angeli suam dicuntur gratiam meritis Christi debere, in formula dogmatica additur: « *Christi Iesu,* « *Salvatoris humani generis* ». Quibus verbis proclamatur expressius, Christum, formaliter uti est Iesus, id est humani generis Redemptor, Matrem hoc singulari titulo decorasse. Unde, nedum per Immaculatam Conceptionem aliquid B. Virgini adstruatur, quod dignitati Filii faciat obicem, triumphus maximus gratiae e Cruce derivantis fuit, impedivisse, ne Matrem antiquus serpens ullo modo deturparet. Liquet proin, quam debilia sint, quaecumque theologi, nec tamen pauci, nec minoris nominis, contra hoc privilegium Matris ex Filii excellentia coacervarunt.

Sed quo magis id eluceat, iam locus est penitius investigandi, qualis ille nexus intelligendus sit inter merita Filii et gloriam Matris. Ipsa quippe formula dogmatica responsum continet. Etenim cur Christus vere fuit Matris suae Iesus, cur omnipotens Deus gratia et privilegio Deiparam discrevit, nisi quia, sine illa discretione salutiferoque influxu, lex communis eam invasisset? Debitum proin, quocumque modo vel gradu intelligatur, contrahendae labis in Maria adstruendum est; de quo debito parumper fusius est disserendum.

De debito contrahendae labis originalis in B. Virgine admittendo.

Debitum de quo hic agitur, definiri potest: *Ratio necessariae traductionis peccati originalis in aliqua creatura existens,* idque sive ex parte divinae praeordinationis, sive ex parte ipsius conceptae creaturae. - 1) Ex parte *divinae praeordinationis* consideratur creatura de qua sermo, non ut iam in propria existentia constituta, sed *in mente Dei* eam praeordinantis; - 2) ex parte *ipsius conceptae creaturae*, consideratur creatura ut existens, saltem primo *quoad traductam carnem,* dein (posterioritate naturae tantum vel etiam tem-

poris) *quoad infusam animam;* et inde *quoad totum*, sive consideratum in primo instanti temporali, sive in primo instanti logico.

Porro debitum multifariam distinguitur. 1) Aliud *proximum,* aliud *remotum.* Illud est, quod immediate sequitur contractio labis, nisi impediatur; hoc, quod non nisi mediate. - Rursus 2) aliud debitum *in actu,* aliud *in potentia.* Actus ipse debiti, consideratus quoad totum et in primo instanti temporali, si agatur de peccato originali, excludit gratiam, et ponit peccatum, saltem pro hoc instanti. Si autem consideratur mere in primo instanti logico, nondum habetur ipse actus debiti quoad totum, habetur tamen debitum maxime proximum, uti mox videbimus in sententia Scoti. - Demum 3) aliud debitum *absolutum,* aliud *conditionatum.* Prius, si in actu sit, sequitur labes; alterum sequeretur. Ex quibus duo collige: 1) *Debitum proximum, absolutum, in actu*, intellectum quoad totum entis, de quo agitur, et quidem in sensu composito, nequit separari a carentia gratiae saltem per instans, ac proin a peccato saltem in primo instanti, quando agitur de originali peccato. Quare hoc ponit nimis, ubi quaeritur de Immaculata Conceptione B. Virginis, quam scimus *in primo instanti Conceptionis* suae a peccato fuisse immunem. 1) Debitum *remotum, in potentia, conditionatum* non ponit satis, nisi conditio sit ipsa applicatio meritorum Christi. Secus non servarentur verba Constitutionis « *Sollicitudo* » Alexandri VII, quae Pius IX recepit in definitionis formulam: « *intuitu meritorum Christi Redemptoris humani gene-* « *ris* », neque illa orationis Officii proprii a Sixto IV probati: « *ex morte Filii tui praevisa eam ab omni labe praeser-* « *vasti* ». Hoc igitur non ponit satis. Unde inter haec duo extrema est quaerenda veritas.

His praemissis distinctionibus, iam consideremus quale in B. Virgine debitum admitti possit aut debeat, tum ex parte divinae praeordinationis, tum ex parte prolis conceptae.

I) Ex parte *divinae praeordinationis* aliter et aliter quaesitum solvendum erit, iuxta sententiam quam quis amplectitur de praeordinationis habitudine inter Incarnationem et Redemptionem.

Si Incarnatio consideratur uti a Deo praedestinata ante-

cedenter ad praevisionem lapsus primi hominis atque labis originalis inde traducendae, praedestinatio B. Virginis facile concipitur naturae lapsae ordinem logice praecessisse. Porro tunc duplex oritur hypothesis: *a*) vel Mariae dignitas originalis praedestinabatur absolute, vel *b*) praedestinabatur in relatione cum conditione parentum, a quibus ortum esset acceptura. Si prius *a*), praevisio lapsus primi hominis et oeconomiae traducendi peccati originalis non potuit mutare praedestinationem ortus immaculati Matris Dei; proinde nullum debitum contrahendae labis ipsi inesse poterat, et Maria erat exempta ab influxu Redemptionis, quia a solidaritatis lege in Adamo totaliter exempta. Ergo haec hypothesis per excessum peccat.

Si autem *b*) praedestinatio ortus Mariae radicalem relationem habebat ad conditionem parentum eiusdem, tunc lex transfundendi peccati originalis per se Mariam attigisset, nisi privilegio speciali fuisset exempta; proinde in hac hypothesi locus superest debito. Quod debitum esset *proximum*, si exceptio esset praeordinata logice post sancitam legem; *remotum* e contra, si ante legem latam. Hoc ultimo sensu posset intelligi *debitum debiti* [1], ad quod aliqui theologi recurrunt.

Sed in superiori parte huius tractatus non iudicavimus, hanc de absoluta Incarnationis praedestinatione sententiam esse probabiliorem.

2) Si iam consideramus Incarnationis praedestinationem uti consequentem, saltem initialiter, praevisionem lapsus et ordinis Redemptionis, tunc redeunt hypotheses modo expositae in secunda parte praecedentis inquisitionis. Scilicet, *a*) si praedestinatio Matris Christi praecedit decretum de peccati originalis universalis diffusione, in Matre Dei non erit contrahendae labis nisi debitum remotum; si autem *b*) eius praedestinatio hoc decretum sequitur, debitum erit proximum.

3) Idem dicendum est in explicatione qua conati sumus utramque sententiam componere, distinguendo scilicet distributionem partium, complexum totius, et intentionem executionis. Iuxta modum quo intentio totius intelligitur relate

[1] Alter sensus *debiti debiti* est: *debitum* ex parte originis naturalis, *debiti* ex parte carnis peccati, iuxta mox dicenda.

ad praecedentia duo, debitum contrahendae labis in B. Virgine erit vel proximum vel remotum [1].

II) Haec de debito ex parte divinae ordinationis. Restat ut illud consideremus ex parte *ipsius conceptae Virginis*. Ubi recolendae sunt simul 1) doctrina Augustini de concupiscentia tanquam medio transfusionis peccati originalis, et 2) Scholasticorum doctrina de conceptione activa et passiva.

1) Vi prioris doctrinae habemus ex carne per seminalem rationem traducta debitum proximum labis in animatione contrahendae, minus proximum ex origine ab Adamo. Unde si caro Mariae non fuit speciali ratione mundata ab influxu seminalis viae a qua erat, *proximum* in ea fuit a parte corporis debitum contrahendae labis; si autem caro eius fuit initiali mundatione veluti praedisposita ad gratiam infundendam cum anima, debitum in ea fuit mere *remotum*.

2) Iam vero, licet ista distinctio possit servari etiam in sententia quae tenet utramque conceptionem simul compleri activam et passivam [2], nam logice saltem praecedit conceptio activa; nihilominus magis apparet in sententia quae temporis spatio utramque seiungit. Imo tunc novae distintioni locus est. Etenim haec initialis purificatio, qua corpus praeparatur ad recipiendam animam sanctificatam, potest dupliciter considerari, vel facta in ipso instanti conceptionis activae, vel inter conceptionem activam et passivam; ex quo sequitur debitum *magis* vel *minus remotum*

Ut ergo tandem nostram sententiam verbo exprimamus, debitum contrahendae labis originalis tum ex parte ordinis praedestinationis divinae, tum ex parte ordinis ipsius conceptionis activae et passivae, putamus in B. Virgine fuisse *simpliciter remotum;* tum *a*) quia praedestinatio B. Virginis praecessit decretum [3] de universali transfusione peccati originalis (unde vocari potest modo superius explicato, debitum conditionatum, vel debitum debiti); tum *b*) quia ipsa caro

[1] Cf. *De Deo-Homine,* t. I. p. 44, sqq.

[2] Intellige passivam completam. Vel, si tenes sensum eorum qui conceptionem passivam restringunt ad animationem, intellige passivam simpliciter.

[3] Attendatur sedulo, nos dicere decretum, id est sanctionem legis, non praevisionem conditionatam, quae omnes complectitur, nisi (quod fieri potest vel ante vel post latam legem) quis ab ea eximatur.

Mariae fuit, logice saltem, purgatione initiali praeparata ad recipiendam animam gratia ornatam.

Si autem adhaerere nos dicimus sententiae ponenti debitum *simpliciter remotum,* hoc *simpliciter* cadit in *plus* vel *minus remotum,* de quo paulo superius, et a quo tanquam ab inutili distinctione abstinemus, quia minus probabilis nobis videtur Scholasticorum sententia ex qua illa distinctio procedit, uti ibidem diximus.

Ecce iam schema totius doctrinae, qualis in hucusque dictis continetur et adducta mox sententia Scoti illustrabitur.

- Debitum contrahendae labis originalis in B. V. considerari potest dupliciter:
  - I. Ex parte *ordinis praedestinationis divinae:*
    - 1) in sententia Incarnationis praeced. decr. Redemptionis,
      - *a*) si praedestinatur B. V. M. absolute ante praevisum lapsum, sine respectu ad parentes, — nimis ponit: tollit debitum.
      - *b*) si cum respectu ad parentes,
        - α) ante statutam legem, — ponit deb. remotum;
        - β) post, — magis proximum.
    - 2) in sententia opposita,
      - *a*) si B. V. praedestinatur *ante* sancitam diffusionem peccati origin. — *remotum;*
      - *b*) si *post,* — proximum.
    - 3) in sententia mixta.
      - *a*) tollitur 1) a);
      - *b*) remanent applicationes aliae, *praesertim b*) α).
  - II. Ex parte *ipsius conceptae Virginis:*
    - 1) in sententia scholastica temporalis spatii inter concept. act. et pass.,
      - *a*) si caro non mundata ante animationem, — proximum.
      - *a*) si ante,
        - α) in ipsa conc. activa initiali, — magis remotum;
        - β) si in tempore medio, — minus remotum.
    - 2) in altera sententia.
      - *a*) si carnis mundatio non logice praecessit, — proximum;
      - *b*) si logice praecessit, — *remotum* (simpl.).

Sententia cui adhaeremus, italicis, uti aiunt, litteris distinguitur.

Iam vero B. Virgo ab hoc debito liberata fuit intuitu meritorum, vel ex morte praevisa Filii sui; unde perfectissimo modo est per ipsum Filium salvata. Alii salvati a lapsu quo iacebant, peccati luto immersi; Maria ante lapsum ne immergeretur praeventa. Imo, ex sententia cui adhaesimus, Maria, utique ex eodem Filii fonte, iam salvata est tum in praevia praedestinatione, tum in corporis formatione, ne proximum contrahendae labis debitum incurreret.

Sed forte quaeres, cur tale debitum in B. Virgine poni *debeat,* imo magis quomodo *possit.* - Resp.: si debitum intelligeretur *in actu,* absolutum, proximum, et quidem in primo instanti temporis de toto ente praedicatum, hoc debitum, uti diximus, esset in casu ipsa *contractio* peccati, et cum Mariae privilegio stare *non posset.* - E contra, si B. Virgo fuisset simpliciter in iustitia supernaturali constituta, sine relatione ad opus Redemptionis formaliter ut talis, debitum in ea poni *non deberet.* Sed quum immunitas a peccato originali sit in Deipara privilegium habens rationem *praeservationis* et quidem *ex meritis* praevisis Filii sui, debitum contrahendae labis in ipsa admitti *debet,* ne Mater Christi extra ordinem naturae per Christum reparatae collocetur. Hoc autem debitum ex parte ordinis praedestinationis divinae nondum ponit B. Virginem existentem; ex parte conceptionis B. V. ponit eam existentem, praecedentia vel temporis vel naturae quoad corpus sive carnem; naturae solum praecedentia quoad animam.

Hoc debitum ex utraque parte est conditionatum et in potentia, sive sit proximum, sive sit remotum. In proximo autem est in potentia proxima; in remoto, in potentia remota. In proximo non remanet nisi unica conditio; in remoto saltem habetur conditio duplex.

Instabis: Nonne possunt merita Christi applicari Mariae, quin ideo in ipsa debitum ponatur? - Resp.: absolute loquendo de *immunitate* a labe, transeat; de immunitate per modum *praeservationis,* nego. Ubi perpende, merita Christi triplici gradu concipi posse: *a*) merita Christi, tanquam *Capitis totius universi;* a quo, tanquam a centro creationis cuivis crea-

turae a primordiis praedestinationis praemisso, redundent in angelos et in homines, ita ut essent causa meritoria elevationis utrorumque ad statum supernaturalem; - *b*) merita Christi *Capitis familiae humanae,* a quo primi parentes suam gratiam originalem derivent; - *c*) merita Christi *Redemptoris*, seu merita passionis, a quibus meritis est ordo totius reparationis generis humani. - Si merita Christi B. Virgini esse applicata, intelligis in sensu *a*) et *b*), concedo, debitum nullum inde sequi; sed neque *praeservatio* sequeretur, nec influxus formalis operis salvifici, neque redemptio. - Si intelligis sensu *c*), debitum sequitur, et cum liberatione a labis contractione eminens salvationis gradus. - Iam vero hoc sensu *c*) formulam dogmaticam esse sumendam, ex hoc solo constaret, quod verba *ex praevisis meritis* aequivalent verbis *ex morte praevisa*, uti ex documentis Alexandri VII et Pii IX collatis cum verbis Sixti IV patet; liquet etiam ex oratione festi Immaculatae Conceptionis: « qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti », etc.

His de debito contrahendae labis fuse ob argumenti momentum [1] expositis, iam pergamus in exponenda definitione dogmatica.

5) « Ab omni originalis culpae labe ».

Notanda valde sunt haec verba, in quibus praecedentis doctrinae confirmationem contineri putamus.

Essentia originalis culpae est carentia supernaturalis iustitiae iuxta initialem ordinationem divinam debitae [2]. Haec autem carentia tollitur per gratiam sanctificantem. Proinde per haec definitionis verba declaratur, animam B. M. Virginis in ipso instanti conceptionis suae passivae fuisse *gratia supernaturali illustratam.*

Iam vero haec destructio carentiae gratiae ope infusae gratiae non comportat plus vel minus, partem vel totum. Cur

[1] Quanti momenti haec doctrina sit, apparet ex praeiudicio summorum Magistrorum Scholae, qui Immaculatam Conceptionem Mariae cum universali titulo Christi Redemptoris componere non valuerunt.

[2] De hac quaestione fuse disputabimus in tractatu *De hominis elevatione et lapsu.*

igitur definitio dogmatica loquitur de *omni* originalis culpae labe? Istud *omne* vix potest aliud significare, praeter *vulnera* peccati originalis, ac praesertim *concupiscentiae fomitem,* qui in Adamo post lapsum excitatus, per generationem transmissus, corpora immediate inficit. Fuit proin B. M. V. ita ab originalis culpae labe immunis, ut prorsus fuerit a concupiscentia expers. Neque ad totam vim huius formulae dogmaticae tuendam satis videtur affirmare, fomitem in B. V. in conceptione fuisse *ligatum*, atque in divina maternitate sublatum. Quod ligatur, aliquo modo existit; quod si hoc sit materiale peccati originalis, non in pleno rigore sermonis adest immunitas ab *omni* labe huius peccati. Iam vero si sanctificatio animae tanta esse potest ut fomitem liget, nonne ad totalem eiusdem ablationem pronum est intelligere immediatam operationem Dei impedientis, ne caro, seminali ratione ab Adamo orta, fieret caro peccati?

Idem dic de curatione *ignorantiae,* atque *debilitationis voluntatis*, quae, una cum concupiscentia, vulnera originalis culpae dicuntur. De quibus fusior in sequentibus articulis sermo recurret; maxime tamen ubi de peccato originali data opera erit agendum.

Concludamus interim, *B. Virginem* fuisse *initiali iustitiae radicitus restitutam.*

Ex dictis de hoc definitionis dogmaticae inciso apparet, quid censendum sit de sequentibus verbis pseudo-Anselmi: « Quod si quis eam primae originis peccato non omnimode « expertem fuisse pronuntiat, cum illam ex legali coniugio « maris et feminae conceptam verissime constet, sententia « catholica est ». Scilicet catholica sententia est, conceptionem activam Mariae talem fuisse, ex qua in conceptione passiva secuta esset contractio labis, nisi Deus specialissima interventione id impedivisset [1]; imo in hoc consistit ipsius debiti fundamentum. At catholica non amplius esset sententia, sed ex hac carnis origine aliquid originalis labis in Virgine poneretur. Fuit enim is excessus illorum, contra quos pugnabat ipse auctor huius tractatus; imo fuit falsa deductio, quae per controversiae stadium Scholas invasit, uti

[1] Cf. prop. 34, damnat. Rosminii (DENZINGER, n. 1769).

mox exponemus. Unde pseudo-Anselmus pergit: « Ego a « catholicae et universalis Ecclesiae veritate nulla ratione « volo discedere; magnificentiam tamen operationum virtutis « divinae quadam quasi mentis lippitudine pro posse consi- « derans, videor mihi videre quia, si quid originalis peccati « in propagatione eius, et communis vitii exstitit, illud pro- « pagantium et non propagatae prolis fuit » [1]. Optime sane. Omnipotentia scilicet Dei impedivit, ne ipsa Virginis caro consequens pateretur modi, quo concepta est. Haec est ipsa ratio, cur aliqualem etiam purificationem carnis multi theologi admittant distinctam a sanctificatione totius per gratiam animae infusam. Imo est ratio cur distinguamus in ipsa conceptione corporali respectum activum ad parentes propagantes, et passivum ad prolem propagatam.

6) « **Praeservatam immunem** ».

Per verba « *praeservatam immunem* » habes expressam exemptionem a debito, de quo supra egimus. Iuxta quam praeservationem integritas Mariae differt ab integritate Evae. Ubi adverte, vocem « *praeservare* », quae videtur aliquam praeviam operationem continere, ne id mali incurratur, a quo praeservata dicitur immunis. Quaenam operatio, nisi illa duplex de qua modo diximus: sanctificatio scilicet animae, et purificatio corporis? Gemina enim haec operatio *immunitatem* ab *omni* originalis culpae labe contulit.

Haec autem praeservatio, iuxta dicta superius, nedum B. Virginem extra Redemptionis ordinem seponat, facit e contra Deiparam altissimo titulo redemptam, uti recte monebat Scotus.

Iure proin creatura tanti privilegii tantaeque integritatis particeps, qua super omne genus humanum elevatur, in ipsa dogmatica formula vocatur « *Beatissima Virgo Maria* »: quo sane titulo tota praedestinatio continetur illius, quae singulari electione caelesti, *Beatissima* condita est in Conceptione Immaculata, *Virgo* permansit in divina maternitate, *Maria,* id est, exaltata vel Domina coronata est in Assumptione gloriosa

[1] *De Conc. B. M. V.* — *P. L.* CLIX, 305.

II. - Vindicatur dogma Immaculatae Conceptionis

A) EX SCRIPTURIS.

Etsi non omnis revelata veritas debeat in Scripturis expresse contineri, doctrina de Immaculata Conceptione B. M. Virginis ex sacris Litteris sat valide erui potest [1].

1) Et primo quidem demonstratur, contineri in protoëvangelio libri Geneseos, in verbis scilicet quibus Deus in serpentem animadvertens, primum de futuro Redemptore eiusque Matre vaticinium edidit. Verba in vulgata editione ita sonant: « *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen* « *tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insi-* « *diaberis calcaneo eius* » [2].

De quo loco ita loquitur Pius IX in Bulla « *Ineffabilis Deus* »... « Quapropter (Patres Ecclesiaeque scriptores) enar- « rantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus « suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenun- « tians, et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri « generis spem mirifice erexit, inquiens: " Inimicitias etc.... " « docuere, divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum « fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet « unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam bea- « tissimam Eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas « utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. « Quocirca, sicut Christus Dei hominumque mediator, humana « assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirogra- « phum decreti, illud cruci triumphator affixit; sic sanctis- « sima Virgo, arctissimo ac indissolubili vinculo cum Eo « coniuncta, una cum Illo et per Illum, sempiternas contra « venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso ple- « nissime triumphans, illius caput immaculato pede con- « trivit ».

Quae non emphatico eloquio, sed secundum veritatem verborum huius loci esse prolata, iam demonstrandum aggre-

[1] Lege de hoc PERRONE fusius disputantem : *De Immaculato B. V. M. Conceptu disquis. theologica,* p 204, sqq.

[2] GEN. III, 15.

dimur [1]. Ut autem via ac ratione intentum evincamus, quaeremus 1) *ad quem* haec verba *directa sint*, - supponimus enim hic agi de vera narratione historica [2]; - 2) *quid* his verbis *contineatur*.

Itaque asserimus primo:

1) *Haec verba directa sunt ad Satanam.*

Et re quidem vera. *a*) Ex tota narratione apparet, tentatorem sub serpentina specie non alium fuisse quam diabolum. Speciem serpentis Evam contuitam esse, aperte ex narratoris verbis liquet. Hunc autem serpentem non fuisse merum animal, sed spiritu rationali animatum, sequitur ex ipsius loquela et ex nexu sermonis, quem cum Eva confert. Fuisse autem spiritum malum, ex tota ipsius suasione constat. Atqui nullus alius datur malus spiritus praeter diabolum. Ergo tentator fuit diabolus. Inde in Apocalypsi legitur: « Et apprehendit « (angelus) draconem, *serpentem antiquum, qui est diabolus* « et *Satanas*, et ligavit eum per annos mille » [3].

b) Constat insuper, hic agi de puniendo scelere. Quae punitio, ne incompleta deficeret, omnes mali actores respicere debebat. Erant autem isti Adam, Eva et serpens-diabolus. Quos successive Deus, et quidem eo ordine quo deliquerunt, ultor corripit: « Et ait Dominus Deus *ad serpentem* »; - « *Mulieri* quoque dixit »; - « *Adae* vero dixit » [4].

c) Porro appellans serpentem, verbis « *Quia fecisti hoc* » Deus alloquitur simul agentem principalem et instrumentalem; ita tamen ut instrumentum et principalis agens speciali modo puniantur, eo vel magis quod hac vice tantum convenerint, communi actione completa, ab invicem seiungendi. Ut autem huius pessimae coniunctionis memoria

[1] Parcat lector fusiori huic expositioni. Ex una enim parte, depressione, non progressione sacrorum studiorum videmus, vim huius protoëvangelii a multis nomine saltem christianis in dubium vocari. Ex altera vero fatendum est, hoc vaticinium princeps esse in sacris Litteris argumentum ad Immaculatam Deiparae Conceptionem scripturistice demonstrandam, si minus per se ἀποδεικτικῶς, saltem valide, adiuncta praesertim catholica de hoc loco antiquissima traditione. (Cf. PERRONE, op. cit., p. 209, sq.).

[2] Cf. PATRIZI, *De interpr. Scriptur.*, l. II, q. 3.

[3] XX, 2.

[4] Vers. 14, 16, 17.

apud homines prostaret, bellua ob infaustum connubium maledicta superbae huius obsessionis signum gerere debuit; quodnam, quaeso, signum magis symbolicum, quam super pectus gradi et terra vesci, postquam in Deum excitaverit hominem, ut de ligno comederet scientiae divinae? Huc spectant verba: « Maledictus eris, etc. » [1] ad serpentem directa tanquam ad tentationis instrumentum. - At et per haec intenditur agens principalis. Unde Rupertus Tuitensis: « Soli « serpenti dixit " maledictus eris ", quo videlicet dicto firma et « immutabilis intelligenda est sententia aeternae damnationis. « Quamvis enim ita littera sonet, ut de animante serpente « possit intelligi, nihilominus tamen et multo amplius de ser- « pente diabolo totum oportet intelligi. Alioquin, quomodo « pro maledicto vel poena maledicti reputabitur illi quod dic- « tum est ei: " Super pectus tuum gradieris ", cum hoc ipsum « prius a natura habuerit, quam diabolus eo usus fuit ad per- « ditionem hominis? Magis ergo illi serpenti antiquo hoc posi- « tum est in maledicto, ut supra pectus suum gradiatur, et « terram comedat cunctis diebus, id est, ut super homines « eos tantum qui ita terra sunt, ut non desiderent aut respi- « ciant caelum, quaerat et devoret odio insatiabili, corde impoe- « nitenti, ita datus " in reprobum sensum ", ut contra intentio- « nem suam, semper bonum Dei circa electos, dum impedire « nititur, magis expediat et adiuvet propositum. Quod est « miro modo gradi super pectus proprium » [2].

d) Punito ita instrumento, seu potius monstruoso composito puniendus in se remanet diabolus instrumento abusus. Quod fit in versu sequenti, cuius sensum penitius investigamus. Haec verba ad Satanam, serpentis nomine, non ad ipsum reptilem esse dicta, multipliciter constat. α) *Scripturae* ipsius *auctoritate*, nam certe ad hunc locum alludit Paulus ubi ait: « Deus pacis conterat (συντρίψαι = שדה) Sa- « tanam sub pedibus vestris » [3]. - β) *Patrum auctoritate;* inter quos enumerare sufficiat: Iustinum [4], Theophilum [5], Ire-

[1] Vers. 14.
[2] *De Vict. Verbi Dei*, l. II, c. 15. - *P. L.* CLXIX, 1255.
[3] ROM. XVI, 20.
[4] DIAL. §. 100. — *P. G.* VI, 711.
[5] *Ad Autolycum*, lib. II, n. 28.

naeum [1], Origenem [2], Cyprianum [3], Hieronymum [4], Prudentium [5], Ephrem [6], Basilium [7], Ambrosium [8], Epiphanium [9], Chrysostomum [10], Leonem M. [11], Theodoretum [12], Gregorium M. [13], Bedam [14], Fulbertum Carnot. [15], Rupertum Tuitensem [16], Bernardum [17].

E multiplicibus his testimoniis unum afferendum eligimus, S. Epiphanii scilicet haec scribentis: « Quoniam vero cum « adhuc virgo in hortis Eva degeret, per contumaciam apud « Deum offenderat, ideo gratiae propria ab Virgine manavit « obedientia, postquam circumfusi corpore Verbi, sempiter- « naeque vitae de caelo est nuntiatus adventus. Nam illic ita « serpentem Deus alloquitur: " Inimicitiam ponam inter te et « inter illam, inter semen tuum et semen illius ". Atqui nus- « quam eiusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non « aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam « hostiles illae inimicitiae referuntur, quas huius stirpe serpens « ille, et qui in serpente erat invidia flagrans diabolus exercet. « Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam universa « nequeunt; sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, « quae ab sola Virgine Maria, sine ulla viri consuetudine pro- « pagata est reipsa ac penitus impletur. Hic enim illius filius « ad extinguendam serpentis ac tortuosi colubri, fugacisque « vim ac potentiam, qui se totum orbem terrarum dominatu « suo comprehendisse iactabat, ad haec infima descendit » [18].

[1] L. III, cc. 22, 23; l. IV, c. 40. - *P. G.* VII, 964, 1114.
[2] *In Ieremiam*, hom. XIX, n. 7. - *P. G.* XIII, 316.
[3] *Testim. adv. Iudaeos*, l. II, c. 9.
[4] *Quaest. hebr.* ad hunc locum.
[5] *Hymn. ante cibum.*
[6] *In Genes.* ad hunc locum.
[7] Hom. *Quod Deus non est auctor malorum.* - *P. G.* XXXI, 347.
[8] *De Paradiso*, c. 15. - *P. L.* XIV, 312.
[9] *III. Haer.* 78, § 19. - *P. G.* XLII, 330.
[10] *In Gen.* hom. 17. - *P. G.* LIII, 143.
[11] Serm. 4. in Nat. Dom. c. 1.
[12] *In Gen.* q. 34. - *P. L.* LXX, 130.
[13] *Moral.* l. XXI, c. 2.
[14] *Hexaemeron*, l. 1, et *Pentat.* l. 1. - *P. L.* XCI, 54, 212.
[15] Serm. 1, in Deipar. Nativ. - *P. L.* CXLI, 230.
[16] Loc. cit.
[17] Hom. 2, super *Missus est*, n. 4. — Cf. PALMIERI, *De Deo creante et elevante*, p. 723, 724; aliosque theologos passim.
[18] Loc. cit.

Et certe γ) *ipse contextus* ineluctabili certitudine id evincit. Etenim α) praeter rationem modo sub littera *b*) expositam, vox hebraica אֵיבָה exprimens inimicitias, talis est quae utrimque supponat entia rationalia. Insuper β) pone, haec dici ad serpentem belluam, iam significationem suam amittit sententia, quae tamen aliquid magni intendere debet. Esto, refugere ab invicem serpentes et homines; cur dicuntur hae inimicitiae esse inter serpentem et mulierem? nonne etiam inter viros, imo nonne magis, quum viri magis quam mulieres serpentes oppugnare audeant? Rursus quomodo intelligitur fore ut semen mulieris, in futura aetate indeterminata, conterat caput, non quidem seminis serpentis tunc viventis, sed serpentis illius (יְשׁוּפְךָ), ad quem Deus loquebatur? - Demum quid magni hoc aliquando esset, unum hominem, sive virum sive mulierem, alicuius olim serpentis conterere caput? Nonne istae sunt nugae, tam solemni sermone indignae prorsus? Firmum igitur atque inconcussum teneatur, Deum in hoc versu alloqui Satanam serpentis specie Evam aggressum.

Iam 2) *quid his verbis contineatur,* consideremus.

a) Ante omnia oportet determinare distincta subiecta de quibus aliquid praedicatur. Sunt autem *quatuor* gemino inciso distributa. Ex una parte habemus *Satanam* et *semen eius;* ex altera parte *mulierem* et *semen eius*. De quibus iam distinctim:

α) Serpentem (בֵּינְךָ, inter te) esse Satanam, iam supra demonstravimus. - Quid *semen serpentis* (זַרְעֲךָ) sit, facile per hoc ipsum ostenditur. Quum Satanas sit spiritus, de quo carnalis generatio praedicari nequit, semen eius nihil aliud est, quam spiritualis progenies illorum omnium, quos seductione in suas partes trahit, et qui ratione huius pessimae parturitionis, filii diaboli vocantur.

β) Porro quid intelligendum est per *mulierem* (וּבֵין הָאִשָּׁה) et *semen* eius (וּבֵן זַרְעָהּ)? Si nulla ratio mutandi suppositi adsit, *mulier,* de qua in v. 15 sermo est, secundum legem naturalem sermonis debet intelligi de Eva, nempe de eadem muliere, de qua in v. 13 agebatur; eo vel magis, quod mulier cum articulo appellatur. - Per correlationem, intellecta Eva

sub voce mulieris, semen eius collective sumendum est; unde maior videtur oriri parallelismus inter gemina sententiae membra, utrimque iam semine *collective* (spiritualiter vel materialiter) intellecto. Quae interpretatio inde corroborari videtur, quod per hunc v. 15, Deus voluit erigere protoparentum fiduciam. - Ita quidem recentiores aliqui cum Reinke [1], quorum rationes fusius expositas invenies apud laudatum Palmieri [2].

At contra hos probamus, mulierem non intelligi Evam, sed Matrem Dei Salvatoris, Mariam; semen autem mulieris esse ipsum Redemptorem primario, membraque eius secundario.

Et quidem *a*) ab hoc altero incipiamus. Postquam demonstratum est, puniendum Satanam in hoc versu intendi, cuiusnam, quaeso, esse poterit conterere caput ipsius, id est, reportare de ipso victoriam, qua vindicetur plene triumphus de Eva a diabolo reportatus? Sane nonnisi Redemptoris. Contrarium opinari, esset pervertere conceptum lapsi generis ab altiori principio redimendi. Quod magis evincetur, ubi directe ipsam vim huius prophetiae considerabimus.

Iam vero *b)* si per semen mulieris intenditur Christus, Salvator Zabulique debellator, patet, ipsam mulierem esse Christi Matrem, novam scilicet Evam. Et vere quidem speciali titulo *mulieris semen* Ille, qui de ipsa sola sine viri adiumento ortum traxit. Quod iam plures scriptores sacri adverterunt: « Illud mulieris semen, quod Deus inimicum et infestum ser-« penti esse iubet, Dominus noster Iesus est. Nam ipse mu-« lieris semen, singulari modo ex ea ortus est, ita ut nec viri « semen intercesserit, nec quidquam decesserit castitati ». Ita Isidorus Pelusiota [3].

Hanc esse traditionem catholicam, multa ostendunt testimonia Patrum, qui Mariam et Christum in protoëvangelio indicari contendunt, veteri Evae seductae ac seductrici novam Evam cooperatricem salutis opponentes. Legesis de his

[1] *Beiträge zur Erklärung des alten Testamentes. II. B. Uber das Protoevangelium.* §. *9.*

[2] Loc. cit., p. 729.

[3] Apud Passaglia, *De Immac. Conc.*, Sect. v, c. 1.

Iustinum [1], Irenaeum [2], Pseudo-Originem [3], Cyprianum [4], Gregorium Neocaesariensem (?) [5], Ambrosium [6], Epiphanium [7], Cyrillum Hieros. [8], Amphilochium Icon. [9], Chrysostomum [10], Augustinum [11]. Quae testimonia apud theologos passim adducta reperies [12]. Praeclare S. Chrysostomus: « Per quae dia-
« bolus nos expugnavit, per ea Christus ipsum superavit...
« Quomodo? audi. Virgo, lignum et mors nostrae cladis
« symbola erant. Etenim virgo erat Eva... Iam vero quomodo
« eadem ipsa nobis victoriae causa sunt. Pro Eva Maria etc. » [13].

Placet praeclarum his addere testimonium Ruperti nostri, verba Dei: " *Inimicitias ponam* etc. " ita explicantis: « Tan-
« quam diceret: Nunc mulier simul et vir tibi foederati sunt,
« tecumque fecerunt pactum, et cum morte foedus percus-
« serunt, utpote quia a facie mea profugi atque absconditi,
« dum requiruntur a me, quare hoc fecerint, contemnunt
« vocem commonentis, et defendendo peccatum suum palam
« faciunt, quia tibi favent, tibi consentientes tui amici sunt.
« Ego autem huiusmodi amicitias dissolvam: " inter te et mu-
« lierem inimicitias ponam ". Cur hoc ad ipsam mulierem non
« dixit? poterat namque, ubi dixit mulieri, " multiplicabo
« aerumnas tuas et conceptus tuos ", etc., hoc ipsum sic ad
« eamdem dicere: " Inimicitias ponam inter te et serpentem,
« et semen tuum ac semen illius ". Cur ergo non dixit? Ni-
« mirum duplicem ob causam. Primum, quia propter pecca-
« tum et peccati defensionem hoc mulier non merebatur, ut
« iam tunc ad eam promissiones tales, promissiones tantae
« gratiae faceret Deus. Deinde quia non ad ipsam Evam, sed

[1] *Dial.* n. 100.

[2] L. III, cc. 22, 23, et l. V, c. 21.

[3] Hom. I, ex 10 in Matth. et Ioann.

[4] *Testim. adv. Iudaeos* l. II, n. 9, - ad verba Ioann. VII, 10.

[5] Orat. I, in Deiparae Annunt.

[6] In Luc. II, 17.

[7] *Haer.* 58, n. 18, ubi diserte ait, verba huius loci « plane accomodari ad Evam universa » non posse.

[8] *Catech.* XII, 16.

[9] Or. in Nat. Chr., n. 4.

[10] *In Gen.* hom. XVIII, n. 7; Hom. in S. Pasch. n. 2.

[11] Serm. 1. de Adam et Eva et S. Maria, n. 3; apud Mai, in nova PP. Biblioth. t. I.

[12] Cf. Palmieri, op. cit., p. 726, 727.

[13] Loc. cit.

« ad alteram eiusdem sexus personam, videlicet ad beatam « Virginem Mariam intendebat ipse qui loquebatur. Recte « igitur non ad mulierem male meritam, facta est auxiliatricis « gratiae promissio, sed potius ad serpentem hostilis ac bellica « comminatio » [1].

Hanc doctrinam, quam non nimus diserte docet Bernardus [2], ars christiana iamdiu sacravit, fingere solita Deiparam gestantem ulnis divinum Filium, cuius cuspide reptilis, mortiferae arboris fructum ore prementis virusque evomentis caput conteritur ac pede calcatur [3].

Concludamus: ex contextu, ex auctoritate Patrum, necnon ex artis christianae traditione ipsius Ecclesiae sensum testificantis, demonstratur, per mulierem eiusque semen significari Mariam et Christum. Ne autem haec conclusio praecipitata videatur, solvenda breviter supersunt argumenta praecipua a recentioribus exegetis in oppositum congesta.

α) Lex est humani sermonis, aiunt, ut *idem verbum* in eadem sententia pro re eadem supponat. Iam vero in superioribus mulier est Eva, ergo et hic mulier Eva est, et semen mulieris, genus humanum ex ea oriundum. - At responsum est in promptu. Identitas vocabuli *mulieris* non exigit identitatem suppositi, si adsit ratio subiectum mutandi. Atqui hanc rationem adesse vidimus. Et sane corroboratur haec responsio ex eo, quod ista Dei verba non ad Evam diriguntur, sed futurum prophetice nuntiant. Si enim Evam respexissent, cur non ad Evam prolata fuissent? Tantopere sensus avertit mentem ab Eva, ut, etiamsi sermo ad eam fuisset directus, non de ipsa fuisset intelligendus; quanto minus ipsam respicere credendus est, dum ad Satanam profertur?

β) Sed, instant, *articulus* hanc determinationem praesentis mulieris supponit ac exigit. - Reponimus, articulum in sermone hebraico non habere eamdem vim ac in idio-

[1] Loc. cit., c. 16. — *P. L.* CLXIX, 1256.

[2] Serm. 2. super *Missus est.*

[3] Iam sub initium saec. V. Prudentius hanc repraesentationem suggerebat canens: « Hoc odium vetus illud erat, - hoc erat aspidis atque hominis - digladia- « bile dissidium, - quod modo cernua femineis - vipera proteritur pedibus. — Edere « namque Deum merita, - omnia Virgo venena domat. - Tractibus anguis inexpli- « citis - virus inerme piger revomit - gramine concolor in viridi » (Loc. cit.).

matibus nostris, uti iam advertit Gesenius [1]. Unde locus hic optime verti potest « *una donna* », sicut in celebri prophetia Isaiae « *una vergine* », licet in utroque loco articulus adsit. Insuper determinatio emphatica, quam articulus insinuat, nullo modo cogit verbum referri ad suppositum materialiter praesens, sed ad illud, quod prophetica mens coram intuetur, veluti e futurorum saeculorum tenebris emergens. Quae vaticinandi ratio, si iam propria est inspirato Dei nuntio, quanta magis erit naturalis illi, qui immobilem inhabitat aeternitatem, cuiusque aciei omnia saecula aequaliter sunt praesentia?

γ) Neque valet argumentum *ex parallelismo* petitum. Parallelismus utique adest, sed oppositionis. Atqui iste parallelismus in catholica explicatione ad normam traditionis longe plenius servatur. α′) Ex una parte habemus Evam seductam ac seductricem; ex altera parte novam Evam, nihil seductam, imo immaculatam, atque in opere reparationis cooperatricem. - β′) Ex una parte serpentem seductorem; ex alia Christum de ipso triumphatorem. - γ′) Ex una parte amicitias perditionis inter serpentem et semen eius; ex altera parte inimicitias inter Christum eiusque matrem, et serpentem eiusque semen. - δ′) Ex una parte semen spirituale; ex altera semen simul spirituale ac naturale. Quare inspecta tota ratione huius parallelismi oppositionis, nihil prorsus cogit nos, ut semen utrimque eodem sensu sumamus. Num forte semen Satanae intelligitur naturale? Semen ergo mulieris est *primario* Christus.

Concedimus tamen, *secundario* adsignificari quotquot spiritualiter de Maria per Christum nati sunt, ac ita Ecclesiam. Quae assertio suffulcitur versu Pauli supra allato: « *Deus* « *pacis conterat Satanam sub pedibus vestris* ». Idem diserte affirmat Rupertus in loco citato, ubi paucis interiectis hoc modo prosequitur: « Equidem principaliter beata Virgo Maria « mulier illa est inter quam et serpentem inimicitias positu- « rum se dixit, et posuit Deus; et semen illius, Filius est ipsius « Iesus Christus. Verumtamen quoniam mulier universale « feminei sexus nomen est, omnes per mulierem intelligimus « personas electas feminei sexus, et per semen mulieris omnes

[1] *Thes. Philol.* crit. ling. hebr. ad v. אִשָּׁה.

« personas electas virilis sexus, *quarum omnium, videlicet* « *personarum utriusque sexus Iesus Christus cum eadem ex* « *qua factus est muliere, princeps et caput est* ». Hunc sensum insinuat Chrysostomus ubi ait: « Etenim et illud pedibus « nostris subiecit humiliatum, et id praestitit ut nos capiti « eius incumbamus ». An non haec significat dicens: « Cal- « cate super serpentes et scorpiones ? » [1]. Et Augustinus expresse exclamat: « O Ecclesia, caput serpentis observa! » [2].

Semen mulieris principaliter de Christo intelligi, corroboratur ex locis Scripturae [3]; quae loca, uti rectissime advertit Cl. Billot [4], Paulus authentice interpretatur, ubi ait: « Abrahae « dictae sunt promissiones et semini eius ». Non dicit: « Et « seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, et *semini tuo,* « *qui est Christus* » [5]. Ex qua oppositione inter singulare et plurale vis nostrae interpretationis augetur. Etenim semen Satanae, utpote spirituale, multiplicationis formam non patitur; est unum semen, licet multos in se continens. Semen autem corporale multiplicatur multiplicatis generandis. Inde argumento nostro possumus argumentationem Pauli applicare, et ex forma singulari concludere ad unum semen, *qui est Christus.* Quotquot igitur de diabolo triumphasse leguntur, nonnisi per Christum de ipso victoriam retulerunt, secundario inclusi in semine mulieris, utpote spirituali nexu cum Christo capite unum corpus, ac proin semen unum efformantes.

δ) Neque valet ratio contra traditionalem interpretationem inde petita, quod Evae et Adamo debuerit erigi spes. - Cur, quaeram, debuit? Nisi promitteretur Redemptor, quomodo deberet, imo quomodo posset? Num forsan Evae debebatur, ut ipsa illius Redemptoris fieret mater? Igitur ex mera Dei misericordia factum est, ut in ipso puniendi actu sese Deus praebuerit nuntium salutis. Hoc tamen iustitiae suae quasi debebat, ut directe Evam nonnisi corriperet atque castigaret; indirecte nihilominus inde spem eidem attollens, quod seductorem eius pariter, imo durius reprehenderet, promit-

[1] *In Genes.* h. 17. — Cf. Ambrosium, *De fuga saeculi,* n. 43.
[2] Enarr. in ps. ciii, serm. 4, n. 6; — Cf. in ps. xxxv, n. 18; in ps. xlviii, serm. 1, n. 6.
[3] Gen. xxii, 18; xxvi, 4; — Eccli. xliv, 25, etc.
[4] Op. cit., p. 273.
[5] Gal. iii, 16.

tendo de serpente triumphum per aliam mulierem, de ipsius tamen stirpe, olim praestatuto tempore complendum.

b) Determinatis itaque suppositis, de quibus in inciso 15 agitur, iam vim huius prophetiae penitus investigemus.

Hic tria praemittenda sunt ut lectio certa statuatur.

α) Licet Vulgati textus ferat « *ipsa conteret caput tuum* », hebraicus textus habet « הוא *ipse* conteret », scilicet *semen* mulieris. Sensus in idem recidit. Quum iuxta praedicta agatur hic de actione quae exposcit virtutem divinam, patet per se et a priori, talem actionem non posse in rigore sermonis praedicari, nisi de agente divino. Promittitur nempe talis de serpente triumphator, qui conterat eius caput, id est, qui destruat eius opus. Unde, etiamsi illa promissio praedicaretur de muliere, non posset de ipsa praedicari, nisi ratione Filii sui divini. Ipsam enim Deam promitti, quis dixerit? undenam orta praedicitur? et quonam, si ipsa Dea esset, spectaret semen eius ad conterendum caput Zabuli? Quare idem dicit lectio « *ipsa* conteret » et « *ipse* conteret ». Discrimen unice residet in hoc, quod prior magis exprimit communionem Matris cum Filio, altera potentiam absolutam Filii directius affirmat.

β) Notandum quoque, in hebraico unum vocabulum adhiberi pro « *conteret* » et « *insidiabitur* » [1]. Prima versio Itala pro utroque habebat *servabit* (ex voce τήρεω versionis LXX). Hieronymus autem, loquens de translatione per vocabulum *servare*, ait: « melius in hebraeo: ipse *conteret* caput tuum, et tu « *conteres* eius calcaneum » [2]. Quod alterum *conteres* in *insidiaberis* mutatum est. Et recte quidem. Vocabulum quippe hebraicum [3] idem notat ac « inhiare aliquid vel aliquem, hoc « vel illud captare, petere, observare, adoriri » [4]. Ex quo collige, talem actum hoc vocabulo exprimi, qui possit esse cum pleno effectu, vel eodem frustrari. Adiuncta sermonis indicare debent, utrum ex his duobus occurrat. Iam vero, si ambo ita exhibentur colluctantes, ut alter, dominans nimis, pede

[1] תְּשׁוּפֶנּוּ, יְשׁוּפְךָ

[2] *Qq. in Genes.*

[3] Cf. Passaglia, *De Immac. Conc*, Sect. 5, n. 987-988.

[4] Adhibetur, ut addit Cl. Billot, « de feris, bestiisque praedae insidiantibus », (loc. cit.).

caput aemuli premat, hic autem non nisi calcaneum alterius impetere valeat, planum est intelligere, priorem victrici conculcatione caput *conterere* alterius, qui nonnisi desperato veluti nisu calcaneo victoris *insidiari* potest. Nonne haec est ipsissima actio quae reptili tribuitur, dum ore capitis virgineo pede contriti conatur, sed frustra, immaculatum calcaneum venenoso morsu vulnerare?

γ) Demum notetur, vocem « *inimicitiae* » in originali textu singulari numero exprimi, unde maior sententiae accedit vis, propter maiorem unionem inter mulierem et semen eius.

Ita praedeterminata lectione, iam tria putamus praecipua doctrinae puncta in protoëvangelio contineri relate ad B. Virginem, quam in hoc loco specialius intuemur: tria scilicet ex quibus facile eruitur Immaculata eius Conceptio.

1) *Inimicitia absoluta declaratur inter Satanam et Mariam.* Amicitiae pacto, quod Eva pepigit cum serpente, opponitur singularis inimicitia inter serpentem et mulierem prophetice praenuntiatam; imo inimicitia tanta, quae eodem vocabulo ac numero exprimi possit, ac futura inimicitia inter serpentem et divinum mulieris filium. Atqui talis inimicitia supponit, nunquam, ne per minimum instans, hanc mulierem aliquo modo ad semen serpentis pertinuisse, seu amicitiae inter eum et Evam fuisse participem. Hoc autem accidisset, si Maria concepta fuisset in peccato. Ergo futura promittitur mulier undequaque libera ab influxu serpentis, *mulier immaculate concepta.*

2) *Munus co-redemptricis relate ad opus salvificum mulieri huic competere nuntiatur.* Haec altera dignitas promissae mulieris eruitur ex toto parallelismo oppositionis, qui interest inter novum Adamum cum nova Eva et protoparentes generis humani. Inde, sicuti Eva cooperata est ruinae gentis suae, licet peccatum Adami eam proprie personaliter perdiderit; ita, licet semen mulieris sit conterens propria virtute caput serpentis antiqui, nihilominus mulier ab eo non separatur, et quasi unum cum ipso efformat.

Hoc autem qui aeque fieret, nisi tam specialissima dignitate esset a labe gentis exempta, ut innocens stare posset ad latus innocentis? Oportet igitur istam co-redemptricem esse

quidem redemptam, sed tanquam a peccato praeservatam immunem; verbo, oportet ut sit *Immaculata ab ipso instante Conceptionis suae.* Quaevis levissima mora in sanctificatione Matris, hanc, etsi per instans, relinqueret serpenti praedam, ac proinde imparem, quae cum Filio contereret eius caput tanquam cooperans operi salutis.

Instabis. Quid, si semen quidem sit Redemptor, mulier autem non eius mater *immediata?* - Resp.: Sane vidimus iam rationes propter quas, dempta illa unione cum Filio, repugnat hanc mulierem intelligi Evam. Porro, seclusa Eva, quaenam alia mulier rationabiliter intelligeretur? Eo vel magis quod praerogativa perfectae inimicitiae cum serpente ipsi huic mulieri adscribitur. Porro hae rationes inde corroborantur, quod nullibi in Scriptura Christus semen vocetur alicuius ex mulieribus unde Maria ortum traxit; dum e contra Patriarcharum semen pluries vocatur. - Demum, collato capite VII Isaiae cum hoc capite III Geneseos, apparet, eamdem esse *mulierem* ac *virginem* utrimque promissam, illic cum *semine* suo, hic cum suo *Filio*, inseparabiliter eidem coniunctam.

Iam vero co-redemptricis missionem, quae, ut digne exerceatur, supponit perfectam immunitatem a peccato - inde enim Christus vere Redemptor quia « sanctus, innocens, impol- « lutus, etc. », - B. Virgo tum in Filii conceptione ipsi intime coniuncta, tum sub Cruce dolorosissime ipsi commoriens exercuit, tum post Filii obitum usque ad finem temporum exercebit, accepta per verba: « *Ecce mater tua* » divinitus commissa sibi legatione, ut quotquot Pater Filio dederit filios, tot et ipsa agnosceret per saecula suos.

3) *Cultus Mariae tanquam pars integralis catholicae fidei perhibetur.* Recte istius primae prophetiae interpretes nomine *protoëvangelii* hoc vaticinium condecorarunt. Continet quippe sub velamine synthesim Redemptionis generis humani peccato protoparentum lapsi. Iam vero, si in promissione tam solemni tamque compendiosa tantae partes Matri Salvatoris tribuuntur, signum manifestum est, in oeconomia salutis praecipuam esse eiusdem una cum Filio et per Filium dignitatem simul ac officium. Porro quomodo hoc congrue staret, nisi Redemptoris Mater, intuitu huius dignitatis, ab initio appa-

reret in alio ordine collocata, ac est ordo deperditionis, unde Christus homines liberavit? Oportet proin ut Eva nova nihil inquinamenti a prima Eva acceperit. Verbo, oportet ut illa mulier sit praeservata ab omni labe immunis, ideoque *immaculate concepta.* Ita nonnisi duae nobis elucent figurae, protoparentibus lapsis ex toto oppositae; unde merentur nomen a traditione ipsis impositum *novi Adami* ac *novae Evae,* in *puritate* scilicet *originali* a Deo datae mundo, utpote per quas reparetur, quod per primum Adamum et primam Evam de primordiali innocentia fuerat sibi suisque ex culpa amissum.

At sicuti in ordine transfundendae iustitiae originalis partes Evae subordinabantur Adamo, ita, imo titulo infinities maiori, quia divino, in salutis reparandae ordine partes Mariae omnino subordinantur Christo, nec quidquam valet Maria nisi per Christum, a cuius meritis habet ipsum fundamentum suae singularis sanctitatis, ortum scilicet immaculatum.

Quomodo traditio Patrum de almae Deiparae privilegio cum hac interpretatione protoëvangelii consonet, in altera parte huius dissertationis investigabimus [1].

2) Salutatio angelica.

« *Ave Maria, gratia plena* ». Haec inusitatissima Gabrielis salutatio, si consideretur in se, tota vi verborum perpensa, si ratione habita ad protoëvangelium, si demum cum Patrum Doctorumque traditione collata, implicite Immaculatam Mariae Conceptionem adstruere dicenda est.

a) Et re quidem vera α) vox ipsa κεχαριτωμένη (χαριτόω, *gratiae cumulo replere*) dicit per se totum, quod receptae gratiae esse in anima potest. Proinde, licet occurrat alia vice in sensu qui non sit singularis: (v. gr.: Οὐκ ἰδοὺ λόγος ὑπὲρ « δόμα ἀγαθόν; καὶ ἀμφότερα παρά ἀνδρὶ κεχαριτωμένῳ, nonne « ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine « *iustificato*?) [2], dicta de Maria limitem non ponit, et assi-

[1] De hoc protoëvangelio lege, praeter scriptores iam citatos, Hengstenberg (*Christology.* t. I, p. 4, seqq.); Meignan (*Les prophéties messianiques* - Proph. du Pent. p. 205 sqq.); Corluy (t. I, p. 347); Maas (*Christ in type,* t. I, p. 184, sq.).

[2] Eccli, xviii, 17.

milatur, servata utique subiecti proportione, verbo Ioannis de Christo: « Πλήρης χάριτος, plenus gratia »[1].

β) Porro, ubi agitur de animae iustificatione ac sanctitate, plenitudo non solum respicienda est illa, quae habetur in instanti in quo praedicatur, sed cum relatione ad totam praecedentem vitam. Unde *plena gratia* undequaque erit illa dumtaxat, quae nunquam, ne per minimum quidem instans, ea caruerit.

γ) Rursus plenitudo gratiae dicit cumulum omnium gratiarum. Iam vero gratia originalis, immunem constituens ab omni labe, est quaedam gratia praecelsae singularisque dignitatis, qualem habuerunt angeli ab initio et quali protoparentes nostri insigniti sunt. Ergo vera gratiae plenitudo continet et gratiam conceptionis immaculatae.

δ) Eo vel magis iste sensus in angelica salutatione comprehendi videtur, quod haec ipsa salutatio ad dignitatem divinae maternitatis Virgini nuntiandam ordinatur. Declarat scilicet proportionem, quae existit inter Virginem et hanc dignitatem, proportionem non ex natura, sed *ex gratia*. Unde rursus Angelus tremebundae puellae: « *Ne timeas*, ait, *inve-* « *nisti gratiam* ». Iam vero per quamnam gratiam poterat haec proportio efficacius praeparari, quam per gratiam a primo instante suae conceptionis futuram Dei Matrem ab originali labe eximentem?

b) Crescit adhuc vis huius interpretationis, si salutationem angelicam *conferimus cum protoëvangelio*. Et sane utrimque habemus Matrem et eius divinum Filium. Verba: « *gratia* « *plena* », dicta Virgini, correspondent verbis: « *Inimicitias po-* « *nam inter te et mulierem* ». Verba: « *ipse conteret caput* « *tuum* », dicta de semine mulieris, respondent verbis: « *Hic* « *erit magnus* », dictis de Filio Virginis, necnon verbis ad Ioseph dictis de eodem: « *ipse salvum faciet populum suum* « *a peccatis eorum* ». Iam vero supra vidimus, has inimicitias inter serpentem et mulierem tantas esse tamque absolutas, ut excludant quodvis instans, etiam minimum, quo B. Virgo fuerit serpentis, tanquam semen eius. Ergo pronum est concludere, plenitudinem gratiae ab Angelo heic praedicatam,

[1] Ioann. i, 14.

pariter esse tantam, in qua conceptio immaculata contineatur.

Insuper nonne Angelus ad protoëvangelium alludere videtur, quando Mariam proclamat: Benedictam inter mulieres? Scilicet, quia haec ipsa est mulier a Deo olim praedicta, cuius Filius de serpente triumpharet. Inde Maria in suo cantico ortum suum benedictum sane inclusit in gratiarum actione pro « magnis », quae sibi fecit, « qui potens est ».

c) Ita quoque *Patrum Doctorumque traditio,* si minus explicite, at certe implicite hanc salutationem intelligendam suadet. Ut moli huius disquisitionis parcamus, testimonia, quae possent afferri permulta, ad duplex doctrinae caput reducemus. α) Patres angelicam salutationem, sive colloquium inter Angelum et Mariam, ita conferunt cum colloquio inter serpentem et Evam, ut Evae Mariam ex toto opponant. Pulchre Innocentius III: « *Ave,* quia per te mutabitur nomen Evae [1]; « illa fuit plena peccato, sed tu *gratia plena;* illa recessit a « Deo, sed *Dominus tecum;* illa maledicta fuit *in mulieribus,* « sed *tu benedicta;*... per illam mors intravit in orbem, sed per « te vita rediit ad orbem » [2]. Fortius adhuc Bernardus: « Inve- « nit gratiam plenam, gratiam singularem, quam nemo ante « potuit invenire » [3]. Iam vero nonne hoc dictum maxime originali iustitiae convenit? Quomodo vere nova Eva, nisi ortu immaculato primaevam iustitiam prioris Evae instaurante? De hac oppositionis analogia inter utramque Evam, praeter ea quae superius diximus, ubi de typis B. M. Virginis, lege praesertim Andream Cretensem [4], Ioannem Geometram [5], Fulgentium [6], Sophronium Hieros. [7], Germanum Constant. [8], Damascenum [9]. Caeterum de vi dogmatica huius oppositionis infra verbulum addemus.

β) Comparationem instituunt Patres inter gratiae infusio-

[1] Cf. secundam strophen hymni, *Ave Maris stella.*

[2] *Sermo de Virginis Purif.* — *P. L.* t. CCXVII, 506.

[3] Hom. III, super *Missus est.*

[4] In Deip. annunt. — *P. G.* XCVII, 904.

[5] Mai, Script. vet. n. coll. t. IX, p. 630.

[6] Inter op. Aug. t. V, Serm. 132, in Nat. Dom.

[7] In Deip. annunt. n. 23. BALLERINI, t. II, p. 69.

[8] In annunt. Deip. — *P. Gr.* XCVIII, 323.

[9] In annunt. Deip. — *P. Gr.* XCVI, 852. - Vide Cl. PALMIERI, op. cit., p. 739, sqq., PASSAGLIA, MALOU, aliosque.

nem *partialem* aliis sanctis concessam, et *plenariam* singulari privilegio Mariam decorantem [1]. De qua doctrina Immaculatam Conceptionem suadente, infra plura dicemus.

3) Encomia Sapientiae ac Sponsae Cantici.

Hucusque de Scripturae locis directe ad Mariam spectantibus. Supersunt quaedam adiungenda de locis ab Ecclesia per accomodationem Deiparae applicatis. Tales sunt imprimis laudes quae Sapientiam et Sponsam commendant. De quibus Pius IX in Bulla dogmatica « *Ineffabilis Deus* » ita loquitur: « Ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sa-« pientia loquuntur eiusque sempiternas origines repraesen-« tant, consuevit Ecclesia tum in ecclesiasticis officiis, tum « in sacrosancta liturgia adhibere et ad illius Virginis pri-« mordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae « Sapientiae Incarnatione fuerunt praestituta ».

Hae autem laudes sunt praecipue sequentes.

a) « *Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad* « *futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta* « *coram ipso ministravi* » [2]. — Ubi habes, B. Virginem fuisse cum Filio suo omnium creaturarum primogenitam, eamque coram Deo ministrasse in habitatione sancta. Iam vero nonne haec, ut minus dicamus, privilegio Immaculatae Conceptionis optime consonant? Quomodo Maria primogenita creaturarum, si concepta in peccato? Quaenam sanctitas huius habitationis perfecta, si in peccato condita sit?

b) « Dominus possedit me *in initio viarum suarum,* ante-« quam quidquam faceret a principio. *Ab aeterno ordinata sum* « et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, « et ego iam concepta eram, etc. etc.... *Qui me invenerit, inve-* « *niet vitam et hauriet salutem a Domino* » [3]. — Quomodo rursus talis dignitas B. Mariae in praeordinatione competere posset, quin Deus eam ab originali labe reddidisset immu-

[1] Cf. auct. epist. ad Paulam et Eustochium de Assumptione Virginis, int. op. Hieron., t. v, p. 82. — Petrum Chrysologum, Serm 140. — Vulgatum Hildephonsum, Serm. vi. de Assumptione Virginis.

[2] Eccli, xxiv, 14.

[3] Prov. viii, 22, sqq.

nem? Num ortus in peccato dignus est, quem Deus in initio viarum suarum contempletur? - Pariter si vitam invenit, qui invenit Mariam, potestne concipi instans fuisse, in quo Maria vitam non habuerit? Ergo fuit a promordiis suis Immaculata.

b) « *Sapientia aedificavit sibi domum*, *excidit columnas* « *septem* » [1]. - Quae domus inhabitanti Sapientiae magis apta quam domus undequaque sancta? Finge in hac domo sordem: num digna erit omnino, quam sibi Sapientia aedificaverit? Pone illam in ipso ortu peccato collapsam, quid iam illae columnae septem, quae sane figurant Spiritum Sanctum, domum hanc septenario donorum firmissime fulcientem? Ergo Maria ab ipso exordio gratia hac *septiformi* imbuta fuit, vere proin immaculate concepta.

Quae Scripturarum testimonia, liturgico usu Mariae accommodata, non solum privilegium adstruunt de quo inquirimus, sed etiam ad minimum redigunt, quod in B. Virgine diximus admittendum contrahendae labis debitum.

Adde his locis laudes Sponsae in Cantico canticorum praesertim loca sequentia.

a) « *Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias* » [2]. Unde ita arguere licet: Caeteri, etiam qui postea Sponso adhaerent redempti, spinis originis non sunt expertes; tu sola inter omnes emines sine vulnere immaculata.

b) « *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut vir-* « *gula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pul-* « *veris pigmentarii?* » [3]. Scilicet per desertum ascendit Virgo, quasi e deserto originalis naevi ipsa prima emergens omni virtutum nardo in odorem suavitatis spiritualiter condita.

c) « *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens?* » [4]. Nox per universum sese extendebat. Sed ecce de hac peccati nocte totum humanum genus involvente, Maria progreditur rutilans aurora spem solis adducens, Mater futura Redemptoris.

[1] Prov. ix, 1.
[2] Cant. ii. 2.
[3] Cant. iii, 6.
[4] Cant. vi, 9.

d) « *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in* « *te* » [1]. Quae verba Liturgia illustrat superaddens: et macula « originalis » non est in te. Et sane si Apostolus ad haec verba alludens, de Ecclesia sponsa ait: « Christus dilexit Ec- « clesiam,... ut exhiberet ipse sibi gloriosam... non haben- « tem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed ut « sit sancta et immaculata » [2]; haec eadem verba ad Mariam applicando dicere licet: Christus dilexit Mariam, ut exhiberet sibi Matrem ab ipso primo instanti ortus sui immaculatam. Unde appellatur in Cantico: « Amica mea, columba mea, « *immaculata mea* » [3].

e) Huc quoque redit illud Cantici: « *Hortus conclusus, fons* « *signatus, emissiones tuae paradisus* » [4]. De quibus verbis ita pseudo-Hieronymus: « Vere hortus deliciarum in quo con- « sita sunt universa florum genera et odoramenta virtutum; « sicque conclusus ut nesciat violari, neque corrumpi ullis « insidiarum fraudibus » [5]. Ergo ab ipso exordio anima Virginis fuit paradisus serpentis fraudi impervius. Ergo fuit immaculate concepta.

Adde his locis e libris sapientialibus necnon e Cantico desumptis, alias imagines per Scripturas sparsas, in quibus Ecclesia Mariam agnovit ita descriptam, ut in his symbolis Immaculata eius Conceptio implicite contineatur. Et sane est *columba* nitida ramum olivae ore deferens ad salutem post diluvium praenuntiandam; est *foederis arca* e ligno incorruptibili confecta auroque contexta, etc., etc. [6].

At haec argumenta, quatenus fulciuntur interpretatione accommodata, - uti sunt ea quae de libris sapientalibus depromuntur, quippe de Verbo Dei directe dicta, - theologica potius sunt quam presse scripturistica. Recte P. Terrien de textibus librorum sapientialium ait: « Ces textes, il est vrai, n'ont

[1] Cant. IV, 7, cf. 1.

[2] EPHES. V, 25, 27.

[3] CANT. V, 2.

[4] Ibid. IV, 12, 13.

[5] Epist. « *Cogitis me* », cuius auctor esse videtur Ambrosius Autpertus (s. VIII) — *P. L.* XXX, 122.

[6] Cf IOANNEM SEGOB. in opere quod ad Patres Conc. Basil. direxit: *Allegationes et avisamenta, pro informatione Patrum conc. Basil. ann. 1436, circa SS. Virg. M. Immac. Conceptionem, eiusque praeservationem a peccato originali* (Studio ac labore Petri de Alva et Astorga, Bruxellis, 1664, p. 515.

« par eux-mêmes aucune valeur démonstrative, puisque ce « n'est pas la Mère, mais le Verbe de Dieu, son Fils, que le « Saint-Esprit avait en vue, quand il les inspira. Et pourtant « l'autorité de l'Eglise, qui les emploie pour nous dire ce « qu'elle pense et ce que nous devons penser de Marie, peut « leur donner par cet emploi même toute la valeur d'un docu- « ment théologique. Ils deviennent dès lors la manifestation « de sa croyance et de ses pensées » [1].

Superest ut argumentis breviter occurramus, quae adversarii privilegii B. Virginis ex Scripturis ad suam sententiam propugnandam desumere solebant. Quum autem suum cardinem habeant in doctrina Paulina *de universali diffusione peccati originalis,* hanc praecipuam difficultatem solvere libet.

4) De doctrina S. Pauli ad Romanos.

Quantopere haec doctrina a nonnullis theologis uti contraria habita sit praerogativae Immaculatae Conceptionis, abunde docet huius controversiae longa nimis historia. Nec defuerunt qui, ob evidentiam doctrinae Paulinae, sententiam Scoti uti haereticam ab Ecclesia damnandam esse conclamarint. De quibus mox.

At paucis potest ista difficultas depelli. Fatemur ultro, legem universalis traductionis peccati originalis tam absolute a Sancto Paulo affirmari, ut, nisi gravissima ratio intercederet, exceptionem omnino nullam admitteret. Non ideo tamen, si aliunde constet, ex specialissimo titulo, unam ab hac lege creaturam singulari privilegio esse exemptam, lex illa non amplius universalis erit censenda. Quod demonstrari a nemine poterit, nisi a petente principium; eo vel magis, quod B. Virgo, quia ab *actu* contractae labis exempta, non ideo fuit a quovis *debito* illam contrahendo immunis, ac proin conditionaliter (sive antecedenter, sive consequenter) ad hanc ipsam legem latiori sensu pertinuit [2].

[1] *La Mère de Dieu et la Mère des hommes d'après les Pères et la Théologie* I. P. *la Mère de Dieu*, t. I. Introd. p. XV. — Cf. de hoc argumenlo P. DE LA BROISE (*La Ste Vierge et les livres sapientiaux.* — *Études,* 5 mai 1899.

[2] Hic arguendi modus declaratur per tritum effatum: exceptio firmat regulam. Quid iam, si exceptio petitur ex titulo prorsus singulari?

Utrumque simul componi posse, dogma scilicet universalis propagationis peccati originalis et privilegium Conceptionis Immaculatae, expresse declararunt Patres Concilii Tridentini. Etenim, postquam diffusionem generalem originalis labis professi erant, Sessione V in fine addiderunt: « Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae « intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato « originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, « Dei Genitricem, etc. » [1]. Ergo utrumque declaravit non esse dissociabile, quod nobis sufficit ad obiectionem solvendam per auctoritatem supremam ipsius Ecclesiae.

Insuper argumentatione Paulina pressius considerata, videmus, Apostolum ab hominum universalissima morte ad traductam originalem labem arguere. Iam vero quid de morte ipsius Christi? Num forsan demonstrat, Iesum quoque in Adamo peccasse? Ergo si haec mors, ob titulos plures superius expositos, fuit tantopere independens a consortio huius peccati ut eiusdem fuerit deletiva; potuit dari aliqua mors, quae veluti media se haberet, scilicet quae non fundaretur in ipsa traductione peccati, sed ad summum in debito eiusdem contrahendae, cuius debiti solutio esset primus ipsius mortis Christi et uberrimus fructus. Ergo doctrinae S. Pauli non opponitur Immaculata Conceptio B. M. V. [2].

Doctrina nihilominus S. Pauli potest efficacissime adduci ad probandum, privilegium Deiparae esse omnino singulare.

Quod modo diximus de doctrina Apostoli ad Romanos, aeque valet de sententiis in quibus alibi idem dogma vindicat: « Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo « omnes vivificabuntur » [3]; « Quoniam si unus pro omnibus « mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus « mortuus est Christus » [4]. Quae sane sententiae optime cum Deiparae privilegio componuntur, quum B. Virgo nedum per hanc exceptionem sit extra Redemptionis ordinem posita, specialissimo imo perfectissimo titulo ad eumdem pertineat.

[1] Denzinger, *Enchirid.*, n. 674.
[2] Vide complenda de hoc argumento in appendice de mente S. Thomae.
[3] I. Cor. xv, 22.
[4] II. Cor. v, 14, 15.

Idem dic de verbis: « Omnes peccaverunt et egent gloria « Dei » [1]; necnon: « Eramus natura filii irae, sicuti et cae- « teri » [2]. In quibus ultimis verbis forma universalis est minus explicita.

Eodem prorsus modo solvendae sunt difficultates ex Scripturis V. T. petitae: « Quis potest facere mundum de immundo « conceptum semine? Nonne tu qui solus es? » [3] Optime; imo ideo hoc Mariae privilegium est potentiae non minus quam bonitati Dei tribuendum. - « Ecce in iniquitatibus conceptus « sum, et in peccatis concepit me mater mea » [4]. Quae rursus sententia legem universalem ponit; at non tanta necessitate, quae Deum ipsum huic legi adstringat.

E quibus omnibus collige, Immaculatam Conceptionem esse quidem derogationem ab ordine universali; sed a Deo praevisam atque provisam, sicuti in ordine naturali sunt ipsa miracula. De modo huius derogationis in appendice ad hanc Quaestionem, verbulum addemus.

Et haec satis sint de S. Scripturis.

B) Vindicatur dogma Immac. Conc. ex Traditione.

Triplex nobis in hac parte traditio consideranda est: 1) monumenta liturgica, 2) doctrina Patrum, 3) doctrina Scholarum. De quibus singillatim.

1) De monumentis liturgicis.

In Bulla « *Ineffabilis Deus* » Pius IX asserit: « Illustria (Ro- « manae Ecclesiae) facta digna plane sunt quae nominatim « recenseantur, cum tanta sit eiusdem Ecclesiae dignitas « atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est « catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum invio- « labiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reli- « quae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Ro- « mana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis

[1] Rom. III, 23.

[2] Ephes. II, 3.

[3] Iob. XIV, 4. Iuxta versionem Alexandrinam: « Nemo mundus a sorde, nec « infans cuius est unius diei vita super terram ».

[4] Ps. L, 7.

« quibusque modis Immaculatam Conceptionem eiusque cul-
« tum et doctrinam asserere, tueri, promovere, et vindicare ».

De veritate huius asserti iam quaerendum est, conferendo usum Romanae Ecclesiae cum aliarum Ecclesiarum praxi de praerogativa Immaculatae Conceptionis publico cultu expressa vel exprimenda. Vis enim huius praxeos apparet, quum publicus in Ecclesia approbatus cultus professioni doctrinali aequiparandus sit.

Ut autem cum methodo haec inquisitio incedat, - obiicitur nempe catholicis tardior de Immaculata Conceptione cultus, - distinguendus est cultus expressus, a cultu minus expresso; sive cultus explicitus a cultu implicito. Iam vero propositio nostra ita sonat:

1) Implicite per festum Nativitatis B. Virginis Ecclesia Romana, saltem inde a saeculo VII, professa est Immaculatam Mariae Conceptionem. - 2) Explicite speciali festo idem privilegium coluit, tardius quidem, non tamen ita ut ex hac tardiori institutione aliquod argumentum contra constantem Ecclesiae fidem proferri liceat.

Hanc propositionem per geminam partem probandam aggredimur.

1) *De festo Nativitatis B. V. M. uti implicite Immaculatam Conceptionem exprimente.*

In hac parte duo nobis praestanda sunt: *a*) brevis historia festi Nativitatis praemittenda, *b*) dogmatica eiusdem vis eruenda.

a) De tempore quo institutum est festum Nativitatis Mariae, non omnino constat. Ex loco notissimo S. Augustini: « Natalis dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, « nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos Natales « celebrat: huius (scil. Ioannis Baptistae) et Christi » [1], apparet hoc festum aetate laudati Doctoris saltem universaliter non fuisse celebratum. Nihilominus sat antiquum dicendum est. Prostat enim - (utrum ab ipsis auctoribus ibi insertum?) - in libro Sacramentorum Gregorii Magni, ac in libro antiphonario [2]; pariter in Responsali et Antiphonario Romanae Eccle-

[1] Serm. in Nat. Ioannis Bapt. 287, al. 40, de diversis.

[2] *P. L.* LXXVIII.

siae edito a Ios. Mar. Thomasio [1]; necnon in libris Sacramentariis qui Gelasio passim tribuuntur. Saeculo autem VII in finem vergente, sub Sergio Pontifice, Romae hoc festum iam solemne fuisse, ex vita Anastasii satis constat [2]. Antiquum proin in Ecclesia festum Nativitatis B. V. iure vocaveris.

b) Iam vero contendimus, Ecclesiam hoc festo non solum Mariae nativitatem coluisse, sed et ipsam Conceptionem Immaculatam. Quod assertum legitimum esse et ad normam strictae veritatis, potest *a priori* et *a posteriori* demonstrari.

α) *A priori* quidem simplici hoc argumento. Colebaturne per Virginis nativitatem sanctitas, quam Maria habebat ante nativitatem, necne? Certe colebatur. Iam vero haec sanctitas erat ipsa Conceptio Immaculata. Ergo. - *Obiicies*. Nonne haec est aperta petitio principii? Supponit enim minor idipsum, quod in quaestione movetur. - Resp. Esset quidem petitio principii, nisi ratio ob quam nativitas Virginis colitur, scilicet sanctificatio iam ante nativitatem, id est sanctitas nascentis, esset huiusmodi, quae ex una parte nullibi, - quemadmodum in Scripturae narratione occurrit pro Ioanne Baptista, - ad instans aliquod decursu gestationis determinatur; et ex altera parte militat pro sanctificatione in primo instante producta. Fatemur ultro, hanc considerationem non habere vim stricti argumenti, sed tantum suasionis. Crescit tamen haec vis, idque non parum, si prae oculis habetur sententia antiquitus universaliter admissa de spatio temporis interiacente inter conceptionem activam et animationem seu conceptionem passivam. Quare quum instans huius animationis ignoraretur, pronum erat in historico Nativitatis instanti illam colere sanctificationem, quae in ipso animationis instanti habita credebatur. Imo mox videbimus, magnas exortas essse controversias ob festum Immaculatae Conceptionis erronee de conceptione activa intellectum. Ergo a priori suasibile est argumentum e festo Nativitatis in sensu Immaculatae Conceptionis Mariae deductum.

β) Porro ita hoc festum revera fuisse intellectum, *a posteriori* valide evincitur, tum ex modo quo Patres Deiparam

[1] Oper. t. IV.

[2] Cf. PALMIERI, op. cit., p. 676.

celebrabant in concionibus hoc festo habitis, tum ex modo quo ab hoc festo ad privilegium Immaculae Conceptionis arguebant. - Primum aperte constat ex locis notissimis Andreae Cretensis [1], Ioannis Damasceni [2], Fulberti Carnotensis [3], Leonis Sapientis Imperatoris [4]. Fulberti verba prae aliis citare placet: « Denique in huius *Conceptione* necessarium haud « dubie est, quod utrumque parentem vivificus et ardens « Spiritus singulari munere repleverit.... Quanta putamus « provisio fuerit sanctorum Angelorum circa tam Deo gra- « tissimos parentes *ab initio suae procreationis*, et excubatio « super tam ingentem sobolem? *Nunquam abfuisse creden- « dus est Spiritus S. ab ista eximia puella* ». Quae ultima verba diserte sane probant intentum. - Nec satis. Ulterius progrediuntur B. Virginis in Nativitatis festo laudatores, dum ex hoc ipso festo privilegium eius Conceptionis eloquenter eruunt, non tantum provocando ad sanctificationem maiorem ac fuit illa sanctificatio Ieremiae et Ioannis Bapt. [5]; sed directe ad ipsius Conceptionis sanctitatem concludendo. Celeberrimus hac in re locus est Paschasii Radberti, de partu Virginis, quem integrum hic transcribere non piget. « At « beata Virgo, licet ipsa de carne peccati sit nata et pro- « creata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc iam « quando praeveniente Spiritus Sancti gratia ab Angelo prae « omnibus mulieribus benedicta vocatur. Alioquin, si non « eodem Spiritu Sancto sanctificata est et emundata, quo- « modo non caro eius caro peccati fuit? Et si caro eius de « massa primaevae praevaricationis venit, quomodo Christus « Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati car- « nem assumpsit; nisi quia Verbum, quod caro factum est, « eam primum obumbravit? Propterea vere caro eius iam non « caro peccati fuit, in qua Deus se totum infudit.... Alias « autem quomodo, Spiritu Sancto eam replente, non sine ori- « ginali peccato fuit, cuius etiam Nativitas gloriosa catholica « in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata praedi-

[1] Orat. in Deip. Nat. — GALLANDI, XII, p. 95.
[2] Orat. 1, in Deip. Nativ.
[3] In Virg. Nat. — *P. L.* CXLI.
[4] In Deip. Nat. Combefis. auct. t. I, p. 1614.
[5] Cf. BERNARDUM TOLETUM, auct. s. XII, (Serm. 4 in antiph. *Salve Regina*).

« catur? Enimvero si non beata esset et gloriosa, nequaquam « eius festivitas celebraretur utique ab omnibus. Sed quia « tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, « *quod nullis, quando nata est, subiacuit delictis, neque con-* « *traxit in utero sanctificata originale peccatum*.... Nullius « nativitas celebratur in mundo, nisi Christi, et eius, atque « beati Ioannis: Ioannis autem, quia et ipse in utero sancti- « ficatus legitur; sic et beata Virgo Maria nisi in utero Ma- « tris sanctificata esset, minime Nativitas eius colenda esset. « Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiae veneratur, « *constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse,* per « quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum « etiam benedictio omnibus condonatur.... Quando Spiritus « Sanctus in eam advenit, totam defaecavit a sordibus Vir- « ginem et decoxit, ut esset sanctior quam astra caeli ». Paucis hanc doctrinam componendo, sequentia obtinemus. B. Virgo modo sublimiori ac Ioannes Baptista fuit in utero sanctificata, ita ut *non contraxerit peccatum originale,* sed ab omni *peccato originali immunis fuerit.* Remansit tamen in Virgine caro peccati; unde, ut Christus ab ea immaculatus nasceretur, oportuit ut Spiritus Sanctus in ipsam adveniret, carnem Virginis a quavis sorde decoquens. Haec duo parum cohaerentia alicui apparuerint; est tamen doctrina Paschasii, et continet illud ipsum quod intendebamus, scilicet argumentum desumptum ex festo Nativitatis B. V. ad Immaculatam eiusdem Conceptionem adstruendam.

Fatemur tamen, doctrinam Paschasii non tam manifestam nobis apparere ac uni alterive theologo visa est. Et sane α) Paschasius insistit quam maxime sanctificationi Mariae eo tempore quo Mater est effecta, ne proles eius carnem peccati haereditaret; β) non ostendit discrimen summum inter sanctificationem Ioannis Baptistae et Mariae; γ) quare ipsa verba « non contraxit, etc. » possent trahi ad sensum hunc: « ita scilicet ut cum originali peccato nasceretur » [1].

Ob hanc rationem, necnon ob rationem superius expositam ubi de consideratione a priori agebatur, putamus hoc

[1] Aliunde insufficiens est Paschasii expositio, quasi Christus ortus de Virgine, traheret ab ea carnem peccati, etiamsi Matris caro, dum conciperet Prolem, esset caro peccati. Longe melius S. Anselmus.

argumentum a Nativitate B. Virginis festo petitum nonnisi caute ac cum moderamine esse adhibendum; ne urgendo nimis quod non est undequaque solidum, thesis nostra debilitetur potius quam fulciatur.

Quare ad ipsum Festum Immaculatae Conceptionis gressum movemus, veluti a minori ad maius, utpote a cultu implicito ad cultum explicitum.

2) *De festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. uti fidem de hoc Deiparae privilegio explicite exhibente.*

Eodem ordine incedamus: 1) brevem huius festi genesim texendo, 2) ex hoc festo ad fidem Immaculatae Conceptionis arguendo.

1) Negari nequit, hoc festum nonnisi tardius in Romana Ecclesia fuisse receptum. Tempore quippe S. Thomae nondum celebrabatur; unde scribit S. Doctor: « Romanae Ecclesiae « et plurimae aliae, considerantes Conceptionem Virginis in « originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant. « Nihilominus in aliis Ecclesiis idem fuit iam ab antiquio- « ribus temporibus inductum » [1].

In Ecclesia graeca hoc festum iam saec. VII celebratum esse, habemus ex canone Andreae Cretensis, pro hac solemnitate die nono decembris circa annum 675 confecto. Prostant pariter conciones a Ioanne Eubaeensi circa ann. 740, et a Petro de Argos et Georgio de Nicomedia saeculo IX habitae [2]. Similes conciones ex nono et decimo saeculo habentur quoque S. Theodori Studitae [3], Photii, Nicaetae Paphlagonis, Ioannis Geometri, Imperatoris Leonis Sapientis, etc. [4]. E Graecia per Siciliam [5] cultus Immac. Conceptionis Neapolim occupasse videtur: ibidem enim, ex veteri marmoreo

[1] *Quodl.* VI, a. 7. — Quando typico S. Sabae inscriptum sit, parum constat: fuit quidem hoc typicum anno 485 confectum, sed quandonam huic typico festum Immaculatae Conceptionis insertum fuerit, disputatur.

[2] BALLERINI, *Sylloge mon.* I. — Titulus festi varius erat: Conceptio S. Annae, oraculum (χρηματισμός) Conceptionis S. Deiparae, etc. Colebatur tamen festum non solum ad instar similis festi Conceptionis S. Elisabeth (quo sensu nullum argumentum pro re nostra ex hoc festo deduci posset), sed, uti ex concionibus apparet, ipsius *Annuntiationis*.

[3] Cuius est etiam Serm. 2, de Nat. ap. Dam.

[4] Cf. MALOU (*l'Immaculée Conception*, c. 10).

[5] Oratio Petri Argorum Episcopi in Sicilia circa annum 830 habita est.

S. Neapol. Eccles. Kalendario, ante saeculum IX medium confecto [1], die 9 Dec. colebatur *Conceptio S. Mariae Virginis.*

Insuper in Anglia idem festum instituit Anselmus, non ille Doctor, olim Beccensis Abbas et Cantuariensis Archiep., sed nepos eius. Hic anno 1115 Abbas Orientalis coenobii S. Sabae, prope nostrum Aventinum collem, bis (ann. 1115 et ann. 1119) in Normandiam apostolicus legatus, ab ann. 1121 [2] usque ad obitum suum ann. 1148, abbas S. Edmundiburgi, et ab ann. 1136 usque ad ann. 1138, Londinensis Episcopus electus exstitit [3]. Cui institutioni liturgicae contulit quoque revelatio quaedam Helsino, Abbati coenobii Ramessiensis in Anglia, circa annum 1066 facta [4], qua festum Conceptionis Mariae die 8 Dec. ritu ipsius festi Nativitatis Deiparae celebrandum indicebatur. Porro opera Hugonis Abbatis de Reading, a cooperatore Anselmi, ann. 1129, post concilium de eodem

[1] Cf. Alexium Symmachum Mazochium, qui illud primum edidit an. 1744.

[2] Hoc anno saltem ab Archiepiscopo Cantuariensi confirmatus est.

[3] Anselmum hunc fuisse auctorem instituti festi apud Occidentales, putat doctus Bollandista De Ruck *, cui plerumque adhaeret eruditus P. Bonifacius Wolff O. S. B. **. Et sane quum hoc festum absque dubio ab Oriente ad Occidentem devenerit, nullus mediator ad hanc inductionem aptior extitisse videtur, quam ille Anselmus, ab Abbatia S. Sabae, Orientalis coenobii in Urbe, ubi festum iamdiu colebatur, in Angliam transgressus; eo vel magis, quod antiquitas festi apud Occidentales cum hoc Anselmi itinere adamussim concordet. Testatur enim chronista monasterii S. Laurentii Leodiensis, festum Imm. Conc. anno 1110 in Occidente ortum habuisse. Iam vero anno 1115 Anselmus apud Normannos legatione fungebatur; et celeberrima epistola Osberti de meritis Anselmi quoad Imm. Conc. festum, anno 1128 vel 1129 conscripta est ***. Placet praecipua ex hisce litteris excerpere: « Diligentia sollici- « tudinis vestrae per diversa mundi spatia multos ad amorem beatae et gloriosae « Dei Genitricis ferventer accendit, et in multis celebratur eius vestra sedulitate « festa Conceptio, quam antiquitus apud patres veteres celebrare non consuevit chri- « stiana religio. Unde in Ecclesia Dei, quum a nobis celebris ageretur illius diei « festivitas, quidam dixerunt esse ridiculum ». Et pergit narrando ex una parte impugnationes contra hoc festum a quibusdam motas, ex altera zelum a Gilberto episcopo Londinensi, Hugone abbate Readingensi, regeque Henrico I in favorem festi expansum. Plura documenta de merito Anselmi in instituendo festo Immac. Conc. vide apud Wolff ****.

[4] Cf. GAUFRIDUM monac. in Chron. ann. 1183 conscripto. — S. Bern. in epistola ad Lugdunenses canonicos; — Epist. de Conceptione B. Mariae S. Anselmo falso tributam. — PASSAGLIA, *De Immac. Conc.* n. 1642, p. 1762; BEN. PIAZZA, *Causa Immac. Conc.* act. III, a. 2, ad s. XI.

* *Etudes de Théologie* (nouvelle série) II, 64-97, 545-582.

** *Abt Anselm und des Fest des 8. December. — Studien und Mitteilungen* 1852, p. 21-40.

*** Cf. WOLFF, op. cit., p. 34.

**** Ibid. p. 35.

festo Londini habitum, Rothomagensis renuntiati archiepiscopi, e Normandia idem festum per Gallias diffusum est [1]. Quum autem de eodem festo Lugdunum inducendo ageretur, S. Bernardus celeberrima epistola declaravit, hanc sibi damnabilem innovationem videri ob rationes mox, ubi de traditione Scholarum, discutiendas. - Mauritius inde, successor Lombardi in Ecclesia Parisiensi ann. 1164, fertur in festum Conceptionis V. Mariae interdictione saevisse [2]. Sed dogmaticas praeoccupationes huic interdictioni stimulum admovisse, ex Caesario Cisterciensi [3] aperte constat. Quare idem festum non multo post restitutum est. Nec mirum, nam uti ab Attone, Priore Monasterii S. Petri de Regula, in statuto de hac celebranda solemnitate ann. 1154 edito scimus, « fere per totam Galliam devotissime ab omni chri- « stiano percelebratur populo »; imo iam ineunte saeculo XII prope Lugdunum, in monasterio Athanacensi a Paschali II fuisse altare Conceptioni Mariae sacratum. Neque in Galliis modo, Flandria et Anglia, sed in Germania et Hispania, imo per omnes Occidentales partes celeri diffusione sese extenderat Conceptionis Deiparae festum, quod constat in Italia, Cremonae ann. 1047 iam diu esse cultum [4]; donec, ineunte saeculo XVIII, a Clemente XI universae Ecclesiae celebrandum impositum est, atque ab hoc tempore ad ritum solemniorem gradatim evectum [5].

2) Porro de *significatione* quam, fervente controversia, eidem Conceptionis festo tribuebant, pauca dicenda videntur. Triplex interpretatio huius solemnitatis extitit. *a*) Alii, non satis concedentes, putabant ab Ecclesia celebrari miraculosam conceptionem activam, scilicet Annae et Ioachim parentum Mariae [6]; ac cum tantae prolis dono, initium coli salutis

[1] Nisi ipse Anselmus tempore legationis suae hoc festum in his partibus instituerit. Quo casu verior esset titulus: « festum nationis Normanniae », fundatior gloriatio Ecclesiae Rothomagensis, pressiorque textus chronistae Leodiensis.

[2] Cf. Gulielmum Antissiodorensem (*Summa* l. III, c. 3). — pariter Strozzi (l. III, c. 17), et Petrum de Alva (*Sol veritatis*, verit. 104).

[3] Serm. 2, festiv. B. V.; — floruit sub fine s. XII.

[4] Ballerini, *Sylloge*, v. I.

[5] Cf. documenta Romanae Ecclesiae mox adducenda.

[6] Verum quidem est, apud Orientales festum activae Conceptionis Annae viguisse; at non ideo Ecclesia instituendo festum Conceptionis Mariae nihil aliud prae oculis habuit. Secus quaenam unquam de hoc festo controversia extitisset ?

a Virgine Matre expectandae. Erat proin in horum oculis festum gratiarum actionis [1]. *b*) Alii, nimis ultra progressi, ipsam passivam conceptionem seminalem celebrari contendebant: iudicantes scilicet carnem Mariae, ante animationem tanquam sanctam cultu dignam. De qua opinione, - cuius testes sunt inter alios Caesarius Cisterciensis, et auctor tractatus de Conceptione B. M. V. olim Anselmo attributi, sed ipso aliquantulum posterioris [2], - plura dicenda recurrent, ubi de traditione Scholarum agemus. Interim animadverte, quantopere haec interpretatio discrepet a dogmatis expositione superius tradita. Aliud est, quamdam praeparationem veluti dispositive purificatoriam in ipsa virginis carne (natura vel tempore) ante animationem admittere; aliud, istam aliqualem praeparationem tanquam veram sanctificationem venerari. *c*) Alii demum ipsam sanctificationem in instanti animationis coli affirmabant; quorum mentem postea Alexander VII in celeberrima Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* de hoc argumentum anno 1661 data, his verbis confirmavit: « Vetus « est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virgi- « nem Mariam pietas sentientium, eius animam *in primo in-* « *stanti creationis atque infusionis in corpus,* fuisse speciali « Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu eius « Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati origi- « nalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Con- « ceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebran- « tium ». Ubi vides, quantopere definitio dogmatica Pii IX ab hac formula Alexandri VII ipsos terminos mutuata sit; ita ut verba Bullae « *Ineffabilis Deus* » « in primo instanti » vix possint recte explicari, quin ad hanc Bullam « *Sollicitudo* » respectus habeatur. Quomodo autem illi, qui hunc sensum intelligebant, nihilominus contra diem festo assignatum invehere potuerint, ob opinionem philosophicam tunc vigentem,

[1] Cf. de his Thom. Strozzi, *Controversia della Concezione,* t. I, l. VI, c. 31.

[2] Hoc opusculum non esse ipsius, ex hoc solo constat, quod in eo contra epistolam S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses certatur. Iam vero haec epistola anno 1140 conscripta est. Non pauci putant, hunc tractatum esse alterius Anselmi, nepotis scilicet, festi Immac. Conc. apud Occidentales institutoris. Sed dubium ingerunt tum vehementia styli, tum verba exordii, quae insinuare videntur, aliquale iam temporis spatium inde ab epistola Bernardi elapsum. Caeterum in aliquibus codicibus sub nomine B. Anselmi aut Anselmi reperitur.

de temporali spatio separante conceptionem activam ab animatione, ex modo loquendi Henrici Gandavensis [1] satis apparet. Quaerit enim: « an festum Conceptionis, quod a Nor-« mannis celebratur octavo die Decembris, celebrandum sit « pro tempore, hora, vel momento, quo facta est ipsa con-« ceptio Virginis, an pro alio aliquo tempore, hora, vel « momento ». Et, distincta duplici conceptione, respondet: « Quare cum dies octava decembris erat tempus conceptionis « Virginis in nudo semine, nequaquam debent celebrare « ratione illius conceptionis, in cuius anniversario ipsi semper « illud celebrant ». De quo rursus infra.

Hisce, quae de duplici festo Nativitatis et Conceptionis B. M. Virginis compendiose exposuimus, si addideris textus in eisdem festis Deiparae accomodatos, (de quibus tertio loco supra egimus, ubi de argumentis Scripturis depromptis), necnon disertas laudes in iisdem officiis sparsas, habebis ex traditione liturgica validissimum argumentum [2] fidei Ecclesiae in Immaculatam Conceptionem Mariae.

Iam ad traditionem Patrum.

2) De Doctrina Patrum.

Nimii evaderemus prorsus, si hic adduceremus quaecumque ex scriptis Patrum tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiae, sive directe, sive indirecte in favorem privilegii B. Mariae ab historicis theologisque adducuntur. Ingentia volumina de hoc solo argumento confecta sunt. Paucis rem comprehendemus, prius argumenta indirecta adducendo, dein magis explicita proferendo [3].

[1] *Quodl.* xv, Q. 13.

[2] Vim huius argumenti prae omnibus theologis, qui praevie ad definitionem dogmatis scripserunt, nervose exposuit Abbas Prosper Guéranger in opere cui titulus: *Mémoire sur la question de l'Immaculée Conception de la T. S. Vierge.* Quare mirum nulli sit, Pium IX ven. mem. haud semel affirmasse, hanc doctissimi Abbatis argumentationem sibi ultima dubia de definitionis opportunitate tulisse *. Ad quod eleganter Wolff: « So hat, was Abt Anselm im 12. Jahrhundert angeregt « und grundgelegt hatte, ein anderer grösserer Ordensgenosse im 19. Jahrhundert « zum Abschlusse gebracht. Auch sein Verdienst darf nicht der Vergessenheit « anheimfallen » **.

[3] Qui plura quaerit adeat, v. gr., Passaglia (op. cit.), Roscovany (*B. V. in sua*

* Cf. Dom Guépin (*Solesmes et Dom Guéranger*, pp. 128, 129).
** Op. cit., p. 40.

a) *Indirecte* doctrinam de qua agimus [1], contineri censemus in locis multiplicibus, in quibus α) in se proclamatur puritas *absoluta*, *singularis* V. Deiparae. Vocatur quippe *purissima, illibata, inviolata, immaculata, innocentissima*, (πάναγνος πανάμωμος, πανάχραντος, πανακήρατος, ἀπειρόκακος), et quidem ita, ut κατ'ἐξοχὴν, ontonomastice haec puritas ipsi tribuatur. Pariter haec puritas de ea praedicatur terminis omnem excessum exprimentibus: ὑπεράγια. etc.; unde eruitur puritas prorsus singularis, quae non habet similem, utpote ineffabilis. - Imo excedere praedicatur haec puritas omnem creaturam etiam angelicam: ἁγιώτερα τῶν ἀγγέλων, καθαρώτερα τῶν οὐρανιῶν νοῶν, ἁγιώτερα πάσης τῆς κτίσεως. - Quin, sumendo puritatem ac sanctitatem in supremo gradu, praedicatur *sola sancta*, ἡ μόνη ἅγια, μόνη ἁγνή, μόνη ἄμωμος. etc., imo ipsa pulchritudo innocentiae ἀγνείας τὸ κάλλος.

Ex talibus expressionibus simul collectis Immaculatam Conceptionem indirecte erui, has laudes sedulius perpendenti apparet. Iam vero, licet has expressiones apud Graecos Patres uberiores inveniamus [2], in Ecclesia Latina sensus eisdem respondens tantopere in populo christiano vigens erat, ut, ferventis controversiae tempore, a contrariis quibusvis assertionibus fideles pie abhorruerint. Imo, quando Patres Tridentini [3] testantur certam Ecclesiae doctrinam asserentem B. Virginem a qualibet culpa veniali fuisse immunem, quid aliud faciunt, nisi hunc sensum pietatis consulere? [4] idem quippe est utriusque privilegii, tum Immaculatae Conceptionis, tum a

Conc. Immac.), Malou, *(L'Immac. Concept.)*. Ballerini *(Sylloge monum. ad myst. Immac. Conc. spect.)*, Hilaire de Paris *(N. D. de Lourdes et l'Immac. Conc.)*, Palmieri, (op. cit., th. lxxxiv, sq.), Scheeben (*Dogmatik*, iii, §. 279), etc., etc.

[1] Petavius (*De Incarn.* l. xiv, c. 2, §. 9), sat acerbe invehit in scriptores, qui hisce locutionibus nimis insistunt. De qua animadversione placet. quod ait Perrone: « Nos hoc monitum libenter admittimus; quamvis non ita generatim accipiendum, « sed intra quosdam fines coërcendum putamus » *.

[2] Idem valet de graeca liturgia, quae ab antiquitus Deiparam amplissime celebravit. — Cf. opus P. Simonis Wangereckii *(Pietas Mariana Graecorum)*, e quo plura luculentiora testimonia collecta invenies apud P. Gravois *(De ortu et progressu cultus ac festi Immac. Conc. B. Dei Gen. V. Mar.* art. 1.) — Cf. Bourrasse, *(Summa aurea B. V. Mariae*, t. viii, col. 289 sq.).

[3] Sess. vi, can. 23.

[4] Idem dic de exceptione simili quam iam S. Augustinus in honorem B. Virginis fecit, de qua mox, ubi de mente huius Doctoris.

* De *Immac. B. V. Mar. Conc. disquis. theolog.* p. 52.

culpa actuali immunitatis fundamentum: superexcellens scilicet illa puritas, qua Deipara est ἁγιώτερα τῶν ἀγγέλων, etc. Hinc factum est, ut populus fidelis, dogma veluti ex pietate praesentiens, tantas partes habuerit in definitione solemni sollicitanda [1], a concilio Basileensi [2] usque ad oraculum Pii IX [3].

β) Porro singularis qualitas huius puritatis elucet, quod in B. Virgine omnia proclamantur *innovata,* eiusque pulchritudo moralis tantae excellentiae, ut in ea *novum* ac *stupendum* quid cernatur.

Imo, quum ex ordine totius creaturae emergat, de ipsa per applicationem dicuntur ea, quae proprie Filio suo conveniunt: ἡ θεόπαις, Θεοῦ θυγάτηρ, ἡ πρωτότοπος, plena gratia et veritate, a Patribus tum Graecis tum Latinis nuncupata. Inde iam sequitur, Evam novam una cum novo Adamo priori Evae ac priori Adamo opponi. De qua oppositione iam supra diximus [4]. Cf. imprimis Theodetum episc. Ancyranum (s. V.) [5].

Proinde removentur a Maria quaecumque statum peccati exprimere solent. *Filia vitae* est, ignara mortis ac tenebrarum; *fermentum novum, sanctum, Deo perfectum,* alienum prorsus ab illo veteri fermento, unde nascitur massa dam-

[1] Consule de his egregium opus I. B. Malou *(Histoire de la définition dogmatique de l'Immaculée Concep. de la B. V. M.).*

[2] Cf. Ioann. Segob. *Allegationes et avisamenta pro informatione Patrum Conc. Basileensis: an. 1436, circa SS. Virg. Mar. Immac. Concept. eiusque praeservationem a peccato originali,* etc. Declarationem Concilii Basileensis fuisse revera dogmaticam, Sorbonenses doctores erronee propugnarunt. Oppositum tenuit celeberrima controversia Maldonatus S. I., qui, a Sorbonensi facultate ut se sisteret iussus, belle recusavit, quum Societatis Patres, aiebat, a cathedris Sorbonensibus arcerentur. Inde ab episcopo Parisiensi de Gandy et auditus et absolutus est.

[3] Inter praecipua merita populi christiani de definitione dogmatica placet enumerare ordinem militarem equestrem hoc fine in Hispania conditum, necnon legatos pluries de hac re a Philippo III Hispaniarum rege Romam missos. De quibus precibus scribit Malou: « Grégoire XV touché d'une foi si vive, d'une dévotion si « ardente, promit au pieux souverain de satisfaire à ses désirs, dès qu'il pourrait « soumettre la question à un mûr examen, et que les circonstances des temps permet- « traient cette solennelle démarche » (Op. cit., art. 3, n. 3). Iteratas adde preces Philippi IV apud eumdem Pontificem; litteras Ferdinandi II imperatoris Austriae ad Urbanum VIII, exquisita pietate refertas; necnon preces Sigismundi regis Poloniae, Leopoldi archiducis Tirolensis; legationemque vel litteras a Philippo IV ac postea a Carolo II et Philippo V Hispaniarum regibus ad Romanos Pontifices missas; demum multiplices obsecrationes ab omni Ecclesiae ordine ad Pium IX directas, de quibus in fine huius dissertationis sermo redibit.

[4] Cf. opus Card. Dechamps, *La nouvelle Eve.*

[5] Orat. in S. Deip. (Gallandi, t. ix, p. 475).

nata; spinarum quas gessit peccatum, aculeos nescit, *rosa sine spina*. En quid de B. Virgine canit Hildebertus (s. IX) in opella cui titulus *Floridus Aspectus*:

Omnis virtutum species, et aromata totam
Te simul conspergunt thuris odore sui.
Tu sine defectu radius, tu flos sine spina,
Tu sine nube dies, tu sine sorde parens[1].

Idem prorsus, sed concinnius, canit Adamus Victorinus:

Salve, Verbi sacra Parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia[2].

γ) Si iam rationem quaeramus huius tam eximiae puritatis et pulchritudinis, respondent Patres, ideo Mariam tanta excellentia fuisse praeditam, ut *digna esset Mater Dei*. Quam doctrinam ipsa Liturgia haud semel exprimit. « Beata Virgo, « cuius viscera meruerunt portare Christum Dominum ». - « Regina caeli laetare, quia quem meruisti portare, resurrexit ». Et praesertim in oratione post *Salve Regina*, in qua insuper argumentum nos invenire putamus ad corroborandum modum, quo Immaculatae Conceptionis dogma exposuimus. « Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis « Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habi- « taculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante prae- « parasti »... Quae licet de ipsa operatione Spiritus Sancti in Annuntiatione directe dicta, nihilominus, imo melius quam celeberrima sententia S. Anselmi, de qua infra dicemus, ad ipsam initialem Mariae sanctificationem iure referuntur.

Atqui huc facit argumentum quod in vulgato Anselmo reperitur: « *Potuit, decuit, ergo fecit* ». Nec minus valet pro originali culpa, illud pro veniali argumentum S. Thomae, quod in corpore art. 4 huius Quaestionis occurrit.

δ) Corroboratur haec doctrina ex admiratione seu dubitatione, quam mors B. Virginis aliquibus Patribus iniecit. Unde saltem implicite doctrinam de Immaculata Conceptione

[1] Carm. de Nat. Chr.
[2] In Assumpt. B. Mar. Virg. *P. L.* CXCVI, 1502.

affirmavit Synodus an. 1672 Hierosolymae habita ad Calvinianos errores profligandos, ubi suam fecit hanc sententiam ex homilia Cyrilli Lucaris excerptam: « Nullam e contagione « peccati mortis suae causam habuit Virgo Sanctissima, sed « ex ipsis dumtaxat naturae principiis, quibus vel ante pec- « catum homo constabat; morti quippe suapte natura quam- « vis optima obnoxius erat ille ».

ε) Recte proin Maria nuncupatur *terra virginea*, atque confertur cum illa virginea terra, unde primum hominem Deus plasmavit. Benedictione Maria mutavit maledictum in terram a Deo vindice prolatum. Est quippe Maria *terra virginea numquam maledicta*. Consule de singulis his argumentis textus congestos a Cl. Palmieri [1].

b) Nec satis. Prostant apud Patres de Immaculata Virginis Conceptione testimonia *directa*.

En primo flosculos ex scriptis *S. Ambrosii* collectos. In carmine prorsus Ambrosiani styli legitur: « Rerum misertus « est Sator, *inscia cernens piacli viscera Virginis* » [2]. - Alibi Maria vocatur, « Incorrupta Virgo, sed Virgo *per gratiam* « *ab omni integra labe peccati* » [3].

Prudentius (s. V.) ita canit de Maria opposita Evae (quo ex loco corroboratur explicatio protoëvangelii supra exposita): « Edere namque Deum merita - omnia Virgo venena « domat. - Tractibus anguis inexplicitis - virus inerme piger « revomit - gramine concolor in viridi » [4]. Quomodo serpens virus inerme revomit, si eo Virginem maculavit?

S. Augustini porro doctrina notatu est dignissima. Contra Pelagium disputans, ac proin agens de peccato originali et actuali, responsurus quaesito, an aliquis iustus sit sine peccato, ita scribit: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua « propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis « agitur, haberi volo quaestionem; unde enim scimus, quid « ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte « peccatum, quae concipere et parere meruit, quem constat « nullum habuisse peccatum? » [5] - Porro, si ab ipso Augustino

[1] Op. cit., th. LXXXIV.
[2] Cf. BALLERINI, *Sylloge*, t. I, p. 572.
[3] In Ps. 118.
[4] *Hymn ante cibum*.
[5] *De natur. et grat.*, c. 36. — *P. L.* XLIV, 267.

fundamentum quaerimus immunitatis a quovis peccato, alibi [1], utique directe de Christo loquens, idem respondet, esse immunitatem a peccato « infantilis aetatis exortu », id est, ipsa conceptione initium immaculatum.

Imo ipse Iulianus de illa immunitate Virginis a diabolo « *nascendi conditione* » convenisse apparet, si perpenditur modus, quo S. Augustinus cum eodem disputans utrumque coniungit, tum nascendi conditione omnes homines originali culpa maculari (quod negabat Iulianus); tum Virginem *gratia renascendi* diabolo non fuisse transcriptam (de quo ultimo conveniebat) [2]. Obiiciebat enim Iulianus: « Tu ipse « Mariam diabolo nascendi conditione transcribis ». Respondet Augustinus: « Non transcribimus diabolo Mariam con- « ditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia « renascendi ». Fateor, verba responsi nude inspecta aeque favere asserentibus et negantibus Conceptionem Immaculatam. Sed, rogo, quaenam fuisset responso Augustini virtus, si concessisset Mariam cum originali labe ortam? Nulla. Fuisset, iuxta Augustinum, Maria vi naturae filia irae, ac per consequens pro hoc tempore, imo, si vis, pro hoc brevissimo instanti, sed tamen instanti, diabolo transcripta. Insuper si haec fuisset Augustini mens, efficacius simul contra Iulianum et clarius respondisset: « Utique tanta est huius « originalis peccati diffusio, ut nec ipsa Mater Christi ab eo « fuerit immunis, sed celerrime per Filii gratiam est ab eius « vinculo soluta ». Putamus proin, cum Perrone [3], Palmieri [4], aliisque, ex hac argumentatione S. Augustini argumentum adduci posse ad ostendendum, hunc Magnum Doctorem non fuisse privilegio B. M. Virginis adversum. De quo rursus mox.

Sedulius quoque Deiparae privilegium agnovit, quippe qui eam cecinit tanquam immunem e stirpe vitiata prodientem: « Ut, velut e spinis mollis rosa surgit acutis, - nil quod « laedat habens, matremque obscuret honore: - sic Evae de « stirpe sacra venienti Maria-Virginis antiquae facinus nova « Virgo piaret » [5]. Ergo ab ipsis suis exordiis Maria fuit sine

[1] *Contra Iulianum*, l. v, c. 15.
[2] *Oper. imp.*, l. iv, c. 122.
[3] Op. cit., p. 60.
[4] Lege strenuam argumentationem ibidem, op. cit., p. 703.
[5] *Carm. pasch.* t. ii, v. 28, sqq. — *P. L.* xix, 596.

culpa. Auctor porro « Tractatus adversus quinque haereses » [1] vindicat ortum Christi ex Maria, Deum ita loquentem inducens: « Ego matrem de qua nascerer feci, ego viam meo « itineri praeparavi atque mundavi. Hanc quam despicis, Ma- « nichaee, mater mea est, sed *manu fabricata est mea. Si potui* « *inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea* « *nascerer* ». Quo argumento eodem saeculo S. Proclus est usus: « ἣν καὶ πλάσσων οὐκ ἐμολούνθη, διὰ ταύτης προέλθων οὐκ ἐμιάνθε » [2].

Sequenti saeculo *Venantius Fortunatus* ita canebat: « Fig- « mentum figuli super omnia vasa decorum, - atque creatu- « rae fulgida massa novae... Nomen honoratum benedicta Ma- « ria per aevum; - Flos novus e terra, quem polus arce colat » [3]. Quibus in verbis, sicuti in carmine Sedulii, B. V. consideratur in ipso instanti, quo de manibus Conditoris sui prodit; ergo in Immaculata Conceptione.

Ut alia omittamus testimonia, utpote quorum vis potius redundat in indirecta, de quibus modo egimus [4], audiatur auctor sermonis XII de S. Maria, inter opera dubia S. Hildephonsi (s. VII), ubi dicitur B. V. *ex radice vitiata sine vitio virga prodiisse;* audiatur auctor [5] homiliae in operibus Pauli Diaconi (s. VIII) exstantis, qui Mariam alloquens ait: « Ipse « sol iustitiae ex te processurus ortum suum quadam matu- « tina irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiose « transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva indu- « xerat, in fugam convertisti... *Macula non est in te, nec vicis-* « *situdinis obumbratio.... Ecce plus quam Eva haec* » [6].

Magis diserte saec. IX *Paschasius Radbertus* ex immunitate B. Virginis a culpa originali concludit ad partum eius absque dolore [7]. « Haec omnia » gemitus, etc. « ut saepe dictum « est, in prima origine illatae sunt vindictae et retributiones « iustissimae primae praevaricationis. A quibus omnis B. Virgo

[1] *Oper. Aug.* append. t. VIII, p. 1101.
[2] Homil. Constantin. coram Nestorio habita, n. 3.
[3] Ed. rom. 1786, p. 1, p. 284.
[4] Cf. Serm. CXXIII, in Nat. Dom., n. 2, inter opera Augustini.
[5] Alcuinus? ipse Paulus?
[6] Edit. Coloniae, 1575, p. 599.
[7] Tract. *de Partu Virg.*, qui tractatus diu, sed erronee, uti S. Ildephonsi habiti sunt.

« Maria *quantum est aliena a culpa*, tantum procul dubio « libera fuit a doloribus et poena ». Et in alio loco ait: « Con- « stat eam ab omni originali peccato immunem fuisse ». Unde concludit: « Eximiae pietatis esse, honorem et decus virtutis « beatissimae Virginis pudicitiam praedicare incorruptam et « incontaminatam, et *ab omni contagione primae originis « confiteri alienam* ».

Fulberti Carnotensis testimonium iam vidimus sane splendidum [1].

Saec. XI in Charta donationis *Hugonis de Summo* (si tamen eius sit), aperte declaratur: « B. V. M. gratis Filii ab ori- « ginali labe *anticipata redemptione* praeservata semper fuit, « *tam anima quam corpore integra et immaculata* » [2]. Quibus verbis rursus putamus, non modo dogma ipsum, sed et modum quo illud explanavimus, disertissime exprimi. Nec solum Immaculata Conceptio, sed et ipsa Mariae praeservatio a labe per gratiam Filii hac formula egregie declaratur. Imo quia anticipata, est redemptio perfectissima.

Rectissime proin eodem saeculo *Marbodus* Redonensis Episcopus vocat Mariam « *rosam natam recentem perfectam « decore* » [3].

Sub initio saeculi XII ecce *Ivonem Carnotensem*, qui expresse docet, Christum carnis suae matrem sanctificasse, immunem eam reddendo a culpa tum originali tum actuali [4].

Omittimus *Anselmum* et *Bernardum*, de quibus mox ex professo erit agendum.

Ad **Graecos** Patres adhuc provocare, post tot argumenta modo, ubi indirecta testimonia attulimus, ex ipsis excerpta, superfluum videtur. Unam ergo alteramve sufficiat adduxisse sententiam magis explicitam. *Leo Sapiens* proclamat Mariam « fructum *non solitae maledictionis imbutum* » [5]. - *Isidorus Thessalonic.* inducit Virginem dicentem: « *in iniquitatibus « concepta non sum, et solam non concepit in peccatis mater*

[1] Ubi agebamus de significatione festi Nativitatis B. M. V., p. 67.
[2] Ballerini (*Sylloge*, t. I, p. 11, seq.).
[3] Orat. ad Matrem Domini. edit. D. Ant. Beaugendre, Paris, 1708, p. 1559.
[4] Serm. de Nat. Dom. *P. L.* CLXII, 570.
[5] Orat. 2, in Deip. Praesent. — Combefis, Auct. I, 1620.

mea ». Eius porro Conceptio ipsa vocabatur sancta, diciturque Anna concipere τὴν μόνην ἅγιαν, τὸν νέον οὐρανόν, etc. [1].

Haec autem tam lucida traditio nunquam apud Graecos fuit obtenebrata, ut ex Menaeis sat manifeste apparet. Etenim in his hymnis integritas absoluta Deiparae multifariam ita extollitur, ut cum conceptione eiusdem in originali culpa nullatenus componi possint, imo plerumque eam diserte et absolute excludant. Die 2 Ian. in od. 5 de S. Sylvestro canitur: « Salve, o cadentis mundi Erectrix, nulli unquam culpae « subiecta! » Et sane quomodo Erectrix, quae lapsa oriatur? - Nec exempta modo Maria, sed et de longinquo immunis. « In te, quae nulli unquam culpae affinis fuisti, opem « omnem meam repono ». Ita 3 Ian. in od. 3 de S. Malachia [2]. - Haec munditia perfecta se extendit prorsus ad totam Virginis vitam: « O semper et ubique inculpatissima Numinis « Mater ». Ita in od. 8 de S. Anastasio, die 22 Ianuarii. Quod ad ipsum quoque primum instans esse extendendum, diserte proclamant haec verba: « Deus providentia singulari perfecit, « ut sacra Virgo, ab ipso vitae suae principio tam omnino « existeret pura, quam esse puram decebat illam, quae tanto « bono, id est Christo digna existeret ». Ita homil. de Annuntiatione die 25 Martii. - Quae providentia specialissima Mariam super conditionem filiorum Evae mirabiliter evexit: « Equidem videbaris, o Virgo, esse filia Adami collapsi; at « reipsa eras tu Genitrix Dei, eumdem restituentis in inte- « grum ». Ita in od. 7 de SS. Photio et Aniceto, die 12 Augusti. Porro quum a primo instanti haec dignitas elucescat, in ipsos Mariae parentes ita redundat, ut et conceptio eius activa de passiva conceptione participare videatur: « S. Ioa- « chime afflatu divino decore! tu quoque Anna divinitus clara! « vos gemini estis Lychini, *e quibus orta est lampas, circa « quam nullum umbrae vestigium cernimus* ». Ita die 25 Iul. in Vesp. de Sancta Anna.

Nimii evaderemus, si omnes laudes excerpere vellemus, quas sacri scriptores parentes Virginis celebrando, ipsi Deiparae referunt. Qui plura quaerit, adeat *Hymnolog. Graec.* a Toscana-Cozza editum; consulat recentissimum

[1] Orat. in Deip. praesent. § 13. Ballerini, I, p. 444

[2] Cf. I. B. Malou (*L'Immaculée Conception*), t. I, c. 4.

opus Cl. P. Rickenbach, O. S. B., cui titulus *Ruhmeskranz der heiligen Anna.*

Saepius hymnographi vocant Mariam, « columbam sine « macula, omnino incorruptam, Immaculatam Matrem Dei, « Virginem Immaculatam » [1]. Sed et disertis testimoniis Immaculatam Conceptionem praedicant. Ita Petrus Ep. de Argos [2] in concione de Conceptione B. Virginis [3], inter alia haec habet: « Ideo exsultat hodie tota creatura, nostraque natura « voces grati sensus in Deum attollit exclamans: Grates tibi, « Domine, quod mihi, olim sterili absque liberis, faecundita- « tem contuleris. Grates tibi, quod inceperis me a spinis tri- « bulisque purificare, ad quae edenda eram damnata, meque « per Annam et Ioachim gratia sublimatos, fructificandi capa- « cem reddideris ». Ad quae recte monet Ballerini: « Non « leviter praetereunda haec sententia est. Non enim Anna « hic, sed natura inducitur Deum alloquens. Porro cum pro- « clamet sterilem sese usque fuisse, tribulosque dumtaxat ac « spinas protulisse: contra nunc, in conceptione nempe Dei- « parae, hanc tandem solvi sterilitatem, ait, optimumque a « se germen oriri » [4]. Nec modo optimum, sed undequaque alterius ordinis atque rationis. Et paulo inferius Angelorum laetitiam Petrus describit, dum vident « initium redemptionis « universi generis humani », et « exsurgens illibatum pala- « tium, in quo rex universorum Dominus noster Iesus Chri- « stus sedem suam eliget ».

Pariter S. Ioannes Damascenus in prima concione in Nativitatem Mariae [5], puellam neonatam talibus verbis alloquitur, quae cum concepta in peccato conciliari non possint.

Sed et disertissimum omnium testimonium habetur, uti iam diximus, apud S. Isidorum Thessalonic. in concione de Maria in templo oblata. Reciprocam condecentiam celebrans inter tantam prolem et tam sanctos parentes, ait: « Decebat insu-

[1] Cf. hymn. 3. de S. Gordio eod. die; - item 23 Febr. ante init. hymn. 4.

[2] Cf. op. P. Rickenbach, p. 27, 32, 36, 40, 44, 49.

[3] De historia huius scriptoris lege Costa-Luzi (*Nova Patr. Bibl.* t. IX), necnon P. Rickenbach (*Storia e scritti di s. Pietro d'Argo - Bessarione*). Huius concionem in laudem S. Annae reperit Cl. Lancia O. S. B. Archiep. Montisreg.

[4] Huius concionis singulare momentum celebravit Passaglia (*Annali delle scienze religiose*, Romae 1854). — *P. G.* t. CIV, 1351, sqq.

[5] Op. cit., p. 136.

« per ut commercium, cuius fructus erat conceptio Virginis « Mariae, nullum alium finem haberet nisi commercium cum « Deo, ut ista omnino pura, uti decebat, unica et sola a Psal- « mistae sententia exciperetur, et de se dicere posset: " In « iniquitatibus concepta non sum "; et " mater mea non me « concepit in peccato "; nam et hoc erat inclusum in numero « magnarum rerum, quas mihi fecit, qui potens est » [1].

Caeterum hodie, uti olim, apud Graecos haec in liturgia Alexandrina canuntur: « Sanctae, immaculatae et benedictae « Matri Dei laus et honor resonet ex omni ore: haec enim « a lege excepta est, nec in lege inclusa est ». Scilicet haec sola ab universali peccati originalis lege fuit exempta.

Nec minus expliciti quam Graeci sunt alii Orientales scriptores.

In *Chaldaica* Ecclesia de puella Maria canitur: « Puella « non cecidit in rete serpentis, nec per eius nodos in lapsum « acta est; nec quidquam perfida inimica unguis in eius puri- « tatem valuit. O Virgo anima et corpore,.. Maria, laude plena « et excelsa est Conceptio tua » [2].

Choptica liturgia de Mariae nativitate habet: « Nonus « erat mensis, quando pudica Anna Reginam et immacula- « tam columbam in lucem edidit. Digne congregemur in hac « die, quae est nativitas Reginae omnium gaudiorum; haec « enim, Virgo Maria, ignominiam Evae destruxit, omnesque « mulieres laetitia implevit ».

Sed et in *Syriaca* liturgia prostat hymnus in conceptionem Annae, qui totus hic esset citandus [3]. Inter alia ibi legitur: « Hodie colimus Mariae Conceptionem in utero Annae, « et laudamus eiusdem excellentiam dicentes: Haec est « Conceptio mirabilis, haec in utero Annae facta Conceptio

[1] In hac disertissima dogmatis nostri proclamatione, rursus observa nexum intimum, quem Patres concipiunt inter conceptionem activam et passivam. Quod et alibi recurrit, dum Patres in conceptione Mariae non timent celebrare lumbos Ioachim ob *semen mundissimum,* σπέρμα πανάμωμον et vulvam Annae ob *foetum sanctissimum,* βρέφος πανάγιον. Et sane quis negabit, inter nativitatem de Virgine et nativitatem de concupiscentia carnis, dari aliquid de utroque aliquomodo habens, scilicet nativitatem iuxta viam naturae, sed per aliquam extollentiam supra libidinem naturae, qualem in activa conceptione Virginis isti Patres prae oculis habuisse videntur. (Cf. S. Ioann. Damasc. Conc. de Nativ. B. V.).

[2] Iuxta versionem P. Besson (*Civiltà catt.*, 1876, ser. ix, vol. 12, p. 553, sq.).

[3] Cf. P. Rickenbach (op. cit., p. 13).

« Mariae sine originali labe, ortae de stirpe David, qui, in « spiritu contemplans eam originali labe non esse maculatam, « in hanc exclamationem prorupit: " Fortitudo et laus mea « Dominus, et factus est mihi in salutem "» [1]. Dein invitantur Isaias, Ezechiel, Daniel et Ieremias ad certatim hanc Conceptionem immaculatam concelebrandam. - Et in festo S. Annae eadem liturgia habet: « Anna in utero concepit Reginam uni- « versi, causam nostrae salutis, Mariam, quae *a primo in- « stante suae Conceptionis* in utero materno ab originali labe « illibata permansit ».

Nec tacenda hic sane est devotio, qua S. Ephrem in B. Virginem immaculatam ardebat. Est enim: « immaculata et inte- « merata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde « et labe peccati alienissima Virgo, Dei Sponsa et Domina « nostra... inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo « Dei Genitrix... Sanctior Seraphim et incomparabiliter reli- « quis omnibus supernis exercitibus gloriosior ». Unde illam tenerrimo cordis affectu invocat: « immaculatam, immacu- « latissimam, purissimam, novam maxime ac divinam largi- « tionem, omnino immaculatam, Dei divinam sedem, Domi- « nam *semper benedictam,* Evae pretium redemptionis, fontem « gratiae, Sancti Spiritus fontem signatum, templum divinis- « simum, sedem Dei puram, quae draconis nequissimi caput « contrivit, quae *semper* fuit tum corpore tum anima imma- « culata, tabernaculum sanctum, quod spiritualis Beseleel « aedificavit » [2]. Quae orientali redundantia privilegium de « quo agimus, absque dubio involvunt, imo extollunt.

Armena liturgia de parentibus Mariae habet hymnum, qui his verbis clauditur: « Tu qui ante luciferum sine matre « de Patre in caelo es genitus, tu ipse sapientia plenus Ma- « trem tibi Immaculatam elegisti, e qua nascereris in terra « sine patre: per eius intercessionem miserere nostri, Deus » [3].

Et haec satis sint ad concordiam liturgiarum et Ecclesia-

[1] Ps. CXVII, 14.

[2] *Laudes et hymni excerpt. ex Armenorum Breviario.* Venet. 1877. In quodam manuscripto expressius legitur: « Hodie ab utero materno puram praeservasti Ma- « trem tuam, de qua in tempore mirabiliter homo fieres ».

[3] Orat. ad SS. Dei Genitricem; de SS. D. Genitric. Virg. Mar. laudibus, iuxta VOSSIUM (ed Rom. 1598, t. III, p. 210, et 207); necnon iuxta ASSEMANI (ed. Rom. 1746, t. III, p. 545 sqq.).

rum de tanto privilegio ostendendam. Quae concordia, usque servata in illis quoque Ecclesiis, quae ab unitate hierarchica infeliciter deflexere, ostendit, universalem olim christianam rempublicam de hac B. Virginis singulari praerogativa communem habuisse, non modo dicam instinctum, sed et professionem.

Obiectiones e Patribus desumptae breviter discutiuntur [1].

Obiectiones nonnullae solvendae supersunt e Patrum scriptis desumptae, quae ad has quinque praecipuas reduci possunt.

1) Prima obiectio constat ex hoc, quod Patres passim declarant, *solum Christum* fuisse omnino immunem a labe quavis peccati, quia de matre Virgine conceptus est [2].

Solutio huius obiectionis iam apparet ex ipso modo, quo iidem Patres singulare Christi privilegium describunt. Ita August.: « Solus sine peccato natus est, quem sine virili com- « plexu non concupiscentia carnis sed obedientia mentis Virgo « concepit » [3]. Cf. textus simillimos Ambrosii [4] et Leonis M. [5].

Itaque quo expeditius te ab huiusmodi laqueo excipias, iuvent sequentes animadversiones.

a) Maria Immaculatae Conceptionis privilegium non habuit vi conceptionis suae: naturali enim via ab Adamo descendit; Christus autem via non naturali, de Virgine ortum ducit. - *b*) Christus ab originali culpa fuisset immunis ex vi nativitatis de Virgine, etiamsi non fuisset Deus; Maria autem per se fuisset, modo superius exposito, originali labe maculanda.

[1] Testimonia, quae primo saltem intuitu privilegio Immaculatae Conceptionis adversari videntur, summo studio collegerunt Bandellus a Castronovo *(De singul. puritate et praerogativa Conceptionis Christi);* Card. de Turrecremata *(De veritate Conceptionis);* Card. Caietanus (Opusc. II, *De Conc. B. Virginis*); Melchior Canus (*De locis,* l. vii, e 1 concl. 4). Accuratius excreta reperiuntur apud Petavium (*De Incarn.* l. xiv, c. 2); Launoium *(Praescriptiones de Conc. B. M. V.);* Ant. Lampridium *(De superstitione vitanda).*

[2] Vide huiusmodi citationes Patrum apud Ben. Plazza (*Causa Immacul. Conc.* act. ii, art. 1).

[3] *De peccato mer. et remiss.* l. i, n. 57.

[4] *In Luc.* l. ii, n. 56.

[5] *In Nativ. Domin.* Serm. iii, c. 5.

- *c*) Inde in Christo, duplici saltem [1] ex titulo, nullum debitum contrahendae labis: est enim Deus, et de Virgine natus; in Maria autem debitum aliquod admittendum est. - *d*) Proin vi nativitatis suae *Christus* stat ex una parte *solus;* Maria stat ex altera cum reliquis hominibus. - *e*) Quare demum apparet, quomodo privilegium Mariae cum lege diffusionis peccati originalis nullatenus pugnet [2].

2) Ex solutione huius difficultatis iam facilior patet transitus ad solutiones eorum textuum, in quibus carni B. Virginis caro Christi apponitur. Illa est caro peccati, haec vero non. Scilicet istis ac similibus locutionibus nihil per se aliud praedicatur, nisi Mariam, utpote de concupiscentia via naturali ortam, ad minus *debuisse* contrahere labem, quia carnem a stirpe vitiata vitiato medio traxit; dum Christus eam de Virgine per Spiritum Sanctum accepit.

« Solus ergo ille (Christus), ait Augustinus, etiam homo « factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec « sumpsit carnem peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id « profecto aut suscipiendam mundavit, aut suscipiendo mun- « davit » [3]. Et alibi: « Et quod incoinquinatius illo utero Vir- « ginis, cuius caro, etiamsi de peccati propagatione venit, « non tamen de peccati propagine concepit?... Proinde corpus « Christi, quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de « illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia « non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, « nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati » [4]. Et paulo inferius in eodem libro *de Genesi ad litt.* fusius ostendit, quomodo aliter et aliter Maria et Christus in Abraham fuerint [5]. Simillima reperiuntur apud Eusebium Emissenum [6] et Fulgentium. Hic sententiam S. Augustini parumper

[1] Dico saltem, ut abstraham a quaestione de absoluta praedestinatione Incarnationis independenter a praevisione peccati originalis.

[2] Cf. dicta superius, ubi de textu Paulino.

[3] *De peccat. meritis et remiss.* c. 24, n. 38. Ubi adverte prius disiunctionis membrum, quod praerogativam Immac. Conceptionis in se involvere potest.

[4] *De Genes. ad litt.* l. x, c. 18, n. 32.

[5] Ibid. l. x, c. 20, n. 35.

[6] Orat. II, de Nativ. — Advertit Petavius (loc. cit. n. 5), in famosa sententia: « a peccati enim veteris nexu *(per se)* non est immunis nec ipsa Genitrix Redemptoris », verba *per se* non reperiri in veteribus codicibus, ac ab aliquo Immac. Conc. cultore esse adiecta.

urgere videtur, insistens veritati carnis peccati, quae in Virgine praedicanda est. « Caro quippe Mariae, quae in iniqui- « tatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro fuit utique « peccati, quae Filium Dei genuit in similitudinem carnis pec- « cati. Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in « se caro ipsa peccatum ». Quae sane verba directa dogma Immaculatae Conceptionis impugnarent, si constaret peccatum quod hic intenditur, esse peccatum originale formaliter et non tantum materialiter consideratum.

Imo modum loquendi Fulgentii adhuc urget Ferrandus diaconus, qui non solum formale originale, sed et actuale peccatum inducere videtur. « In carne Christi natura est nostrae « carnis, sed non reperitur culpa naturae. Sic caro Christi « carni Mariae est similis et dissimilis: similis, quia inde traxit « originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatae ori- « ginis contagionem; - similis, quoniam licet voluntarias, « tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas « penitus, neque per voluntatem, neque per ignorantiam com- « misit iniquitates; - similis, quia passibilis et mortalis; dis- « similis, quia incoinquinabilis et vivificatrix etiam mortuo- « rum » [1]. Quae verba pariter difficilius ad sensum definiti dogmatis genuina interpretatione trahuntur.

Eamdem doctrinam de carne Virginis carne peccati secutus S. Petrus Damiani, non refugit a comparatione, quae sensum nostrae pietatis, primo saltem intuitu violenter offendit. Illustraturus quomodo simoniaci sacramenta conferendo non maculent adducit exemplum nativitatis Christi: « Quandoqui- « dem et ipse Dei mediator et hominum de peccatoribus origi- « nem duxit, et de fermentata massa sinceritas azymam con- « cepta absque ulla vetustatis infectione suscepit. Immo, ut « expressius dicam, ex ipsa carne Virginis, quae de peccato « concepta est, caro sine peccato prodiit, quae ultro etiam « carnis peccata delevit ». Sed haec verba reducenda sunt ad ea, quae primo loco ex Augustino attulimus; et licet duriora videantur longe mitiora sunt in se, quam verba ex Fulgentio et Ferrando modo deprompta. Insuper aliud est asserere, carnem Virginis de peccato conceptam; aliud, Ma-

[1] *Epist. ad Anat.*

riam praedicare in peccato conceptam. Prior assertio cum dogmate non aegre componitur, altera longe difficilius.

Fatendum est, hanc comparationem Petri Damiani esse crassiorem. Nam una ex rationibus ob quas B. Virgo est immaculate concepta, huc tendit, ut veluti per candidum medium Christus de peccatoribus carnem peccati sanctius traheret. Unde comparatio defecit nimis, quatenus providentissimum hoc medium omittit, ac proin per hanc omissionem idem negare videtur.

Quousque eidem modo loquendi et cogitandi adhaeserint cum S. Anselmo et S. Bernardo alia Scholarum lumina non pauca nec minoris splendoris, mox data opera investigabimus.

Caeterum non debet nos offendere appellatio carnis peccati de Mariae carne a Patribus adhibita, quum et de carne Christi non semel occurrat, idque tum apud Graecos, tum apud Latinos.

Tertullianus in famoso libro *de carne Christi* scribit: « Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in « Christo, sed peccatum carnis: non materiam, sed naturam; « non substantiam, sed culpam » [1]. Et S. Hilarius Pictaviensis ait de Christo: « carnem peccati recepit, ut assumptione carnis « nostrae delicta donaret, dum eius fit particeps assumptione, « non crimine » [2]. - Ex Graecis S. Proclus Constantinop. inducit Christum ita Matrem alloquentem: « Nisi in peccati con« stitutus sim corpore, eoque tanquam mortuus in novo re« cliner monumento, etc. » [3]. Alterius progressus S. Gregorius Naz. non asserere veretur, Verbum assumpsisse « carnem « damnatam » [4].

Nec mira est ista Patrum locutio. Imo forsan melius reddit sensum Paulinum, quam sublimior interpretatio S. Augustini. Quemadmodum enim Apostolus non negat Christum verum hominem, quando de eo dicit: « in similitudinem homi« num factus »; ita non negat veram carnem peccati eam praedicando « in similitudinem carnis peccati »: carnis scilicet,

[1] N. 16.
[2] *De Trin.* l. I, n. 13.
[3] Or. IV, n. 14.
[4] Orat. 51, n. 18.

quae peccavit, et quae proin erat per victimae immolationem purganda. Aliud enim est, Christum assumpsisse veram illam carnem generis humani culpabilis ac damnati; aliud, eum hanc carnem assumpsisse cum sua culpa vel pronitate ad culpam.

Quadrupliciter ergo caro peccati dici potest: *a*) Caro coinquinata peccato et prona in peccatum; *b*) caro non quidem coinquinata peccato, sed tamen in peccatum prona; *c*) caro nec coinquinata nec prona, sed tamen per viam concupiscentiae carnalis traducta; *d*) caro nec coinquinata peccato, nec in peccatum prona, nec tali via traducta, quae aliquid habeat de peccato.

Hoc ultimo modo dici potest de carne Christi; primo modo de omnibus filiis Adam praedicatur; de Maria autem dici potest sensu tertio; vel etiam secundo, ab illo qui teneret quidem B. Virginem immaculate conceptam, sed non ab initio a fomite liberatam.

3) Pariter intelligitur, quid censuerint scriptores, qui de *purificatione* Deiparae in Annuntiatione loquuntur. Intendebant quippe concupiscentiam, cuius vestigia, si qua essent, destruenda erant igne Spiritus Sancti [1]. Sed de hac purificatione uberior alibi sermo recurret. Unum tantum hic monemus, vocabula *mundare, purificare,* per se quidem implicare maculam; posse tamen, imo de facto saepius altiori sensu adhiberi de tam celeri ac potenti operatione, quae maculam secus contrahendam praeveniendo impediat [2].

4) Imo a concupiscentia ad *peccatum* transitus proximus erat. Nec mirum proin, si Rupertus [3] alloquens Mariam, ipsi applicat versum psalmi Davidici: « Ecce enim in iniquitatibus, etc. », omnino contrarium quoad verba proferens ac supra ab Isidoro Thessal. audivimus. Peccatum quippe materiale concupiscentia est, in qua parentes active concipiunt, et proles, saltem quoad debitum, passive concipitur.

Formalem autem culpam Rupertum non intellexisse, sequentia verba ostendere videntur. En integer discursus docti piique Abbatis: « Et tu quidem veraciter dicere poteras (Ma-

[1] Cf. Eadmerus (*De Excellent. B. M. V.* c. 3, append. oper. S. Ans.); — Godefridus Abbas Admontensis (s. xii) (Hom. i. in Annunt. *P. L.* clxxiv, 752).

[2] Cf. mox dicenda, ubi de mente S. Thomae.

[3] Comment. Cant. edit. Venet. 1749, t. ii, p. 376.

« riam alloquitur Canticum canticorum commentans): " Ecce « in iniquitatibus concepta sum; et in peccatis concepit me « mater mea ". Cum enim esses de massa, quae in Adam cor- « rupta est, haereditaria peccati originalis labe non carebas. « Sed ante faciem huius amoris peccatum nec illud, nec aliud « stare potuit; ante faciem huius ignis stipula omnis interiit; « ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis « novem mensibus habitaret; tota omnino munda materia, « de qua sancta Dei sapientia domum aeternam sibimet aedi- « ficaret » [1].

Ex quibus verbis ita arguo. Quomodo, quaeso, ante faciem huius amoris *aliud* scilicet actuale peccatum stare non potuit? Num ita tantum, ut commissum deleretur? Non sufficit. Sed ita ut ne committeretur, amor praevenerit. Ergo a pari formale originalis culpae per intensitatem huius amoris non deletum sed praeventum est; quemadmodum legimus, appropinquante Domini arca, Iordanis aquas non recessisse, quae ipsam iam tetigerant, sed ne tangerent eam, stetisse.

Patres in similibus locis peccatum originale materiale potius intellexisse, ex hoc solo demonstratur, quod Christum passim ab hoc excipiant, non quia Deus est, sed quia natus est de Virgine. Iam vero si peccatum originale formaliter intenditur, princeps ratio ob quam in Christo repugnat, est Christi divinitas, seu divina sanctitas.

5) Alia obiectio movetur ex hoc quod Patres ex una parte ponunt Christum omnium hominum Redemptorem, ex alia parte *omnes homines,* sine ulla exceptione peccatores Christi sanguine *redemptos*. Audiatur rursus S. Augustinus. Arguit contra Iulianum Pelagii discipulum. « " Commendat suam « charitatem Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores « essemus, Christus pro nobis mortuus est ". Hoc tu dictum « exceptis parvulis vis putari. Ubi si abs te quaeram, si non « sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus « est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondebis, non « pro solis peccatoribus mortuum, quamvis sit etiam pro « peccatoribus mortuus. Quod quidem nusquam legis in divi- « nis auctoritatibus; mortuum scilicet esse Christum etiam

[1] *Comment. in Cant.* l. 1.

« pro eis, qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed « attende, quam validis testimoniis urgearis. Tu dicis, etiam « pro peccatoribus mortuum; ego dico, nonnisi pro peccato- « ribus mortuum: ita ut respondere cogaris, si nullo peccato « parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum. Dicit « enim ad Corinthios: " Quoniam unus pro omnibus mortuus « est ", etc. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia « pro omnibus mortuus est unus », etc. [1].

At, respondeo, si huiusmodi argumentationes privilegium B. Virginis excludunt, non minus idem excludunt universalissimae sententiae, quae occurrunt in Scripturis; et verum docuit ille Bandellus a Castronovo, quando doctrinam de Immaculata Conceptione uti haereticam, scilicet doctrinae S. Pauli aperte contrariam impugnavit. Quemadmodum igitur dogma Immaculatae Conceptionis conciliatur cum dogmate tum universalis diffusionis peccati originalis, tum universalis tituli Redemptoris, ita quoque haec argumentatio Augustini.

Repones: Quaestio non est, utrum haec dogmata inter se componi possint, sed utrum Augustinus haec in sua mente composuerit. Scripturae quippe errare nequeunt; ab errore immunis nemo, neque summus. - Sed pariter, nemo errasse dicendus, quin errasse demonstretur. Iam vero apud Augustinum huiusmodi argumentationes in forma universali, non omnem semper exceptionem excludere, ex aliis locis eiusdem Doctoris constat. Ecce cum Iuliano de sanctitate absoluta Christi disputans, haec alibi habet. « Profecto peccatum « etiam maior fecisset, si parvulus habuisset. Nam profecto « nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fece- « rit, grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum, « praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis « exortu » [2]. Ergone, iuxta Augustinum B. Virgo peccato actuali obnoxia fuit? Nequaquam: nam ipse expresse eam ab hac quaestione excipit. Ergo et illam tacite excipit alibi; nam, iuxta Hipponensis principia, sicuti ratio subiacendi peccato actuali est in peccato originali, fundamentalis ratio exemptionis a peccato actuali non alia esse potest, quam exemptio a peccato originali.

[1] *Adv. Iulian.*, l. VI, c. 4.
[2] Ibid. l. V, c. 15.

Quid igitur de Patrum doctrina concludendum?

E Patribus Graecis contra dogma Immaculatae Conceptionis vix afferuntur testimonia. Quae autem depromuntur e Patribus Latinis, incipiunt praecipue a Sancto Augustino. Sane controversia Pelagiana induxit Hipponensem, ut fortiter legem universalis diffusionis peccati originalis urgeret. Unde non desunt apud hunc magnum Doctorem sententiae, quae primo aspectu privilegium B. Virginis offendant. At quum aliunde appareat, Augustinum exceptionem Deiparae agnovisse, et haec ipsa testimonia, quae in contrarium militare videntur, haud aegre possint cum Mariae privilegio componi, non puto S. Augustinum ponendum esse a latere scriptorum, qui Immaculatae Conceptioni fuerint adversi. Non tam facile idem dicerem de S. Fulgentio, neque de Ferrando, ob rationem modo allatam. Opinor tamen, modum loquendi S. Augustini, tempore controversiae, nonnihil contulisse ad dubia de Deiparae privilegio augenda potius quam solvenda.

Ex dictis hucusque de traditione Patrum apparet, quid nobis censendum videatur de sententia Petavii. « Graeci, ut « originalis fere criminis raram, nec disertam mentionem « scriptis suis attigerunt; sic utrum B. Virgo affinis illi con- « cepta fuerit, liquidi nihil admodum tradiderunt. Princeps « inter Latinos enodandi et accuratius explicandi mysterii « illius fuit Augustinus: qui et nominatim in ea pertractanda « quaestione Sanctissimae Dei Matris meminit: sed ita, ut hanc « ipsa communi sorte atque lege noxae originalis includat. « Cuius duplici in genere testimonia statuenda sunt, nam « alias generales sunt sententiae, quibus solum Christum a « peccato excipit: reliquos vulgari parentis utriusque propa- « gatos satis in illud immersos fuisse contendit; alias de Dei « Genitrice privatim idem asserit ». Patrum Graecorum Petavius doctrinam minuit, Augustini autem sententiam in oppositum urget [1].

[1] Op. cit., n. 1. Petavius tamen ipse Immaculatae Conceptionis privilegio adhaerebat. « Equidem, ait, ut disceptandae quaestionis huius finem aliquando faciam, « sanctissimam Dei Matrem, ac Virginem existimo non solum omni proprio et actuali, « ut vocant, delicto caruisse, verum etiam originali; sed eatenus persuasum istud « habeo, ut hoc ad fidem spectare nolim; neque damnandum credam, aut severius « appellem, qui secus sentiat: nec alia ratione denique tueri sim paratus animo, quam « quae ab Romanis Pontificibus et Tridentina Synodo, id est ab Ecclesia catholica,

Et haec de traditione Patrum pro scopo nostro satis. Iam ad Scholae controversias gressum moveamus.

3) DE DOCTRINA SCHOLARUM.

§ 1. - De mente S. Bernardi.

Brevem hanc analysim stadii controversiae, quod et dubitationis iure vocaveris, incipiamus a litteris, quas scripsit **S. Bernardus** - nam ipsius dicendae sunt [1], - ad canonicos Lugdunenses, ut eos a colendo Immaculatae Conceptionis B. Virginis festo arceret. Imo placet parumper huic scripto immorari propter eius singulare momentum. En quo ordine Mellifluus incedit. Allato facto inaugurationis festi hucusque non celebrati, eoque parum probato, S. Bernardus, ne laudibus Deiparae detrahere videretur, eam multipliciter commendat, quin et eius sanctificationem in utero materno abunde illustrat.

Quo acto pergit: « Quid adhuc addendum his putamus « honoribus? Ut honoretur, inquiunt, conceptus, qui honoran- « dum praeivit partum, quoniam si ille non praecessisset, non « esset, qui honoratur ». Et primo quidem hanc rationem uti per se insufficientem recusat, et iure. Non enim ipsa praecedentia per se est satis. Unde concludit hanc partem confutationis his verbis: « Potuit sane illa, quae in iam concepta « facta est santificatio, ad ipsum qui sequebatur, transire « natalem: redire vero retrorsum ad conceptum qui praeces-

« Romanaque praescribitur. Movet autem me, ut eam sim partem propensior, com- « munis maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, alteque defixum « habent, et quibus possunt iudiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, « purius, innocentius, alienius denique ab omni sorte ac labe peccati procreatum a « Deo fuisse; tum vero nihil cum inferis, et horum rectore Diabolo, adeoque cum « qualicumque Dei offensa et damnatione commune unquam habuisse. Admonet « autem nos egregie Paulinus Nolanus Episcopus, gravis imprimis auctor, " ut de « omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat " ». *

[1] Rationes dubitandi de genuitate huius epistolae vide apud Ballerini (*Dissert. histor.-critic. de S. Bern. scriptis circa Deiparae Virginis conceptionem*, a § XXVII deinceps). Sed hae stare non possunt. Cf. inter alia epistolam Nicolai monachi S. Albani contra epistolam Abbatis Clarevallensis (inter epist. Petri Cellensis l. II, ep. 171, *P. L.* CCII, 617).

* Op. cit., n. 10, Epist. 4.

« serat, iam omnino non potuit ». Optima sane argumentatio in mente illius, qui tenet, sanctificationem tempore esse conceptione posteriorem; secus nulla prorsus.

Stringit ergo Bernardus argumentum, quaerens: « Unde « ergo conceptionis sanctitas? » Et urget quaesitum de sanctificatione in conceptu, quam ob duplicem rationem repugnare ostendit; tum quia tunc nondum erat B. Virgo, tum quia concepta est secundum viam seminalem. Sed placet ipsum S. Doctoris textum afferre. « An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fieret et conceptus: quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed *non « valuit ante sancta esse quam esse.* Siquidem non erat, « *antequam* conciperetur ». Sane imperfecta argumentatio; nisi restringatur ad ipsos parentes concipientes? Sed tunc sanctitas conceptus repugnat ob alteram rationem. « An « forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi concep« tioni immiscuit; *ut simul et sanctificata fuerit et concepta?* « Nec hoc quidem admittit ratio ». Hic autem S. Bernardus duo argumenta adducit, quae apud S. Thomam passim recurrunt. Prius petitum ex seminali ratione ortus Mariae; alterum ex singulari privilegio Christi.

Prius ita inducit: « Quomodo namque sanctitas absque « Spiritu sanctificante: aut sancto Spiritui aut societas cum « peccato fuit, aut certo *peccatum quomodo non fuit,* ubi « *libido non defuit?* Nisi forte quis dicat, de Spiritu Sancto « eam, et non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus « inauditum. Lego denique Spiritum Sanctum in eam, *non cum « ea* venisse, dicente Angelo: "Spiritus Sanctus superveniet « in te". Et si licet loqui, quod Ecclesia sentit (et verum « ipsa sentit), dico, gloriosam de Spiritu Sancto concepisse; « *non autem et conceptam fuisse;* dico, peperisse virginem, « non tamen et partam a virgine »; etc. Et concludit: « Si « igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quo« niam non erat; sed nec in ipso quidem conceptu, propter « peccatum quod inerat, restat ut *post conceptum* in utero « iam existens, sanctificationem accepisse credatur; quae « excluso peccato sanctam fecerit nativitatem; non tamen « et conceptionem ». Defectus huius argumentationis post

superius exposita sunt manifesti [1]. Non satis distinguitur inter existentiam totalem et partialem; nec inter conceptionem activam et passivam; nec discutitur terminus medius inter ante et post.

Rationem de Christo potius per modum conclusionis hoc modo Bernardus exponit: « Quamobrem etsi quibus vel paucis « filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non « tamen et concipi: ut *uni* sane servaretur sancti praeroga- « tiva conceptus, *qui omnes sanctificaret:* solusque absque « peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus ita- « que Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus, quia solus « ante conceptionem sanctus. Quo excepto de caetero univer- « sos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de seme- « tipso ac veraciter confitetur: " In iniquitatibus, inquiens, « conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea " » [2].

Hic non distinguitur inter contractionem labis et merum debitum labis contrahendae; nec attenditur ad vim gratiae Christi ipsum Matris privilegium operantis. Concludit S. Bernardus iudicium suum iudicio Ecclesiae imprimis Romanae docili corde submittens [3].

Ex dictis patet, S. Bernardum in hac epistola Immac. Concept. B. M. Virginis adversari, quia non satis attendit ad ipsum instans animationis carnis ab Adamo deductae. Quare et alia eiusdem scripta investigemus.

In secunda homilia super *Missus est* n. 7, encomium Deiparae canit tanta ubertate laudis, ut doctrinam dogmatis Immaculatae Conceptionis vix in eo quis non inveniat. « Vo- « luit itaque (Deus) esse Virginem, de qua Immaculata imma- « culatus procederet, omnium maculas purgaturus ». Et Virgo illa ostenditur « a saeculo electa, ab Altissimo prae- « cognita, ab angelis servata »; etc. Est quippe mulier ab initio promissa, quae « procul dubio caput contrivit venenatum,

[1] Idem defectus passim reperitur in scriptoribus, qui post Bernardum tractantes, ipsius sententiam sequuntur.

[2] Ep. CLXXIV. Caeterum non Bernardus solus contra hoc festum invexit, sed et alii, uti IOANNES BELETHUS (*Rationale divin. offic.* c. 146), GUIL. DURANDUS (*De offic. div.* l. VII, c. 7), et iam antea POTHO monachus Prumiensis (*De statu domus Dei* l. III in fine).

[3] Quantopere ex hac controversia eluceat auctoritas Ecclesiae Romanae uti passim tunc temporis agnita, per se liquidum est.

« quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis ille-
« cebra quam de mentis superbia deduxit ad nihilum ».

Sed ecce rursus in alio sermone, secundo scilicet in Assumptione B. Mariae, legitur sententia dubitationem ingerens. Comparationem ex Evangelio diei suggestam notissima concludit sententia: « Absit ut *proprii* quidquam inquinamenti « domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde « scopa Lazari quaereretur ». Dein subdit immediate: « *Quod « si originalem a parentibus maculam traxit;* sed minus a « Ieremia sanctificatam in utero, aut non magis a Ioanne Spi- « ritu Sancto repletam credere, prohibet pietas christiana; nec « enim festis laudibus honoraretur, si non sancta nasceretur ». Quae verba ad minus sunt haesitantis; imo magis explicite haesitantis, uti nobis videtur, quam praecedentia affirmantis [1]. Imo sermone 78 in Cantica non iam hypothetice, sed absolute loquitur: « Sine generalis velamine confusionis (id est « originali labe) nemo filiorum hominum intravit initians « vitam, uno sane excepto, qui ingreditur sine macula. Emma- « nuel is est ». Et sane quoties S. Bernardus sanctificationem Mariae cum sanctificatione Ioannis et Ieremiae confert, toties de plus vel minus celeri mundatione, non de absoluta praeservatione loqui videtur [2].

Putamus proin, S. Bernardum non satis clare distinxisse inter traductionem carnis peccati et veram contractionem peccati originalis proprie dicti; unde facilius quoque eius epistola ad Lugdunenses explicatur [3]. Quae epistola - quidquid sit de mente auctoris - non solum diffusionem festi Immaculatae Conceptionis ad tempus retardavit uti constat ex tractatu ps.-Anselmi; sed et stimulavit quotquot deinceps privilegio Deiparae minus faventes exstitere.

[1] Vim huius sententiae iam optime animadvertit Mabillonius, a cuius argumentatione se nimis facile expedit Perrone (Op. cit., p. 100).

[2] Hoc rursus argumentum a Mabillonio urgetur.

[3] De hac epistola sapienter Mabillonius: « Qualis fuerit S. Bernardi mens in hac « epistola, non una et eadem est doctorum antiquiorum ac neotericorum sententia. « Huius diversitatis causa perfluxit ex diversa acceptione vocis conceptionis, quam « aliter neoterici, aliter auctores Bernardo suppares usurparunt. Nam isti quidem « conceptionis nomine significabant conceptionem *activam,* seu confluxum seminis « ad formandum embryonem... Neoterici vero conceptionem sumunt pro conceptione « passiva, id est pro instanti, quo anima corpori iam informato infunditur ». (In nota 161 in epist. CXXIV, col. 62).

§ - 2. De mente S. Anselmi.

Quod modo de S. Bernardo dicimus, de **S. Anselmo** quoque fatendum censemus. Verum est, hunc in libro *de Conceptione Virginali* admirabili formula eximiam Mariae sanctitatem expressisse. Ait enim c. 18. « De mundissima Virgine « Filius Dei verissime conceptus est,... quia decebat ut illius « hominis conceptio de Matre purissima fieret. Nempe *decens « erat ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, « Virgo illa niteret*, cui Deus Pater unicum Filium suum.... « dare disponebat ». Quibus ex verbis apertissime constaret, Anselmum Immaculatae Conceptionis propugnatorem exstitisse, si certum esset, haec in mente auctoris dicta esse de B. Virgine considerata in tota sua existentia, et non potius in maternitate divina. Iam vero hoc alterum probabilius videtur, tum ex ipso scopo auctoris in hoc loco, tum ex alio loco, ex quo non parva difficultas exsurgit.

Scopus enim Anselmi est, explanare quomodo Christus potuerit de femina nasci sanctissimus; quod fieri posse ostendit, si inter se conferantur sequentia [1]: 1) prolem Virginis esse Deum; 2) Matrem de qua nascitur, esse sanctissimam; 3) eum nasci de ipsa conceptu virgineo. Iam vero in hac secunda ratione Anselmum considerare Mariam non in sua sed in Verbi conceptione, ex contextu apparet; secus enim sibi contradicere dicendus esset. Imo Anselmi silentium de hac eximia praerogativa, quae tantopere argumento iuvisset, indicium suggerit, ipsum, dum haec verba proferebat, hanc praerogativam non intendisse.

Tria enim testimonia probant saltem, Anselmum immaculati Deiparae conceptus notionem non claram habuisse, ne dicere cogamur, idipsum privilegium negasse. *a*) In loco citato tractatus *Cur Deus homo* ita habet ore Bosonis: « Licet « ipsa hominis eiusdem (Christi scilicet) conceptio sit munda, « et absque carnalis delectationis peccato; *Virgo tamen ipsa, « unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta et in pec- « catis concepit eam mater eius* » (en conceptionem activam

[1] Est quippe haec summa utriusque loci *De Concept. Virg.* c. 18-20, et *Cur Deus homo* c. 16.

in concupiscentia, et traductionem carnis peccati), « *et cum* « *originali peccato nata est* » (nonne labem ecce ipsam?), « *quoniam et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes pecca-* « *verunt* ».

Solvit difficultatem Cl. Palmieri[1] affirmando, haec a Bosone proferri, quin Anselmus ea probet; ac proin ex his verbis nihil concludi posse. - Pace tanti theologi dixerim: oppositum concludendum nobis videtur. Boso obiicit, obiectionem suam suffulciens rationi, qua, si in mente Anselmi esset falsa, argumentatio non parum debilitaretur; atqui Anselmus hanc rationem nullatenus corripit; ergo eam probat. Eo vel magis quod scopus et propria indoles inquisitionis per dialogum est, a simul admissis ad ea probanda devenire, quae ab alterutro negantur. Secus haec disputandi via nedum lucem, quin potius confusionem pareret. Putamus ergo S. Anselmum Bosonis rationem probare.

Dubium autem subtilius superesse posset, utrum S. Anselmus et ipse Boso hisce verbis in Maria exprimere voluerint dumtaxat carnem peccati et materiale originalis peccati, an insuper etiam formale. Verba pro hoc altero stare videntur[2].

b) Nedum S. Anselmus contra Bosonis assertum Deiparae privilegium proclamet, ita hoc ipsum caput concludit: « Virgo « illa, de qua ille homo assumptus est, de quo loquimur, fuit « de illis, qui ante nativitatem eius *per eum mundati sunt* « *a peccatis;* et in eius ipsa munditia de illa assumptus est ». Quo ex loco utrumque erui posse videtur, Anselmum tum privilegium Immaculatae Conceptionis saltem non clare agnovisse, tum de sanctitate Mariae in Conceptione activa sive in mysterio Annuntiationis intellexisse, quae de ipsius absoluta puritate affirmat.

c) Corroboratur haec interpretatio per caput XX libri *de Conceptu virginali.* Postquam probavit, Christum de Virgine iusta natum, originale peccatum trahere non potuisse, concludit his verbis: « non incongrue *pro originali iniustitia quam* « *omnes alii filii Adae habent,* a sua origine iustitiam origi- « nalem habere dicendus est ». Quae sententia obiter dicta nihil in se contineret, nisi professionem doctrinae S. Pauli ad

[1] Op. cit., p. 712 seq.

[2] Cf. dicta in art. 1, q. XXVII.

Romanos de lege universali peccati originalis. In tractatu autem in quo directe agitur de Mariae influxu in sanctissimum Filii sui ortum, haec tam universalis praedicatio rursus indicat, S. Anselmum in famosa sententia capitis XVIII supra citata, Immaculatam Conceptionem Virginis non intendisse.

Ergo saltem dubium remanet, utrum S. Anselmus privilegium Immaculatae Conceptionis clare agnoverit; imo si verba inspicias, negativa sententia nobis probabilior apparet quam affirmativa.

§ 3. - De mente Hugonis Victorini et Lombardi.

Nexus qui in mente S. Anselmi existebat inter conceptionem ex Virgine et ortum immaculatum, impedivit alios pariter Magistros, ne Mariae privilegium aperte viderent. Audiatur **Lombardus,** III Dist. 3: « Quaeritur autem de carne Verbi, « an prius quam conciperetur, obligata fuerit peccato; et an « talis fuerit assumpta a Verbo. Sane dici potest et credi « oportet iuxta Sanctorum attestationis convenientiam, *ipsam « prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua virginis caro;* « sed Spiritus Sancti operatione ita mundatam, ut ab omni « peccati contagione immunis uniretur Verbo.... » (Hucusque de carne peccati in se). « Mariam quoque totam Spiritus « Sanctus in eam superveniens *a peccato prorsus purgavit « et a fomite peccati etiam liberavit;* vel fomitem ipsum « penitus evacuando, ut quibusdam placet, vel sic debilitando « et extenuando, ut ei postmodum occasio peccandi nulla- « tenus exstiterit.... » Et iterum paucis utrumque complectens ait: « Virginem totam Spiritu Sancto praeveniente *ab omni « labe peccati castificatam* ». Et rursus: « Quod autem sacra « Virgo *ex tunc ab omni peccato immunis exstiterit....* » Demum: « Cum autem illa caro, cuius excellentia singularis « verbis explicari non potest, antequam esset Verbo unita, « *obnoxia fuerit peccato in Maria et in aliis, a quibus propa- « gatione traducta est....* » [1]. Ex quibus locis, quid de Sententia Lombardi tenendum sit, post superius dicta liquere putamus.

[1] III, *Dist.* 3.

Idem prorsus valet de **Hugone Victorino** [1], quem Lombardus ad gressum sequitur.

§ 4. - De mente B. Alberti Magni.

4) Nec differt sententia **B. Alberti Magni.** In opere super *Missus est* et in *Biblia* B. M. Virginis [2] docet, Mariam, utpote oppositam Evae, fuisse sine triplici *Vae* poenae, ignorantiae et culpae, idque tripliciter: « Sine vae culpae actualiter, sine vae « poenae causaliter, sine vae ignorantiae habitualiter ». At in priori opere subdit [3]: « Sed quaeritur, *quare unum non fue-* « *rit, quod fuit sine originali concepta* ». Et respondet: « Dici- « mus quod fuit impossibile, *nisi conciperetur de Virgine,* et « sic mater sua fieret Virgo Mater ». Vides, eumdem semper nexum necessitatis a Scholasticis praedicari inter conceptionem ratione seminali et labem originalem. Utrum in hac ipsa labe semper distinxerint materiale a formali, debitum a contractione, dubium remanet.

Idem prorsus elucet ex opusculo Alberti *de XII privilegiis B. M. Virginis.* Etenim, praeterquam quod Immaculatam Conceptionem, seu preservationem ab originali peccato inter haec privilegia non enumerat, de sanctificatione B. Virginis ita loquitur, ut sit ab originali labe mundatio, non ex toto praeservatio. Et sane in initio opusculi, post verba superius citata: « " Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus " quando « eam *purgavit* ab originali, ut tota munda nasceretur », pergit: « Tunc enim videtur Pater quasi praecepisse Spiritui « Sancto illud: " Aufer rubiginem de argento et egredietur « vas purissimum " [4]. Tunc enim caelestis aurifaber, id est, « Spiritus Sanctus, qui est " omnium artifex " [5], totam rubi- « ginem culpae originalis abstulit de argento virgineae car- « nis; et tunc fuit ipsa caro argentum igne Spiritus Sancti « examinatum, probatum terrae, id est, a terrenis contagiis, « et purgatum septuplum, id est, perfecte per gratiam septi-

[1] *Sum. Sent.* tr. I, c. 16, t. 3.
[2] Ed. Lugd. 1651, q. 31.
[3] Q. CLXIII, § 2.
[4] PROV. XXV, 4.
[5] SAP. VII, 21.

« formem; et hoc totum ut egrederetur vas corporis virginei « purissimum ad recipiendas gratias et virtutes, et condigna « materia fieret, de qua Pater gloriosum corpus aptaret Uni- « genito suo » [1]. Et inferius concludit: « Caro Virginis fuit « ab originali perfecte mundata, quando in utero sanctifica- « batur » [2]. Sed in his Albertus agit directe de mundatione carnis Deiparae. Unde in rigore ex his verbis non aliud concludi potest, nisi, iuxta Albertum, carnem Virginis ob ipsum modum ortus, materiale originalis culpae contraxisse. Unde idem dubium quoad hoc scriptum superest. Et sane, - quod et de aliis auctoribus valet, - ut aliquis scriptor diserte probetur contrarius privilegio B. Virginis immaculate conceptae, oportet ut doceat, datum esse temporis instans, in quo anima B. Virginis obnoxia fuerit originali peccato, ac proin per tempus, etsi brevissimum, Mariam fuisse filiam irae. Hoc autem in Alberti scriptis non expresse reperitur.

De mente **S. Thomae** eiusque Scholae iterum dicemus in appendice huic dissertationi adnexa.

§ 5. - De mente S. Bonaventurae.

f) **S. Bonaventurae** doctrina confirmat prorsus modum quo praecedentium Magistrorum sententias intelleximus [3]. Esto illos, - dempto, uti supra vidimus, S. Thoma, in III. Dist. III, Q. 1, - non directe quaesiisse de sanctificatione in instanti conceptionis per animationem completae (ratio obvia est: ipse nimirum nexus, quem necessarium fingebant inter traductionem seminalem et contractionem labis); saltem *S. Bonaventura* problema Immaculatae Conceptionis clarissimis verbis circumscribit, quaerens in III. Dist. III, P. I, art. I. 1) An *caro* Virginis sanctificata fuerit *ante animationem* (quod negat); - 2) An *anima* Virginis sanctificata fuerit *ante originalis peccati contractionem;* - 3) An *beata Virgo* sanctificata fuerit *ante nativitatem* (quod affirmat).

In solutione primae quaestionis valde notanda sunt verba

[1] Cap. 1.

[2] Ibid.

[3] Cf. quoque inter alios praecipuos Scholae Magistros, Alexandrum Halensem (*Summ. Theol.* P. III, Q. VIII, m. 2, a. 2); etc., etc.

quae S. Bonaventura habet de Immaculatae Conceptionis festo [1]. Sententiae S. Bernardi insistens, festum non quidem probat, quia in Virgine non fuit sanctitas ante animationem; at nec reprobat: tum quia dicitur ipsa B. Virgo hoc festum commendasse; tum quia dies animationis incertus, dies autem nativitatis certus; tum demum quia conceptio Virginis, licet non sine originali macula, fuit initium et fundamentum futuri boni, ita ut in hoc festo non colatur conceptio praesens, sed sanctificatio futura. Apparet, hunc modum loquendi non valere nisi de materiali peccati originalis; ac proin relinquere quaestionem integram de peccato formali, seu de vera contractione originalis labis in anima corpori infusa.

Ergo consulamus, quid de hoc ipso puncto in sequenti quaestione Seraficus dicat.

Iam vero illud alterum est ipsissima quaestio nostra [2], idque eo magis elucet, quod affirmantes rationes a Sancto Doctore prius allatae ipsum dogma mirabili virtute exponunt atque corroborant. Imo non deest efficax responsio ad scrupulum timentium, ne Maria in animationis instanti immaculata, subtrahatur operi salvifico Christi. « Alii post casum « erecti sunt, Virgo Maria quasi in ipso casu sustentata est, ne « rueret ». Nihilominus Seraphicus illam sententiam reiicit, allata doctrina Pauli de universali transfusione peccati originalis, necnon Augustini [3] de Christo « qui solus sine peccato « venit ». Et pergit: « Hic autem modus dicendi, (scilicet: " quod « sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati con- « tractionem: et hoc quia nullus fuit immunis a culpa origi- « nalis peccati, nisi solum filius Virginis, ") *communior est et « rationabilior et securior* ». Quae tria iam evolvens, inter alia de primo dicit, « fere omnes illud tenere », illudque comprobat ex poenalitatibus quibus Maria per « contractio-

[1] Ad 4.

[2] Fateor quidem in modo loquendi eorum, quos S. Bonaventura impugnat, nonnulla occurrere quae non omnino consona sunt positioni catholicae, quatenus scilicet prioritatem realem tribuunt sanctificationi animae Virginis prae eius infusione in corpus. Quae sententia per excessum peccat, et est contra definitionem dogmaticam. Unde si S. Bonaventura nihil aliud impugnasset quam hunc excessum, potuisset adhuc adhaerere sententiae verae, aut saltem ex huius quaestionis solutione non sequeretur, illum fuisse Immaculatae Conceptioni contrarium. At tota discussio hanc evasionem non permittit. Quod acute animadvertunt editores operum Seraphici Patris (hoc loco).

[3] In Ioann. tr. xlii.

« nem », non « per assumptionem » subiecta fuit. - Secundum, τὸ *rationabilius* scilicet, inde demonstrat, quod gratia supponit naturam, et prius est esse quam bene esse; unde, posita origine carnis peccati, sequitur contractio labis in instanti creationis animae (quod dictum *per se,* sive *de debito,* verissimum est). - Tertium demum, seu τὸ *securius,* probat ex pietate erga Christum et ex auctoritatibus. Ubi hoc asserit: « Nullus invenitur dixisse, *de his quos audivimus* auribus « nostris, Virginem Mariam a peccato fuisse immunem ». Quippe S. Bonaventura Parisiis degerat, (quod et de S. Thoma valet,) tempore quo controversia in sensu Virginis privilegium negante ibidem solvebatur.

Hanc interpretationem quaestionis secundae corroborat modus ipse quo S. Bonaventura tertiam solvit. Posito facto sanctificationis B. Virginis in utero materno, eoque probato ex ipso festo Nativitatis, pergit S. Doctor: « Si autem quae« ratur, qua die vel hora sanctificata fuerit, hoc ignora« tur; probabiliter tamen creditur, quod *cito post* infusionem « animae fuerit facta infusio gratiae ». Quae verba cum dogmate Immaculatae Conceptionis componere velle, videtur absonum prorsus [1].

Quare de Seraphici mente, dum haec scriberet, vix dubium superesse potest. Si postea S. Bonaventura, sui Ordinis Magister Generalis factus, in conventu Pisis habito festum Immaculatae Conceptionis pro universo suorum coetu suscepit ac probavit, signum est, eum vel pietati publicae morem gessisse, vel sententiam mutasse, - vel iudicasse Conceptionem, qua, si non primo instanti, saltem immediate sequenti sancta fuit, non frustra coli cultu festivo, - vel hoc festum intendisse iuxta rationes in prima quaestione expositas. Hoc ultimum verum putamus [2].

Antequam Seraphicum Patrem relinquamus, duo animadvertere iuvat. Primum est huius magni viri et in quaestione

[1] Nec aliter loquitur S. Bonaventura in *Breviloquio* (p. III, c. 7). — Et infra in hac parte Dist. XV, art. 1, q. 3, expresse ponit in Maria reatum originalis culpae: « Virgo passibilitatem habet pro reatu peccati originalis ex necessitate contracto, « Christus vero passibilitatem habet absque aliquo reatu in ipso reperto, ex sola « dispensatione divina ».

[2] Cf. de hoc Henricum Gandavensem (*Quodl.* l. XV, q. 13). Ipsa Franciscana schola usque ad Scotum adhaesit sententiae S. Bonaventurae.

nostra, meritum licet verae sententiae non adhaeserit. Nam non solum ipsum cardinem quaestionis acutius tetigit, sed rationes in favorem Immaculatae Conceptionis tam lucide tamque pie exposuit, ut viam Scoto ipsum aperuisse, non immerito dixeris.

Alterum respicit statum controversiae tempore quo Seraphicus scribebat. Ex verbis modo citatis patet, tunc temporis sententiam Immaculatae Conceptioni contrariam fuisse in magnis cathedris communem, ac proin iuxta hanc quoque sententiam intellectos tunc fuisse magnos illos praecedentes scriptores, quorum doctrinam plus vel minus dubiam reliquimus. Non ideo tamen ab aliquali haesitatione circa illos recedendum putamus. Sed quo magis Doctores in negationem abibant, eo instantius vox populi fidelis affirmationem publico cultu urgebat.

§. 6. - De mente Scoti.

Litem inter devotionem catholicam et scholarum praeoccupationes *Scotus* primus composuisse videtur, distinguendo inter prioritatem *naturae* et *temporis*. Hanc negavit, primam concessit. Propugnavit scilicet Subtilis, in instanti animationis almae Virginis praecessisse *natura* infusionem animae in corpus, seu in carnem peccati, ac ideo sanctificationem successisse *natura*, non autem tempore. Aliis verbis: distinxit Scotus inter labis *contractionem*, et *debitum* proximum, imo maxime proximum labem contrahendi.

Quam sententiam primo timidius uti probabilem exposuit: « Si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non re- « pugnet, videtur probabile, quod excellentius est tribuere « Mariae » [1]. Postea expresse eam vindicavit pronuntians: « B. V. Mater Dei nunquam fuit inimica actualiter, ratione « peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi « fuisset praeservata » [2]. Nec solum hanc sententiam docuit, sed animosus eiusdem propugnator exstitisse fertur, inde titulo Conceptionis Immaculatae praeconis decoratus. Placet referre verba Cavelli [3]: « Iussu Summi Pontificis habita solemni

[1] III. *Dist.* III, Q. I, n. 4.

[2] *Dist.* XVIII, n. 13.

[3] *Rosar.* saec. XIV. Historica tamen veritas huius narrationis in dubium vocatur.

« disputatione coram facultate Parisiensi, praesentibus Apo-
« stolicae Sedis Legatis, de Immaculata Conceptione tanta
« ingenii subtilitate, tanta solutionum facilitate et perspicui-
« tate omnia adversa argumenta mira dexteritate confregit
« et refellit; suamque piam sententiam de Conceptione Ma-
« riana ipsius fretus auxilio, argumentorum pondere, tot
« tamque urgentibus rationibus comprobavit et munivit, quod
« celeberrimam illam facultatem, matrem Universitatum, in
« suam piam traxerit sententiam; quae in gratificationem
« nomine *Doctoris Subtilis* ipsum decoravit, et acerrimis eius
« disputationibus inducta, sacrum illud et celebre Marianum
« decretum condidit, ne scilicet in posterum quisquam ad
« magisterii gradum admitteretur, qui tota vita se propu-
« gnaturum Immaculatam Conceptionem iureiurando non
« adstringeret. - Porro Scotus Coloniam profectus, victoriam
« pro Immaculata Conceptione ex discipulis Alberti Magni
« reportavit; et nomen *Doctoris Subtilis* ibi denuo est solem-
« niter acclamatum. Fertur etiam a Pontifice in praemium
« ei datum ».

Praecipuas has Scoti partes Sixtus IV recognovit approbando Officium Immaculatae Conceptionis, cuius lectio quarta haec habebat: « Dominus noster Iesus Christus ad protegen-
« dam dilectae Matris dignitatem, Scotum Ordinis Minorum
« Doctorem eximium ad civitatem illam protinus destinavit,
« qui adversariorum fundamentis, argumentisque omnibus
« invincibili sermone confutatis, ita Conceptionis Dominae
« innocentiam clarissime comprobavit, quod omnes illi Fra-
« tres sublimitatem eius plurimum admirati, obmutescen-
« tes in disputando defecere. Quapropter opinio Minorum
« a Parisiensi studio illico approbatur ». Et sane gloria ingens est Franciscalis familiae, sententiam Scoti, a Petro Aureolo [1] post eum praecipue propugnatam magisque evolutam, strenue ac pie veluti haereditatem caelestem tenuisse atque vindicasse [2].

[1] Inter auctores, qui in tuenda Immaculata Conceptione praecipuas sibi laudes meruerunt, nominandi sunt Dionysius Carthusianus et Gabriel Biel.

[2] Inde peracta solemnitate definitionis Immaculatae Conceptionis, Pontifex Pius IX dum solemni pompa in aedes Vaticanas se reciperet, ad ostium maius basilicae Vaticanae lilii ac rosae emblema de manu Praepositorum Generalium utriusque familiae Franciscalis sibi porrectum libenter excepit.

Explicatio autem Scoti postea fuit ita mitigata, ut a multis, quibuscum egimus, Mariae debitum haberetur remotum, concedendo utique τῷ *esse* logicam prioritatem prae *bene esse;* sed non hanc applicando ad instans quo anima B. Virginis est infusa corpori; insuper aliis considerationibus supra expositis, mitiori via hoc debitum explicando.

Porro a Scoti tempore magis magisque in dies cultus B. V. immaculate Conceptae apud populos, necnon huius privilegii defensio apud doctos invaluit [1]. Quod et acta S. Sedis de hoc argumento manifestant. Quorum saltem praecipua hic breviter comprehendimus:

[1] Testis sit inter alia eximiorum theologorum scripta, tractatus FRANC. SUAREZII, cui titulus *De Immac. Conc. B. M. Virginis* - mole paginarum brevis, at ubertate rerum gravissimus: Placet paucis contrahere modum, quo iste praeclarus Deiparae cultor incedit, afferendo prima verba capitum per quae argumentum evolvit.

Praemisso textu disquisitionis: « Utrum B. Virgo fuerit sanctificata in primo « instanti conceptionis; atque adeo ab originali peccato praeservata? », ita incedit: 1) « Suppono primo, non fuisse sanctificatam ante animationem, id est, prius tempore « quam corpus eius fuerit informatum anima rationali ». - 2) « Suppono secundo, fieri « non potuisse ut in eodem instanti beata Virgo fuerit concepta in originali peccato « et sanctificata per gratiam ». Nec poterat melius quaestio contrahi simul ad originalis peccati formale et ad primum conceptionis passivae instans. Ita argumento circumscripto, primo affert sententiam privilegio Deiparae oppositam: « Prima sententia « ponit in Virgine originale peccatum in primo instanti conceptionis, et consequenter « negat gratiam ». Et non haesitat huic sententiae subscribere S. Thomam, B. Albertum Magnum, S. Bonaventuram, Richardum, Durandum, Capreolum, Paludanum, Halensem, Henricum, Gregorium, Antoninum, Turrecrematam, Caietanum, Ferrariensem et omnes Thomistas. Dein describit sententiam privilegio faventem; et citat pro ea Scotum, Aureolum, Gabrielem, Almaricum, Argentinam, Maironem, Carthusianum, Abulensem, Driedonem, Catherinum, etc. Tum ad suam sententiam exponendam accedit. « Dico primo: B. Virgo ex vi suae conceptionis, per se considerata fuit « obnoxia et debitum habuit contrahendi peccatum originale, quoniam in Adamo « peccavit ». - « Dico secundo: Cum hoc debito B. Virginis fieri potuit ut in re ipsa « nunquam contraheret peccatum, sed a primo instanti esset sancta per gratiam ». Pace tanti viri dixerim, non placet ex toto formula: « Quoniam in Adamo peccavit ». Hoc iam ponit plus quam debitum; ponit et reatum; nam reatus in hac ipsa peccati communione consistit. Potius ergo dicendum: « quoniam in Adamo peccasset, nisi per gratiam praeventa fuisset ». - BELLARMINUS quoque docuit Immac. Conceptionem, idque apertissime in catechismo quem ipsi Clemens VIII conficiendum commisit: « ut posthac unus idemque modus in docendo et discendo doctrinam christianam ab « omnibus teneretur » (Breve *Pastoralis Romani Pontificis*). Iam vero in hoc tantae auctoritatis opere haec leguntur: « Che vuol dire piena di grazia? - La Madonna è « piena di grazia perchè essa non ha mai avuto macchia di peccato veruno, nè *ori-* « *ginale,* nè attuale, nè mortale, nè veniale ». (*Dottrin. Crist.,* Cap. v, Dichiarazione dell'*Ave Maria*). Quomodo PETAVIUS Immaculatae Conceptionis praerogativam admiserit, licet vim testimoniorum in oppositum plus aequo forte agnoverit, superius diximus.

Praecipua acta S. Sedis de Immac. Concept. B. M. V. [1].

1) Patres *Concilii Basileensis* [2] sess. XXXIV immunitatem B. M. V. a quovis peccato originali et actuali ita proclamarunt, ut, nisi ipsis sufficiens auctoritas defuisset, definivisse eam dicendi essent, testes utique catholici sensus.

2) *Sixtus IV*, anno 1476, per Constitutionem *Cum praecelsa* festum Immacul. Conc. cum Officio commendavit, ac indulgentiis ditavit [3]; per Constitutionem insuper *Grave nimis,* an. 1483, vehementer condemnat audaciam eorum, qui Concept. Immaculatam B. M. Virginis impugnant [4].

3) De *Concilio Tridentino* supra vidimus [5].

4) *Pius V*, per Const. *Quod a nobis,* an. 1568, Kalendario et Breviario Romano festum inseruit [6]; insuper anno 1567 dam-

[1] De his documentis, deque circumstantiis in quibus lata sunt, lege inprimis Gravois (op. cit.) et Malou (Op. cit., Cap. 12: *Histoire de la définit. dogm.).*

[2] Parisiensis facultatis influxum in hoc decreto facile quisquis agnoscet.

[3] Iisdem scilicet quibus Urbanus VIII et Martinus V Missam et Officium SS. Sacramenti ditarant. — Porro quam diserte textus huius Officii et Missae, a Leonardo de Nogarolis compositus, privilegium Deiparae proclamaverint, superius dictum est.

[4] En verba quibus Pontifex incipit vehementiam adversariorum reprimere. « Sane cum S. R. Ecclesia de intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione « publice festum solemniter celebret et speciale ac proprium super hoc Officium ordi- « naverit, nonnulli, ut accepimus, *diversorum ordinum praedicatores*, in suis sermo- « nibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare non erubuerunt, « et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt eamdem « gloriosam et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse « conceptam, mortaliter peccare vel esse haereticos; eiusdem Immaculatae Concep- « tionis officium celebrantes audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi « macula conceptam esse affirmant, peccare graviter; sed et praefatis praedicationibus « non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum edide- « runt... etc. ». Quae ultima verba directe respiciebant opus a Bandello de Castronovo Ord. Praed. Mag. Gen. anno 1470 editum, in quo doctrina de Immaculata Conceptione uti haeretica proiiciebatur. Pontifex igitur gravissimas poenas in huiusmodi excessus indicit. Nihilominus intuitu pacis eisdem poenis alios continet, qui Immaculatam Conceptionem B. M. Virginis haeresis insimulant.

[5] Concilium Tridentinum etsi a definitione temperans, Constitutionem geminam Sixti IV confirmavit dicens: « observandas esse Constitutiones felicis recordationis « Sixti Papae IV, sub poenis in eisdem Constitutionibus contentis ».

[6] Hic S. Pontifex Ordinis Praedicatorum, - ut dicam candide quid sentiam, - simul devotionem erga Immac. Conc. B. M. V. ampliavit materialiter et restrinxit formaliter. Ampliavit materialiter, quia festum Conceptionis Mariae in Breviarium recepit; restrinxit formaliter, tum quia in titulo verbum « Immaculata » sustulit, tum quia, loco Officii et Missae quorum textus a Leonardo de Negarolis confectus disertissime dogma affirmabat, Missam et Officium de Nativitate B. M. Virginis in hoc festo accepit, utpote quae in utrumque sensum explicari possent.

navit prop. 73 Baii, Immaculatae Conceptioni oppositam [1]; et anno 1570, per Bullam *Super speculum,* silentium omnibus de controversia circa Immacul. Conceptionem imposuit, relinquens doctis dumtaxat atque academicis facultatibus, ut de hoc argumento veritatis inquirendae causa modeste disputarent [2].

5) *Paulus V,* decreto Inquisitionis an. 1617, interdixit ne Immac. Conceptio publice impugnaretur [3].

6) *Gregorius XV,* decreto Inquisitionis an. 1622, hanc prohibitionem extendit ad scripta et colloquia quoque privata, « exceptis his quibus a Sede Apostolica fuerit hoc specialiter « indultum »; scilicet, uti Breve *Eximii* eiusdem anni expresse indulget, Praedicatorum Ordini privatim disputanti [4].

[1] Haec propositio ita sonabat: « Nemo praeter Christum est absque peccato ori« ginali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnes« que eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati « actualis vel et originalis ». Quae tamen propositio damnari debebat ob hoc solum, quod insinuat B. M. Virginem etiam actualiter peccasse.

[2] Si quis attente confert Bullas *Grave nimis* et *Super speculam* agnoscet, Sixtum IV fortius loqui in favorem Immaculatae Conceptionis quam Pium V, qui, in hac re videtur impetum pietatis continuisse potius quam stimulasse.

[3] Magnum gressum haec interdictio manifestat. Nondum praescribitur opinio contraria, sed dum in Bulla *Super speculam* utraque opinio veluti aequa lance prudentiae causa tractabatur, iam deinceps sententia privilegio favens illa est, quam Ecclesia materne tuetur.

[4] Nec solum hoc decretum 24 Maii latum interdicit colloquia etiam privata, sed et iubet festo Conceptionis B. Virginis illum servari characterem, quem intendit Ecclesia. « Cum sancta Romana Ecclesia de Beatissimae Virginis Conceptione festum « solemniter et Officium celebrat, omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam sae« cularibus, quam cuiusvis Ordinis et Instituti regularibus mandat ac praecipit, ut « in Sacrosancto Missae Sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publice quam « privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine uti debeant ». Idque sub gravibus censuris. Scilicet in Breviario Ordinis Praedicatorum festum vocabatur *Sanctificationis* B. M. V. in eodemque textus occurrebant Immaculatam Conceptionem directe excludentes. Exemplo sit haec Antiphona: « Ista est speciosa inter filias Hierusalem: « sicut vidistis eam plenam charitate et dilectione; ita in utero Matris, per copiosum « *sanctificationis* munus, *ab omni sorde peccati mundata* est ». Et hae strophae Hymni:

Namque sanctorum copula parentum
Femina ut simplex generata constat,
Unde peccati vel originalis
Non fuit expers.

Illa sed tanto reparata casu
Spiritus Sancti bonitate scitur,
Qui Dei templum geniti futuram
Sanctificavit.

Et oratio diserte oppositam sentent iamproclamabat: « Deus qui B. V. Mariam

7) *Alexander VII* [1], per celeberrimam Bullam *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* an. 1661 decretum anni 1622 confirmavit, ac simul declaravit, festo Immac. Conceptionis coli sanctificationem B. M. V. in primo instanti creationis eius animae atque in corpus infusionis [2]. Quae Bulla tam explicita est, ut quasi ad definitionem accedere dicenda esset, nisi in fine Pontifex Constitutionem Sixti IV confirmasset, quoad modestiam servandam erga illos qui Deiparae privilegium impugnant [3].

8) *Clementis IX* Constitutionem *Commissi nobis,* iam bis indicavimus. Qua festi impositione maxima quidem auctoritas fidei de Immaculata Conceptione accessit; nondum tamen, praesertim post tot controversias, dogma uti definitum censendum erat [4].

« *post animae infusionem,* per copiosum gratiae munus, mirabiliter *ab omni peccati* « *macula mundasti,* et in Sanctitatis puritate postea confirmasti, etc. ».

[1] Omitto decretum a Congregatione S. Officii latum anno 1628 sub Urbano VIII, a quo Hispaniarum Rex instantissime dogmaticam declarationem exposcebat: Cuius decreti textus infra p. 122, sq. reperitur.

[2] En praecipua huius Bullae verba quoad doctrinam de Immac. Conc. B. M. V.: « Constitutiones et decreta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et prae- « cipue a Sixto IV Paulo V et Gregorio XV editae in favorem sententiae asserentis « *animam B. M. Virginis in sui creatione et in corpus effusione Spiritus Sancti* « *gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse,* necnon et in favorem « Festi, et cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae *secundum piam istam sen-* « *tentiam,* ut praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem Con- « stitutionibus contentis observari mandamus ».

[3] « Vetamus autem, Sixti IV Constitutionibus inhaerentes, quempiam asserere, « quod propter hoc contrarium tenentes, videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum « originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; « *cum a Romana Ecclesia et ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout* « *Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus* ».

Inter illos qui vehementiori zelo privilegium Deiparae tuebantur, videntur sodales fuisse Societatis Iesu, ex sequenti sententia: « Volentes quod contra huius nostrae « Constitutionis transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis et Instituti, *etiam* « *Societatis Iesu....* »

[4] Omitto res minoris momenti, qualis est permissio Ordini S. Francisci a Pio VII anno 1806 data Immaculatam Conceptionem in Praefatione Missae celebrandi. Quae permissio anno 1834 Archiepiscopo Hispalensi pariter concessa, deinceps celerrime diffusa est, ita ut anno 1843 ipse Ordo Praedicatorum eamdem facultatem sibi obtinuerit *.

Pariter in Litaniis Lauretanis invocatio: « *Regina sine labe originali concepta* », rogantibus episcopis Foroiuliensi et Gandavensi, anno 1839 permissa est, ac dein celerrime propagata.

* Cf. Malou, (op. cit., col. 536); Perrone, (op. cit., p. 256).

9) Votis demum orbis catholici ultro obsecundans [1], *Pius IX,* in B. Virginem pietate insignis, per Constitutionem *Ineffabilis Deus,* an. 1854, ipso die 8 Decembris, solemni ritu Immaculatam B. M. Conceptionem dogma definivit.

III.) - Tanguntur quaedam praecipuae rationes theologicae.

Famosum illud: *Potuit, decuit, ergo fecit,* vim suam derivat ex harmonia dogmatum. Si iam in ordine naturae tam intimo nexu elementa tenentur, quanto arctiori vinculo ordo revelationis et gratiae non exposcit dogmata ad invicem colligari? Unde praeter directas probationes Scripturarum, placet, post expositam evolutionem traditionis, intueri quas-

[1] Iam inde ab anno 1840 Gregorius XVI vota plurium praesulum e variis regionibus acceperat, definitionem dogmaticam sollicitantium. Similia vota quum undique multiplicata recepisset, Pius IX laetabundus die 2 Februarii 1849 litteras encyclicas *Ubi primum* edidit, quibus definitioni veluti viam sternebat, et officium speciale in Festo Conceptionis B. Virginis concedebat.

Dum autem Ecclesiarum devotio in dies excresceret, theologica inquisitio magis magisque mysterium scrutabatur. Ex operibus inde natis, praeter ea quae decursu huius expositionis iam saepius consulimus atque citavimus, iuvat adhuc afferre sequentia. Anno 1822 Abbas Cassinensis P. Rivarola, natione Siculus, subtili discursu conatus est ostendere necessitatem Immaculatae Conceptionis ut Christus posset nasci undequaque sanctus: *(Dissertazione in cui si prova che Maria Vergine sia stata necessariamente Concepita Immaculata per necessaria conseguenza all'infallibile dogma della divina sua Maternità,* - Palermo - *Pareri,* v, 1). Anno 1839. P. Marianus Spada, Ord. Praed. acuto studio S. Thomam ad mentem Immaculatae Conceptionis trahere conatus est: *(Esame critico sulla dottrina dell'Angelico dottore S. Tommaso di Aquino, circa il peccato originale relativamente alla Beatissima Vergine Maria,* - Napoli - *Pareri,* v, 181). Operi P. Perrone iam saepius citati sequenti anno 1848 successit eruditissimum opus in favorem definitionis conscriptum a P. Biancheri, sacerdote Mission.: *(Voto in forma di dissertazione sulla definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento della B. V. M.* - Tivoli - *Pareri,* v, 181). Eodem fere tempore Conventualium Familiae theologus P. Bigoni, opusculum egregium de eodem argumento edidit: *(In lode di Maria Santissima senza macchia concetta, dissertazione).* Alia omitto opuscula, vel opera quae relata vide apud Malou, loc. cit., p. 540.

E coetu Cardinalium tria prodierunt opera magni pretii. Card. Gaude Ord. Praed. scripsit: *De Immaculato Conceptu, eiusque dogmatica definitione in ordine praesertim ad scholam thomisticam, et institutum Fratrum Praedicatorum.* Card. De Romo, archiepiscopus Hispalensis edidit orationem: *Discurso sobre la Inmaculada Concepcion de Maria, dedicado á S. M. la Reina Isabel II.* Imprimis autem iam anno 1843 Card. Lambruschini plaudente Purpuratorum senatu, dissertationem egre-

dam rationes, quae Immaculatam Deiparae Conceptionem aliae exigunt, aliae saltem suadent, ne structurae sublimiori fidei aliqua veluti compago desit.

Rationes petitae ex lege decentiae non quidem sufficiunt per se ad aliquam veritatem stricte demonstrandam, nec ad dogma definiendum. Imo facile eisdem quis abuti potest. Quare cancellarius Gersonius ab huiusmodi vitio theologum arcet [1]. Ubi agitur de privilegiis B. M. Virginis haec lex habet sensum positivum simul et negativum, seu respectum extensivum et restrictivum. Non enim omnia prorsus privilegia Deiparae tribuenda sunt, sed ea tantum, quae cum eius indole ac charactere conveniunt [2].

Immaculatam Conceptionem propugnarunt ex rationibus huius decentiae inter alios ps.-Anselmus [3], Thomas de Argent. [4], Dyonisius Carthus. [5], Nicolaus a Sancto-Albano [6],

giam confecerit, cui titulus: *Sull'Immacolato Concepimento di Maria, dissertazione polemica* - E scriptoribus Anglis adducendus est D. Ullathorne episc. Birmingh. O. S. B.: *The Immaculate Conception of the Mother of God, an exposition.* — E scriptis Germanorum citanda est dissertatio Aug. Opitz, Archidiac. Breslav — (italice reddita in collectione *Pareri,* v, 769). — Inter Gallos eminet iam saepius laudatus Abbas Guéranger, de cuius opere ita scribit eruditus episc. Brugiensis Malou: « De « tous les écrits publiés en 1850 sur le mystère de l'Immaculée Conception, le plus « remarquable sans contredit est le *Mémoire* de Dom Guéranger abbé de Solesmes. « Ce petit volume plein de sens et de raison, a le caractère d'un écrit original. L'au- « teur a su s'approprier les arguments anciens de telle sorte qu'ils paraissent nou- « veaux sous sa plume. Il a fait justice aussi et d'une manière triomphante des dif- « ficultés que l'on soulevait alors et contre le mystère même et contre sa définibilité » *. Optime quidem, sed forte nondum satis, Abbas enim Solesmensis potius quam « s'ap- « proprier les arguments anciens » valuit « avec des faits anciens faire des argu- « ments nouveaux ».

Hanc ingentem operum seriem veluti clausit geminum opus iam saepe laudatum Passaglia et Ballerini, quorum prius partim in lucem prodiit post definitum dogma, et Bullae dogmaticae formam suggessit; alterum paucis diebus ante definitionem typis vulgatum est.

Omnia tanti studii documenta Pius IX asservata voluit in collectione vastissima, cui titulus: *Pareri sulla definizione dogmatica dell'Immacolato Concipimento della B. Vergine Maria.* De his omnibus praeter Malou, lege Sire: *Enumération des documents relatifs à la définition du dogme de l'Imm. Conc. de la T. S. V.*

[1] *Tract. de Suscept. human. Christ. Verit.* 16, opp. 6, p. 452 sq.

[2] Hanc legem egregie evolvit P. Terrien (Op. cit., l. iii, c. 7, *Règle de convenance*).

[3] *De Conc. B. M. V.,* P. L. clix, 301, sqq.

[4] In III, Dist. iii, q. 1, n. 1.

[5] *De laud. Virg.,* l. 1.

[6] Ep. 172. inter epp. Petri Celleno. — P. L. cciii, 926.

* Op. cit., p. 541 seq.

Salmeron [1], Suarez [2], etc. Ipseque Scotus eadem regula ductus est, quando praemissis tribus sententiis, scilicet B. Virginem fuisse a peccato originali undequaque immunem, vel subiectam eidem per instans, vel per longius tempus, concludit « videtur probabile, quod excellentius est, tribuere « Mariae » [3]. Vi huius legis, qui tenent B. Virginem esse immaculate conceptam, sunt veluti in possesso. « Praesu- « muntur multa de Virgine, ait monachus Anglus Nicolaus, « quae nusquam leguntur; et praesumptionibus standum est, « donec probetur in contrarium » [4]. Et adhuc expressius ps.-Anselmus: « Donec ostendat mihi Deus aliquid dignius « excellentia Dominae nostrae posse dici, quae dixi, dico; « quae scripsi, non muto » [5].

Percurramus igitur aliquas ex huius decentiae rationibus, vel potius praecipuos quosdam eiusdem decentiae aspectus.

1) Prima decentiae ratio theologica petitur ex relatione specialissima quam B. Virgo habet *ad tres personas SS. Trinitatis* [6]: Notissima sententia est S. Anselmi: « Decens erat, « ut ea puritate, *qua maior sub Deo nequit intelligi,* Virgo « illa niteret, cui *Deus Pater* unicum Filium suum, quem « de corde suo aequalem sibi genitum, tanquam seipsum « diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus « idemque communis Dei Patris et Virginis Filius; et quam « *ipse Filius* substantialiter facere sibi matrem eligebat; et « de qua *Spiritus Sanctus* volebat, et operaturus erat, ut « conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat » [7]. Atqui sublimis haec sanctitas exigit Immaculatam Conceptionem; ergo. Optime Guéranger: « Les rapports que Marie « devait avoir avec la divinité même, étant non seulement « la Fille du Père céleste, mais appelée à devenir la propre « Mère du Fils, et le Sanctuaire ineffable de l'Esprit Saint, « ces rapports exigeaient que rien de souillé ne se rencon-

[1] Comment. *in Hist. Evang.* tr. XII, m. p. 113 (Col. Agripp.).

[2] *De Myst. Christi,* D. 3, l. 5, § 12 etc.

[3] III, q. 1, n. 18.

[4] Loc. cit.

[5] Op. cit., col. 317.

[6] De hac relatione Mariae ad Trinitatem fusius dicemus, ubi de divina Virginis maternitate.

[7] *De Conc. Virg.* c. 18, - P. G. CLVIII, 451.

« trât, même un seul instant dans la créature prédestinée à « de si étroites relations avec l'adorable Trinité; qu'aucun « ombre n'eût jamais obscurci en Marie la pureté parfaite, « que le Dieu souverainement saint veut trouver même dans « les êtres qu'il appelle à jouir au ciel de sa simple vue » [1].

2) Urgetur ista ratio, si consideramus *amorem praedestinantem Filii* erga Matrem suam. Ille ipse, qui de Maria nasciturus erat in tempore, non habet ortum ista nativitate nisi secundum naturam humanam. Ipse idem Rex est saeculorum, Sapientia divina a fine ad finem omnia apte disponens. Ergo praedestinante amore prope infinito erga Matrem agebatur; nec ullae serpentis insidiae potuerunt unquam hunc amorem lethali telo praevenire. Hanc decentiae rationem his verbis ostendit auctor operis *de Conceptione B. Mariae Virginis:* « Te igitur, Domina, quam in tantum culmen praedestinavit « et extulit divina potentia, quam tot praerogativis dotavit « cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit « ad mundo subveniendum ipsa omnium salvandorum inef- « fabilis misericordia, crediderimus, quaeso, te morti peccati, « quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in « tuo conceptu potuisse gravari? » [2].

Impossibile est ergo, impossibilitate indecentiae, ut Filius Matrem praedestinans, non praedestinaverit a quavis culpa prorsus immunem. Unde concludit Abbas Solesmensis: « L'amour du Fils a donc protégé la Mère » [3]. Quae protectio, si amoris, potentiae quoque fuit. Unde ad Immaculatam Conceptionem iure extendere possumus haec verba cantici *Magnificat:* « Quia fecit mihi magna, qui potens est ».

3) Tertia ratio invenitur in *ipsa pulchritudine* B. Mariae Virginis. Sponsus Cantici exclamat: « Tota pulchra es, amica « mea, et macula non est in te » [4]. Iam vero quaenam harmonica pulchritudo in Maria esse posset, si revera originalis labis defectum etiam per instans habuisset? Hanc rationem eloquenter evolvit P. Segneri: « Il peccato originale è mac- « chia di origine, la quale nella Vergine avrebbe non so

[1] *Année Liturgique,* Fest. Imm. Conc.
[2] Op. cit., col. 309.
[3] Ibid.
[4] IV, 7.

« come, offuscate tutte le sue glorie seguenti, ecc. E qual « sua grandezza non perderebbe di lustro con questa mac- « chia? Fingasi che ella fu concetta in peccato, e poi mi si « dica: Che si afferma di lei, che ella è Reina del cielo? Sì, « ma prima fu suddita dell'inferno. Che ella è Madre di gra- « zia? Sì, ma prima fu figlia d'ira. Che ella è Avvocata dei « peccatori? Sì, ma prima fu compagna loro nel peccato. « S'ella è Genitrice del Verbo; non è anche vero che prima « gli fu nemica? La sposò lo Spirito Santo, ma prima la « soggettò il tiranno tartareo. L'adottò il Padre eterno, ma « prima la possedè il ladrone infernale. Dite quanto sapete, « se la Vergine fu d'origine infetta, basta questa ignominia « ad offuscare tutte le sue susseguenti prerogative » [1].

Haec ratio potest parumper aliter evolvi, considerando scilicet conditionem singularem totius vitae B. Virginis, in qua nihil prope fuit, quod non omnino leges communes excesserit. Iam vero quaenam esset in hac tam miraculosa existentia unitas, si a tot miraculis primum instans, quod tamen ob peccati solidaritatem, tanti momenti erat, B. Virgo miserabili omnium sorti fuisset derelicta? Praeclare id exponit Bossuetius: « Que si nous remarquons, au contraire, en elle « une dispense presque générale de toutes les lois; si nous « y voyons un enfantement sans douleur, une chair sans « fragilité, des sens sans rébellion, une vie sans tache, une « mort sans peine; si son époux n'est que son gardien, son « mariage, le voile sacré qui couvre et protège sa virginité; « son Fils bien-aimé, une fleur que son intégrité a poussée; « si lorsqu'elle le conçut, la nature étonnée et confuse crut « que toutes ses lois allaient être à jamais abolies; si le « Saint Esprit tint sa place, et les délices de la virginité, « celle qui est ordinairement occupée par la convoitise; qui « pourra croire qu'il n'y ait rien eu de surnaturel dans la « conception de cette Princesse, et que ce soit le seul endroit « de sa vie qui ne soit marqué par quelque insigne mi- « racle? » Oportet igitur ut in primo instanti Maria fuerit a lege contrahendae labis exempta.

4) Idem exigit *proportio privilegiorum.* Vidimus enim,

[1] *Paneg. dell' Immac. Conc.*

scimusque aperte per Scripturas, Ieremiam et Ioannem Baptistam fuisse in utero matris sanctificatos. Iam vero dignitas B. Virginis est ordinis longe excelsioris prae dignitate utriusque Prophetae. Ergo oportuit, ut per privilegium altioris ordinis ante nativitatem sanctificaretur. Ad hoc autem non sufficit, uti iam monuimus, spatium brevius quo fuisset sub peccato. Ergo debuit a primo instanti a peccato praeservari. Hoc sensu ait auctor tractatus *De Concept. B. M. V.*: « Si « igitur Ieremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in « vulva est sanctificatus, et Ioannes, Dominum in spiritu et « virtute Eliae praedecessurus, Spiritu Sancto est ex utero « matris repletus, quis dicere audeat, singulare totius sae- « culi propitiatorium, ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum « reclinatorium, mox in suae conceptionis exordio Spiritus « Sancti gratiae illustratione destitutum? » [1].

5) Et sane titulus *Reginae Angelorum* id pariter evincit. Etenim Angelorum agminibus peculiaris est splendor, quem nusquam culpae nebula ullo modo hebetavit. Quotquot enim angelicis choris intersunt, nunquam peccato, ne levissimo quidem obnoxii extiterunt. Condecet proin, ut beatissima illa creatura, cui ab aeterno thronus super Cherubim et Seraphim lucidissimus parabatur, nullo unquam naevo fuerit maculata. Placet rursus audire ps. - Anselmum hanc rationem egregie evolventem: « Angelis aliis peccantibus, bonos a pec- « catis servavit, et feminam Matrem suam mox futuram, ab « aliorum peccatis exsortem servare non valuit? In aeter- « nitate consilii fixum statuit, eam dominatricem et reginam « fore Angelorum, et nunc inferiorem Angelis natam, et con- « sortium acceptam esse credemus omnium peccatorum? » [2].

Potest utique Deus tanta gratiarum ubertate cumulare creaturam initio peccatricem, ut quantitate gratiae primum etiam Angelorum principem exsuperet; at decentius sane nulla his immaculatis agminibus creatura praeficitur, nisi immaculata. Quod tanto verius est, quanto magis per se natura humana praesertim lapsa angelicae naturae cedit. Unde nisi illibato nitore supra naturam extollatur, disproportio vix adesse videtur, ut Angeli usquequaque fideles,

[1] Loc. cit., col. 305.
[2] Op. cit., col. 307.

pareant illi quae, licet dumtaxat per instans brevissimum, Luciferi de homine triumphum erat experta.

6) Huic rationi proxima est ratio a dignitate *novae Evae* petita. De qua dignitate iam superius sat diximus, ut hic eam paucis in mentem revocare sufficiat. Novus Adam infinite Adamo praestat. Oportet proin ut nova Eva nullatenus cedat priori. Iam vero prior Eva sine macula de Adamo prodiit. Oportet ergo ut nova Eva nullum in ortu naevum cognoverit. Haec est stella, quae de Iacob oritura praedicabatur. Cur stella, nisi quia nitor eius ab ipso initio erit splendidissimus? Eleganter auctor Sequentiae, quae in Missali Cluniacensi an. 1523 legitur: « Stella nova noviter oritur, « - cuius ortu mors nostra moritur; - Evae lapsus iam resti- « tuitur in Maria ».

Inter recentiores scriptores hanc rationem facunde illustrat laudatus P. Terrien: « Je ne m'étonnerais donc pas d'en- « tendre l'Apôtre enseigner du nouvel Adam qu'il fut saint, « pur, immaculé, séparé des pécheurs, plein de grâce et de « vérité, à l'instant même où il se revêtit de notre nature, « quand même sa dignité de Fils de Dieu me serait encore « inconnue. Ce qui me surprendrait, ce serait d'apprendre « que la nouvelle Eve, cette mère des vivants, a été con- « çue dans la mort et qu'elle n'est pas dès lors sortie par « anticipation vivante et pure du côté de Jésus, endormi « sous la croix. L'ordre de la réparation ne serait plus en « rapports harmonieux avec celui de la première institution; « et la compagne de l'Homme-Dieu serait, de ce chef, pré- « parée moins complètement à son ministère de grâce que « l'associée de notre premier père » [1].

7) Porro si titulus Evae novae exigit Mariam sine labe conceptam, idem expostulat *exuberantia operis salvifici*. Et sane S. Paulus ait: « Non sicut delictum, ita et donum: si « enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia « Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plu- « res abundavit » [2]. Ex quibus verbis sic arguit Frassen: « Christi Domini gratia in plures abundavit, quam Adae « delictum: ac subinde necesse est ut Christi Domini gratia

[1] Op. cit., c. 3, *Raisons de l'Imm. Conc.*
[2] Rom. v, 15.

« ad aliquos derivata fuerit, quos Adami delictum non inqui-
« naverat; alioquin non apparet qualiter inconcussa staret
« apostolici oraculi veritas: sed si ad aliquem Adamici
« delicti expertem, derivari debuit haec Christi Domini
« mediatoris gratia, maxime ad dilectissimam eius Genitri-
« cem » [1]. Ergo. Haec forte non sine quodam excessu dicta sunt; tum ubi plures excipiendi dicuntur, tum ubi hoc consequens ponitur tanquam absolute requisitum, ut Pauli verba veritatis fundamentum habeant. Sed suasivam in hisce verbis virtutem haberi ad Deiparae privilegium fulciendum, negari vix potest. Exuberantia quippe operis salvifici exigere videtur, ut praeter Christum salutis auctorem, sit quaedam creatura quae de Christo participaverit quam maxime, et de Adamitico influxu nihil, nisi id, quod superius explicavimus, debiti ligamen. Haec est ipsa Virgo immaculate concepta.

Hisce aliisque rationibus, quas evolvere pietati arrideret, permotus veluti instinctive populus christianus indubitanter Deiparae privilegio adhaerebat [2], quando in Scholis mentes, ceteroquin Mariae devotissimas, dubitatio imo negatio tenebat. His rationibus movebatur celeber ille Immaculatae Virginis cultor S. Leonardus a Portu Mauritio, quando tam ardenti desiderio definitionem quasi praeveniens exclamabat: « Oh! che gran bene!; oh! che gran bene! » Sed addebat: « Ma è necessario, che scenda un raggio di luce dall'alto; « se questo non viene, è segno che ancora non è arrivato « il tempo designato dalla Provvidenza, e converrà pazien- « tare in vedere un mondo così imbrogliato ». Radius venit in plenitudine temporum; nec fortuitus fuit rependitus ille veluti solis subrisus, quo inter nebulas inopinato facies Pii IX

[1] *Scotus Acad.* t. III, tr. I, art. 3, sect. 3, q. 1.

[2] Duo prope saecula adhuc perficere cursum debebant ante solemnem dogmatis definitionem, et tamen privilegio Mariae addictissimus princeps Ferdinandus III Austriae imperator, statuae Immaculatae Virginis Vindobonae anno 1647 erectae, haec dicatoria verba subscripsit: « D. O. M. — Supremo coeli terraeque Impera- « tori, — per quem reges regnant; — Virgini Deiparae — Immaculate conceptae, — « per quam principes imperant, — in peculiarem Dominam, — Austriae Patronam, — « singulari pietate susceptae — se, liberos, populos, exercitus, provincias, — omnia « denique — confidit, donat, consecrat, — et in perpetuam rei memoriam, — statuam « hanc ex voto ponit — Ferdinandus III. Augustus ». Sane « Beatus populus, cuius « Dominus Deus eius » et Maria Domina eius!

resplenduit, dum in Basilica Vaticana expectatum oraculum fauste tandem protulit.

Sciscitanti autem qui factum sit, ut praerogativa antiquitus agnita, tot rationibus suffulta, in dubium vocari potuerit, et quidem a clarissimis mediae aetatis ingeniis, nolo respondere cum pseudo-Anselmo invehendo in illos, qui privilegio B. Virginis minus faventes exstitere. Operae tamen pretium est, verba afferre quibus disputationem suam inducit: « Principium, « quo salus mundo processit, mihi considerare volenti occur- « rit hodierna solemnitas, quae beatae Matris Dei Mariae mul- « tis in locis festiva redditur. Et quidem priscis temporibus fre- « quentiori usu celebrabatur, ab eis praecipue, in quibus pura « simplicitas et humilior in Deum vigebat devotio. At ubi « et maior scientia et praepollens examinatio rerum mentes « quorumdam imbuit et erexit, eamdem solemnitatem, spreta « pauperum simplicitate, de medio sustulit; et eam quasi « vacantem, redegit in nihilum » [1]. Quasi B. Virgo, humilitatis exemplar et amatrix, laudes suas in ore infantium et lactentium decantari magis sibi complacuerit, cum Filio exclamans: « Confiteor tibi Pater, quia abscondisti haec a « sapientibus... et revelasti ea parvulis... » [2]. Vulgus enim a doctis disputationibus alienum, facilius interdum veritati adhaeret, quia de modo eam exponendi atque defendendi minus est sollicitum. Iam vero omnes rationes allatae contra Immaculatam Virginis Conceptionem erant indirectae, aliunde petitae sive ab auctoritate Romanae Sedis, quae festum nondum publice probaverat, sive a dignitate Redemptoris, cuius universale munus per hoc Mariae privilegium limitari, sive ab ipsa diffudendi peccati lege, quae exceptionem nullam admittere videbatur. Sed haec omnia esse vana, populus instinctu pietatis sentiebat. Quare ad triumphum Immaculatae Virginis nihil aliud requirebatur, nisi ut haec obstacula removerentur; ad quod, iuxta superius dicta, maxime contulit Scotus. Praeclare Bossuetus, quocum hanc partem nostrae tractationis absolvere lubet: « Il y a certaines propositions « étrangères et difficiles qui, pour être persuadées, deman- « dent que l'on emploie tous les efforts du raisonnement et

[1] Op. cit., p. 301.
[2] MATTH. XI, 25.

« toutes les inventions de la rhétorique. Au contraire il y en « a d'autres qui jettent au premier aspect un certain éclat « dans les âmes, qui fait que souvent on les aime, avant de « les connaître. De telles propositions n'ont pas besoin de « preuves. Qu'on lève seulement les obstacles, que l'on éclair- « cisse les objections, l'esprit s'y portera de soi-même et d'un « mouvement volontaire. Je mets en ce rang celle que j'ai « à établir aujourd'hui. Que la Conception de la Mère de « Dieu ait eu quelque privilège extraordinaire, que son Fils « tout puissant l'ait voulu préserver de cette perte commune « qui corrompt toutes nos facultés, qui gâte jusqu'au fond « de nos âmes, qui va porter la mort jusqu'aux sources de « notre vie, qui ne le croirait, chrétiens? Qui ne donnerait « de bon cœur son consentement à une opinion si plau- « sible? » [1].

At si fuit populi fidelis gloria, ab hac pia devotione nunquam esse avulsum, docti viri qui subtiles controversias de singulari privilegio Virginis contexerunt, etiam impugnando Deiparae gloriam promoverunt. Nisi enim haec lis in Ecclesia esset exorta, nunquam forte Immaculata Conceptio fuisset a Romano Pontifice infallibili oraculo proclamata.

Obiicies. - Nonne istae argumentationes ex mera decentia maiorique perfectione, conducunt ad optimismum? Iam vero alibi optimismus uti falsus exclusus est. - *Resp.:* Optimismus utique falsus est, qui a priori, ex mera pulchritudine maiori ad existentiam rei contingentis concludit. Non autem ille qui veluti a posteriori, a praemissis iam a Deo positis, ad perfectam harmoniam consequentis concludit. Hoc sensu tenenda est sententia S. Augustini, quae est simul legum decentiae aptissima formula: « Quidquid tibi vera ratione melius occur- « rerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium con- « ditorem » [2].

Quaeres I. - Quomodo concipienda est illa operatio Dei, B. Virginem immaculatam in sua origine constituens?

Missa opinione Rosmini, utpote iure ab Romana Sede pro-

[1] Exord. du 1. Serm. sur la *Concept. de la Vierge.*

[2] *De lib. arbitr.* l. III, c. 5, n. 13.

scripta [1] et prae oculis habitis, quae superius diximus de debito peccati originalis in B. Virgine admittendo, hoc ordine concipimus quae Deus praestitit, ut Filii Matrem in primo temporis instante suae animationis a contagio originali liberaret. Naturali via ab Adamo traducta, caro B. Virginis debuisset esse caro peccati, - hoc contra Rosminium; at in secundo instante logico haec caro a Deo purificata est, ea purificatione physica, quae fomitem deleret [2]. In secundo instanti logico anima B. Virginis huic carni purificatae est unita. In tertio instante logico haec anima impleta est illa gratiarum plenitudine, quam mox eamdem decorasse probabimus. Unde anima B. Virginis, licet non fuerit prius tempore sanctificata quam corpori unita, imo licet logice prius fuerit corpori unita, fuit vere a primo temporis instante sanctificata, ac proin ab originale labe servata immunis.

Quaeres II. - Quid adhuc opus fuit dogmatica definitione Pii IX ut Immaculata Conceptio omnibus credenda proponeretur, post actus plures quibus Sedes Romana iam antea hoc privilegium ab omnibus colendum proposuerat?

Laudatus Palmieri, post actus S. Sedis de hoc argumento breviter comprehensos, nervose quaesitum his verbis stringit: « Itaque difficultas in tribus occurrit: primo quod prae-
« cepta sit celebratio festivitatis toti Ecclesiae; secundo quod
« hoc pacto praecepta sit, ut obligarentur fideles ad colendam
« ipsam Conceptionem Virginis sanctam et immaculatam;
« tertio quod interdictum sit publice et privatim asserere ma-
« culatum Conceptum eiusdem. His enim videtur aequiva-
« lenter saltem definitio contineri. Quaestio ergo huc redit:
« an eo ipso quod festi celebratio praecepta est, habeatur
« definitio Ecclesiae circa obiectum cultus; 2) an eo ipso quod
« obligantur fideles colere interiore quoque cultu immacula-
« tam Conceptionem, censendum sit decretum latum defini-

[1] « Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, sat erat ut incorruptum « maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemonio, e quo incor- « rupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore orietur Virgo « Maria ». Prop. 34 damnata a Leone XIII, die 14 Decembris 1887 (Denzinger, n. 1769).

[2] Alii hoc elementum omittunt, et potius extinctionem fomitis a redundantiae originalis iustitiae repetunt. In nostra sententia, sicuti minor fit ratio debiti, ita perfectior est approximatio ad statum originalis integritatis, ac proin facilius explicatur fomitis extinctio.

« tionis; 3) an prohibitio illa, ne quid publice vel privatim « dicatur contra doctrinam immaculati conceptus, sit aequi- « valenter definitio dogmatis » [1].

1) Et quidem indirecte a priori constat, haec definitioni non aequivalere, caeterum modus agendi Pontificum fuisset absurdus, nedum ridiculus. Protestabantur enim se definitiones edere nolle, et quod facere nolebant, per id ipsum quod agebant ne facerent, nihilominus fecissent.

2) Sed et directe idem haud aegre ostendi potest. Etenim *a*) eatenus per impositum festum obiectum festi fide tenendum imponeretur, quatenus fide certum esset, in his iudicium Ecclesiae esse infallibiliter ab errore immune. Iam vero hoc non constat. Imo certitudo theologica de hoc argumento restringi debet ad illud primarium quod Ecclesia intendit [2]. Secus quomodo possent errores subripere textibus liturgicis ab Ecclesia non solum probatis, sed iniunctis? Iudicium scilicet Ecclesiae, quando, absque ulteriori definitionis voluntate, festum instituit ac urget, se medium aliquomodo habet inter credenda simpliciter et facta particularia, in quibus Ecclesia errare potest; quemadmodum de canonizatione Sanctorum expresse affirmat S. Thomas [3], cui adhaerent inter alios Canus [4] et Bellarminus [5]. Concludamus: festum Immaculatae Conceptionis B. M. V, quale Romana Sedes ante dogmaticam definitionem instituit, reddidit hoc Mariae privilegium ad summum theologice certum, non autem fide credendum.

b) Per hoc responsum iam via sternitur ad alterum. Haec enim certitudo theologica sufficit, adiuncta obligatione interni cultus, ut interne quis hunc cultum praestare teneatur, tanquam sanctum; non autem ut illum cultum ex fide divina sanctum credere debeat.

c) Facilior patet responsio ad tertium. Etenim aliquid ab auctoritatem habente potest interdici ob varias rationes, nec

[1] Op. cit., p. 719, sq.

[2] Imo hoc valet tantum de festis quibus aliqua dogmatica veritas colitur, non de festis quibus colitur aliquod factum, uti, v. gr., traslatio S. Domus Lauretanae, apparitio B. Virginis in Lourdes, etc. Nisi solemnissimo oraculo aliquid de huiusmodi factis Ecclesia stabiliret.

[3] *Quodl.* IX, art. ult.

[4] *Loc. theol.*, l. V, c. 3.

[5] *De SS. Beatitud.*, l. I, c. 9.

quidquid dicere non licet, ideo malum aut falsum sit oportet. Quod in hac controversia de Immaculata Conceptione multipliciter patet. Et sane quando S. Pius V Ord. Praed. interdixit utrisque partibus, ne quaestionem de Immaculata Conceptione, nisi in academiis, agitarent, num ideo opinionem de Immaculata Conceptione uti malam aut falsam declaravit? Insuper postquam Gregorius XV omnino proscripsit, ne in privatis quidem colloquiis aut scriptis Immaculata Conceptio B. M. V. impugnaretur, si per haec voluisset dogma definire, quomodo potuisset paulo post decreto suo temperamentum apponere, permittendo sodalibus Ordinis Praedicatorum, ut privatim inter se sententiam Thomisticae Scholae dictam tuerentur? Num forte quod aliis fide erat credendum, ab istis negari potuit? aut haec mitigatio priorem definitionem retractavit? Quin potius eam nullo modo definitioni aequivaluisse demonstravit. Sed et alter effectus huius sane mirabilis mitigationis fuit, differre illum universalem consensum, qui tantam potuisset acquirere virtutem, ut, probante Ecclesia, vim definitionis aequivalenter habuisset.

« Verum, addit praecitatus theologus, quemadmodum cer-
« tum theologice est Ecclesiam non errare in praescribendo
« cultu Sanctorum, ita theologice iam certum esse debebat
« immaculatum fuisse conceptum B. Dei Genitricis. Studium
« vero partium tantummodo efficere poterat, ut vis huius
« argumenti non adverteretur aut sentiretur ».

Iure proin doctus Abbas Guéranger in suo laudato opusculo *Mémoire sur la question de l'Immaculée Conception de la T. S. V.* ex usu diuturno Ecclesiae magis magisque expresso veritatem definiendi dogmatis demonstrat. « Nous nous bor-
« nerons donc à reproduire l'axiôme fondamental donné par
« St Augustin, et dans lequel ce grand Docteur formula
« avec sa précision et sa profondeur accoutumées, la notion
« de l'Eglise dans ses rapports avec les doctrines de la foi
« et de la morale: *Quae sunt contra fidem vel bonam vitam*
« *non approbat, nec tacet, nec facit Ecclesia* » [1].

Pariter ex dictis apparet, quo iure Congregatio S. Officii iussu Urbani VIII diebus 25 Nov. 1625, et 15 ac 29 Ian. 1626,

[1] P. 10. — *Epist. ad Ianuar.* c. 9.

adunata unanimi suffragio decreverit: « ad favorem opinio-
« nis Immaculatae Conceptioni faventis, Sanctitatis Suae
« praedecessores (Sixtum IV scilicet, Paulum V et Grego-
« rium XV) quousque progressos esse, nihil ut iam hodie
« reliquum sit, quam vel quaestionem definire, vel aequipol-
« lentia definitioni statuere ». Ecclesiam autem Romanam tunc temporis ex sapientissima prudentia nondum voluisse in alterutrum exire, demonstratur ex hoc quod, licet in Constitutione sua *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* Alexander VII Immaculatam Conceptionem maxime extollat, tamque praeclaris verbis describat, ut nec ipsa Bulla *Ineffabilis Deus* aptiora adhibuerit, nihilominus se nolle rem definire expresse declarat [1]. Quare supererat, ut Deiparae privilegium definiretur.

Ergone nulla erat Ecclesiae alia via controversiam definite truncandi, quam definitio solemnis, qualem Pius IX fauste edidit? Hanc ipsam quaestionem fuse tractat Perrone in sua *de Immaculato B. V. M. Conceptu disquisitione,* et sapienter, - scribebat enim anno 1847, - haec praemonet: « Multiplici ratione firmari ac definiri aliqua veritas catho-
« lica potest, aut directe videlicet, aut indirecte, idque rursus
« aut expresse aut tacite. *Directe* quidem, cum veritas sub
« anathematis poena credenda proponitur; *indirecte*, cum in
« obliquo, ut aiunt, res tenenda proponitur, in recto autem
« infallibilitas Ecclesiae, quae ita docet esse sentiendum.
« *Expresse,* dum conceptis verbis ius credendum exprimi-
« tur; *tacite* demum dum factum cum iure servandum, seu
« factum, quod a iure pendet atque in eo fundatur, adstrui-
« tur » [2]. Et adductis ex Concilio Tridentino variorum modorum exemplis, eosdem ad Immaculatam Deiparae Conceptionem definiendam applicat. Et sane loco definitionis directae, quam Pius IX prae omnibus aliis viis elegit, potuisset indirecte rem attingere declarando vel infallibilitatem Ecclesiae in instituendo et urgendo festum Immaculatae Conceptionis, aut declarando sanctitatem ritus quocum haec Conceptio colitur.

Imo, si laudatum theologum bene intelligimus, ipse vide-

[1] Cf. verba superius citata, p. 109.
[2] P. 223, 224.

batur magis pronus in modum, qui non directe haeresi damnaret eos, qui oppositum tenerent, idque ob reverentiam tot virorum et piissimorum et doctissimorum, qui hanc sententiam erronee tenuere [1]. Animosus autem Pontifex nulli solemnitati pepercit, quominus absolutissima formula dogma directe proclamaret. Proposita enim dogmatica doctrina pergit: « Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod « Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac « porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium « circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse ».

Scholion. Ex factis et considerationibus quae in hac disquisitione de Immaculato Virginis Conceptu exposuimus, apparet quantopere aberrent vel haeretici, dum Ecclesiae improperant aut traditionem oppositam diu in eius sinu vigentem, aut moras Sedis Romanae contra extraneum veluti cultum reluctantis; vel increduli, dum Immaculatae Conceptionis dogma tanquam novam veritatem explodunt.

1) Ut ab his ultimis incipiamus, est quidem Immaculata Conceptio novum dogma, quatenus ante definitionem a Pio IX latam, hoc Deiparae privilegium nondum numero dogmatum catholica fide ab omnibus tenendorum adnumerabatur. Imo huc praecise spectavit definitio solemnis. Non autem est dogma novum, quatenus aliquid decernat novi, quod antea in fidei deposito non esset inclusum. Unde potest vocari antiqua veritas noviter quidem dogma, at non novum.

Et sane quonam spectat sacrae religionis penitior investigatio, studium illud quo nullum est altius, nisi ut revelatae veritates melius meliusque cognoscantur, tum quoad suam vim singularem, tum quoad suam connexionem ad invicem, tum quoad suam extensionem, tum quoad suam profunditatem? Quae sane obtineri nequeunt fructuose, nisi plura, antea minus clara, iam deinceps nitidius percipiantur. « Fas est ete« nim, ut verbis ipsius Vincentii Lerinensis utar, ut prisca « illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excu« rentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, « ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam,

[1] Perrone, p. 226, sq.

« lucem, distinctionem; sed retineant, necesse est, plenitudi-
« nem, integritatem, proprietatem » [1].

Imo haec est ipsa a Deo intenta haeresum utilitas, ut urgente controversia, duce Spiritu Sancto, veritas magis illustrata fortiusque vindicata triumphet. « Multa quippe, ait Au-
« gustinus, ad fidem catholicam pertinentia, dum haeretico-
« rum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi
« possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius,
« et instantius praedicantur, et ab adversario mota quaestio,
« discendi existit occasio » [2]. Quod non de haeresibus modo, sed servata proportione de quovis erroneo asserto valet.

Iam vero in evolutione dogmatis Immaculatae Conceptionis tum Lerinensis criteria, tum Augustini rationes esse servata, manifestum est.

2) Haereticis autem respondemus, fidem de Immaculata Conceptione habuisse quidem stadia diversa, at nunquam ita ut opposita fides traditionem universalem pro se habuerit. In primis enim temporibus fuit fides implicita, instinctiva, quin res expressis verbis nisi a paucioribus diceretur, a nullo tamen vere negaretur. Accedente Pelagiana haeresi, dogma transfusionis peccati originalis impugnante, plures Patres e coryphaeis contra hoc doctrinae monstrum luctantium, tantopere universalitatem huius diffusionis urgerunt, ut Matris Dei privilegium negare, verbis saltem visi sint. Postea controversia de diei festi opportunitate ac nomine, dubium de ipsa praerogativa nutrivit, accedentibus Scholarum praeiudiciis sive ex philosophia de carnis animatione, sive ex theologia de singulari dignitate Christi. Per hoc quidem stadium minor pars inter Doctores privilegium B. Virginis clare exposuit ac propugnavit; populus tamen fidelis unanimi prope animo purissimae Deiparae cultum nedum dimisit, adaugendum curavit. Scisso tandem dubiorum velo imprimis per dialecticum Scoti gladium Scholae ipsae celeri progressu cum Ecclesiarum devotione magis magisque concordarunt.

Quod si Romana Sedes non prima Festum Immaculatae Conceptionis induxit, prudenti ut ita ageret, ratione non caruit. Ipsa tamen festum cum indubitato titulo Immaculatae

[1] *Commonitorium*, c. 23.
[2] *De civit. Dei*, l. XVI, c. II, n. 1.

Conceptionis, cum expressis formulis Missae et Officii a Leonardo de Nogarolis confectis iam sub Sixto IV sancivit.

Nedum igitur haeretici in hac dogmatis evolutione calumnias excitent, laudent potius prudentiam quam summum fidei Magisterium in re tam gravi saeculorum decursu adhibuit.

Caeterum licet plane ut difficultates traditionis in hac quaestione theologus vocet graviores, quam forte in quovis alio argumento. Ita, ut duos scriptores ex eodem perdocto coetu nominem, longe plus concedit his difficultatibus Petavius quam Palmieri. Nobis videtur veritas stare in medio. Plura testimonia quae Petavius interpretatur, in oppositum salvari posse, putamus, non autem omnia quae alter, acutissime licet, ad veritatem trahere studet.

Duo sane ex tota hac controversia emergunt: quantum sit fidei magisterium Romano Pontifici a Christo commissum; et quantum valeat sensus populi fidelis cum suis Pastoribus Pastori supremo coniuncti. Huc facit quod ait Ioannes Fischerus Rossensis: « Nemini dubium est Ecclesiam Spiritu Sancto « regi, nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio. Nam « in eo promissus est Spiritus ipse Sanctus; Spiritus, inquam, « veritatis, ut in Ecclesia maneat in aeternum, et ut eum « ducat in omnem veritatem, annuntietque quod Christi est, « et quod audierit a Christo » [1].

Quaeres. - Quomodo potuit Pius IX solemni oraculo definire dogma Immaculatae Conceptionis, quum ipsa infallibilitas Romani Pontificis nondum esset definita? [2]

Multipliciter huic quaestioni responderi potest. *a*) Concilium Vaticanum Romano Pontifici infallibilitatem non tribuit, sed quam a condita Ecclesia Petrus eiusque successores tenent a Christo, declaravit. - Unde *b*) Romanus Pontifex potuisset suam ipse infallibilitatem definire. Secus quomodo posset Concilium oecumenicum declarare infallibile seipsum? - Quare *c*) definitio dogmatica Immaculatae Conceptionis, si eam Pius IX tulisset solus, implicite fuisset ipsius infallibilitatis Cathedrae Romanae definitio. - At *d*) noluit Pontifex

[1] Libr. pro Angliae rege contra Lutherum.

[2] Cf. de hoc Abb. GUÉRANGER (op. cit. § VIII. « *Par quelle autorité doit-être « portée la décision, si elle a lieu ?*) ».

dogmaticam declarationem edere solus, sed cum Ecclesia universali, non quidem in Concilium adunata, sed sparsa per orbem. Huc spectabant petitiones ad Gregorium XVI, ad ipsumque Pium IX undique missae. Huc praesertim tendebant verbae Encyclicae « *Ubi primum* »: « Optamus autem vehe-« menter, ut maiore qua fieri potest, celeritate Nobis significari « velitis, qua devotione vester clerus, populusque fidelis erga « Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo « desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decer-« natur, atque in primis noscere vel maxime, quid vos ipsi, « Venerabiles Fratres, pro eximia vestra sapientia de re ipsa « sentiatis quidque exoptetis ». Utrumque igitur in hac definitione convenit, tum consultatio atque conspiratio catholici orbis, tum Pontificis supremum oraculum. Unde in Officio diei 8 Decembris legitur: « Pius IX Pontifex maximus, totius « Ecclesiae votis annuens, statuit supremo suo et infallibili « oraculo solemniter proclamare »; idque egit « ingenti sanc-« tae Romanae Ecclesiae patrum Cardinalium et Episco-« porum ex dissitis etiam regionibus astante coetu, univer-« soque plaudente orbe », quo magis hic supremi magisterii actus consensu Ecclesiae universae veluti suffultus appareret.

CONCLUSIO.

Liceat iam hanc de Immaculata Conceptione dissertationem concludere utendo verbis Evangelistae Ioannis: « Signum « magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole et luna sub « pedibus eius » [1]. Est ipsa Virgo, tanto splendens gratiae nitore, ut solis aciem exsuperet; pedibusque calcans lunam, emblema candoris instabilis maculaque commixti. « Et in « capite eius corona stellarum duodecim ». Ipsa quippe, plenitudine gratiarum ornata, tum choris praesidet Angelicis, tum Sanctorum agminibus ex omni tribu Israël congregatis.

Apparuit autem in summitate caeli, quando Conceptionis eius praerogativa solemni oraculo est proclamata; quae praerogativa tantopere Mariam designat et quasi synthetice continet, ut nuper puellae ad rupem Massabielle ipsa de se non

[1] Apoc. XII, 1.

in concreta sed in abstracta forma dixerit: « Je suis l'Immaculée Conception » [1].

Irrideant sane increduli tantas controversias per tot saecula motas, antequam hoc privilegium diademati dogmatum insereretur. At quotquot pie de rebus fidei sentiunt, grato ac laetabundo corde in aevum salutabunt non modo diem, quo nova haec lux Ecclesiae affulsit, sed et Pontificem per cuius labia oraculum intonuit [2].

Et sane quot in hoc dogmate continentur, quot ex hoc dogmate effluunt bona!

Etenim post Incarnationem Verbi, mortemque Christi, Immaculata Mariae Conceptio est perfectissimus Dei de diabolo triumphus. Est fructus uberrimus salvifici Sanguinis. Est praedestinationis Patris sapientissimum simul ac amantissimum opus, pietatis Filii tenerrimum pignus, gratiae Spiritus Sancti potentissima operatio. Est ipsius Incarnationis dulcisonum praeludium, nostraeque naturae in Virgine exaltatio praenobilis. Est insuper in ipsa concepta Puella radix subsequentis magnitudinis atque splendoris. Licet enim Immaculata Conceptio divinae Maternitati, utpote decens medium altissimo fini subordinetur; est tamen insimul eiusdem Maternitatis fundamentum.

Ponit ergo Immaculata Conceptio Virginem in ordine omnino speciali, in quo nullum habet consortium, sicuti in faecunditate coniuncta virginitati nullam sibi similem agnoscit.

Sed proclamatio huius eminentis praerogativae, non modo in laudem cedit B. Virginis, sed et toti Ecclesiae multipliciter proficit. Et sane, quodnam maius civitatis bonum quam gloria eorum, qui eius sortem moderantur? Si ergo in hymno Angelico canit Ecclesia: « Gratias agimus tibi propter « magnam gloriam tuam », licet adiungere: « necnon propter « magnam gloriam Dominae nostrae Immaculatae ». Eo vel magis quod Mariae decus ac potentia in omnes ordines rei publicae tum civilis, tum religiosae redundant. Augetur inde

[1] Nolumus tamen per haec verba istam apparitionem exhibere uti fide tenendam.

[2] Inde S. Leonardus a Portu Maur. in laudata epistola de Benedicto XIV ait: « Una volta glie ne parlai, e gli mise in considerazione, che si sarebbe immortalato « nel mondo, ed avrebbe acquistato una corona di gloria nel Cielo ».

mundo spes salutis, si Illa quae ab initio haereses pede contrivit, inimicitior serpenti affulgeat, ac proin terribilior.

Adde bonum, quod singulis accedit ex immaculato exemplari splendidius ante cordis oculos coruscante; adde, thesaurum veritatum divinitus revelatarum, quo nullus pretiosior dari potest, veluti augeri dum penitius agnoscitur; adde mundo in paganismum voluptatis relabenti, remedium supremum allatum per candidam figuram, quae simul in se praedicat tum generis humani lapsum, tum Incarnationis opificium, tum intemerati splendoris apicem, in quem tendere debeant, quotquot de humana nobilitate ac sorte, non depresse ad dictamen sensus in lutum proclivi, sed ad tramitem spiritus divina anhelantis, alte sentiunt.

Haec sane prae oculis habebat sanctus ille Leonardus, quando Immaculatae Conceptionem vocabat « un'opera di sì « gran rilievo, da cui dipende la quiete del mondo, tenendo « per certissimo, che se si farà un sì grande onore alla Sovrana « Imperatrice, si vedrà subito fatta la pace universale » [1].

Haec quoque intuebatur Abbas Guéranger, quando iam proximum oraculum his votis appellabat: « Que la terre « entende donc bientôt cette parole de salut qui lui assu- « rera de nouvelles espérances! Le Fils de Dieu ne brisera « pas un monde tout retentissant de la gloire de sa Mère; « l'arc de paix brillera de nouveau sur les nuées du ciel; le « cours des châtiments que les nations ont mérités et qui « leur arrachent le cri de la détresse, s'arrêtera tout-à-coup, « et les flots de la colère de Dieu se remplieront sur eux- « mêmes » [2]. Faxit Deus!

Ex dictis vides, quantopere erraverint, non illi tantum qui cum Muratori [3] indefinibile Immaculatae Conceptionis dogma autumabant, sed et qui hanc definitionem uti inutilem aspernabantur [4].

[1] Loc. cit.

[2] Op. cit., § 7, p. 121.

[3] *De ingeniorum moderatione in religionis negotio*, p. 145.

[4] « Quia nihil facit ad nostrarum animarum salutem, sive diva Virgo in peccato « originali concepta fuerit, sive non; neque inde religioni quidquid accedit, neque « recedit: igitur ea quaestio otiosis ventribus reliquenda est ». Ita venter sane non otiosus, Sarcerius (in *postilla circa Evang. in die Conc. Mart.*). — Utilitatibus supra expositis adde bonum unitatis catholicae, quae in huius dogmatis proclamatione

APPENDIX.

De mente S. Thomae circa Immac. Concept. B. M. V.

Tanta est in rebus theologicis auctoritas Aquinatis [1], ut, praeter iam dicta, penitius investigandum videatur, quid revera de Immaculata Conceptione Angelicus tenuerit. Et sane si scripta S. Thomae de hac quaestione essent evidentia, sive in favorem huius privilegii sive eidem opposita, explicari non posset, quomodo hinc inde eius auctoritas traheretur. Imo legitimum est, ubi de tanto Doctore agitur, tunc solum affirmare, eum errasse, quando de errore manifesto constat.

Iam vero quaeritur, utrum in casu res se ita habeat. Abbas Guéranger, postquam agnovit, auctoritatem S. Bernardi, Magistri, Alexandri Halensis, ipsiusque S. Bonaventurae praerogativae B. Virginis adversari, de S. Thoma iudicium proferre non audet [2]. Et sane in variis operibus Aquinatis reperiuntur hic illic textus, quorum alii privilegium B. Virginis asserere, alii negare videntur.

Unde interpretes ac theologi in quatuor partes abeunt. Alii [3] diserte affirmant, S. Thomam Immaculatam Conceptionem negasse; inter quos primas partes tenuere plerique Thomistae [4]. – Alii contendunt, S. Thomam, recte intellectum,

mirabiliter enituit; necnon praeparationem proclamationis infallibilitatis Rom. Pontificis, quae in modo huius definitionis sese, nullo reclamante, manifestavit. — De quibus lege Malou (Loc. cit., art 6).

[1] Eleganter idem Malou: « Ce grand Saint, dont le vaste génie a exploré tout « le domaine de l'esprit humain, jouit d'une autorité si grande dans l'Eglise, qu'elle « semble y faire loi, a qu'on croit ne pouvoir en quelque sorte avoir tort avec lui, « ni raison contre lui » (*L' Immacul. Conc. de la bienh. Vierge Marie*, Bruxelles 1857, t. II, p. 464).

[2] « Saint Thomas d'Aquin amène la cause au tribunal de sa haute raison théo- « logique; son regard si pénétrant s'éblouit dans la contemplation d'une question si « ardue; il quitte la terre sans avoir éclairci pleinement aux yeux de la postérité « le sentiment définitif auquel il s'est arrêté » (Op. cit., p. 12. sq.).

[3] Inter hos recentissimus eminet Chr. Pesch (op. cit., t. III, n. 327, sqq.), cuius dissertationem studioso lectori valde commendamus.

[4] Nec solum maxime propinqui Angelico, uti Aegidius Romanus et Petrus de

Deiparae praerogativam affirmare, quod etsi non ab initio propugnarunt quoque aliqui theologi ex ipso Ordine Praedicatorum, uti Capponi a Porrecta [1], Ioannes a S. Thoma [2], Natalis Alexander [3]. - Alii, uti laudatus Abbas Solesmensis, rem in dubio relinquunt. - Alii demum, inter quos doctissimus Malou [4], putant ipsum S. Thomam fuisse animo fluctuantem.

Quo magis autem pia de Immaculato Conceptu B. M. Virginis sententia fideles atque doctos invincibili veluti praestigio ad se trahebat, eo instantiori conamine defensores huius praerogativae conati sunt, Doctorem Angelicum in suam sententiam interpretari. Quae tentamina ab ipsa definitione dogmatis mirum in modum excrevere. In quo, utrum semper progressio habeatur genuinae eruditionis, dubium non nemini erit [5]. Sane adductae sunt rationes acutae; sed, uti Cl. Palmieri, - ipsum sane benignum in hac re Aquinatis interpretem, - olim in aula Collegii Romani dixisse memini: « Haec « poterant inveniri prius ».

Inter theologos, qui S. Thomae doctrinam cum dogmate Immacul. Conc. componere conati sunt, eminent, praeter tres iam enumeratos, N. Eichovius [6], Eus. Nieremberg [7], Sylveira [8],

TARENTASIA, postea Innocentius V, PETRUS DE PALUDE, HERVAEUS NATALIS, etc; sed et sanctitate aut eruditione summi, uti S. ANTONINUS, et CAIETANUS, etc., etc.

[1] *Summa totius theol. S. Thomae.* Qui tamen concedit, S. Thomam in *Summa* privilegio B. Virginis potius adversari.

[2] *Specul. sine macula. Tractatus de approbatione et auctoritate S. Thomae.* Disp. 2, a. 2.

[3] *Hist. Eccl.* Dist. XVI, saec. II, § 21; saec. XV et XVI, ep. 4, a. 14.

[4] « J'avoue que je ne puis résoudre cette difficulté, qui me porte à croire que « S. Thomas dans cette question peu éclaircie de son temps a flotté et passé d'une « opinion à l'autre » (Op. cit., t. II, p. 471). — Pariter SALAZAR existimat, S. Thomam utramque opinionem uti probabilem iudicasse (*Defensio pro Immac. Deiparae Virg. Conc.* ep. 42, pp. 389, sqq.).

[5] Uti monumentum indiscreti zeli prostat opinio cuiusdam recentis scriptoris, qui non veretur contendere, S. Thomam Immac. Conceptionem propugnasse fortius, quam omnes alios huius privilegii defensores: « Thomas stimmt bis auf den Punkt « auf dem i überein mit der Kirche; und er geht darin weiter wie alle sogen. Ver- « theidiger der unbefleckten Empfängniss ». Contra quam paradoxalem propositionem strenue scripsit W. TÖBBE (*Die Stellung des hl. Thomas von Aquin zu der unbefleckten Empfängniss der Gottesmutter,* Münster 1892).

[6] *Ang. doct. S. Thom. Aqu. de Virg. Deip. immac. Conc. sententia e multis eius operibus studiose collecta et edita.* Posnaniae 1651.

[7] *Except. Concil. Trid. pro omnimoda puritate Deip. Virg. expensae,* ep. 21.

[8] *Immac. Conc. ss. ac pur. V. Mariae,* opusc. 4, q. 17.

Sfondrati [1], Vega [2], Thyrs. Gonzalez [3], Steph. Chiesa [4], Plazza [5], recentiusque M. Spada [6], L. Cornoldi [7], Rouard de Card [8], Morgott [9].

Porro ad inquirendam mentem Doctoris Angelici duplex maxime patet via: alia critica, alia hermeneutica. Priorem maxime ingressi sunt ex antiquioribus Velasquez [10], Petrus de Alva [11], Eus. Nieremberg, Sfondrati et Frassen [12]; e modernis Lambruschini [13], Gual [14] et Palmieri [15]. — Alteram potius tenent cum Eichovio, antiqui Aquinatis interpretes Capponi a Porrecta et Ioannes a S. Thoma; quibus adhaerent e modernioribus Vega, Plazza, Perrone, Spada, Gaude, Cornoldi, Schäzler, Hurter, Morgott, etc.

Nos, accipientes utique quae ab istis legitime proferuntur, putamus et methodum criticam in praesenti argumento adhibendam esse, quod sequentia abunde demonstrabunt.

Quum igitur e S. Thoma depromantur textus, qui se invicem excludere videntur, quatenus Immaculatam Conceptionem alii affirmant, alii negant: utriusque classis testimonia sedulo perpendemus, incipiendo a locis, qui catholico dogmati favent. At quaedam criteria hermeneutica praemittenda ducimus.

[1] *Innocentia vindicata,* etc.

[2] *Theol. Mor.* Psal. 3, cert. 4, n. 241 sqq.

[3] *De certitud. gradu, quem infra fidem nunc habet sententia pia de Immac. B. Virg. Conc.* disp. II, sect. 17, n. 188-210.

[4] *Epistolica dissertatio Scoti-thomistica,* etc.

[5] *Causa Immac. Conc.,* art. 8, a. 1, n. 54, sqq.

[6] *Esame critico sulla dottrina dell'ang. dott. S. Tommaso di Aqu. circa il peccato originale relativamente alla B. Verg. Maria.* Rom. 1855. — *Animad. critica in opus I. B. Malou, De dogm. Immac. Conc. B. M. Virg.* Romae 1862.

[7] *Sententia S. Thomae Aqu. de immunitate B. V. Dei Parentis a pecc. orig. labe,* ed. alt. Neap. 1870.

[8] *L'ordre des Frères Prêcheurs et l'Immac. Conception.*

[9] *Die Mariologie des H. Thomas von Aquin,* p. 67 sqq. Herder. 1878.

[10] *De Mar. immaculate Concepta,* diss. 1, ann. 5. Lugd. 1653, pag. 40.

[11] *Nodus indissolubilis inter approbationem conceptus S. Thomae et conceptum ventris B. Mar. Virg.* (parcat lector huic titulo *de mauvais goût*). *Radii Solis zeli seraphici.* Lovan. 1666.

[12] *Scot. acad. sive Doct. Subt. Theol. dogm.* Ven. 1744, t. III.

[13] Op. cit., n. 39, p. 82, sqq.

[14] *Della definibilità della Conc. Immac. di Maria. — Dissert. teolog. volgariz. dallo spagnuolo dal P. Marc. Civezza.* Roma 1852, p. 85, sq.

[15] Op. cit., p. II, ep. 4, t. LXXXVI. p. 717, sqq.

1) Regula sanae interpretationis est, ut clariora adhibeantur ad explicanda obscuriora.

2) Quotiescumque apud auctorem ponderis contradictoria de eodem argumento occurrunt, non admittenda est contradictio vera, nisi conciliatio sit impossibilis, aut ipse auctor dixerit, se mutasse sententiam.

3) Inter varios textus qui aliquod argumentum tangunt, hi habendi sunt maioris momenti, in quibus res de qua movetur quaestio, directe, ex professo, et non indirecte aut per transennam tangitur.

4) Non sufficit ad concordiam doctrinae vindicandam, ut aliqua sententia salvari possit a contextu avulsa; oportet ut tota argumentationis aut expositionis connexio cum hac interpretatione conveniat.

His praemissis, iam utriusque classis textus aequa lance perpendamus.

§ 1. - Perpenduntur textus Immac. Conc. faventes.

Per gradationem incedamus.

a) Primum gradum tenent sententiae in quibus passim a B. Virgine *omnis macula* excluditur, v. gr.: « In Christo et « in Virgine Maria *nulla* omnino *macula* fuit » [1]: — « Corpus « suum posuit in sole et in Maria, quae nullam habuit obscu- « ritatem peccati » [2]. — « (B. V.) quae fuit plena gratia, in « qua *nullum peccatum* fuit » [3]. - At huiusmodi sententiae possunt, si id expostulet ratio, salvari ponendo in B. Virgine celerrimam et plenissimam deletionem originalis culpae, cum exclusione omnis peccati personalis. Videamus igitur, utrum alibi S. Doctor hanc Mariae puritatem pressius describat.

b) Et re vera datur talis quaedam descriptio, quae cum labis originalis contractione vix stare possit: « Augmentum « puritatis est secundum recessum a contrario, et quia in « B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit « ad summum puritatis; sub Deo tamen, in quo non est

[1] Exp. in Ps. XIV.
[2] In Ps. XVIII.
[3] *Expos. in Orat. Domin.*, pet. 5.

« aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura, « quantum in se est » [1].

A pluribus theologis omnis huic loco vis denegatur, quia vox « depuratio », uti aiunt, supponit culpam; imo haec significatio subauditur etiam quando adhibetur vox « immunis » [2]. At haec exceptio per se non valet. *Immunitas* enim nullo modo supponit primam contagiem illius rei, a qua aliquis praedicatur immunis. Secus quomodo posset Christus passim ab omni contagio immunis praedicari? [3] et quomodo salvaretur Immaculatae Conceptionis definitio? Caeterum S. Thomas saepe vocem « immunis » sumit in sensu labem prorsus excludente [4]. At omnino tenendum puto, hanc vocem accipere duos gradus: alterum pressiorem, qui omnem contagiem excludit; alterum minus pressum, qui ponit plenam a labe liberationem.

Pariter vox *epuratio*, sicut et mundatio, non omnino supponit labem, sed potest accipi in sensu maioris remotionis a macula. Recte quidem Malou: « Dans l'ordre sublime « de la grâce ces expressions *purifier, purger,* ne supposent « aucune souillure actuelle, mais une augmentation de pu- « reté. C'est ainsi que S. Denis l'Aréopagite décrit les puri- « fications et les purgations, qui s'opèrent dans la hiérarchie « Angelique, où le péché n'a jamais pénétré » [5]. En sane S. Thomas de Christo ait: « Christus non assumpsit carnem « humani generis subiectam peccato, sed ab omni infectione « peccati *mundatam* » [6]. Et alibi purificationem Virginis in Incarnatione factam confert cum purificatione angelica: « Spi-

[1] I. Dist. XVII., Q. II, a. 4, 3.

[2] Ita Card. Turrecremata. (*De veritate Conc. B. Virginis*, p. xii, ep. 13, p. 730). — Cf. auctorem *Concordantiae dictorum et conclusionum D. Thom.* Dubium 370. (*Tabula aurea Petri Bergom.*). — Et adhuc fortius Estius, quem citare iuvat: « (B. V.) a peccato originali et actuali immunis fuit, nempe quando facta est « mater Dei, quia scilicet fomes, qui est materiale in peccato originali, tunc in ea « fuit extinctus et per consequens nec ad actualia peccata sensit inclinationem. Et « haec est vera mens S. Doctoris, etc. » (III. Sent. iii, § 5).

[3] Cf. S. Ambros. (*De Spir. S.*, l. iii, c. 19). — Ps. Anselm. (*De Conc. B. M. V.*). — Cf. Serm. de B. M. Virg. Sancto Bonaventurae assignatum. — I.-II. Q. LXXXI, a. 5, 2m. — IV. Dist. Q. II, a. 2; — III. Q. XXVII, a. 3, c. — II-II. Q. CLII, a. 1. c.

[4] Op. cit., t. ii, c. 13, a. 3, p. 449.

[5] Op. cit., t. ii, c. 13, a. 3, p. 449.

[6] III. Q. XXXI, a. 7, 1. — Cf. III. Dist. III, Q. IV, a. 2 et 5; III. Q. XXVII, a. 3, c.

« ritus Sanctus in B. Virgine duplicem purificationem fecit, « unam quidem quasi praeparatoriam ad Christi conceptio- « nem, quae *non fuit ab aliqua impuritate culpae vel fomitis,* « sed mentem eius magis in unum colligens et a multitudine « sustollens. Nam et Angeli purgari dicuntur, in quibus « nulla impuritas invenitur, ut Dionysius dicit cap. 6, de *Eccl. Hier.* » [1].

Concedi ergo debet, in allata sententia S. Thomae sat magnam haberi vim; non autem per se decisivam.

c) Porro haec vis longe crescit, si conferatur cum altera sententia consimili et magis expressa: « Puritas intenditur « per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum « inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si « nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas « B. Virginis, quae *a peccato originali et actuali immunis* « *fuit.* Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia « ad peccandum » [2].

Huic sententiae tanta visa est Cl. Malou inesse evidentia, ut scripserit: « Dans son Commentaire sur le premier livre « des Sentences, il (S. Th.) l'admet (Immac. Conc.) en termes « formels » [3]. Et allato hoc textu Ioannes Segob., theologus Concilii Basileensis, iam olim exclamabat: « Quid clarius dici « potest? » [4]. Fatemur sane, locum habere vim magnam, imo maximam. Ut tamen esset decisiva, constare deberet, nunquam vocem « immunis » significare perfectam liberationem. Quod non puto tam facile evinci posse, si alia prostent eiusdem scriptoris testimonia [5], quae exigant istud vocabulum hoc sensu in hoc loco sumi, ne scriptor sibi aperte contradicat.

Eiusdem virtutis est alius locus, saltem iuxta lectionem non paucorum codicum (quorum unus e XIII saec.): « Tertio « excedit Angelos quantum ad puritatem: quia Beata Virgo « non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem

[1] III. Q. XXVII, a. 3, 3.

[2] I. Dist. XLIV, Q. I, a. 3. De authentica verborum « *originali et* » non dubitatur.

[3] Op. cit, t. II, p. 470.

[4] *Avisamenta,* etc. Cf. ed. — Uccelli. *Exp. in Salut. Ang.,* p. 101.

[5] Et sane quando S. Thomas dicit alibi, B. Virginem *in suo ortu* a peccato originali fuisse *immunem,* non intelligit talem immunitatem, quae non ponat prius labis contractionem, nam hanc in praecedentibus affirmat (III. Q. XXVII, a. 2, 2). Sed de hoc textu mox.

« aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, « quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum « incurrit » [1].

Improbabile non est, verba « *nec originale* » esse authentica, tum propter similitudinem cum alio loco certo, in quo *originale* ponitur; tum propter distinctionem inter mortale et actuale, quae completam enumerationem appellare videtur; tum ob verba « ipsa Virgo », quae in alia versione pro verbis « nec originale » leguntur, et quae cum initio sententiae minus conveniunt. Quonam spectaret, paucis verbis interiectis, iteratio: « Ipsa enim... » « ipsa Virgo »? Caeterum iam S. Leonardus a Portu Mauritio monuerat, codices Parisienses piae sententiae conformes esse repertos [2]; pluresque theologi ad hunc locum appellarunt [3]. Imo Petrus de Alva [4] Romanos operum S. Thomae editores de corrupto textu insimulat; a qua tamen accusatione eosdem strenue defendit de Rubeis [5]. At contextus opusculi potius interpolationem suadet. Quare iudicium de hac lite suspendimus.

Concludamus hanc inquisitionis partem dicendo, apud S. Thomam plures sententias occurrere, in quibus vix dubium esset praedicari doctrinam de Immac. Conceptione, nisi aliae sententiae [6] apud eumdem auctorem occurrerent, quae demonstrent, priores ad interpretationem latiorem, licet forte per se minus obviam esse trahendas.

[1] *Expos. in Salut. Ang.* (*E. P.* opusc. 6). — Cf. Uccelli (*D. Th. Aq. doct. Ang. in Salut. Angel. expos.*). — *Ami de la Religion,* 1856; — *I gigli di Maria,* 1874, 7 marzo.

[2] « E perchè la riverenza che si deve all' Angelico Dottor San Tommaso raf- « fredda molti, deve sapere, che quando era in Parigi l'Eminentissimo Crescenzi in « qualità di Nunzio, gli scrissi che trovandosi nella regia libreria i manuscritti di « San Tommaso, facesse vedere di qual sentimento sia il santo dottore. Lo fece con « ogni diligenza, e ce lo mandò autenticato col sigillo regio, dichiarando il Santo « Dottore la Nostra Signora immune di ogni peccato, sì attuale come originale, « dicendo l'istesso molti tomi antichi esistenti in varie librerie, e particolarmente « nella biblioteca vaticana » (Epist. cit.). Haec epistola, in monasterio S. Bonaventurae in Palatino colle, ipso in sacello ubi sanctus vir obiit, religiosissime asservata, fertur Pium IX, qui hanc ibidem in principio sui pontificatus attente perlegerat, ipsum fatentem movisse, ut proclamandum quantocius dogma, opitulante Deipara, moliretur.

[3] Ita Bernardinus de Bustis, Petrus Canisius, Salmeron, Sfondrati.

[4] *Nodus indissolubilis* etc., pp. 501, 699, 716. — Cf. Uccelli (*Dissert. storic.-crit.,* n. v, p. 63, sqq.; *Exp.* p. 106, nota).

[5] *De gestis et scriptis S. Thomae,* diss. 8, cap. 2.

[6] Imo si reperiantur, uti diximus, tales in eodem opere, e quo unam e prioribus sententiis desumpsimus, crescit sane huius mitigatae interpretationis necessitas.

§ II. - Perpenduntur textus Immac. Conc. contrarii.

Pariter hic cum gradatione incedamus, proferendo prius textus minus urgentes, dein disertiores magisque prementes.

a) Habemus primo textus in quibus universalis lex diffusionis peccati originalis describitur. Huiusmodi sunt, v. gr.: « Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod « omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam deri- « vati, peccatum originale ex Adam contrahunt: alioquin « non omnes indigerent redemptione, quae est per Christum, « quod est erroneum » [1]. - Et: « Erroneum est dicere quod « aliqui seminaliter ab Adam deriventur absque originali « peccato; sic enim aliqui homines essent, qui non indi- « gerent redemptione facta per Christum. Unde simpliciter « concedendum est, quod omnes, qui seminaliter ab Adam « propagantur, peccatum originale contrahunt mox in ipsa « sua animatione » [2].

Iam vero patet, huiusmodi textus per se non magis excludere privilegium Immaculatae Conceptionis, quam universalis doctrina S. Pauli de diffusione originalis peccati. Quare tales sententiae ad normam dogmatis de Maria praerogativa facile explicantur.

b) Proxime accedunt textus in quibus sanctitas Christi opponitur sanctitati Mariae: « Christus excellit B. Virginem « in hoc, quod sine originali conceptus et natus est; beata « autem Virgo *in originali est concepta, sed non nata* » [3]. — « Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in « ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Lucae I: « " Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei ". Sed « B. Virgo *contraxit* quidem *originale peccatum,* sed ab eo « fuit mundata, antequam ex utero nasceretur. Et hoc signa- « tur Iob III, ubi de nocte originalis peccati dicitur: " Expe- « ctet lucem ", id est Christum, " et non videat " (quia nihil « inquinatum incurrit in illam, ut dicitur Sap. VII), " nec

[1] I-II. Q. LXXXI, a. 8, c.

[2] *Quaest. disp. de Malo,* Q. IV, a. 6, c. — Is. II. Dist. XXXI, Q. I, a. 2, sol. et in contr.

[3] *Exp. in Salut. Angel.*

« ortum surgentis aurorae ", id est B. Virginis, *quae in suo « ortu a peccato originali fuit immunis* » [1].

Verba per se opponi dogmati, iuxta terminologiam hodie receptam, negari prorsus nequit. At quaestio est, utrum re vera hunc sensum habeant. Ut igitur vim harum sententiarum effugiant, praelaudati theologi, de concordia inter doctrinam Aquinatis ac definitionem dogmatis ardentius solliciti, conantur demonstrare, in his nihil aliud a sancto Doctore affirmari, nisi necessitatem, quam Maria contraxit in sui conceptione activa, ut ob materiale peccati originalis naturali via traductum, in conceptione passiva formale etiam contraxisset, nisi ab eo reddita fuisset immunis.

Audiamus conclusiones Morgott: « Demnach konnte der « Aquinate, ohne gegen das heutige kirchliche Bewusstsein « zu verstossen, sagen: B. Virgo in originali sive in peccato « originali concepta fuit; denn er redet 1. nicht von der « Empfängniss Maria's der Seele, sondern dem Leibe nach; « 2. nicht von ihrer Person, sondern von einem constitutiven « Theile ihres Wesens — von dem Leibe, der erst durch die « Verbindung mit der Seele ihre Person bilden soll und daher « auch 3. von der Erbsünde, nicht in formalem, sondern in « materiellem Sinne, insoweit sie nämlich im Fleische sein « kann, d. h. virtuell, somit von der natürlichen Befleckung « der Leibes, welche die sittliche Befleckung der Seele, der « Person — die Erbschuld nothwendig nach sich zieht » [2].

Equidem concedimus, imo superius diximus, conceptionem frequenter in sensu conceptionis mere activae sumi, pariter peccatum originale non raro intendi de materiali tantum huius peccati; sed quaestio est, utrum in isto loco haec verba istum dumtaxat sensum habeant. Quod mihi valde difficile est, ut admittam. Et sane, - praeter totum contextum, - in eadem sententia debent sumi verba in eodem sensu, nisi oppositum constet. Iam vero verbum « conceptio » de Christo in hac sententia dictum, dicit totum; secus quaenam sanctitas in hac conceptione praedicari possit, quum nonnisi de habente animam praedicetur? Ergo gratis asseritur, vocem conceptionis de Maria dictam, ibi non significare nisi conceptionem

[1] III. Q. XXVII, a. 2, 2.
[2] Op. cit., p. 82.

seminalem seu activam. Idem suadet vox « contrahere ». Etenim potest aliquid suscipi, aut accipi, quin contrahatur; nihil autem contrahitur, quin suscipiatur [1].

Magis adhuc id urget oppositio inter conceptionem et nativitatem: « *Beata autem Virgo in originali est concepta, sed non nata* ». Non nego, verbum « nasci » posse per se dici de conceptione completa. Ita Angelus dixit ad Ioseph de Christo: « Quod *in ea* natum est, de Spiritu Sancto est » [2]. Et ipse Aquinas duplicem sensum agnoscit: « Duplex est « carnalis nativitas: prima *in* utero, secunda est nativitas *ex* « utero » [3]. Sed admittere non possum, vocem *nasci* sumi in sensu conceptionis passivae, quando simpliciter opponitur conceptioni. Caeterum id expostulat concordantia eiusdem brevissimae sententiae. Potestne admitti, eadem verba, nullo interiecto inciso, illico commutare sensum? Nam de Christo verba « *conceptus et natus est* », debent intelligi de conceptione perfecta et de vera nativitate; ergo a pari de B. Virgine verba « *est concepta, sed non nata* ». Secus ubinam esset oppositio, si verborum sensus immediate, nullo intervallo, mutaretur? Quare huiusmodi interpretationes, quippe longius petitas, admittere non possum. Nisi in ipsa nativitate duplex instans, non temporis, sed rationis iuxta S. Thomam distingui possit, huiusmodi textus demonstrant, Angelicum Doctorem privilegium Deiparae, utpote non clare perceptum, recusasse.

c) Eadem in se, sed quoad formam expressior est vis locutionum, in quibus non solum diserte dicit, B. Virginem labem originalem contraxisse, sed et cur eam contrahere debuerit. Hic autem duplex respectus apud S. Thomam occurrit, alter ad veterem Adamum, alter ad Adamum novum.

α) Prior respectus consistit in ipsa lege traductionis peccati originalis in omnes illos, qui seminali via ab Adamo ortum ducunt. Princeps textus hunc respectum exponens iam adductus est in illustratione art. 2. Desumitur ex art. 7, Quodl. VI. Conclusio sonat: « Et ideo conceptio fuit (B. V.)

[1] De hoc magis explicite dicemus sub litera *c*.

[2] « Τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν » MATTH. I, 20.

[3] IV. Dist. XLII, q. 1, a. 2, 1. — Cf. « Nasci *de* matre est in lucem prodire; *in* « matre nasci est ipsum concipi ». Exp. in Matth., c. 1. — Sed praecise istud concipi, quando opponitur τῷ nasci, per se debet intelligi de discrimine inter nasci in matre et nasci ex matre.

« in peccato originali, et includitur in universitate illorum, de « quibus Apostolus dicit ad Rom. V: " In quo omnes pecca- « verunt " ». Iam vero haec tam generaliter dicta, quin ulla explicatio addatur de specialissima ratione, qua B. Virgo in his verbis contineatur, ad minus insinuant, scribentem de hac exceptione non cogitasse, eo vel magis, quod initium sententiae haec omnino exegisset: « Unusquisque peccatum « originale contrahit ex hoc, quod fuit in Adam secundum « seminalem rationem ». Ubi adverte, verbum « unusquisque » personam indicare, proin in eo peccatum originale iam non amplius intelligi materiale sed formale [1].

β) Alter respectus ad novum Adamum exponitur, ubi S. Thomas urget in Christo titulum universalem Redemptoris, matre propria non exclusa. « Si nunquam anima B. Vir- « ginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc dero- « garet dignitati Christi, secundum quam est universalis « omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvare non « indiguit, tanquam universalis Salvator, maxima fuit B. Vir- « ginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale « peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secun- « dum illud Luc. 1: " Quod ex te nascetur sanctum, vocabi- « tur Filius Dei ". Sed B. Virgo contraxit quidem originale « peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasce-

[1] Non ideo negamus, materiale peccati originalis in conceptione activa esse medium traductionis τοῦ formalis in conceptione passiva. Imo hanc doctrinam strenue vindicamus, et data opera fusius exponemus, ubi de peccato originali agendum erit. At non ideo sequitur, S. Thomam hic unice loqui de contractione elementi materialis. Imo hoc nobis vix probabile videtur. — Cf. sequentia mox adducenda.

Quousque autem iuxta sententiam Paulinam dici possit, B. Virginem in Adamo peccasse, subtilior quaestio est. Debet utique admitti, B. Virginem aliquo modo ad Adam caput generis lapsi pertinuisse. Hoc negare, esset incidere in excessum opinionis, quae circa annum 1600 primo in schola Toletana apparuit, et iuxta quam Maria, utpote ante praedestinatam Redemptionem a Deo praedestinata, a meritis Christi eximitur *. Aliunde autem excessus esse videtur in oppositum, si concedatur, B. Virginem ita ad Adamum pertinuisse, uti possit re vera dici in Adamo peccasse, quatenus ex eo habuit necessitatem contrahendi peccatum originale, licet de facto a formali peccati liberata sit. Quare non omnino placet modus loquendi Cornelii a Lapide: « Sic B. Virgo in Adamo peccavit et hanc necessitatem contrahendi « peccatum orginale incurrit, sed peccatum ipsum originale de facto in se non con- « traxit, nec habuit » **. Ex opposito potius dicerem: quia per privilegium singulare peccatum de facto non habuit, neque vere in Adamo peccasse dicenda est.

* Cf. Tom. Strozzi (op. cit., p. 537); Malou (op. cit., t. I. p. 9, sq.).
** In Epist. ad Rom., c. XII, 12 in fin.

« retur » [1]. - « Christus hoc singulariter in humano genere « habet, ut redemptione non egeat, qui caput nostrum est, « sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse « non potest, si alia anima inveniretur, quae nunquam ori- « ginali macula fuisset infecta: et ideo nec Beatae Virgini, « nec alicui praeter Christum hoc concessum est » [2].

Ubi adverte, S. Thomam, post Augustinum, non modo urgere titulum universalem Redemptionis, sed praecise hunc urgere relate ad privilegium B. Virginis [3]. Sunt proin huiusmodi locutiones maxime ad rem, utpote medullam argumenti efficacissime tangentes.

Insuper in his locis tam expresse sermo fit de *anima* B. Mariae, ut omnis exceptio ex materiali dumtaxat peccati originalis petita, directe in textum offendat, et prope ridicula sonet. Sunt proin hi textus veluti cardinales. Unde quum in eis verba « peccatum originale », « conceptio », « nasci »; sumantur in sensu pleno, obvio, usuali, non in sensu peccati mere materialis, aut conceptionis mere activae, aut nativitatis in utero, corroboratur ex his textibus modus, quo in superioribus textibus huiusmodi evasiones reiicimus, tanquam gratuitas et arbitrarias.

Unica via hasce sententias cum dogmate Immaculatae Conceptionis componendi, est si inducatur gemina distinctio inter contractionem de facto, et debitum contrahendi; inter prioritatem temporis et prioritatem rationis [4]. Si igitur constabit, S. Thomam hucusque dicta non intellexisse nisi de *debito* et de prioritate *rationis,* omnia poterunt salvari, et sententiae S. Doctoris contrariae privilegio Deiparae poterunt ita explicari, ut sententias ab eodem in favorem privilegii prolatas illustrent potius quam infirment.

Inquiramus igitur, utrum apud S. Thomam haec duplex distinctio in praesenti argumento prostet.

III. Q. XXVII, a. 2, 2m.

[2] III. Dist. III, Q. I, a. 1, sol. 2. — Simile legitur in *Corpore* art. 2 praesentis Quaestionis.

[3] Unde sine ulla inconsequentia, nec ullo partium studio possumus has generales sententias Augustini cum dogmate componere, quum ipse de privilegio Deiparae in his non fuerit sollicitus; dum e contra Angelicus directe de eo agit.

[4] Recole dicta superius de Scoto, cuius meritum est solutionis viam aperuisse, gordianum nodum ope huius duplicis distinctionis truncando.

α) Putant quidam theologi, priorem distinctionem apud Angelicum reperiri in textu sequenti: « Liberari autem a « malo vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum in- « currit vel in malum deiectus fuit; et ita non possent omnes « fructum Dominicae Redemptionis in seipsis percipere, nisi « omnes debitores nascerentur et malo subiecti; unde dimissio « debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod ali- « quis sine debito vel immunis a malo nascatur, sed quia cum « debito natus postea per gratiam Christi liberatur » [1]. Sed textum hunc sine praeiudicio perpendenti apparet, debitum et malum hic sumi uti synonyma, iuxta verba Orationis Dominicae: « dimitte nobis debita nostra...., libera nos a malo » [2]. Unde debitum non habet in hoc loco illam relationem ad malum, quam habet debitum ad peccatum in quaestione de qua quaerimus. Caeterum S. Thomam in hoc textu nullo modo cogitasse de B. Virgine, tanquam sola cum debito dumtaxat concepta, evidens est [3]. Proin rectissima quidem sunt, quae scribit Morgott: « So wie es aber einerseits ohne « das *debitum* für Maria eine Erlösung nicht gäbe, so reicht « dieses anderseits vollständig hin, um sie erlösungsbedürftig « zu machen, und ist es zur Idee der Erlösung nicht noth- « wendig, dass zuerst die Sünde sich Verwirkliche, um sodann « nachgerade getilgt zu werden » [4]. Haec, inquam, verissime dicuntur; sed demonstrandum esset, Angelicum hanc distinctionem in praesenti quaestione prae oculis ita habuisse, ut quodcumque de contractione peccati originalis etiam in anima B. Virginis posuerit, nonnisi de debito contrahendae labis intenderit. Cur hoc ne una quidem vice dixisset, si re vera hoc ita intelligi voluisset? [5]

[1] IV. Dist. XLIII, Q. I, a. 4, sol. 1, 3. — Cf. Spada (*Esame*, p. 85 sqq.; *Animadvers.* p. 85, sqq.). — Schäzler (*Das Dogma v. d. Menschwerd. Gottes*, etc., p. 325, sqq.).

[2] Haec duo poni in eadem linea synonymorum, patet tum ex modo quo copulantur per « vel », quin unquam pro debito addatur « saltem », aut aliquid huiusmodi; tum ex modo quo ordine invertuntur; tum ex eo quod in fine nonnisi debitum, pro utroque scilicet, exprimitur.

[3] Non apparet formula singularis pro debito habente, nisi in fine; ubi dicitur cum debito natus per gratiam Christi liberatus. Quod sane ad B. V. applicari nequit. Insuper rationes in praecedenti nota allatae, et hanc corroborant. Caeterum res patet.

[4] Op. cit., p. 85.

[5] Interpretationem praesentis doctrinae quasi de *debito* tantum intelligendae, uti volebat Capponi a Porrecta, vehementer depulerunt Capreolus et Caietanus.

Haec difficultas torquere solet theologos, qui interpretando Aquinati in sensu Immaculatae Conceptionis acuto zelo insudarunt, quin tamen sufficientem huius facti rationem attulerint. Alii recurrunt ad timorem quemdam, quo S. Doctor timidius de hoc argumento scripserit, ne offenderet vel Parisiensem episcopum, qui tunc temporis festum Immacul. Conceptionis interdixerat, vel quoddam Universitatis Parisiensis statutum [1]. - Alii confugiunt ad reverentiam S. Thomae erga Ecclesiam Romanam, quae hoc festum nondum acceperat [2]. Primae rationes sunt tanto Magistro indignae prorsus. Nec sane valet ultima. Pone, S. Thomam Immacul. Conceptionem B. M. Virginis tenuisse. Quid ei facilius fuisset, pro ingenii acumine, quam sensum huius festi determinare, removendo scilicet falsum praeiudicium contra hoc festum existens, quasi ipsa mere activa Virginis conceptio per id celebraretur [3]. Caeterum quomodo posset, quaeso, explicari, S. Doctorem ob quamdam rationem disciplinarem, quotiescumque de Immac. Conceptione directe scribebat, tam consequenter et callide verba velata adhibuisse, ut contrarium semper dicere videretur, ac opinabatur? Absit!

β) Ultima ergo spes, si tamen spes, residet in distinctione inter prioritatem naturae et prioritatem rationis. Scilicet si praesto sit aliquis locus, in quo S. Thomas ipse nobis dicat, de prioritate naturae dumtaxat sive logica, intelligenda esse quae de contractione originalis labis in B. Virgine ponit; omnes sententiae, licet interdum non sine violentia, erunt ad hunc sensum trahendae.

At, nedum huiusmodi locus occurrat, habentur in S. Thomae - α') textus in quibus haec positio omnino excludi videtur. Ita in *Sed contra est* art. 2. Quaest. praesentis, allato exemplo sanctificationis templi, concludit: « Ergo B. Virgo « non fuit sanctificata, nisi *postquam* cuncta eius perfecta « sunt, scilicet et corpus et anima ». Et *Corpus* ibidem claudit verbis: « Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis

[1] Ita inter alios Nieremberg (op. cit., cap. 21) et Gonzalez (op. cit., disp. II, sect. 17, § 2, n. 195).

[2] Ita Schäzler (op. cit., p. 337 sq.).

[3] Aliquid huiusmodi habetur in art. 2. huius Q. XXVII, ubi S. Doctor festum explicat, sed sane talibus verbis, quae, prae oculis habito articuli contextu, cum privilegio Immac. Conc. componi non possunt.

« fuerit *post* eius animationem » [1]. Porro quaestio erat: « utrum « B. Virgo fuerit sanctificata *ante* animationem ». Cur ergo, si S. Doctor tenuit B. Virginem sanctificatam *in* animatione, idipsum ope distinctionis praemissae non dixit? Imo *hoc post* ipse S. Th. explicat *cito post:* « Creditur quod *cito* « *post* conceptionem et animae infusionem fuerit sanctifi- « cata » [2]. Quid apertius?

β') Sed et prostat locus in III. Sent., Dist. III, in quo expressius B. Virgo in primo instanti animationis maculata praedicatur. Iuvat iterum hunc locum afferre, praemisso ordine huius articuli superius exposito: « Sanctificatio B. Virginis « non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gra- « tiae capax nondum erat, *sed nec etiam in ipso instante* « *infusionis,* ut scilicet *per gratiam tunc sibi infusam con-* « *servaretur, ne culpam originalem incurreret.* Christus enim « hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione « non egeat, etc. » et pergit S. Doctor afferens rationem, quam superius β) secundo loco ad verba retulimus. Equidem non ignoro, authentiam huius quoque loci a quibusdam impugnari [3]; sed prope gratuito. Insuper non est quaestio tantum de uno alterove verbo, sed imo de toto contextu. Iam vero iste hanc exceptionem non accipit.

Et sane obiectio tertia, quam S. Thomas sibi opponit, ita arguit ex nota sententia S. Anselmi « Decebat, etc. ». « Sed « maior puritas fuisset in ea, *si anima eius nunquam infectio-* « *nem peccati originalis habuisset, quam si ad aliquod tempus*

[1] In demonstrationem spurii textus affertur testimonium Ioann. Bromiard, qui hunc articulum citans, ait: « In eadem etiam quaestione, art. 2. (S. Th.) ponit eius « (B. V.) sanctificationis excellentiam quantum ad temporis prioritatem in hoc, quod « *sanctificata fuit in sui animatione,* h. e. in coniunctione animae cum corpore in « utero matris suae, et *non ante,* quia sanctificatio et mundatio fit per gratiam, « cuius subiectum est anima » *. Argumentum autem intrinsecum, quo Spada idem ostendere conatur, quasi, nisi admittatur sensus prioritatis dumtaxat temporis, ipse S. Thomas in hoc ipso loco sibi aperte contradiceret, prorsus debile est (*Animadv.*, p. 84), licet Morgott (op. cit., p. 92) magnam ei tribuat vim.

[2] *Quodl.* VI, a. 7.

[3] Cf. Petrum de Alva (op. cit., p. 296, p. 808); Sfondrati (l. c., § II, n. 6, p. 117, sq.). Ratio ex silentio Caietani petita, infirma est valde.

* *Summ. praedicat. S. V. Mariae,* n. 10. — Contra hanc interpretationem vehementer invehit de Rubeis (*Dissert. de praecip. Summae theol. edit.* c. 4, n. 2). Caetetum Aegidius Romanus, coaevus Aquinatis, immediatusque eius discipulus et disertissime Petrus de Tarantasia omnino tenent temporis posterioritatem; Cf. textus inferius. — De codice quodam Malatestiano cf. Mazzioli (*Catal. Bibl. Malatest. Cesenae*)

« *habuerit et postquam mundata fuerit.* Ergo anima illa *nun-* « *quam* peccato originali infecta fuit. Aut igitur caro sancti- « ficata fuit ante animationem: vel saltem in ipso instante « infusionis anima gratiam suscepit, per quam immunis a pec- « cato originali esset ». Iam vero pone, S. Thomam hanc argumentationem quoad alteram partem admisisse, nonne id concedere debuisset? Iam vero nihil huiusmodi. Solvit autem obiectionem ex Anselmo petitam, concedendo quidem Mariae puritatem esse summam, ita tamen ut eam Christus a peccato liberarit.

d) Porro quod hic de contextu loci unius dicimus, crescit adhuc, si plurium articulorum connexio perpenditur. Praeter considerationes huius indolis quas superius iam fecimus ex deficientia distributionis, utpote in qua deest idipsum membrum quod veritatem Immaculatae Conceptionis continet, scilicet B. Virginem non fuisse sanctificatam nec in parentibus, nec in conceptione seminali seu activa - quod per excessum peccat; - nec post nativitatem, aut post animationem seu conceptionem passivam, - quod privilegium aufert; - sed *in ipsa animatione,* id est in ipso primo instante reali animationis; - praeter has, inquam, considerationes sane validissimas, habetur modus quo S. Thomas sanctificationem B. Virginis confert cum sanctificatione Ieremiae et Ioannis Baptistae. Qui comparationis modus demonstrat, S. Thomam agnovisse quidem maiorem celeritatem in sanctificatione Mariae, sed tanquam perfectiorem in eadem sanctificationis specie, non tanquam alterius omnino speciei, imo generis. Unde gravis animadversio, quam exhinc Mabillonium contra S. Bernardum movere diximus, eodem titulo contra S. Thomam valet, imo eo maiori quo expressior decursu temporis evasit controversia, et quo explicitior apud Aquinatem occurrit comparatio.

Quo plenius appareat, quantopere tota disserendi ratio apud Thomam suadeat quod contendimus, iuvat audire aliquem e theologis posterioris aetatis, qui varios aspectus praesentis argumenti maiori luciditate distinxerunt et efficaciori formula expresserunt. Inter quos Cardinalem Cusanum eligimus, qui in gravi quadam concione haec habet: « Induere se « debuit Deus humanitate Mariae; quare humana natura Vir-

« ginis digna facta est ab initio. Nam etsi ipsa concepta fuit « de virili semine, via propagationis ab Adam, in quantum ad « suum initium indiguit liberatore, quia in Adam nisi libe- « rentur aut praeserventur, omnes moriuntur, ut in Christo « omnes qui vivificantur, vivificentur: tamen sicut anima eius « rationalis nullo tempore fuit, antequam esset corpori unita, « ita ipsa *dum crearetur, sancta creata fuit:* sic etiam quod « nulla duratione fuit verum dicere, Virginem fuisse sub « peccato » [1]. Et alibi: « Hoc cedit in laudem Dei et Virginis « Mariae Matris, quod ipsa sub principatu auctoris mortis, « nullo unquam tempore fuit, in qua Vita debuit incarnari. « Non indiguit Virgo Liberatore, qui ipsam absolveret a sen- « tentia in Adam et posteros eius ex voluptate carnis lata, « cui numquam subiacuit, quia praevenit succurrere miseri- « cordiâ electae Matri misericordiae, qui concipitur et nasci- « tur liber: nec indiget Liberatore a servitute, in qua nun- « quam fuit. *Praeliberatorem* enim Virgo sancta habuit, cae- « teri Liberatorem et Postliberatorem. Christus enim sic « omnium Liberator, quod et Virginis Liberator et Praeli- « berator: caeterorum vero Liberator et Postliberator. Ipsa « sola post Adae lapsum non indiga, sed plena originali « iustitia ut Eva, et multo magis creata fuit: sicut Christus « secundum humanitatis naturam in omni plenitudine iusti- « tiae multo magis quam Adam creatus. Sola ipsa electis- « sima Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub ne- « quitia maligni deficere nequivit, puta quod in creatione « rationalis animae in corpore, et separatione a corpore in « potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriosissima « Virgo non reperitur tempore ullo peccato originali subia- « cuisse » [2].

Ecquis non videt, quantum distet inter modum quo loquitur iste doctus Cardinalis, et quo S. Thomas de eodem argumento tractat?

[1] Lib. VI, c. 49. Vim huius citationis B. Canisius inducit his verbis: « An vero « contemnendus est scriptor Nicolaus Cusanus natione Germanus, dignitate Cardi- « nalis, doctrina vero et sapientia summus sui saeculi theologus atque philosophus? *(De Maria Virgine Incomparabili et Dei Genitrice sacrosancta).* — Quod Canisii opus inter praecipua sane adnumeranda est, quae B. Virginis cultus unquam pio doctove scriptori inspiravit.

[2] Ibid., c. 55.

§ 3. - Conclusio fertur.

Quid ergo tenendum?

Supposita authenticitate textuum, prouti in optima editione Parmensi leguntur, res vix dubia dicenda est. Doctrina S. Thomae adversatur dogmati Immaculatae Conceptionis. Licet enim pluribus in locis S. Doctor B. Virginem proclamet ab originali labe immunem, hi textus non solum possunt longe facilius exponi iuxta sensum aliorum textuum, in quibus Angelicus oppositum tenet, quam isti in sensu priorum; sed quum insuper in istis S. Doctor diserte de privilegio Immaculatae Conceptionis inquirat, in istis tenendus est mentem suam declarasse.

Si tamen probaretur, textus Immaculatae Conceptioni maxime faventes esse genuinos, e contra maxime oppositos esse spurios; res mutaret aspectum. Sed vix possum originalis textus corruptionem admittere, quae tantopere contextum omnem perverterit. Nam interdum non minus facit rerum connexio, quam unum alterumve vocabulum plus vel minus expressivum.

Caeterum, pone originalem S. Thomae textum fuisse manifestum in favorem Immaculatae Conceptionis, quisnam fuisset huius mutilationis scopus? et quomodo posset explicari illa per longum tempus quasi traditio Ordinis Praedicatorum impugnandi Immaculatam Conceptionem, ac si defensio huius praerogativae verteret in dedecus Aquinatis? Forte parumper excessit Malou asserendo: « l'Ordre des Frères « Prêcheurs a été hostile à l'Immaculée Conception en corps « et d'une manière constante » [1]. At certo qui ex hoc coetu privilegium Mariae propugnabant, erant « rari nantes in gur« gite vasto ». Sisto, ne ingrato argumento immorer [2]. Sed

[1] Op. cit., t. II, ch. 13, a. 5, p. 474.

[2] Ad demonstrandum quantopere haec traditio in inclyto Ord. Praedicatorum fuerit vigens, sufficit considerare apertam doctrinam eorum, qui aetate et formatione proximi stant Aquinati. AEGIDIUS ROMANUS haec scribit: « Quantum spectat ad « Virginem Beatam dicemus, quod fuit concepta in originali, sicut et aliae mulieres, « sed pie credendum est, quod *quasi statim*, postquam fuit in originali concepta, fuit « ab originali mundata, ut sit similitudo in contrarium de ipsa et Lucifero; ut, sicut « Lucifer in veritate fuit et in veritate non stetit, quia quasi statim se avertit a Deo

Pontifex ille, qui interdixit omnibus, ne contra privilegium Deiparae verbum dicerent, exceptis sodalibus familiae S. Dominici inter se disputantibus, sat rem demonstravit, ut a verbo

« per culpam; sic B. Virgo in originali fuit, sed in eo non stetit; nam statim fuit « sanctificata per gratiam, et quia, quando modicum deest, secundum Philosophum « intellectus accipit nihil deesse, pie creditur, quod *valde modica fuerit morula* inter « animae infusionem vel eius conceptionem et eius per gratiam sanctificationem. « Idcirco dici potest quod semper fuit sancta » (In III. Dist. III, p. I, q. 1, a. 1, sol. 1, a.). Et ibidem conferens sanctificationem B. Virginis cum sanctificatione Ieremiae et Ioannis Baptistae nonnisi discrimen reperit maioris celeritatis: « Haec ergo « est una excellentia, quam habuit sanctitas Virginis respectu aliorum Sanctorum « a Christo, etiam sanctificatorum in utero matris, quod fuit *celerius* a peccato puri- « ficata » (Ibid. a. 2, dub. 2, later. resol.). Iam vero istud *celerius* ibidem definit: « *mox post infusionem animae* ». Ex quibus locis non solum habemus doctrinam diserte contrariam Immac. Conceptioni; sed argumentum ad corroborandum quod superius dicebamus, *conceptionem* scilicet non posse in his locis intelligi tantum de conceptione seminali, nec peccatum dumtaxat de materiali; insuper argumentum ad demonstrandum quomodo cum aperta negatione Immaculatae Conceptionis stare possint sententiae quae in B. Virgine immunitatem ab originali praedicant. Si Aegidius unice dixisset: « B. Virgo fuit semper sancta », inde conclusio duceretur: ecce tenet Immac. Conceptionem. Nunc autem aperte eam negat, et nihilominus ob sanctificationem celerrimam vocat Mariam semper sanctam; cur non etiam et ab originali immunem?

Petrus de Tarantasia haec habet: Maria « debuit gradum sanctificationis ha- « bere maiorem post Filium. Gradus autem sanctificationis quadrupliciter intelligi « potest: aut quod sanctitatem quis habeat ante conceptum et ortum, aut post con- « ceptum et ortum; aut in ipso conceptu et ortu, aut in ortu, non conceptu ». Excluso primo gradu uti impossibili, et secundo uti omnibus communi, pergit: « Tertius gra- « dus est singularis Sancti Sanctorum, de quo solo fuit simul ortus, sanctificatio, « annuntiatio et assumptio. Restat igitur quartus gradus, et hic habet quatuor gra- « dus, quia potest intelligi factus in ortu sanctificatus, aut ante animationem, aut « in ipsa animatione, aut diu post animationem, aut cito post animationem. Primus « gradus impossibilis est.... Secundus gradus » (qui est gradus ipsius dogmatis catholici) « non fuit conveniens B. Virgini, quia aut non contraxisset originale, et sic non « indiguisset universali sanctificatione Christi et redemptione; aut, si contraxisset, « simul culpa et gratia in ea non posset esse ». Tertius quoque gradus excluditur uti non sufficiens, communis enim esset cum Ioanne et Ieremia. « Quartus vero vide- « tur conveniens et pie credibilis, licet de Scriptura non habeatur, ut *cito post* ani- « mationem, vel in ipso die vel hora, *quamvis non ipso momento,* sanctificata « fuerit » (In III, Dist. III). Quid clarius? Iam vero terminologia hic adhibita, est ipsissima terminologia S. Thomae quando idem argumentum tractat; v. gr., quando dicit: « Creditur enim, quod *cito post conceptionem et animae infusionem fuerit* « *sanctificata* » (Quodl. VI, a. 7). Ergo quae scripsit S. Thomas nequeunt prorsus ad alium sensum detorqueri. Porro finge, hos Angelici discipulos in istis locis a sententia Magistri tantopere declinasse ut oppositam tenuerint, nonne id evidenter dixissent?

Vi huius persuasionis traditio haec in Ordine Praedicatorum perseveravit. Quis resistere conatus est declarationi Concilii Basileensis? Theologus O. Pr. — Quis continuit sententiam Immac. Conceptioni faventem a Patribus Concilii Tridentini iam paratam? Theologus O. Pr. — Inde Card. Caietanus in suo libello ad Leo-

addendo temperare possimus. Iam vero, undenam in coetu B. Virgini Mariae ab incunabulis tam devoto, haec quasi communis agendi ratio per tempus existere potuisset, nisi

nem X, in quo conqueritur de impugnata sententia Immac. Conceptioni contraria, rogat Pontificem ut arbitrum agat « inter quindecim sanctos, necnon innumeros « doctores ex una, et pavidum in causa hac Scotum, Franciscum Maironis, Petrum « Aureoli modernos et promiscui vulgi clamores ex alia parte ».

Quin haec traditio usque ad ultima tempora, licet paulatim debilitata, adhuc sat vivens permansit. Cuius veritatis testis est dubium quod Magister Gen. Ord. Praed. anno 1846 Sacr. Rit. Congr. proposuit: « An omnes fratres et moniales Ordinis « Praedicatorum adigantur celebrare festum Conceptionis B. Mariae V. cum octava « sollemni *, et omnes sacerdotes eiusdem Ordinis teneantur addere praefationi Missae « verbum " immaculata ", et dicere " et te in Conceptione immaculata ", ac idem « servandum sit in omnibus utriusque sexus Ordinis ecclesiis? Et si affirmative, an « hoc ipso praecepto adstringantur etiam ii omnes, qui sentiunt B. Virginem con- « ceptam fuisse in culpa originali, et illi, qui iureiurando adiguntur ad sectandam « doctrinam S. Thomae Aquinatis, supposito quod Angelicus Doctor tenuerit B. Vir- « ginem incurrisse in anima culpam originalem? » Responsum est ad utrumque « affirmative », idque Pius IX confirmavit, « omnes et singulos, quatenus opus sit, « ab emissi iuramenti vinculo absolvens et eximens » **.

Verba ultima dubii ostendunt, utique multos sodales familiae S. Dominici iam tunc extitisse, sicuti nunc plures in dies habentur, qui de genuina mente S. Thomae dubitarent; sed et alios sane non paucos, qui eam uti suae fidei regulam in oppositum servare cupiebant. Iam vero quî posset haec tam perseverans oppositio in coetu tam devoto erga B. Virginem explicari, nisi re vera S. Doctor in hoc argumento fuisset filius suae aetatis, et praeiudicii tunc inter doctiores vigentis influxum subiisset? Quare standum est veritati historicae, quam olim S. Antoninus tam candide fatebatur: « S. Thomas, cuius etiam doctrina est approbata ab Ecclesia in « p. III, Q. XXVII et in III Sent. idem sentit »: scilicet B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Sed quod de S. Bonaventura diximus, pariter de S. Thoma valet: in operibus eius omnia principia contineri in quibus Deiparae privilegium implicite continetur. Recte SCHEEBEN, quocum concludimus: « Was von den Theo- « logen des 13. Jahrhunderts im allgemeinen, gilt insbesondere auch vom hl. Tho- « mas, und es war ein grosser Fehler, wenn man in den verwickelten Controversen « über seine Meinung in der Sache und die Bedeutung derselben so wenig darauf « Rücksicht genommen hat, dass er unmöglich mit seiner Meinung allein stehen « konnte, und dass hier nicht bloss seine Autorität, sondern die der ganzen Theo- « logie des 13. Jahrhunderts in Frage kommt. Wenn man diejenigen Stellen ins « Auge fasst, in welchen er die Frage über die Conc. B. V. und ihre erste Hei- « ligung ex professo behandelt, und welche naturgemäss als die massgebenden an- « zusehen sind, so kann es keinem Zweifel unterliegen, dass er die sanctificatio « animae in primo instanti nicht nur nicht positiv gelehrt, sondern stets bestritten « hat.... Man sollte daher damit zufrieden sein, dass der hl. Thomas gerade an den « Stellen, wo er thatsächlich die These läugnet oder, wenn man will, ignorirt, das « Princip, worauf dieselbe beruht und worin sie implicite eingeschlossen ist, immer « noch hinreichend festhält und folglich dieselbe virtuell behauptet » ***.

* Quod festum Ordo anno 1843 acceperat.
** GARDELLINI, *Decret. auth. Congreg. Sacr. Rit.*, t. 4. (ed. 3. Romae 1858, 115 sqq.).
*** *Dogmat.*, l. 5, n. 1708.

auctoritas S. Thomae ingenii pondere mentes in hanc partem traxisset? [1]

Adde testimonium S. Bonaventurae superius allatum, scilicet nullum se audivisse, qui diceret « Virginem Mariam a « peccato originali fuisse immunem » [2], et gloriam quam historia tribuit Scoto, quod a quaestione nostra semoverit nebulas quibus veluti obnubilabatur [3]. Iam vero Scotus in initio doctrinam de Immaculata Conceptione nonnisi uti probabilem « pavidus » defendit. Quaenam laus inde ipsi fuisset, si eamdem, uti alii volunt, iam Angelicus uti certam exposuisset?

Equidem ad hanc disquisitionem accessi cum vehementi desiderio, ut inter doctrinam Aquinatis et definitionem Pii IX concordia mihi elucesceret. Fateor exitum non respondisse votis. Peritiori utinam id efficacius praestare contingat! [4] Interim « amicus Angelicus, magis amica veritas ».

De caetero, si haec obscuratio in mente tantorum Doctorum, uti erant Lombardus, Halensis, Aquinas et Bonaventura, ostendit ex una parte humanum ingenium, licet summum, esse deficiens, ex altera parte evincit necessitatem viventis Magisterii super omnia individua elevati, Ecclesiae scilicet catholicae a Spiritu Sancto animatae [5], cuius gloria est evo-

[1] De habitudine Ordinis Praedicatorum ad dogma Immaculatae Conceptionis lege imprimis Sfondrati (op. cit., § 5); Nieremberg (op. cit., ep. 21-24); Velasquez (op. cit., Diss. 9, annot. 2, n. 10-12); Vega (op. cit., pal. 3, cert. 3, n. 234 sqq.); Plazza (op. cit., p. 535 sqq.); recentius Gaude (*De Immac. Deiparae Conc.*); Spada (*Esame critico*, § iv, p. 137, sq.); Sicard (*St. Thomas et l' Immac. Concept.*); Rouard de Card (op. cit.). — Hanc habitudinem perfide exaggeravit Friedrich in sua Vaticani Concilii historia (*Geschichte des Vaticanischen Concils.* — Bonn, 1877).

[2] III. Dist. iii, p. i, art. i, q. 2. Intellige immunem in sensu strictiori.

[3] Abstinemus hic ab examine historico, utrum famosa illa disputatio quam Parisiis et Coloniae habuisse traditur, sit necne authentica. At certo stat factum, cui nequit fundamentum non subesse: Scoto scilicet istam laudem passim tribui, et ab ipso deinceps magnam hanc controversiam in veritatis viam paulatim apertius declinasse.

[4] Inter conamina recentius in hunc sensum facta eminet sane laudatum opus P. *Spada* Ord. Praed. De qua subtiliori elucubratione scribit Malou: « Le Père Spada, « qui désire ranger le Docteur Angélique parmi les défenseurs de l'Immaculée Con« ception, eût gagné sa cause, si elle avait pu être gagnée ». (Op. cit., ch. 12. *Histoire*, etc. — Cf. Bourassé, op. cit., t. viii, p. 539).

[5] Unde Tanquerey compendiosam suam expositionem huius dogmatis iure ita claudit: « Quibus positis, ac data haesitatione eximiorum Mediae Aetatis Doctorum, « magis ac magis patet, doctrinam de Immaculato Conceptu, nonnisi adiuvante et « dirigente Spiritu Sancto, in Ecclesia universalem fieri potuisse » (*Synops. theol. dogm. special.*, t. i, ed. 4, p. 599).

lutionem mentium stimulare simul et intra limites debitae docilitatis continere. Unde si Protestantismus in dogma Immaculatae Conceptionis dupliciter rebellat [1], Catholicus quisque oportet ut in eo dupliciter exsultet.

Iam hanc dissertationem claudamus per invocationem Litaniarum Lauretanarum [2]: « *Regina sine labe originali « concepta, ora pro nobis* » !

ARTICULUS III.

UTRUM PER SANCTIFICATIONEM FUERIT B. M. VIRGINI FOMES TOTALITER SUBLATUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praecipua poenalitas peccati originalis est infectio fomitis, uti ex ipsa narratione lapsus protoparentum elucet, erumpente concupiscentia post commissam culpam, sicuti, rupto vallo, mugientis fluminis impetus exundat.

[1] Cf. Card. Newman (*Anglican difficulties,* t. II). Ipse tamen Lutherus Immaculatam Conceptionem non solum agnovit, sed et acute simul ac ingeniose illustravit. « Sic Virgo Maria quodam modo inter Christum et alios homines medium tenet. « Siquidem Christus cum conciperetur et viveret, in ipso articulo temporis plenus « gratia fuit. Caeteri homines sine gratia sunt, tam in priori quam posteriori con- « ceptione. Atqui Virgo Maria quamvis iuxta priorem conceptionem non plena gratia « erat, tamen iuxta alteram conceptionem plena gratia erat; atque hoc non imme- « rito. Nam medium fuit inter omnes nativitates: ex patre enim et matre nata est, « ipsa vero sine patre peperit, et mater facta est partim carnalis, partim spiritualis « Filii. Equidem Christus partim de ipsius carne, partim de Spiritu Sancto conceptus « fuit. Porro autem Christus pater multorum filiorum est sine carnali patre, et sine « matre carnali. Iam vero sicut Virgo Maria rite inter carnalem et spiritualem nati- « vitatem medium est, finis carnalis initium autem spiritualis, ita etiam iuste me- « dium tenet inter Conceptionem. Nam ut caeteri homines tam anima quam corpore « in peccato concipiuntur, Christus autem sine peccato tam corpore quam anima; ita « Maria Virgo iuxta corpus quidem sine gratia, iuxta animam autem plena gratiae « concepta est. Hoc sibi volunt verba illa, quae angelus Gabriel ad eam dicebat: « " Benedicta tu inter mulieres ". Non enim ad eam dici posset: " Benedicta tu ", si « aliquando maledictioni obnoxia fuisset. Dignum enim et iustum erat, personam « hanc ab originali peccato praeservari, de qua Christus sumpturus erat carnem, « quae omnia peccata superaret. Illud enim proprie benedictum vocatur, quod divina « gratia donatum est, hoc est, quod peccato caret » *.

[2] De his Litaniis nuper egregie scripsit Cl. P. Ang. De Santi, S. I. vir de arte christiana, imprimis gregoriana, optime meritus (*Le Litanie Lauretane, Studio storico-critico.* — Roma, *Civiltà Cattol.,* ed. 1897).

* Serm. in festo Concept. B. Virginis. Cf. B. Canisius (op. cit., l. I, c. 8).

Vocatur autem poenalitas praecipua, tum quia in modo excedit inclinationem naturae purae, unde minime rationalem creaturam decet; tum quia maiori proclivitate in peccata inclinat.

2) Propter utrumque differt a morte et a physico morbo vel dolore, quae per se non inclinant ad peccatum et minus excedunt legem purae naturae sibi relictae.

Inde *a*) haec assumi possunt, saltem mors, quin dignitati assumentis noceant; dum concupiscentiae fomes dignitati obest; - *b*) immunitas a peccato originali magis importat immunitatem a fomite, quam a reliquis poenalitatibus.

3) Nihilominus pro aliquo immuni ab originali culpa istae non erunt formaliter poenalitates; ad summum, quatenus ille immunis habuisset debitum labem contrahendi, debitae dici poterunt in radice; debitae quoque, cum aequa mensura, quatenus consequuntur naturam puram.

4) Ex his dictis iam apparet, alium esse respectum quaesiti praesentis pro illo, qui tenet B. M. V. immunem a labe originali, et pro illo, qui hoc ipsi singularè privilegium denegat. Licet pro utroque immunitas a fomite sit aliquid, quod absolute loquendo, non necessario cum immunitate a peccato originali connectatur; nihilominus, posito ordine primordialis naturae integrae, consequitur praeservationem ab originali culpa; non autem remissionem, etsi celerrimam et plenissimam, eiusdem culpae per sanctificationem ante nativitatem. Mirum proin non est, si S. Thomas in *Corpore* articuli adhaereat sententiae, quam plerique iam theologi uti deficientem reiiciunt.

5) Hic autem oritur difficultas, petita non quidem ex ipsa natura rei de qua quaeritur, sed ex traditione. Etenim non desunt Patres, neque theologi posterioris aetatis, scriptores medii aevi, qui verba: « Spiritus Sanctus superveniet in te » ab angelico Incarnationis nuntio ad Virginem dicta, de purificatione praeparatoria ad divinam Maternitatem intellexerunt. Praeter locum Damasceni in obi. 3 citatum, textumque Paschasii Radberti superius allatum et discussum, en quae habet Eadmerus discipulus S. Anselmi: « Tenemus fide, « ab omni, *si quid adhuc in illa originalis sive actualis pec-* « *cati susceperat,* ita mundatum cor illius, ut super eam Spi-

« ritus Domini totus requiesceret » [1]. Pariter Godifridus abbas Admontensis (s. XII) ad verba: « Benedicta tu in mulie- « ribus » scribit: « quia, *sicut ab actuali culpa pene libera es,* « *ita etiam a peccato originali liberanda eris.* Christus solus « inter viros originali et actuali peccato liber: sicut ille solus « benedictus super omnes viros, sic tu benedicta super omnes « mulieres » [2].

Difficultatem ex illis locis quoad peccatum actuale movendam, articulo sequenti solvemus. Hic de peccato originali sermo sit, non in se quoad formale seu reatum - (de quo iam diximus), - sed quoad materiale seu fomitem concupiscentiae.

a) Fatemur ex illis locis, traditionem de Maria ab initio fomitis experte, apud scriptores minus constantem apparere. *b*) Notandum tamen, Eadmerum per modum hypotheticum loqui. *c*) Sanctificatio B. Virgini in Conceptione Verbi potest intelligi modo, qui nihil imperfectionis in ea antea supponat; nimirum ita ut non ponat nisi augmentum luminis caelestis ac gratiae. *d*) Si tamen intelligatur de maiori mundatione ab imperfectione, potest reduci ad sublationem totalem fomitis hucusque ligati. S. Thomas adhibet *c*) et *d*) in resp. ad 3. In *Corpore* insistit in *d*). Nos autem, removentes *d*), unice tenemus *c*), si minus iuxta mentem horum scriptorum, saltem in se.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* non attendit ad dicta n. 2, 3.

2. Obi. Confundit virtutem fomite devicto adauctam, et virtutem omni fomite maiorem.

3. Obi. Nimis restringit interpretationem aliquorum locorum, ac si nulla purgatio dari posset, nisi a fomite.

Sed contra est. Audi S. Hieronymum (serm. de Assump. B. M. V.) omnimodam puritatem B. M. celebrantem: « Quid- « quid in ea gestum est, totum puritas et simplicitas; totum « misericordia et iustitia. Immaculata autem dicitur, quia in « nullo corrupta fuit. Quam si diligentius inspicias; nihil vir- « tutis, nihil speciositatis, nihil ut candoris et gloriae, quod « ex ea non resplendeat ». Et S. Bernardus dicit: « Virginis

[1] *De Excellentia B. Virginis,* c. 3, in append. op. S. Anselmi.
[2] Hom. I. in Annunt. — *P. L.,* CLXXIV, 752.

« appetitus nihil praeter Deum poscebat, nihil expetebat « terrenum, Dei mensa, Dei dulcissimis epulis satiabatur, quid « insatiata Virgo viveret ».

Eadmerus hanc libertatem a fomite specialissimae Angelorum custodiae tribuit: « Nulli dubium, castissimum corpus « et sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula « peccati iugi Angelorum custodia protectam, utpote aulam, « quam suus et omnium Creator Deus corporaliter inhabi- « taturus, et ex qua hominem in suae personae unitate ineffa- « bili fuerat operatione suscepturus »[1]. Imo ad hanc fomitis sive sublationem, sive alligationem facilius explicandam S. Thomas a Villanova recurrit ad mundationem carnis quae ipsam infusionem animae praecesserit: « Antequam anima « illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata « ab omni faece et labe; et anima, cum infusa est, nullam « habuit ex carne; neque contraxit labem peccati, sicut « scriptum est: " Factus est in pace locus eius ": id est, domus « divinae Sapientiae sine omni fomite peccati formata est »[2].

Quin ulterius progredientes, non desunt scriptores sacri, qui in ipsis parentibus B. M. Virginis admittant procreationem prolis praeter legem non solum aetatis, sed et concupiscentiae. Unum e Graecis et e Latinis attulisse sufficiat. S. Damascenus (?) ita B. Virginis parentes alloquitur: « Caste enim « ac sancte munere vestro functi, virginitatis thesaurum pro- « duxistis... Par enim erat ut virginitas ex pudicitia orta, si « qui solus est unigenitum lumen corporeo modo offerret »[3]. Et S. Ildephonsus: « Maria Virgo non sic est nata, sicut solent « pueri vel puellae nasci, sed de Anna sterili, et patre iam « sene extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem « calorem, et sanguinem iam tepidum, et omnem amorem « libidinis discessum, mundo corde et corpore ab omni pollu- « tione carnali orta est »[4]. Quam sententiam piam tenemus, dummodo non eo usque urgeatur, quasi ob tale connubium

[1] *De excell. B Virgo,* c. 3.

[2] Conc. 3. de Nativ. Virginis.

[3] Orat. 1. in Nat. Deip. *P. G.*, XCVI, 668.

[4] Serm. in Nativ. Deip. — Cf. S. VINCENTII FERRERII, serm. 2, in Nativ. Deip.; necnon c. 9, l. I, Revel. S. Birgittae, ubi B. Virgo ipsa asserit, parentes suos absque ullo concupiscentiae stimulo, non alium in finem sancte convenisse, nisi ut, ab Angelo moniti Virginem ederent, futuram Redemptoris Matrem.

B. Virgo fuisset a lege contrahendae labis exempta: quod esset falsissimum [1].

Plura huiusmodi a Patribus prolata vide quoque in articulo sequenti.

In Corpore. En schema huius argumentationis.

- A) Exponuntur quatuor opiniones:
  - 1) fomes in sanctificatione totaliter sublatus;
  - 2) » { sublatus quoad pronitatem ad malum, non quoad difficultatem ad bonum;
  - 3) » { sublatus quoad corruptionem personae, non quoad traductionem peccati originalis;
  - 4) » { in sanctificatione ligatus, in Verbi Conceptione sublatus.
- B) Traditur fomitis definitio: *Sensibilis appetitus concupiscent.* { *habitualis, inordinatae.*
- C) Discutiuntur quatuor opiniones:
  - 1) reiicitur (ut *impossibilis*): { *idem* est, quod facit pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum.
  - 2) reiicitur: (*item.*) { personalis concupiscentia generantis traducit concupiscentiam in generato (Aug.);
  - 3) reiicitur
    - *a*) *possibilis* est (ex: Christus, et Adamus);
    - *b*) sed
      - α) etsi in honorem V. Matris,
      - β) derogat dignitati Filii, solius carne immaculati (ex: Resurrectio):
  - 4) probatur:
    - *a*) fomes in sanctif. *ligatus:*
      - α) non per usum rationis (negatur);
      - β) sed
        - α′) per abundantem gratiam,
        - β′) per specialem providentiam;
    - *b*) in Conceptione ipsa Verbi sublatus: { per redundantiam a Filio. (Ezech., Proph.).

Quaedam hic notanda occurrunt. S. Th. neque mentionem facit eorum, qui tam demisse de B. V. senserunt, ut fomitem concupiscentiae in ea simpliciter posuerint; sicuti fecerunt quotquot Virginitatis perpetuae dignitatem ipsi denegarunt; necnon Raymundus Lullus et postea Deformatores qui multiplices in B. Virgine peccati sordes blasphemarunt.

[1] Hac sententia admissa, vides Deum per tres veluti gradus ascendentes carnem sanctissimam Christi praeparasse: 1) per castum connubium Ioachim et Annae, 2) per Immaculatam Conceptionem Mariae, 3) per foecunditatem Virginis.

Circa argumentum contra 2.m sent. illud adverte: Verum est, pronitatem ad malum idem esse cum difficultate ad bonum; modo agatur de eodem ordine, secus non. Possibile enim est, fingere statum naturae integrae, quatenus a concupiscentia liberae, et nihilominus in tali natura difficultatem ad bonum supernaturale.

Circa argumentum contra 3.m sent. observa, quantopere ille modus considerandi influxum concupiscentiae in transfusionem originalis peccati, concordet cum explicatione, cui assensum dedimus, ubi de modo concipiendi immunitatem Mariae ab originali labe.

De argumentis contra 1.m sent. Primo perpende quam bene S. Thomas concludat ab hoc privilegio (quod recusat) ad restitutionem originalis iustitiae. Non ideo tamen excluditur, quod B. Virgo hoc privilegium a Christo, id est per virtutem Christi habeat. Hic S. Doctor (arguens in hypothesi sanctificationis post contractam labem originalem, id enim ex toto hoc articulo erui videtur) sibi difficultatem opponit: Si fides ante Christum potuit a damnatione liberare secundum spiritum, cur non pariter secundum carnem? Responsio quam affert, vim habet pro eo dumtaxat qui tenet, carnem B. M. V. non fuisse exemptam a lege carnis peccati per aliquam purificationem specialem, qualem admittendam putamus et supra exposuimus.

Absolute tamen loquendo, fatendum est, hanc primam sententiam neque necessario fluere ex privilegio Immaculatae Conceptionis, neque cum negatione eiusdem privilegii repugnare. Unde non putamus, ex hoc solo *Corpore* posse certum argumentum desumi ad probandum, Angelicum Immaculatae Conceptionis non fuisse propugnatorem. Suasivum tamen inde argumentum hauritur, imo maxime suasivum addito modo quo S. Doctor loquitur.

Circa argumenta 4.m sententiam confirmantia, rursus quaedam adverte. *a*) S. Thomas denegat B. M. Virgini usum rationis ante membra lege naturali expedita. Probabilissima haec sententia est. At maxime placet si ita mitigetur, ut haec expeditio in B. Virgine velocior atque perfectior fuerit ac in quavis alia humana prole, dempto Christo. Sed de hoc sermo recurret in fine Quaestionis. - *b*) Duplex proinde, negato

primordiali usu rationis, fons ligati fomitis habetur: abundantia gratiae, specialis providentia. - Cur non sufficit prior? Sufficeret, si usque ad tollendum absolute fomitem pertingeret. Hoc autem negato, absoluta ligatio infallibiliter obtineri debet per providentiam specialissime impedientem occasiones omnes, quibus fomes erumperet; scilicet defectui gratiae, licet abundantis, supplere debet providentia illa peculiaris. Inde dicit S. Thomas: « *perfectius* per divinam providentiam » [1]. - *c*) Demum adverte, allatum locum Ezechielis posse quidem applicari sententiae, quam Aquinas tuetur; non ita tamen, ut primae sententiae, cui adhaeremus, non pariter conveniat [2].

De doctrina S. Bonaventurae.

Placet hic adducere modum, quo S. Bonaventura solvit praesens quaesitum, cui titulus: « Utrum in prima sanctifi-« catione in Virgine fuerit exstincta fomitis concupiscentia... » Tres adducit sententias. Prima tenet, fomitem nunquam fuisse plene extinctum, sed mere consopitum: minus quidem ante nativitatem, plus in divina maternitate. Sed Seraphicus hanc sententiam reiicit uti deficientem: « Quoniam caro Christi « sumpta est de carne Virginis, in Christo etiam nulla fuit « concupiscentia fomitis; cum caro Christi debeat carni Vir-« ginis assimilari post Virginis sanctificationem, sicut alio-« rum assimilatur carni aliorum parentum; videtur, quod « Spiritus Sanctus secundo super eam adveniens prorsus « extinxerit fomitem. Et ita praedicta opinio non videtur « habere probabilitatem ».

Secunda opinio ex opposito tenet, in utraque sanctificatione fomitem fuisse non solum consopitum, sed extinctum. At aliter et aliter. De qua differentia duplicem explicationem S. Doctor suggerit. Secunda est illa, quam et S. Thomas affert, et quam ob eamdem rationem S. Bonaventura respuit: scilicet prius fuisse extinctum fomitem in quantum reddit pronum ad malum, postea in quantum reddit difficilem ad bonum. Prior explicatio ita exponitur: « In prima (sanctifi-

[1] Cf. dicenda in resp. ad 1. art. seq.
[2] Cf. S. Th. III. Dist. III, Q. I, a. 2. — *Compl. Theol.*, c. 224.

« catione) extinctus fuit (fomes) in quantum respicit *perso-* « *nam;* in secunda, in quantum respicit *naturam.* In prima « igitur sanctificatione mundata fuit ut nunquam peccaret; « in secunda vero mundata fuit ut germen piae prolis emit- « teret sine peccato non solum actuali » (intellige mortale), « sed etiam veniali ». Sed haec explicatio pariter displicet Seraphico, quia vix est intelligibilis. « Rursus qualiter potest « intelligi quod fomes possit extingui, in quantum respicit per- « sonam; et non sit extinctus in quantum respicit naturam, « cum ibi sit unus fomes, sic diversimode comparatus, et « extinctio dicat ipsius fomitis eradicationem? » Unde haec positio stare nequit, si extinctio fomitis quoad personam intelligitur de extinctione proprie dicta. At positio accipit sensum sat acceptabilem, si minus presse sumitur. « Nisi forte « quis accipiat extinctionem largo modo pro ablatione incli- « nationis ad malum respectu personae in qua est. Et ita « fortassis intelligitur praedicta positio, quam satis probabilem « et rationabilem credo ».

Tertia sententia dicit, fomitem fuisse in prima sanctificatione consopitum, in altera extinctum et eradicatum. En quomodo Seraphicus hanc sententiam exponit: « Fomes enim « radicatur in carne et ascendit usque ad mentem. In prima « sanctificatione Virginis collata est tanta gratia perfectionis, « quod redundaret in eius sensualitatem in tanta redundan- « tia, ut fomitem adeo reprimeret, quod nullum effectum ad « incitandum aliquando haberet. In secunda autem sancti- « ficatione, - in qua Spiritus Sanctus non tantum descendit « in mentem, sed etiam in carnem, et de carne operatus « est, de ea mirabiliter carnem sine macula fabricando, - reli- « quit ipsius carnem immaculatam, extirpando ex ea fomitem « et omnem concupiscentiam ». Quae sententia vix differt a modo, quo Seraphicus praecedentem sententiam mitigaverat.

Concludit autem S. Doctor: « Unde rationes probantes, « quod in prima sanctificatione non fuit fomes extinctus, con- « cedendae sunt » [1].

Sententiae quam sequuntur Angelicus et Seraphicus, subscribunt etiam, praeter Lombardum, Alex. Halensis [2], Alber-

[1] III. Dist. III, P. I, art. 2, q. 2,

[2] *Summ.*, p. III, Q. IX, n. 2, a. 5.

tus Magnus [1], Petrus a Tarent. [2], Richardus a Med. [3], Ægidius Rom. [4], Durandus [5] etc. Sententia autem hodie communis veluti consequens Immaculatae Conceptionis iam a Scoto ponebatur [6].

Adducitur quoque S. Bernardus in sententiam S. Thomae, quia in homilia III super *Missus est* ita Virginem prudentem describit: « Suspicandum non est, quod apertum invenerit « Angelus ostiolum Virginis: cui nimirum in proposito erat « hominum fugere frequentias, vitare colloquia: ne vel oran- « tis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tenta- « retur » [7]. Non recuso interpretationem. Sed verba id non absolute exigunt. Tentatio enim vocari potest illa quae extrinsecus obvenit, quin interea alliciat; secus, quomodo tentatus fuisse diceretur Christus? Insuper urgendo verba iam non solum S. Bernardus negaret sublationem fomitis, sed et eius alligationem. Quod est omnino contra doctrinam, quam ex eodem S. Bernardo superius audivimus. Ergo qui nimis probat, nihil probat.

Corollarium I. - Ex sententia in hoc articulo exposita sequitur, in B. Virgine non solum non fuisse fomitem concupiscentiae, sed eiusdem loco eam stimulasse fomitem virtutum.

Id eloquenter describit Damascenus (?) in primo sermone de nativitate B. Mariae; quem locum in fine secundae partis proximae appendicis adducemus. Id quoque docet S. Bernardus verbis in *Sed contra est* allatis. Porro ista praedispositio ad omne bonum habuit quidem in Maria fundamentum suum in natura perfectissima, cuius dotes in fine huius Quaestionis evolvemus. Fuit tamen simul stimulata et elevata per gratiam. Ita constituit in Maria triumphum participatae *sapientiae*, qua post sapientiam Christi nulla sublimior extitit unquam.

[1] III. Dist. III, a. 6.
[2] Ibid. Q. ad 1, Quaestiunc. 3.
[3] Ibid. a. 1, Q. IV.
[4] Ibid. Q. I, a. 4.
[5] Ibid. Q. III.
[6] II. Sent., Dist. XXIX, Q. unic. a. 4; Dist. XXXII, n. 4, sqq.
[7] N. 1. Ed. cit., col. 14.

Corollarium II. - Ex doctrina in hoc articulo exposita vides, cur Alexander VIII damnaverit propositionem, in qua a purificatione in tempore arguitur ad indigentiam purificationis [1]. Sed de hoc inferius sermo recurret [2].

ARTICULUS IV.

UTRUM PER HUIUSMODI SANCTIFICATIONEM B. V. FUERIT CONSECUTA UT NUNQUAM PECCARET.

De ipsa Quaestione. - 1) Iam superius audivimus quam strenue S. Augustinus B. Virginem « propter honorem Domini » ab omni relatione cum peccato exceperit [3]. Hanc doctrinam Concilium Tridentinum solemniter confirmavit [4]: « Si quis hominem semel iustificatum posse in tota vita pec- « cata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei pri- « vilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, ana- « thema sit ». Unde si, tempore D. Thomae haec quaestio forte liberae adhuc erat discussionis, hodiedum nullam amplius in mente catholica haesitationem admittit [5].

2) Porro contra hoc privilegium difficultates quadruplicis generis moveri possunt: *a*) ex natura rei, *b*) ex scripturis, *c*) ex declarationibus Conciliorum, *d*) ex auctoritate sacrorum scriptorum.

a) *Ex natura rei.* Etenim qui tenet, concupiscentiae fomitem fuisse B. Virgini ab initio prorsus sublatum, levi negotio explicat, quomodo nullum, ne levissimum quidem peccatum in animam eius irrepere potuerit. Res autem difficilior evadit, si radix fomitis in Maria non dicitur penitus sublatus. Potest tamen et tunc quaestio solvi recurrendo ad specialem providentiam, de qua S. Th. in praecedente *Corpore,* aliquid dixit, et fusius heic loquitur in responsione ad 1m. Quare vide complenda ibidem.

[1] Prop. 24. (Denzinger, *Enchirid.* n. 1181).

[2] Q. XXXVII, art. 4.

[3] *De natur. et gratia,* c. 36, n. 42.

[4] Sess. VI, can. 23 (Denzinger, *Enchirid.* n. 715).

[5] Suarez censet immunitatem B. Virginis a quovis etiam levissimo peccato esse de fide. *De myst. vitae Christi* disp. 4, sect. 4, n. 2).

b) *Ex Scripturis* praeter locutiones universalitatem peccati etiam actualis affirmantes [1], opponuntur ab haereticis, praesertim protestantibus quaedam Evangeliorum facta sive verba, ex quibus isti non verentur Mariam culpae imo non levis insimulare: incredulitatis ob quaestionem « Quomodo « fiet istud? » negligentiae ob amissum puerum Iesum, ignorantiae ob non intellectum responsum Iesu, vanae gloriae ob instantiam in Cana et in Iesu praedicationibus factam, etc. Quas omnes calumnias fuse depulit B. Canisius [2]; praecipuas autem in decursu huius operis tangemus.

c) *Ex auctoritate Conciliorum* arguitur, scilicet ex Concilio Milevitano, quod in can. 6 et 8 sanxit, neminem esse a peccato immunem, ita ut non solum ex animi demissione, sed etiam ex veritate quilibet vere dicere possit: « Dimitte « nobis debita nostra ». Sed hic agebatur de profligando errore Pelagiano, nec magis in his excluditur B. V. quam in universali doctrina Paulina de peccato originali, aut in praedictis sententiis de peccato actuali.

d) Quoad *scriptores sacros*, ab utroque cavendum, ne nimis infirmentur, - quod forte cl. Palmieri accidit [3]: fuerunt enim de hac quaestione dubia quaedam in mente unius alteriusve Patris, praesertim S. Chrysostomi [4]; - neque tamen ultra intentum urgeantur. Aliud enim est, si quis per transennam, difficiliora loca Scripturae solvens, explicationem proferat, quae minus cum B. Mariae impeccantia concordet; aliud, si de morali perfectione Mariae ex professo tractans, peccata ipsi, vel levissima, tribuat.

3) Hic autem sedulo distinguendum est inter *impeccabilitatem* et *impeccantiam:*

a) *Impeccabilitas* dicit in ente rationali impossibilitatem antecedentem ut peccato adhaereat unquam. Haec autem duplex distingui potest: directa et indirecta. α) *Directa* provenit immediate ex ipsa absoluta perfectione entitativa entis de quo praedicatur, et involvit sanctitatem absolutam substantialem. Haec solius Dei est: unde SS. Trinitas invocatur

[1] Orat. Dom.; I. Ioann. I, 8. Iac. iii. 2; 8.
[2] Op. cit., l. iv. Cf. Corollarium.
[3] Op. cit., p. 711.
[4] Post Origenem (Homil. 17 in Luc.; in ps. cxviii).

« *Sanctus, Sanctus, Sanctus* ». - β) *Indirecta* provenit ex aliquo adiuncto, vel ex aliqua conditione illius cui competit. Quare, si *directa* nequit accipere gradum, indirecta potest, tum quoad dignitatem, tum quoad ipsam possibilitatem peccandi, non quidem in sensu composito, sed in sensu diviso. Inde triplicem gradationem: α') nobilissima est impeccabilitas *naturae humanae Christi,* propter titulum infinitae dignitatis, unionem hypostaticam; - β') dein impeccabilitas *Angelorum,* quae fundatur non solum in statu comprehensoris, sed in ipsa firmitate naturae angelicae in termino suae liberae motionis; - γ') demum impeccabilitas *Beatorum,* in comprehensoris statu unice fundata [1].

b) *Impeccantia* habet respectum consequentem. Per se enim ponit factum nullius peccati commissi. Quae utique rursus gradus habet: tum α') extensionis, secundum quod excluditur omne peccatum actuale (nam de peccato originali dici non solet ob diversam in hoc peccato rationem voluntarii), vel solum mortale; tum β') dignitatis iuxta titulum cui superstruitur.

Hisce positis, dicendum est, per se B. Virginis privilegium de quo hic quaerimus, non fuisse impeccabilitatem proprie dictam, sed summum gradum impeccantiae. Unde S. Thomas, ubi puritatem B. Virginis maximis extollit laudibus, moderamen addere solet: « Sub Deo tamen, in quo non est ali« qua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura, quan« tum in se est » [2]. Et: « Fuit tamen sub Deo, in quantum « erat in ea potentia ad peccandum » [3].

Dixi *per se,* nam si privilegium hoc consideratur tanquam effectus antecedentis praedestinationis divinae, in sensu composito, scilicet sub et cum ista praedestinatione, utique B. Virgo non solum de facto non peccavit, sed nec peccare potuit. Quae impeccabilitas improprie dicta, transiit in proprie dictam impeccabilitatem, indirectam, quando B. Virgo de hac vita ad caelos conscendit, ubi impeccantia eius, licet conservet illam inferioritatem quae cum humana natura colli-

[1] Nisi quis teneat animam separatam fieri per se immobilem circa finem ultimum ad modum spiritus.

[2] III. Dist. XVII, Q. II, a. 4, 3.

[3] I. Dist. XLIV, Q. I, a. 3.

gatur, excedit nihilominus impeccabilitatem Angelorum propter celsiorem gradum gratiae ac proin visionis divinae.

Ad Textum. - *1. Obi.* Abstrahit a speciali providentia, quae in hac sententia fomitem perfecte ligavit.

2. Obi. Confundit aliquam dubitationem stuporis, ad modum agoniae mentis, cum deliberata dubitatione circa fidem. Vide dicenda ubi de solutionibus.

3. Obi. Duo hic animadverte. Circa primum locum, verba « quod faciebant » non directe de B. Virgine dici, sed de fratribus eius, qui cum illa erant. - Circa alterum locum, vocabulum *fortasse,* esse dubitantis. De opinione autem quam B. Virgo nondum perfectam de Filio suo habuerit, plura dicemus in solutionibus.

Sed contra est. Doctrina huius articuli, quae continetur indirecte in privilegio Immaculatae Conceptionis demonstratur, 1) directe *ex Scripturis* per textus in quibus Maria exhibetur «*plena gratia*» ac « *tota pulchra, immaculata* ».

2) *Ex auctoritate Ecclesiae* demonstratur absolute et apodictice per declarationes iam allatas Concilii Tridentini, quibus addenda est declaratio Patrum Conc. Basileensis, iuxta quos doctrina asserens gloriosam Virginem immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tanquam pia et consona cultui Ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi, et Scripturae, ab omnibus catholicis approbanda est, tuenda et amplectenda, nullique de caetero licitum in contrarium praedicare seu docere. - Adde propositionem 73 Baii superius relatam, in qua mors et afflictiones huius vitae dicuntur in B. Virgine fuisse « ultio- « nes peccati actualis vel originalis » [1].

3) Ex *Patribus,* Doctoribusque eadem doctrina validissime confirmatur. *S. Cyprianus* de B. V. ait: « A caeteris pluri- « mum differebat, quibus natura communicabat, non culpa » [2]. - Laudes B. Virginis egregie celebrat *S. Ambrosius:* « Sit « vobis, tanquam in imagine, descripta virginitas, vitaque « B. Mariae; de qua, velut speculo, refulget species castitatis « et forma virtutis. Erat illa virgo non solum corpore, sed

[1] DENZINGER (op. cit., n. 953).
[2] Serm. de Nativ. Chr.

« etiam mente: quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret « affectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens. Nihil « torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu invere- « cundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox « petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum fuerit men- « tis, figura probitatis.... Talem hanc Evangelista monstravit, « talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit » [1]. - Accedit *S. Augustinus,* cuius notissimum testimonium iam superius attulimus. In quo testimonio id sane perpendendum: non oratorio modo S. Doctor Mariae laudes canit, sed ex professo de peccato actuali cum Pelagianis agens, directe B. Virginem ab omni peccato semovet. Perpende insuper vim sermonis: « nullam prorsus cum de peccatis agi- « tur, haberi volo quaestionem ». - Concordat *S. Bernardus,* qui in celebri epistola ad canonicos Lugdunenses hoc habet: « Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in « eam descenderit, quae ipsius.... vitam ab omni deinceps « peccato custodiret immunem » [2].

Eadmerus non solum idem docet, sed et modum providentiae specialis explicat: « Nulli dubium, castissimum corpus « et sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse ma- « cula peccati, iugi Angelorum custodia protectam, utpote « aulam, quam suus et omnium Creator Deus corporaliter « inhabitaturus, et ex qua hominem in suae personae unitate « ineffabili fuerat operatione sumpturus » [3].

4) Concordat quoque *Liturgia Orientalis* a S. Iacobo Apostolo tradita [4], in qua haec leguntur: « Commemorationem « agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae bene- « dictae Dominae nostrae Matris Dei, et semper Virginis « Mariae ». Et prolatis consecrationis verbis, sacerdos ait: « Praecipue sanctissimae, immaculatae, super omnes bene- « dictae gloriosae Dominae Nostrae Deiparae », etc. Et chorus reponit: « Dignum est, ut te vere beatam dicamus Dei- « param semper Beatam et omnibus modis irreprehensam, « et Matrem Dei nostri ».

[1] *De Virgin.,* l. 2.
[2] Epist. CCXXIV, 5.
[3] *De excell. B. Virg.,* c. 3. — *P. L.* CLIX, 560.
[4] Hanc Liturgiam suscepit Concilium Oecum. VI, can. 32.

Ex quibus auctoritatibus vides, quantopere a sensu catholico aberrent illi christiani qui mensuram suae fidei veluti reponunt in despectu quo de B. Virgine loquuntur, utpote quibus « *die Maria* » est prope veluti vulgaris femina. « Non « magnopere laborandum est, ut Mariam purgemus ab omni « vitio », ait Calvinus [1]; unde vehementissime in declarationem Concilii Tridentini de Mariae omnimoda puritate invehit [2]. Eodem modo agunt Magdeburgenses, Centuriatores [3], Sarcerius [4], Brentius [5], Kemnitius [6], inter quos non defuerunt qui Mariam gravius Eva deliquisse blasphemarint [7]. Porro e modernis protestantibus perplures non aliter sentire, apparebit ex mox dicendis ubi de virginea maternitate B. Virginis erit agendum.

Interim observa, hos christianos B. Virginis despectores longe cedere Turcis, nam de B. Virgine in Alcorano legitur: « O Maria, omnibus viris et mulieribus mundior atque doc- « tior, quae soli Deo studes perseveranter » [8]. Si ergo illi, Lutheri dictamini adhaerent: « potius Turcae quam Papi- « stae » [9], saltem de Maria Turcarum more sentiant!

In Corpore. Argumentum duplici syllogismo, seu polysyllogismo ita comprehenditur. Deus, quos ad munus eligit idoneos reddit. Atqui elegit Mariam ut Mater fieret Verbi. Ergo Deus Mariam idoneam reddidit ut fieret Verbi Mater. Atqui ad hoc ut fieret Mater Verbi non fuisset idonea, nisi ab actuali peccato totaliter libera exstitisset. Ergo Maria fuit ab actuali peccato totaliter libera.

Maior prioris argumenti saepe ab asceticis scriptoribus adhibetur ut et Sponsi Virginis eximiam sanctitatem demonstrent; et quidem optimo iure. De quo plura rursus dicemus, ubi de Sancto Iosepho.

[1] Harm. circ. cap. 1. Luc.
[2] *Antid. Conc. Trid.*
[3] Cent. I. *De vita Mariae.*
[4] In I et II cap. Luc.
[5] In Evang. Dom. I post Epiph. et in cap. XII Matth.
[6] *Exam. Conc. Trid.*
[7] Cf. De his B. Canisium (op. cit., loc. cit.).
[8] Cap. 5.
[9] Occasione iuramenti regii nuper Londini praestiti, quidam Anglus catholicus lepide scripsit, tale iuramentum a quovis principe emitti posse etiam Mahumedano, excluso dumtaxat catholico.

Adverte, argumenta allata ad probandam minorem secundi syllogismi, valere quoque ad demonstrandam Immaculatam B. V. Conceptionem [1]. Etenim:

a) Quo maius hoc privilegium, eo magis in gloriam Filii, a quo est, redundat; - *b*) conventio Belial et Virginis saltem in primo instante fuisset, negato hoc Immaculae Conceptionis privilegio; - *c*) pariter Verbi incarnati templum fuisset in principio templum diaboli. Porro observa, quomodo hae tres rationes se ad invicem teneant. Prima magis considerat B. Virginem ante conceptum Filium; secunda eam ipsi in conceptione prolis intuetur; tertia eam contemplatur in unione cum Filio iam concepto.

Si autem quaeras, quid in Maria magis dedecens fuisset, utrum originale peccatum, an actuale veniale (nam de actuali mortali quaestio stulte moveretur), respondendum videtur, magis dedecere originale quoad habitualem statum quem inducit, et influxum quem habet in conditionem generandae prolis; magis autem veniale actuale, quoad personalem actum a quo est. Unde personae dignitatem in Maria intuentes, omnes illi magni Scholastici, qui B. Virgini privilegium Immac. Conceptionis denegabant, immunem nihilominus eam a quovis peccato actuali praedicabant. E converso autem nullus boni nominis scriptor Mariam Immaculate Conceptam agnovit, quin eius impeccantiam quoque proclamarit.

De S. Bonaventura.

Rationibus hic a S. Thoma allatis placet addere duas alias considerationes e **S. Bonaventura** depromptas. Prima desumitur a titulo *Advocatae* generis humani. « Hoc con-« gruebat, ait, Advocatam generis humani, ut nullum haberet « peccatum, quod eius conscientiam remorderet ». Altera desumitur a titulo « *gloriae et coronae iustorum,* quatenus « congruum etiam erat, ut beata Virgo Maria, per quam « aufertur nobis opprobrium, vinceret diabolum, ut nec ei

[1] Hoc iam monet Card. Toletus in suo commentario ad hunc locum. Unde postea non pauci theologi eisdem rationibus Immac. Conc. propugnarunt, uti SALAZAR (*Defens. pro Immac. Deip. V. Concept.*, c. 26), et BELLARMINUS (*Controv. generalis XIV. De amiss. grat. et statu peccati*, l. IV, c. 15, in fin.).

« succumberet ad modicum ». Et adductis verbis Geneseos: « Ipsa conteret », etc., Seraphicus pergit: « Si igitur suggestio « est caput diaboli, nulla suggestio ingressum habuit in men- « tem Virginis, et ita tam a mortali immunis fuit quam a « veniali » [1]. Quantopere rursus hae rationes usque ad Immaculatam Conceptionem redundent, obvium est. Altera fulcitur principali Scripturarum argumento; prior est unum ex argumentis decentiae a multis theologis adductum et breviter a nobis superius allatum [2].

Insuper valde notandum est, S. Bonaventuram in hac immunitate B. Virginis ab omni peccato duplicem distinguere gradum, alium impeccantiae in prima sanctificatione obtentum, scilicet possibilitatis vitandi non solum omne mortale (quod Ieremiae fuit), nec frequentiam venialium (quod fuit Ioannis Praecursoris), sed omne veniale prorsus et singulariter et universaliter. In secunda autem sanctificatione B. Virgo obtinuit insuper impotentiam peccandi. En quomodo Seraphicus hanc exponit: « Sed cum Sanctum Sanctorum « gestavit in utero suo, tunc sanctificata fuit conformiter « Filio suo, non tantum quantum ad potentiam ad peccatum, « sed etiam quantum ad *impossibilitatem* labendi in aliquod « peccatum. Unde sicut impossibile fuit propter honorem « Filii sui, ut alium haberet Filium; sic impossibile fuit, ut « unquam ulterius haberet peccatum. Sicut etiam impossi- « bile fuit, ut carnis virginitas violaretur, in qua Filius Dei « habitaverat; sic impossibile fuit, ut carnis virginitas viola- « retur, in qua Filius Dei habitaverat; sic impossibile fuit, « ut mentis sanctitas aliqua culpa macularetur » [3]. Hanc impossibilitatem putamus reducendam esse ad illam impropriam, consequentem, de qua diximus in n. 3. Gradus autem hic duplex optime intelligitur in mente illius, qui ex una parte Immaculatam Conceptionem non tenet, et ex altera admittit in immunitate a fomite duplicem gradum alligationis et extinctionis. Etenim extinctioni fomitis respondet ille gradus altior

[1] Loc. cit., art. 2, q. 1.

[2] Hanc tamen rationibus non evolvimus in parte III dissertationis de Immac. Conc., quia non videtur tantopere stringens, et validior apparet ad excludendum peccatum actuale quam originale.

[3] III. Dist. III, p. I, art. 2, q. 3.

impeccantiae, qui impeccabilitas vocatur. Unde qui tenet ab initio fomitem in B. Virgine fuisse extinctum, non habet cur hos duos gradus in eius impeccantia tantopere distinguat; nisi quatenus crescente gratiarum ubertate, per correlationem crescit virtute tum adhaesio ad bonum tum remotio a malo.

Resp. ad 1m. Cave, ne verba huius responsionis ita intelligas, quasi fomes peccati in nobis esset unica ratio peccabilitatis. Secus quomodo protoparentes, absque fomite conditi, de tanta excellentia in tantum miseriae abyssum delabi potuissent? Quare etiam theologo qui admittit, fomitem in Maria fuisse eradicatum, ad superabundantem gratiam adhuc recurrendum est, ut absolutam impeccantiam Mariae explicet.

Resp. ad 2m. Probabilior sententia, utpote nexui verborum Simeonis atque pietati catholicae magis consona, est quae gladium de doloris compassione intelligit, qua B. Virgo, martyrum Regina, Filio suo commoriens, sub ipsa cruce eius « Stabat Mater dolorosa »[1]. Inde cultus ille *septem dolorum,* cuius symbolum est cor Virginis totidem gladiis transverberatum.

Post hanc sententiam magis placet illa Basilii, intelligentis gladium dubitationis, quatenus Mariae cor gladio contradictionis aliquo modo in duas partes dividebatur; dummodo, uti observat ipse S. Thomas, nihil inde in anima B. Virginis ponatur, quod defectum fidei atque fiduciae in Deum et in Filium suum constituat.

Resp. ad 3.m Quo melius intelligatur locus Matthaei[2] hic allatus, oportet prae oculis habere circumstantias, in quibus ibi narrata evenerunt. Ad hoc autem non parum iuvat expositio Marci[3]. Legimus enim ibi versu 21: « Quum audissent « sui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quia in furorem « versus est » ...., et inferius versu 31: « Et veniunt mater « eius et fratres, et foris stantes » (in domo enim Iesus praedicabat) « miserunt ad eum vocantes eum ». Igitur sparso

[1] Ita haec verba interpretantur S. Damascenus (l. IV, *de Fide*), S. Augustinus (epist. 59), S. Beda (In c. II Lucae), Sophronius (*De Assumpt.*, ap. Hieron., t. IV), S. Bernardus (super *Signum Magnum*), Rupertus (In Ioann., l. III, in cap. 19).

[2] MATTH., XII.

[3] C. III.

rumore quod Iesus versus esset in furorem, fratres eius, qui in eum non credebant, « exierunt tenere eum ». Maria autem eos sequebatur ex materna pietate et affectu, non quidem rumori morem gerens, sed de agendis circa Filium suum pie sollicita. - Quod si Iesus, in hoc adiuncto dignitatem Matris suae non directe celebravit, ideo fuit, quia ad vindicandam dignitatem suam divinam, de cuius fide exigenda tum maxime agebatur, magis conferebat sermo independentiam a quovis nexu humano, et solam dependentiam a Patre proclamans [1].

Haec eadem ratio movit Iesum ut in nuptiis Cana instantiam Matris initio non acciperet, - si tamen talis sit sensus huius sententiae: « Quid mihi et tibi mulier? » et non potius, formulâ adhuc hodiedum apud Orientales usitatâ, exprimat tantum animorum consensum, ut inter ambos nihil intersit. Scilicet publicam suam missionem inchoaturus, voluit Christus ostendere, se nulla voluntate pendere, nisi a voluntate sui Patris. Unde ait: « Nondum venit hora mea ». Maria autem, fiduciam non amittens, precibus ad ipsum Patrem effusis, hanc ipsam horam quasi anticipari obtinuit. Inde ministris ait: « Quodcumque dixerit vobis, facite » [2]. Ex his apparet, nexum esse intimum inter illud: « Quid mihi et tibi, « mulier, nondum venit hora mea »; et illud antea a Virgine Matre in templo auditum: « Quid est quod me quaerebatis? « nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me « esse? » [3]. Utrobique enim eadem unica agendi regula, voluntas Patris a Christo Matri affirmatur. De defectu morali quem Filius in Matre reprehendere intendat, nihil ex his verbis apparet. Quousque autem aliqua imperfecta cognitio habitudinis Matris ad Filium per eadem verba emendetur, in articulo sequenti investigabimus.

Quaeres I de nexu inter Immaculatam Conceptionem et immunitatem a quovis peccato actuali. - *Resp.*: *a*) *Per se*

[1] Nihilominus quantopere verba Iesu in Matris laudem redundent, penitior eorumdem investigatio abunde manifestat.

[2] Observa quantopere haec interpretatio disputatissimi loci cedat in laudem praerogativae, quam Bernardus vocat *omnipotentiam supplicem*. Tam potens apud Patrem Mater, ut prece influat in ipsam praedestinationem « horae » Filii.

[3] Luc. II, 49.

haec dona seiungi possunt. In Adamo adfuit prius, sed non alterum; potest etiam dari alterum sine priore; secus quomodo S. Thomas, qui prius non agnovit, tam expresse tenuisset alterum? - *b*) At perpenso *modo* quo Immaculata Conceptio fuit in Virgine, iam hoc privilegium dicendum est involvere alterum. Omnes enim rationes quae prius exposcunt, alterum quasi a fortiori exigunt.

Quaeres II de nexu inter impeccantiam et immunitatem a fomite. - *Per se* rursus potest stare immunitas a fomite, illa scilicet qui peccati originalis est sequela, sine impeccantia. Pariter absolute loquendo potest stare impeccantia, de deliberatis peccatis intellecta, sine immunitate a fomite. At impeccantia perfecta vix stare potest sine fomite saltem alligato. Inde non eodem semper ordine theologi de utroque privilegio tractant. Ita, v. gr., S. Bonaventura in Commentario Lombardi [1] ordine inverso utrumque disponit ac S. Thomas hoc loco; sed ideo forte, quia, uti modo vidimus, in ipsa impeccantia duos gradus posuit, quorum alterum post liberationem a fomite evolvit.

Scholion. - Ex dictis, praesertim in n. 3, patet quid respondendum sit illis, qui negant doctrinam huius articuli esse de fide, quia de hac veritate non potuit constare nisi post peractam B. Virginis vitam mortalem.

Primo quidem stadium revelationis clausum est per aetatem apostolicam. Iam vero Ioannes Evangelista post B. Virginem obiit.

Insuper, et hoc magis tangit medullam argumenti, sufficit ut revelatum sit principium, unde sequelae fluant; non requiritur ut iam ipsi effectus secuti sint. Atqui in B. Virgine immunitas a quovis peccato per totam vitam, fuit charisma permanens, inamissibile, in quo tanquam in principio impeccantia Mariae continebatur. Nisi haec revelatio principii sufficeret ad tenendum de fide aliquam doctrinam quae tamen nequit a facto futuro separari, quomodo in initio Ecclesiae de fide fuisset virtus transmittendi successoribus Petri praerogativas et iura Summi Pontificatus?

[1] III. Dist. III, p. I, a. 2, q. 1 et 2.

ARTICULUS V.

UTRUM BEATA VIRGO PER HUIUSMODI SANCTIFICATIONEM ADEPTA FUERIT PLENITUDINEM OMNIUM GRATIARUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - Quum iam in antedictis, ubi de plenitudine gratiae Christi agebamus, nonnulla de plenitudine gratiae B. Virginis praeoccupata sint, brevius praesens argumentum absolvere licebit.

Tria igitur paucis consideremus: 1) Quo sensu B. V. gratia plena dicatur, relate ad eamdem plenitudinem Filii; - 2) quaenam gradatio in hac plenitudine admittenda sit; - 3) quid haec B. Virginis Matris Christi plenitudo conferat nobis.

1) Quemadmodum in art. IX Q. VII huius tractatus diximus [1], plenitudo gratiae B. M. Virginis fuit simul relativa et absoluta, at potius negative; Christi vero absoluta positive. Utraque ex eodem principio fluit, ex proportione scilicet quam sapientia Dei requirit inter entis dignitatem et dotes quibus ornatur. In Christo haec dignitas est ipsa filiatio divina propter unionem hypostaticam; in B. Virgine, Maternitas relate ad hunc ipsum Dei Filium incarnatum. In Christo proin dignitas absolute infinita requirit plenitudinem absolutam undequaque. In Maria dignitas relative tantum infinita, quatenus simplex creatura non potest magis Deo coniungi quam in divina Maternitate, talem pariter plenitudinem gratiae postulat.

Quae plenitudo requirit utique exclusionem totalem mali: unde eam vocamus *negative* absolutam; non tamen requirit possessionem positivam omnis gratiae ab initio possibilis: unde non addimus *positive,* quod Christo proprium fuit.

Consequens est, B. Virginem, etsi ab initio gratia plenam, potuisse crescere in gratia; nec potuit modo, sed sine ulla intermissione in immensum crevit, per voluntatem perfectissime cuivis gratiae respondentem. Magnum proin discrimen interesse dicendum est inter utramque plenitudinem gratiae Christi et Virginis, quatenus illa nullius augmenti capax erat, haec autem iugiter augebatur.

[1] *De Deo-Homine,* t. I, p. 361.

2) Iam vero in hoc augmento triplex stadium cum Sancto Thoma considerare iuvat, iuxta perfectionem *dispositionis* ad formam, *formae* ipsius, et *finis* per formam attingendi.

Inde habemus in B. V. perfectionem initialem usque ad Maternitatem; perfectionem maiorem in ipsa Maternitate propter coniunctionem cum ipsa forma Dei; perfectionem terminalem in gloria.

Quomodo autem haec gradatio distribui possit, pendet a sententia quam quis sequitur quoad articulum tertium huius Quaestionis. Secundum S. Thomam habemus in primo stadio sanctificationem ab originali, remanente fomite sed ligato; in secundo, mundationem plenam a fomite; in tertio, liberationem a miseriis omnibus: idque quoad liberationem a malo. Quae gradatio non servari potest in sententia cui adhaesimus, et quam ex dogmate Immaculatae Conceptionis, si non necessario, saltem quasi naturaliter fluere diximus.

Igitur, loquendo solum de malo morali, et recolendo quod plenitudo gratiae B. M. V. fuit ab initio absoluta negative, dicimus, gradationem quoad liberationem a malo in Maria non dari, sed dumtaxat quoad ordinem ad bonum. Unde magis nobis placet gradatio iuxta haec tria: *a*) *consummationem in bono* (quam ab initio in B. Virgine collocare placet, dum S. Thomas, sibi constans, eam reservat usque ad Maternitatem divinam; - *b*) *illuminationem per bonum,* quam ex unione cum Verbo incarnato effluere intelligimus; - *c*) *fruitionem de bono,* quam in caelesti gloria sese explicuisse constat.

Inter haec tria stadia adde iuge gratiarum augmentum propter B. Virginis merita semper crescentia, et crescentem usque amorem.

3) Iam vero, sicuti plenitudo gratiarum Christi thesaurus est, unde fluit gratia capitis; ita quoque in B. Virgine aliquid huiusmodi occurrit ex ipsius unione cum gratiae auctore. Inde rursus in protoëvangelio mulier a semine suo non separatur. Quam communionem cum gratia capitis egregie exprimit S. Thomas in fine responsionis ad 1m. dicens: « B. « V. Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset « propinquissima auctori gratiae: ita quod eum, qui est ple-

« nus omni gratia, in se reciperet, *et eum pariendo, quodam-* « *modo gratiam ad omnes derivaret* ».

Porro duplicem huius gratiae quasi fluxum et refluxum contemplare. Per Mariam omnes gratiae ad nos pervenerunt, quia per eam nobis Christus natus est, caput nostrum, omnis gratiae fons. Sed et per Mariam in nos redundant, quatenus Christus ex gratitudine contulit Matri, ut, sicuti abundantissimam salutem prae omnibus accepit, ita per ipsam, pro Christi fratribus et proin filiis orantem, singuli gradu sibi praedestinato, eiusdem gratiae Matris et Filii participes fierent.

Ad Textum. - *1. Obi.* Negligit distinctiones supra positas ex duplici titulo plenitudinis gratiae in Christo et in B. Virgine.

2. Obi. Non attendit, plenitudinem initialem qualis in Maria fuit, non excludere augmentum sicuti pro Christo, comprehensore ab initio.

3. Obi. Vide dicenda infra, ubi specialem de Matris Dei scientia quaestionem movebimus. Interim considera, plenitudinem gratiae B. Virginis esse relativam ad dignitatem ipsius. Sufficit proin ut contineat omne id, quod ab hac dignitate aliquo modo requiritur.

Sed contra est. Doctrinam hoc atque praecedente articulo [1] contentam oppugnavit multipliciter *Raymundus Lullus,* qui inter alia dixit, B. Mariae voluntatem fuisse aliquando actu suo contra iustitiam stultam et inobedientem, quando scilicet non dilexit mortem Filii sui. - Alibi autem, Mariae nimis ex se ipsa et non per gratiam tribuens, affirmabat, eam esse bonam per naturam, et habere proprietatem per seipsam faciendi bonum. Imo ulterius progressus, contendebat, Mariam relaxare culpas et peccata, et donare virtutes et merita, fidem, spem et charitatem [2].

Contra hunc insanientem Ecclesia tenet, ex una parte B. Virginem fuisse a quavis levissima culpa immunem, ex altera parte eam per gratiam hanc immunitatem habuisse.

In Corpore. Rationem hic allatam confer cum prima ratione

[1] Ideo simul de errore Lulli in hoc articulo loquimur.

[2] Cf. *Directorium Inquisit.,* 2 p., q. 9. Raymundus ille, Catalanus mercator, vulgari catalanico sermone opera conscripsit, in quibus Petrus Terracensis et Nicolaus Eymericus plus quam quingentos errores repererunt.

adducta ubi de gratia habituali Christi [1]; pariter ubi de plenitudine eius gratiae [2], et ubi de gratia capitis [3].

Resp. ad 2m. En hanc doctrinam schemate expressam:

Si consideretur in B. M. V. perfectio

	a) dispositionis,	*b) formae,*	*c) finis,*
habetur perfectio:	sanctificationis,	conceptionis Verbi,	gloriae;
1) quant. *ad remot. a malo:*	libera a pec. orig.,	totaliter a fomite,	a miseriis;
2) » *ad ordin. ad bon.:*	inclinata in bonum,	consummata in bono,	fruens bono.

Quaeres I. - Quaenam habitudo admittenda est inter gratiam Mariae et gratiam Angelorum?

Resp. Licet homo naturaliter differat ab Angelo, gratia Angelis et hominibus collata in eodem est ordine supernaturali, utpote conducens ad eamdem visionem unius essentiae divinae. *Entitative* proin gratia Mariae, imo et nostra, eadem est ac gratia Angelorum.

Si autem *quantitative* consideratur, dubium esse nequit, gratiam Mariae excellere gratiae supremo Angelorum collatae. Id omnino postulat illa plenitudo de qua diximus, quum desumatur a dignitate, cui citra Deum nulla adaequari potest. Unde Maria ab Ecclesia salutatur Regina Angelorum.

Eloquenter S. Bernardus in celebri sermone dicto *de Aquaeductu:* « Intuere igitur, quemadmodum usque ad Angelos « plenitudine gratiae, supra Angelos superveniente Spiritu « Sancto pervenit. Est in Angelis charitas, est puritas, est « humilitas. Quid horum non enituit in Maria?.... Cui enim « Angelorum aliquando dictum est: " Spiritus S. superveniet « in te " etc.. Denique veritas de terra orta est, non de ange« lica creatura: nec Angelos, sed semen Abrahae apprehen« dit. Magnum est Angelo ut minister sit Domini; sed Maria « sublimius quiddam meruit, ut sit Mater », etc. [4].

Hanc superioritatem gratiae B. Virginis S. Thomas pluries diserte affirmat: « B. Virgo excessit Angelos... in pleni« tudine gratiae, quae magis est in B. Virgine quam in ali-

[1] Q. VII, a. 1.

[2] Ibid. a. 9.

[3] Q. VIII, a. 1.

[4] *De Virgin. Deip.*, serm. 2, n. 12. *P. L.*, CLXXXIII, 444. — Cf. S. CHRYSOSTOMUM (*Hom. in hypapant. Domini,* necnon in *Liturgia*).

« quo Angelo; et ideo ad insinuandum hoc Angelus ei reve-
« rentia exhibet dicens: " gratia plena ", quasi diceret: Ideo
« exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine
« gratiae » [1]. - « Quamvis humana natura non sit angelica
« dignior, tamen alicui homini collata est maior gratia quam
« alicui angelo, sicut B. Virgini et homini Christo » [2].

Porro id a fortiori valet de Mariae gratia relate ad alios Sanctos. Unde Sophronius ait: « Ave gratia plena. Bene plena;
« quia caeteris sanctis datur gratia per partes, Mariae vero
« tota se infundit plenitudo gratiarum » [3]. Idem prorsus affirmant S. Gregorius Naz. [4], S. Basilius Seleuc. [5], S. Petrus Chrysologus [6], et S. Petrus Damiani [7].

Quaeres II. - Quid de Mariae gratia collata cum gratia omnium simul Angelorum atque Sanctorum?

Resp.: Lex est in huiusmodi argumentis apprime servanda: « Sapere ad sobrietatem ». Posita autem quaestione, iam conandum est, ut ei aliqualiter respondeatur. Plerique theologi catholici affirmant, maxime inde a Suarezio, qui ait: « Itaque
« si mente conspiceremus ex multitudine gratiarum Sanc-
« torum omnium unam intensissimam consurgere, non adaequaret intentionem gratiae Virginis » [8]. Conveniunt Cornelius a Lapide [9], Cherlog [10], Vega [11]; quam sententiam S. Alphonsus Liguori communem et tutam inter recentiores theologos appellat [12]. Haec sententia nobis arridet ob argumenta tam intrinseca quam extrinseca.

a) Argumentum *intrinsecum* princeps residet in ipso principio, cui perfectio supernaturalis B. Virginis superstruitur: « Unicuique, ait S. Thomas, (Deus) dat gratiam proportiona-

[1] *Exp. in Salut. Angel.*
[2] *De Verit.*, Q. XXIV, a. 9, 2.
[3] *Serm. de Assumpt.*
[4] *Lib. de Christ. pat.* si tamen sit eius.
[5] R. 39, *in Deip. Annunt.* — *P. G.* LXXXV, 448.
[6] Serm. 123, *de Annunt. V.* — *P. L.* XII, 583.
[7] *In Cant.*
[8] In III, Q. XXVIII, a. 4, disp. 18, sect. 14, n. 8.
[9] In Prov. XXXI, 29.
[10] *Cant. cant.*, t. III, vestig. 32, n. 48.
[11] Op. cit., Pal. XI et XVI.
[12] *Le glorie di Maria*, Monza 1844, vol. II, Disc. 2, pet. 1, p. 31.

« tam ei ad quod elegitur » [1]. Iam vero per divinam Maternitatem B. Virgo est tantopere super omnes choros Angelorum et Sanctorum sublimata, ut non appareat ratio cur haec e superabundantia negetur.

Et sane in hanc partem iam coire videntur illi magni scriptores, qui sive in aetate media, sive deinceps laudes B. Virginis cecinere. Eleganter ps. Bonaventura: « Maria dici-« tur mare propter affluentiam et copiam gratiarum, unde « scriptum est: " Omnia flumina intrant in mare, dum omnia « charismata Sanctorum intrant in Mariam: flumen gratiae « Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, « Martyrum, Confessorum, Virginum intrant in Mariam. Quid « mirum, si omnis gratia in Mariam confluit, per quam tanta « gratia ad omnes defluxit? Unde ipsa optime dicere potest: « In me omnis gratia viae et veritatis, in me omnis spes « vitae et virtutis " » [2].

Inde S. Thomas a Villan. Mariam in ordine supernaturali vocat *Microcosmon Ecclesiae:* « Sicut in creatione mundi « in homine collecta est omnis creatura, ideo microcosmos « dicitur; sic in reformatione mundi, in Virgine collecta est « omnis Ecclesiae et Sanctorum perfectio: unde Microcosmos « Ecclesiae dici potest, cum una Maria pretiosior et dignior « sit universo mundo » [3]. Et Richardus de S. Laurentio vi eiusdem principii ait: « Ipsa dicitur terribilis ut castrorum « acies ordinata: ipsa enim tantum daemonibus est terribilis, « quantum Angelis et Sanctis exstitit venerabilis: id est, sicut « tota acies Apostolorum, Prophetarum, etc., qui contra dia-« bolum pugnaverunt. Nam quae omnium Sanctorum privi-« legia habet in se congesta, unde dicitur: " Omnia poma « nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi "; ita terribilis est « daemonibus, sicut universa collectio Sanctorum aliorum » [4].

Porro, quod verum est de gratiarum mensura, verum est quoque de singulis virtutibus et gratiae charismatibus, in

[1] *Ep. in epist. ad Romanos,* c. 8, ep. 8, lect. 5.

[2] *Specul.,* c. 3. Verus auctor dicitur Conradus a Saxonia. (Cf. *De Santi,* op. cit., p. 70). — Idem breviter ingeniose per ludum accentus ait Albertus M.: « Con-« gregationes aquarum vocavit Deus *maria,* locus autem omnium gratiarum voca-« tur *Maria* » (Sup. *Missus est*).

[3] *In fest. Nativ. B. M. V.,* Conc. 3, n. 8. Opp. II, 404.

[4] *De laud. Virg.,* al. IV.

quantum intimo nexu cum charitate colligantur, aut cum indole missionis B. Virginis concordant. Scilicet Maria possidet omnia « vel formaliter vel eminenter », ut verbo utar Gersonii [1]. Audiamus rursus auctorem Speculi: « " In plenitu- « dine Sanctorum detentio mea ". Revera in plenitudine Sanc- « torum Maria detenta fuit, dum in mirifica perfectione sua « plenitudo perfectionis Sanctorum sibi non defuit » [2]. « Ple- « nitudo gratiae est plenitudo supereminentiae, qua aliquid « dicitur caeteris supereminere: et haec plenitudo fuit in « Beatissima Dei Matre, quae omnia dona, quae alii Sancti « acceperunt in parte, ipsa omnino habuit in plenitudine. « Nam sicut in capite sunt omnes sensus, sed in aliis « partibus corporis tantum est sensus tactus; sic Domina « nostra omnia habuit Dei dona, quae in Sanctis aliis sunt « divisa » [3]. Et Raymundus Iordanus, vulgo Idiota dictus, Mariam ita alloquitur: « Non defuit tibi puritas Angelorum, « non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non « zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas « Confessorum, non innocentia Virginum; in summa nullo « genere vacasti virtutum, o Virgo plus quam Beata. Quod- « cumque donum alicui Sanctorum unquam datum fuit, tibi « non fuit negatum; sed omnium Sanctorum privilegia, « omnia habes in te congesta » [4].

Conveniunt prorsus S. Antoninus Florent. [5], S. Laurentius Iustinianus, [6], Card. Baronius, etc. [7]; imprimis S. Thomas, qui presse dixit: « In Virgine debuit apparere, omne illud, quod « perfectionis erat » [8]. Cave autem, ne hanc regulam nimis materialiter interpreteris; v. gr.: S. Gregorius Thaumaturgus orando montem transtulit, ergo Maria maiorem; Apostoli donum linguarum acceperunt, ergo plura idiomata locuta est Maria; etc., etc. Quid B. Virgo in ordine charismatum habuerit, quid exercuerit, nemo est qui definire possit, et fatemur

[1] *Alphab.*, 82, a. litt. B.
[2] *Specul.*, lect. 7.
[3] *Serm. 3, de B. M.*
[4] *Lib. de contempl. de B. V.*
[5] *Summ.*, P. IV, tit. 15, c. 10, 16.
[6] *De casto connub. animae et Verbi*, c. 9.
[7] *Prov. appar.*, n. 40.
[8] IV. Dist. XXX, Q. II, art. 2, sol. 1, c.

nonnullos auctores, inter quos et Vega, nostro iudicio in huiusmodi inquisitionibus a sobrietate nonnihil declinare. Sufficiat nobis scire et proclamare, B. Virginem fontem omnium charismatum habuisse uberiorem prae omnibus Sanctis; eoque forte in ordine ad Deum et Christum perfectissime et constantissime usam esse [1].

Concludamus hanc solutionem per verba S. Antonini: « Ex « dictis quomodo B. Maria fuit plena gratia? Quadrupliciter. « Primo, quia omnes gratias generales et speciales omnium « creaturarum habuit in summo. Secundo, quia illas gratias « habuit, a quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quia « sua gratia tanta fuit, quod pura creatura maioris gratiae « capax non fuit. Quarto, quia etiam gratiam increatam, id « est Deum, in se toto continuit; et sic per omnem modum « plena fuit » [2]. Imo fuit plena usque ad supereffluentiam in nos, iuxta illud: « Mensuram bonam et confertam et coa- « gitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum » [3]. Unde Ambrosius: « Plena semper et redundantia sunt divina « beneficia » [4]. Quod praeter Christum, in nullo mirabilius apparuit quam in « vase spirituali » B. V. Maria.

Quaeres III. - Estne haec gratiarum supereminentia intelligenda de termino vitae B. Virginis, an etiam de principio, ita ut ab ipso suo exordio gratiam habuerit maiorem, quam simul omnes Angeli et Sancti in suo termino?

Resp. Duo sunt certa: 1) ad veritatem comparationis satis esse ut utrimque idem respectus habeatur sive ad principium, sive ad terminum; - 2) Mariae gratiam initialem iugiter esse adauctam per perfectissimam Mariae cooperationem.

His positis non desunt, qui cum aliqua haesitatione loquantur de proportione inter gratiam initialem Deiparae et terminalem omnium Sanctorum; praesertim si initialis supereminentia adhuc augeatur. Ita P. Terrien, quaerenti cur non decentius ab initio poneretur in Virgine gratia bis, ter, quater superexcedens omnem simul aliorum gratiam terminalem,

[1] Cf. Terrien. S. I. (op. cit., l. III, c. 6).
[2] Ibid. IV, p. tit. 15, c. 2, § 15.
[3] Luc. VI, 38.
[4] Lib. I, in cap. 1, Luc.

respondet: « Oui, celà serait plus convenable, si le titre que « donne alors à Marie sa condition de *future* Mère de Dieu, « l'emportait à ce degré sur le mérite final de *tous* les Saints. « Mais parce qu'il n'est personne qui présume affirmer une « prééminence si excessive, la condition comparée de la « Vierge à son origine et des Saints à leur terme m'empê- « che de trouver convenable une mesure de grâces si supé- « rieure à toute autre mesure » [1]. Sane in his quae sunt pietatis, forma discretionis est sedulo servanda. Quis tamen in privilegio Immaculatae Conceptionis non agnoscet summam dignitatem *futurae* Matris Dei? Quare iam ex tunc valere debuit illa lex excellentiae, quae pertinet ad ordinem tantopere distinctum, ut nec per decursum annorum etiam summis meritis refertorum possit aequari, si non ab initio aliqualiter adfuerit. Unde inclinamur in censendum cum Vega [2], et S. Alphonso [3], praefatam proportionem iam ab exordio vitae B. Virginis valuisse. Certo tamen id tenemus ab instanti Incarnationis Verbi, in quo divinae Maternitatis titulus sese de praesenti ineffabiliter explicuit.

Quaeres IV. - Estne admittendum, B. Virginem visione beatifica iam in hac vita fruitam esse?

Resp. Omnino negandum est, conditionem B. Virginis fuisse comprehensoris simul et viatoris. Hoc fuit privilegium solius Christi ob unionem hypostaticam. Utrum autem B. Virgo in mortalis vitae stadio essentiam Dei aliquando contemplata sit, uti eam in caelo intuentur Beati, alia quaestio est; quam facilius solvit negando, qui id nulli unquam Sancto putat esse concessum [4]. Sane via per quam Deus Matrem conduxit, via fuit fidei, imo, uti mox dicemus, et humilitatis. Unde caelestes extases non putarem fuisse conditionem ordinariam B. Virginis. At Deum et Christum eam pluries lumine peculiari ac gaudio collustrasse, quis audeat certo negare? Imo quis damnet opinantem, Mariam non semel usque ad veram visionem beatificam in hac vita

[1] Loc. cit., c. 7.
[2] Op. cit., Pal. xv, cart. 2, n. 1157.
[3] Ibid. p. 32.
[4] Cf. quae de hoc diximus *De Deo Uno*, t. I, p. 470 sqq.

fuisse elevatam, v. gr., in principio suae Maternitatis, in virgineo partu, in amplexu Filii e tumulo redivivi, in eucharistico convivio, in beatissima morte? Sed haec spectant ad devotionem; nec de his utiliter longiora quaesita moventur.

Quaeres V. - Quaenam *perfectio scientiae supernaturalis* in B. V. admittenda est?

Resp. Aliter et aliter de hoc argumento scribunt auctores ascetici. Qua in re cavendum videtur, ne devotio limites veritatis excedat. Putamus autem omnino Scripturis, ac proin solidae pietati consonum, ut talis in B. Virgine teneatur perfectio scientiae supernaturalis, quae decuit dignitatem eius simul ac meritum [1].

Iam vero quum fides et humilitas sint excellentissimae viae perfectionis, voluit Deus et per hanc duplicem viam Matrem Filii sui ad maximum virtutis gradum provehere. Utique beata Virgo, ab infantia lumine superno collustrata, ex Scripturarum insuper assidua perscrutatione, de futuro Redemptore cognovit multa; non tamen omnia, ita ut scientia ipsius de Christo non potuerit quotidie perfici. Profecit autem non solum quoad ipsum Christum, sed et quoad habitudinem Christi in sua missione ad propriam matrem.

Primum nobis a Scripturis ostenditur ex narratione praesentationis Christi in templo. Audito enim Simeonis cantico, « erant pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo » [2]. Utique mirabatur Virgo, dignitatem sui Filii a sene venerabili agnosci, quin tamen ipsa eam ullo modo prodidisset. Sed et mirabatur *super his*, ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις, quae prophetice nuntiabantur, maius ex hoc vaticinio et ipsa « lumen » accipiens. Hoc sibi sacer textus exposcit. Neque placet, hanc admirationem fictitiam fingere, quasi voluisset beata Virgo videri mirabunda, ne alta de se cogeret Simeonem sentire. Num, quaeso, deceret simplicissimam animam haec pia duplicitas? Nequaquam.

Porro hanc maiorem illustrationem B. Virgo sedula contemplatione fovebat, ac ita augebat, iuxta illud quod Evan-

[1] De naturali scientia in B. V. admittenda dicemus in appendice huic quaestioni adnexa.

[2] Luc. II, 33.

gelista paulo inferius addidit: « Et mater eius conservabat « omnia verba haec in corde suo » [1].

Profecit quoque Mariae scientia quoad habitudinem suam ad Filium in publica eius missione. Quando, post tres dies angustiis plenos [2], Maria cum Ioseph puerulum Iesum in templo reperit, atque ab eo, quem blande, uti mater, quasi corripuerat, responsum audivit aliquantulum, primo saltem intuitu, improbativum: « Quid est quod me quaerebatis? « Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me « esse? » [3] Evangelista adiungit: « Et ipsi non intellexerunt « verbum quod locutus est ad eos » [4]. Meditatione tamen assidua, de qua modo diximus, profunditatem huius sermonis Maria plenius agnovit. Unde forte, quando in Canae nuptiis Iesum sibi respondentem audivit: « Quid mihi et tibi, mulier? « nondum venit hora mea » [5], non amplius legimus ipsam non intellexisse; sed eo modo institit, quo nihil sibi de opere Filii, nec auctoritatis nec gratiae accedere posset.

Paucis ergo: B. V. ab initio habuit excellenti gradu supernaturalem scientiam quae ipsam decebat; ita tamen ut haec scientia, progrediente Christo in opere suo, augmentum acceperit, quo maiorem et fides et humilitas Matris meritorum copiam colligerent.

[1] Luc. II, 51.

[2] Solent inimici cultus Mariani improperare B. Virgini negligentiam, neque levem, qua Filium amisit. Sed nihil huius negligentiae apparet in tota narratione. Turmatim, per varios comitatus a templo domum redire solebant fideles. Potuit ergo Ioseph optime credere. Iesum cum Matre remansisse, aut Maria eum stare cum Ioseph; aut ambo « illum esse in comitatu », uti habet narratio sacra; ac ita, securi de eo, pergere iter diei. Quantopere autem de eo essent solliciti, ostendunt tum curae quibus eum indefesse quaesierunt, tum haec ipsa Mariae verba veluti amoris suspirium de oppresso corde effusa: « Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et « ego dolentes quaerebamus te ». In qua sententia, quis non videt Matris affectum tenerrimum, qui negligentiam a priori depellit? Sed et responsum Iesu, nedum ad ullam negligentiam alludat, ostendit imo Iesum omnes Matris curas veluti delusisse, quum de implenda voluntate Patris caelestis ageretur.

[3] Luc. II, 49.

[4] Ibid. 50.

[5] Ioann. II, 4.

ARTICULUS VI.

UTRUM SIC SANCTIFICARI, FUERIT PROPRIUM BEATAE VIRGINI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Pro illo qui tenet, beatissimam Virginem fuisse ita sanctificatam ante nativitatem, ut neque culpam originalem contraxerit, praesens quaestio solvenda est affirmative: alterius enim rationis est prorsus talis sanctificatio quae non modo contractam labem delevit, sed et contrahendam praevenit. Unde rursus ex toto discursu huius articuli apparet, S. Thomam non intellexisse sanctificationem Beatae Virginis, qualem Pius IX solemniter declaravit [1].

Probatur enim ex hoc quod *a*) obiectiones procedunt affirmando; *Sed contra est* autem et *Corpus* negando, quin in *Corpore* aliud demonstretur, nisi vera sanctificatio Ieremiae et Ioannis Baptistae ante nativitatem; - *b*) discrimen in resp. ad 1.m inter horum Sanctorum et Virginis sanctificationem affertur dumtaxat quoad amplitudinem effectus, non vero quoad prioritatem [2], nec imo quoad excellentiam specificam ex hoc quod in B. Virgine sanctificatio culpam praevenerit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Concludit falso a sanctificatione ante nativitatem ad eumdem gradum sanctificationis.

2. Obi. Privilegium in sanctificationis modo confundit cum ipso sanctitatis gradu.

3. Obi. Gratuito supponit *miserationem*, de qua in hoc loco agitur, esse miserationem a parte Dei labem delentis et gratiam conferentis.

Sed contra est. Excellentia Praecursoris, quam ipse Christus coram turbis praedicavit, inquiens: « Inter natos mulie- « rum non surrexit maior » [3], certatim a Patribus commendatur. « Magnus Ioannes, ait Augustinus, cuius magnitudini

[1] Crescit huius considerationis virtus ex modo quo primi discipuli S. Thomae, maxime Petrus a Tarantasia hanc comparationem evolvunt (Cf. p. 148).

[2] Inde rursus vides quantopere arbitrarie incedant illi commentatores Angelici, qui contendunt S. Thomam in contractione labis nonnisi prioritatem rationis prae sanctificatione de Maria praedicasse.

[3] MATTH. XI, 11.

« etiam Salvator testimonium perhibuit dicens: "Non surrexit « inter natos mulierum maior Ioanne Baptista ". Praecellit « cunctis, eminet universis. Antecedit Prophetis, supergredi- « tur Patriarchas: et quisquis de muliere natus est, inferior « est Ioanne » [1]. Pessima ergo blasphemia fuit Manichaeorum [2] dicentium, Ioannem-Baptistam Praecursorem Domini esse damnatum, eo quod non crediderit in Christum. - E contra singulare meritum Ioannis est, Christum agnovisse iam ab utero matris, Christum digito monstrasse in ripa Iordanis, ad Christum suos sine ullo vel minimo zelo misisse discipulos. Quorum debilitati ut morem gereret, si quosdam ad Redemptorem deputavit formula dubia Christum interrogaturos, nunquam eius fides in Christum arundinis more vacillavit; quin maximus ipse Vatum a Christo meruit celebrari. Et sane, finge Ioannem mente dubia nuntios ad Iesum misisse, quomodo potuisset tunc Iesus ad hoc ipsos nuntios tam magnifica laude Praecursorem commendare?

In Corpore. Sanctus Thomas in hoc argumento tria facit.

1) Probat ex Scripturis, Ieremiam et Ioannem in utero matris esse sanctificatos. Ubi adverte, difficultatem S. Augustini, de Praecursore exsultante in Mariae adventu ad Elisabeth, magis respicere usum rationis, qui hoc solo facto non necessario sequitur iam in Ioanne adfuisse, quam ipsam sanctificationem, de qua sermo Angeli ad Zachariam dubium nullum relinquit. Ecclesia tamen videtur exsultationem in Ioanne agnoscere consciam, dum canit:

Ventris obtruso recumbans cubili
Senseras *Regem thalamo manentem....* [3].

Imo id sat aperte Scriptura innuit [4]. Argumentatio nihilominus S. Augustini per se valida est.

2) Affert rationem, cur tam inclytum privilegium non extendendum sit ad alios, de quibus in Scriptura non constat.

3) Demum ostendit, quam congrue Ieremias, qui passio-

[1] Sermo de Ioann. Bapt.

[2] Cf. Bernardum de Lutzemburgo (*Cathol. haeret.*).

[3] *Offic. Nat. I.-B.*, Hymn. ad Vesp. — Cf. pulchrum sermonem S. Maximi de S. Ioann. Baptista.

[4] « Exultavit *in gaudio* infans in utero meo ». (Luc. 1, 44).

nem Christi eximie figuravit, et Praecursor, qui pariter baptismo Christi vias paravit, hoc privilegio ornati sint.

Resp. ad 2m. Quaeres quomodo heic dicta componantur cum sententia superius ab Augustino deprompta, et cum laude ab ipso Christo Praecursori tributa. Duplex responsio iacet in promptu.

a) Quando Christus dixit: « non surrexit maior », subintelligi debet: propheta. Nam dixerat paulo ante: « Sed quid « existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam « prophetam » [1]. Cur plus quam prophetam? quia maior omnibus, et quia Messiam non modo vaticinatus est futurum, sed iam praesentem monstravit. - *b*) Christus excellentiam Ioannis praedicat conferens ipsum cum magnis viris antiquae Legis, nam subdit immediate: « Qui autem minor est in regno « caelorum », (id est in nova Lege), « maior est illo » [2].

Caeterum S. Thomas non absolute loquitur; dicit tantum: « quantum ad alia, potuerunt », etc.

Porro adverte vim considerationis Aquinatis: Quidquid revelatione continetur expressum, indolem induit publici iuris. Congruum inde est, ut fundamentum sanctificationis specialis Ieremiae et Ioannis quaeratur non tantum in propinquitate eorum ad Deum, sed in munere publico, quod utrique incumbebat.

APPENDIX.

De Sanctificatione B. Iosephi, Sponsi B. M. Virginis.

Hoc loco quaedam brevissime dicenda videntur de Sponso B. Virginis, quantum ad eius sanctificationem.

1) Quum dignitas divinae maternitatis parem non habeat, et insuper tum fundamentales rationes ex Scripturis desumptae, tum formula dogmatica de Immaculata Conceptione B. Virginem singularissime respiciant, non adest prudens ratio cur idem privilegium Beato Iosepho tribuatur.

[1] Luc. VII, 26.

[2] Ibid. vers. 28. De vi huius sententiae non est huius loci fuse disserere. Comparatio intelligenda est de eminentia illa aliquomodo ex opere operato, quam per se Lex nova possidet.

Quare a tali affirmatione, utpote periculosa et temeraria, abstinendum est [1].

2) Praecellens tamen dignitas, qua gaudet B. Ioseph, - uti virgineus Sponsus Matris Dei, uti pater putativus ac nutrititius Iesu, uti figura Patris caelestis atque caput Sacrae Familiae in terris, demum uti Patronus Ecclesiae universae, - pie suadet, SS. Patriarcham fuisse speciali modo sanctificatum, gratiarumque dotibus repletum. Quare placet sententia, quae eum privilegii Praecursoris ac Ieremiae participem affirmat.

Nec obest quod de hoc privilegio nihil in Scripturis legatur. Tota enim figura S. Iosephi est abscondita; unde potius decet ut ille tam eximius, cuius tamen Evangelium ne obitum quidem narrat, vitae supernaturali pariter ortus sit, quin ulla de speciali eiusdem sanctificatione memoria prostet.

3) Vi huius uberioris sanctificationis putamus, B. Iosephum fuisse in gratia confirmatum, ita ut non modo mortalia, sed et deliberata venialia vitare potuerit; saltem a tempore quo Sponsus cum B. Virgine convenit, utpote fomitem habens ex ipsa propinquitate purissimae Virginis ligatum [2].

Iuxta hanc doctrinam collatam cum resp. ad 1.m sequentem sanctificationis scalam haberemus:

a) *Christum,* gratia, sine possibilitate augmenti undequaque plenum, absolute impeccabilem.

b) *Mariam,* immaculate conceptam, plenam gratia, iugiter adaucta, peccabilem tamen per se, sed liberam a quavis concupiscentia et a quovis levissimo peccato per gratiam.

c) *B. Iosephum,* sanctificatum ante nativitatem, eximia gratia ornatum, qua, saltem a sponsalitiis suis virgineis, fomitem habuit ligatum, et confirmatus in gratia venialia deliberata vitavit.

d) *Praecursorem et Ieremiam*, ante nativitatem sanctificatos, et ita confirmatos in gratia ut mortaliter nunquam peccarint [3].

[1] Unde Ecclesia interdixit orationem ad modum salutationis angelicae, vix mutatis verbis ad S. Iosephum applicatae.

[2] De virginitate SS. Patriarchae opportunius in sequenti Quaestione dicemus.

[3] Inter utrumque S. Bonaventura, uti vidimus, discrimen posuit: quatenus Praecursor insuper frequentiam venialium vitare potuit.

e) *Apostolos* pariter, sed post Christum redivivum confirmatos in gratia, ne in mortalia inciderent.

Locum specialissimum in hac scala B. Iosepho inde tribuere non veremur, quod Spiritus ille, qui ubi vult spirat, ultimis temporibus cultum Sponsi B. M. V. in Ecclesia tam magnifice auxit; cui cultui oportet ut maxima gloria ac proin summa sanctitas omnino respondeant.

N. B. - Quum in expositione huius Quaestionis non semel nobis a doctrina S. Thomae declinandum fuerit, satius ducimus a synoptica synthesi eiusdem abstinere; eo vel magis quod argumentorum nexus patet.

APPENDIX.

De B. Virginis ortu, dotibus ac nomine

Dissertatio.

Antequam duce Angelico ad contemplandam B. Mariae virginitatem accedamus, pauca breviter dicenda supersunt 1) de B. Virginis ortu; 2) de eius dotibus, scilicet naturalibus, tum quoad corpus, tum quoad animam; 3) de eius nomine.

1) De **ortu** B. Virginis nihil in Scripturis dicitur [1], nisi eam fuisse de domo David: « Missus est Angelus Gabriel... « ad Virginem... de domo David ». Haec enim verba possunt forsitan aeque ad ipsam Virginem et ad Ioseph referri [2].

[1] Apocrypha sunt nec fide digna: *Protoëvangelium Iacobi minoris, Evangelium Nativitatis Mariae,* de quibus Innocentius dicit in epistola ad Exuperium Tolos. 7: « Caeteraque sub nomine Matthaei sive Iacobi minoris, etc.... non solum repudianda, « sed etiam noveris damnanda ». Cf. decret. Gelasii de Apocryphis. (Thiel. *Ep. Rom. Pontif.*, 462: Evangelium nomine Iacobi minoris apocryphum). Quare ab his scriptis abstinemus, sicut a libris qui ab hoc fonte derivati, aetate media latino vulgarique deinceps sermone multifariam prodiere. Quorum praecipua sunt e saeculo X poema Roswithae, *Historia nativitatis, laudabilisque conversationis intactae Dei Genitricis;* e saeculo XII apud Septentrionales *Mariu Saga* (Christiania 1875); apud Gallos *La vie de Notre Dame* (Cf. *Hist. littér. de la France*, xviii, 830): *La vie de la Vierge Marie de* Maître Wace (Tours 1859); apud Germanos *Gedicht zur Ehre der Jungfrau Maria,* auctore « Pfaffen » Wernher; saeculo XIII apud Flandros poema *Van unser Vrowen bodescaph unde van der bort sente Marie der juncvrowen* (O Schade, Hanover 1854); saeculo XV apud Anglos *The life of Lady,* auctore Ioanne Ludgate (Cf. Reinsch, *Die pseudo-Evang. von Jesu und Maria's Kindheit in der roman. u. german. Litteratur.* Halle 1879).

[2] Cf. Pesch (op. cit., t. iv, p. 287).

Idem e multis Scripturae locis erui potest. Nam quum Christus ex una parte fuerit absque dubio filius David, ex altera autem de Virgine natus, haec Virgo de stirpe David per hoc ipsum demonstratur. Quae origo Iesu in Vet. Test. aperte praedicta erat: « Cumque completi fuerint dies tui », ait Deus ad David, « et dormieris cum patribus tuis, susci-« tabo semen tuum post te, quod egredietur de utero, et fir-« mabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, et « stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. Ego « ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium » [1]. Quae verba litterali utique sensu de Salomone esse intelligenda, demonstrat Scriptura alibi: « Cogito aedificare templum nomini « Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri « meo dicens: " Filius tuus, quem dabo pro te super solium « tuum, ipse aedificabit domum nomini meo " [2]: ita Salomon ad Hiram. Imo David ipse, postquam necessaria ad templi aedificationem collegerat, ait ad Filium: « Factus est sermo « Domini ad me dicens:... Filius qui nascetur tibi,... ipse aedi-« ficabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et « ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni eius super « Israël in aeternum » [3]. Quin et in primo loco verba sequentia non possunt nisi de ipso Salomone intelligi: « Qui si inique « aliquid gesserit, arguam eum virga virorum, et in plagis « filiorum hominum. Misericordiam autem meam non aufe-« ram ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea » [4]. At insimul prima verba de Christo per typicam eminentiam esse dicta, declarat Apostolus in exordio epistolae ad Hebraeos: « Cui dixit aliquando Angelorum....: Ego ero illi in « patrem, et ipse erit mihi in filium? » [5].

Sed et in psalmis haec veritas pluries occurrit. Ita in psalmo LXXXVIII inducitur Deus ipse « in visione sanctis » suis dicens.... [6]: « Semel iuravi in sancto meo, si David men-

[1] II. Reg. vii, 12 sqq.

[2] III. Reg. v, 5.

[3] I. *Paralip.*, xxii, 8 sqq.

[4] II. Reg. vii, 14, sq. In his verbis multi vident promissam conversionem Salomonis ab erroribus suis, ita ut poenitens obierit ac salvus sit.

[5] Hebr. i, 5.

[6] Verba in hoc psalmo: « Ipse (David scilicet) invocabit me: Pater meus es tu: « Deus meus et susceptor salutis meae » (v. 27) ostendunt, formulam « Ego ero illi

« tior: semen eius in aeternum manebit » [1]. Et apertius in ps. CXXXI: « Iuravit Dominus David veritatem, et non fru- « strabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem « tuam, etc. ».

Nec minus aperte id annuntiaverant Prophetae. Ieremiae enim ore Deus dixit: « Si irritum potest fieri pactum meum « cum die et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et « nox in tempore suo: et pactum meum irritum esse poterit « cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet « in throno eius » [2]. De quo sane filio tam solemniter promisso ait Isaias: « Super solium David et super regnum « eius sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio et « iustitia, amodo et usque in sempiternum » [3]. Et: « Egredie- « tur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet » [4]. Quae verba Patres passim de Maria et de Iesu intelligunt: « Egressa est virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice « eius ascendit, quia intemerata Virgo Maria de stirpe David « orta est, de cuius carne Dominus in civitate Nazareth « veritatem carnis sine inquinamento carnis assumpsit ». Ita inter alios Beda noster [5].

Inde Iudaei tot tamque apertis oraculis edocti, de hac veritate nullatenus dubitabant. Roganti Iesu: « Quid vobis « videtur de Christo? cuius filius est? » respondent absque haesitatione: « David » [6]. Nec sane contradicit Iesus, sed ex verbis ipsius David: « Dixit Dominus Domino meo » [7] demon-

« in patrem, et ipse erit mihi in filium » habere duplicem sensum: *a*) adoptivum per gratiam, de viris sanctis intime cum Deo coniunctis; *b*) strictum per naturam, in Christo vero Filio Patris. — Difficultas quae ex hac duplici interpretatione oriri potest, solvitur, si quis prae oculis tenet, David et Salomonem ita esse typos Christi, ut Scriptura de eis loquens permiscere soleat utrumque eorumdem respectum historicum et typicum, unde sermo interdum excrescit in sensum qui certo intendit Chr., interdum unice David ac Salomonem designat, interdum duplicem significationem cum gemino respectu complectitur. Porro haec verba non de Salomonis tantum persona, sed et de tota stirpe Davidica esse intelligenda, demonstrat Ps. LXXXVIII, 31-35.

[1] Ps. LXXXVIII, 36, sq..

[2] IEREM. XXXIII, 20, 21.

[3] Is. IX, 7. — Lege de hoc versu brevem at pulcherrimam expositionem Richardi Victorini: *De comparatione Christi ad florem et Mariae ad virgam.* - *P. L.* CXCVI, 1031, sq.

[4] Ibid. XI, 1.

[5] Homil. in galli cantu Nat. Dom., si tamen haec homilia sit eius. — *P. L.* XCIV, 335.

[6] MATTH. XXII, 42.

[7] Ps. CIX, 1.

strat, Christum ita esse filium David, ut et prius ab aeterno sit filius Dei. - Quinimo Incarnationis praeco ad haec vaticinia provocat tanquam ad aliquid notissimum et in iudaico populo princeps (?): « Dabit illi Dominus Deus sedem David « patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum » [1]. - Sed et Paulus huic veritati fortiter insistit: « Memor esto, ait ad « Timotheum, Dominum Iesum-Christum resurrexisse a mor- « tuis ex semine David, secundum Evangelium meum » [2]. Et ad Hebraeos scribit: « Manifestum est, quod ex Iuda ortus « sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moy- « ses locutus est » [3]. Quomodo manifestum, nisi quia erat de semine David? Per David enim ascensus fit ad Iudam, et per Iudam ad Abraham. Unde Matthaeus ait: « Liber genera- « tionis Iesu Christi Filii David, filii Abraham » [4]. Unde Ecclesia haec tria stadia complectens, in festo Nativitatis Deiparae canit: « Nativitas gloriosae Virginis Mariae ex semine « Abrahae, ortae de tribu Iuda, clara ex stirpe David » [5]. Imo Lucas, veluti recordans primae Messiae promissionis in ipso paradiso factae, assurgit ab Abraham usque ad Adam, « qui fuit Dei » [6].

Ergo absque ullo dubio Beatissima quoque Virgo est *filia David*. Quaeritur autem de via per quam ab hoc rege prodierit. Quum duplex in Scriptura prostet genealogia Christi, apud Matthaeum [7] et apud Lucam [8], aliqui recentiores cum Erasmo et Luthero putant, genealogiam apud Lucam exhibere naturalem originem per Mariam [9]. Sed haec opinio nobis parum arridet, utpote in ipsum Evangelistae textum offendens: « Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum tri- « ginta, ut putabatur, filius Ioseph, *qui* fuit Heli, *qui* fuit « Mathat, etc. » [10]. Pronomen enim *qui* semper refertur ad nomen praecedens, unde « *qui* fuit Heli », non potest signi-

[1] Luc. I, 32.
[2] II. Timoth. II, 8.
[3] Hebr. VII, 14.
[4] Matth. I, 1.
[5] I. Ant. Vesp.
[6] Luc. III, 38.
[7] Matth. I.
[8] Luc. III.
[9] Cf. Suarez (*De myst. vitae Chr.*, disp. 2, sect. 3, n. 6 sqq.).
[10] Ibid. v. 23.

ficare, Mariam fuisse filiam Heli. Requireretur ad hoc, voculam istam per totam genealogiam referri ad puerum Iesum; vel ipsam B. Virginem, cuius genealogia texitur, fuisse per primum saltum omissam [1]. Inducta forsan fuit ista interpretatio, quia in Talmud Hierosolymitano Maria Mater Iesu Nazareni vocatur « filia Eli » [2]. Sed Epiphanius [3] affirmat, parentes Virginis fuisse Annam et Ioachim; quae exhinc traditio in cultum Ecclesiae recepta est [4]. Melius longe Patres duplicem genealogiam interpretantur de coniugio levirato, quemadmodum loco suo exponemus [5]. Quare de genealogia Mariae nihil scitur, nisi eam habuisse ortum de David, idque, uti diximus, ex duplici ratione: *a*) quia Ioseph vir eius erat de domo David [6], *b*) quia Iesus, quem peperit Virgo, est filius David. « Ergo ex semine David caro Christi, sed secundum

[1] Idem valet in graeco: ὢν υἱός, ὡς ἐνομίζετο Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ, etc.

[2] Chagig. fol. 77, n. 4.

[3] « Quippe mulierem hanc a natura formatam et feminei sexus esse cognorat « (Iosephus), atque ab Anna Matre et Ioachimo patre genitam; Elisabethae cognatam « e domo David ac familia; etc. » (*Haeres* CXXVIII, n. 17. — *P. G.* XLII, 727). Cf. GREGOR. NYSS. (*Orat. in diem nat. Chr.*, ed. Paris, III, 346 sq.). Et postea NICEPHORUS CALLIXTI (*Hist. eccl.*, l. I, c. 7. — *P. G.* CXLV, 651), S. IOANNES DAMASCENUS (*De fide*, l. IV, c. 15. — *P. G.* XCIV, 1163). — Cf. *Breviar. Rom.*, 27 Iul. et Dom. infr. Oct. Assumpt.

[4] De S. Anna, et de S. Ioachim matre et patre B. M. V. legendi SCHEGG (*Kirchenlex. Herg.-Kanlen.*, t. I, col. 860 sqq.) et JOCHAM (Ibid., t. VI, col. 1470 sq.); maxime autem BOLLANDISTAE (Mart. III, 77, Iulii VI, 233), SERRY (*Exercitationes historicae*, etc., Venet. 1719; in exerct. XVIII), BENED. XIV (*De fest.*, II, c. 9, § 2; *De Canoniz.*, l. IV, P. II, c. 18, n. 9, c. 29, n. 2); I. C. THILO (*Cod. Apocr. N. Test.*, I, Lips. 1832); BAILLET (*Vies des Saints*, III, 255, 256); TROMBELLI (*Vita e culto de' SS. Gioacchino ed Anna*, Bologna 1768), GÉRARDIN (*Les gloires de S. Joachim et de S. Anne, dans toute l'Eglise en général et en particulier en France et en Italie*, Paris 1884), P. RICKENBACH O. S. B. (op. cit., *Le lodi di Sant' Anna, con cenni storici sul culto della Santa in Italia*, Roma 1899). — Notandum hic quod monet THILO (op. cit., I, p. c.): « Graeci oratores protoëvangelio Iacobi confidentius usi historiam Mariae « enarrare amant, contra Latini potius desudant in virtutibus eiusdem et laudibus « praedicandis, quippe dubitantes de fide apocryphorum ». — De aliis nuptiis, iuxta quosdam post obitum Ioachim, id est, paulo post Mariam in templo receptam, ab Anna initis, mox dicemus, ubi de fratribus Domini. Cultus S. Annae et S. Ioachim ab antiquo apud Graecos celeber, tardius apud Latinos inductus est. De quo vide SCHEGG et IOCHAM (loc. cit.). LEO XIII, patroni sui festum altiori ritu decoravit. Ad historiam parentum Deiparae apud Occidentales spargendam non parum contulit, eam in suam Legendam Auream recipiendo, Iacobus a Voragine. Porro Ioachim erat de tribu David, Anna autem ab aliquibus dicitur fuisse de tribu Levi; Ioannes Eck vocat parentes eius Stolanum et Emerentiam.

[5] Q. XXXI, art. 3.

[6] Quousque haec ratio sit stringens, investigabimus ubi de nuptiis B. Virginis cum B. Iosepho erit dicendum.

« Mariae carnem ex semine David... Quocumque detorseris « dictum, aut ex carne est Mariae, quod ex semine est David; « aut ex David semine est, quod ex carne est Mariae »: ita Tertullianus [1]; nec aliter S. Augustinus [2] et Patres passim.

Nec omittendus est heic error cuiusdam scriptoris Italici nomine Imperiali, qui falso pietatis zelo contendere ausus est, B. Mariam ortum duxisse de matre virgine. Quem errorem S. Sedes anno 1677 damnavit [3].

Porro Maria filia unica connubii Annae et Ioachim tenenda est, inde uti patrimonii haeres ζυγάτηρ ἐπίκληρος censui romano adscripta [4].

§ 2. - De B. Mariae dotibus naturalibus.

Nemini de B. Virgine pie sentienti dubium ullo modo esse potest, hanc inclytam Puellam omnibus fuisse dotibus tum corporis tum animae abundantissime ornatam.

Utramque Mariae pulchritudinem Dionysius Carthusianus egregie complectitur his verbis: « A planta pedis usque ad « verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine neque in cor- « pore neque in anima indecens, reprehensibile, indecorum: « imo totum fuit divinae sapientiae circino efformatum, pul- « cherrime circumcisum ab omni superfluitate, plenissime ac « speciosissime operatum. Sicut enim Christi humanitatem « decuit propter unionem hypostaticam omni perfectione « naturae et gratiae in termino excellentiae praefulgere; ita « ipsius Genitricis personam post Christum oportebat in « omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam unionem « non est alia tam vicina, ut unio Matris Dei cum Deo Filio « suo » [5]. Quae propositio utrumque ordinem gratiae et naturae veluti synthetica argumentatione complectitur. Quum autem de privilegiis gratiae B. Virginis iam uberius disputatum sit, sequentia contrahimus ad dotes naturae, et quidem gradatim inquirendo de dotibus tum corporis, tum animae.

[1] *De carne Christi,* c. 22. — *P. L.* II, 834.

[2] *De cons. Evang.*, l. II, c. 2, n. 4. — *P. L.* XXXIV, 1072.

[3] Cf. BENED. XIV (*De festo,* etc., loc. cit.).

[4] Epiph. — Cf. TERTULLIANUM (*Ctr. Iudaeos,* c. 9).

[5] *De laud. Virg.*, l. I. Quod Dionysii opus nequit cultoribus Mariae satis commendari.

A) **Corporis** dotes possunt in B. Virgine considerari quoad triplicem perfectionem 1) pulchritudinis, 2) velocioris evolutionis, 3) complexionis.

1) **Pulchritudo** corporis [1] B. Virginis Mariae, non modo in statu gloriae, sed et in stadio vitae mortalis, multipliciter demonstratur ex Scripturis, ex Liturgia, ex traditione Patrum, ex ratione theologica.

a) Ex *Scripturis*. Etenim α) mulieres quas in V. T. Mariam figurasse demonstravimus [2], passim celebrantur etiam ob formosam corporis speciem. Praeter Evam, quam e latere viri venustissimam a Deo efformatam nemo dubitat, Sara dicitur « pulchra nimis » [3], Rebecca « pulcherrima » [4], Rachel « virgo decora facie et venusto aspectu », etc. [5]. Imo de Iudith affirmatur, Deum nativam eius pulchritudinem adauxisse, intuitu symbolicae missionis quam erat completura. « Cui « etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista « compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: et ideo « Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incom- « parabili decore omnium oculis appareret » [6]. Unde Osias et presbyteri civitatis, quando viderunt Iudith accedentem ad portam ubi eam expectabant: « stupentes mirati sunt nimis « pulchritudinem eius: nihil tamen interrogantes eam, dimi- « serunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi « gratiam! » [7] Ecquis in hac descriptione non videat quasi praelucere castam pulchritudinem maiestate plenam, qua Christi Mater Domina fulget?

β) Pariter in *Cantico canticorum,* quod traditio B. Virgini accommodat, diserte ob venustatem sponsa « pulcherrima « mulierum » celebratur. « Quam pulchra es, amica mea, quam « pulchra es » [8]; « Tota pulchra es, amica mea, et macula

[1] Cf. de hoc argumento inter alios Gersonius (Serm. de *Concept. B. V.,* opp., ed. Antwerp., t. III, p. 1318 sqq.); Bossuetius (1. Serm. *Sur la Nativ. de la S. V.*); Suarezius (*De myster. vitae Chr.,* D. II, s. 2); Vega (op. cit., Palaestr. VI, cert. 6 sqq.); Terrien (op. cit., l. VI, ch. 2).

[2] Cf. p. 4, sqq.

[3] Gen. XII, 14.

[4] Ibid. XXIV, 16.

[5] Ibid. XXIX, 17.

[6] Iudith. X, 4.

[7] Ibid. 7, 8.

[8] Cant. IV, 1.

« non est in te » [1] etc. Imo totum Canticum quid est aliud, nisi mutua admiratio sese certatim effundens?

Unde Richardus Victorinus in Canticum ait: « Non mirum « si lucida fuit, quam splendor gloriae implevit; si pulchra « fuerit, quae splendorem lucis in se suscepit. Non quoque « dubitandum, amoris ignem et interiorem candorem exte- « rius etiam in ea lucere, ut quae puritatem Angelorum ha- « buit, vultum etiam angelicum habuerit » [2].

Pulchritudinem regalis sponsae celebrat pariter psalmus XLIV apprime Messianicus: « Audi filia, et vide, et inclina « aurem tuam;... et concupiscet rex decorem tuum » [3].

At obiicies: Scriptura de Mariae pulchritudine nihil dicit. - Resp. Valeret quidem hoc silentium, si Scriptura fuse per singula descriptionem B. Virginis exhiberet. At quum nonnisi parcissime de Maria loquatur, nihil inde concludendum. Et sane, si in narratione Lucae diceretur: v. gr., « Missus est Gabriel « Angelus ad Mariam formosissimam Virginem », aut aliquid huiusmodi, quis non videat, per hoc additum longe plus sublimitati narrationis detrahi, quam Mariae laudibus adiici?

Quare hanc Evangelii sobrietatem S. Antoninus Florent. optime interpretatur, ubi ait: « Quia, cum quidquid bonitatis « et pulchritudinis fuit in aliis, in ipsa plenius fuerit, tacendo « de aliquo peculiari (privilegio) de ea, ut de pulchritudine « et eiusmodi, magis eam laudat tacite supponendo quam « explicando; sicut et Angeli summi, quia donis melioribus « denominantur, et laudantur, non tamen ab inferioribus « bonis, quae etiam in eis sunt perfectius quam in inferioribus « ordinibus, excluduntur » [4].

Quum igitur in V. T. Scriptura gratia etiam externa B. Virginis praefiguretur et praedicetur, non est cur has dotes, inferioris utique ordinis, at nihilominus ad dignitatem et per-

[1] Cant. IV, 7.

[2] *In Cant.*, c. 26. Inde haec verba, quae diu tanquam Dionysii Areopagitae habita sunt: « Nisi crederem in Filium tuum, de quo mihi per Paulum praedicatum « est, nunc plantis tuis provolutus, unam te Divinae Maiestatis insigne adorarem; « et nisi fides adesset, haud mihi persuadere possem, Deum orbis auctorem te esse « pulchriorem. Sed novi quod hic incomprehensibile lumen inhabitat, a quo tu ad « nos radius es destinatus, ut illuminares eos, quos prima mulier caecos parturivit » (Cf. DIONYS. CARTHUS., I. Sent., Dist. XVI, q. 2).

[3] Ps. XLIV, 11, sq.

[4] *Summ. theol.*, tit. XV, c. 10, p. 977. — Veronae 1740.

fectionem conferentes, excludamus ab hac salutatione angelica: « Ave, *gratia* plena ». Praesertim si Maria sive *Mirjam* significet pulchram, seu gratia plenam [1].

b) *Liturgia* plene huic doctrinae consonat, dum speciem B. Virginis non semel extollit.

α) Sponsae applicat versum a Psalmista Sponso dictum: « Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere et re- « gna » [2]. - β) Canit de Maria laudes Cantici: « Tota pulchra « es, Maria, et macula originalis non est in te » [3]. « Nigra « sum sed formosa, filiae Ierusalem, ideo dilexit me Rex, et « introduxit me in cubiculum suum » [4]. « Quo abiit, dilectus « tuus, o pulcherrima mulierum? » [5]. « Quae est ista, quae « ascendit sicut aurora consurgens; pulchra ut luna, electa « ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » [6]. - γ) Variis aliis formulis hanc pulchritudinem celebrat: « Speciosa facta « es et suavis, Sancta Dei Genitrix » [7]. « Gaude, Virgo glo- « riosa super omnes speciosa, vale, o valde decora, et pro « nobis Chrisum exora » [8].

Negari nequit, in pluribus ex istis locis pulchritudinem B. Virginis intendi spiritualem: et in omnibus, maxime in festo Assumptionis, respectum haberi ad gloriam, qua Dei Mater in caelis affulget; nihilominus haec non ad exclusionem stadii mortalis intelligenda esse, indubium putamus.

c) *Patrum* traditio et theologorum idem confirmat. Imo magis est concors doctrina Patrum de physica pulchritudine Mariae, quam ipsius Christi. Ratio est manifesta, et quidem duplex: *a*) de Christo, tanquam absque aspectu adsunt textus Scripturae, utique loquentes de passionis tempore, attamen qui poterant etiam in sensu latiori accipi; *b*) Christus dolores nostros nostrasque miserias suscepturus, potuisset etiam ex hoc titulo assumere deformitatem carnis. Utraque autem ratio de Maria deest.

[1] Cf. tertiam partem huius dissertationis.
[2] In festis B. M. V., v. ad Tertiam.
[3] Antiph. 1, in Vesp. Immac. Conc.
[4] Antiph. 3, in Vesp. fest. B. M. V.
[5] In festo VII Dolorum.
[6] Ant. *Ad Bened.* in festo Assumpt.
[7] Antiph. 5, in Vesp. fest. B. M. V.
[8] Ant. *Ave Regina Caelorum.*

« O Virgo, quae formae nitore caeteris praeis! » exclamat S. Gregorius Nazianzenus [1]. Georgius Nicomed. ait: « O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! o Dei « Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum! » [2]. S. Petrus Dam.: « Virgo Dei Genitrix cuius pulchritudinem « sol et luna mirantur ». S. Anselmus eam invocat: « O pul- « chra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delecta- « bilis ad amandum, quo evadis capacitatem cordis mei » [3]. Conveniunt Doctores scholastici passim, ducibus Alexandro Halensi, S. Thoma et S. Bonaventura, Gersonio [4], etc. Caeterum hic est tum unanimis sensus scriptorum asceticorum, populique fidelis, ut superfluum sit huic demonstrationi ex auctoritate diutius immorari. Consonat pariter ars sacra, quae a primaevis Ecclesiae temporibus ita B. Virginem repraesentare studuit ut fingendo Mariam ideales formas prae oculis semper habuerit.

d) Et sane *ratio theologica* Matris Dei pulchritudinem abunde evincit.

α) Et primo quidem id per se suadet, vi legis naturae, ipsa pulchritudo Iesu [5]. Etenim nati sunt filii imaginem prae se ferre parentum; imo iuxta tritum effatum *filii matrizant,* solent potius filii exhibere similitudinem matris [6]. Quanto magis igitur haec similitudo sese exprimet, ubi virgo Mater ipsa sola totum in generatione confert quod hominis est? Bene igitur S. Antoninus: « Secundum Philosophum, natura « est vis insita rebus, ex simili similem procreans. Nisi ergo « natura impediatur vel erret, filius erit similis patri vel « matri. Unde sequitur quod Filius, qui nascitur de Matre, « et non de patre, tali operante quod impediri non potest « vel errare scilicet Deo; ibi necesse est Filium fieri simi-

[1] Si tamen ipsius sit hoc carmen de *Christo Patiente,* inter opp. eius *P. G.* XXXVIII, 147.

[2] Orat. in praesent. Deip.

[3] Or. 51 (52), *P. L.* CLVIII, 55.

[4] Cf. textus mox afferendos.

[5] Cf. Dicta de pulchritudine Iesu in praecedenti volumine p. 505, sqq.

[6] De fundamento huius phoenomeni solent quaerere philosophi ac medici. Nonne forte solutio inde petenda erit, quod per se quidem pater magis est inclinatus in gignendos filios, utpote magis similes; at quum gignentis affectus multum in prolem conferat, et affectus matris tendit in patrem, patris autem in matrem; inde filii magis exhibent similitudinem matris et filiae similitudinem patris.

« lem Matri et e converso: sed ipse est pulcherrimus, iuxta « illud: " Speciosus forma prae filiis hominum "; et " in « ipsum desiderant Angeli prospicere ". Ergo Virgo Deipara « est pulcherrima » [1]. Nec minus ad rem S. Thomas a Villan.: « Fuit Christus Matri suae simillimus super omnes filios, ut « sicut in caelo, qualis Pater, talis Filius. Filii imitantur « parentes ut plurimum.... Et si hoc in aliis, multo amplius « in Christo; nam cum in aliis patris et matris communes « sint filii, aliquid a patre et aliquid a matre, et fit ex duo- « bus tertia quaedam mixtura et similitudo; Christus vero, « qui totus erat ex Matre, sine patre in terris, totus fuit « Matri simillimus, non forma et vultu, sed moribus et vultu. « Sola Mater Filium ex omni parte imitata est, eum reddens « suis gratiis et virtutibus, licet in Filio perfectiores colores « essent propter divinitatem coniunctam » [2].

Iam ipse S. Ioannes Damascenus hanc considerationem prae oculis habuit in hac tenerrima salutatione: « Ave flos, prae « cunctis tinctorum coloribus varium omni virtute condimen- « tum, ex qua flos flori similis, matrem exacte referens con- « surgit » [3].

β) Huic rationi ex ordine physico desumptae, collata ipsa pulchritudine Christi, accedit ratio simul philosophica et theologica petita ex influxu animae et praesentiae divinitatis in corpus. Audiamus rursus S. Antoninum: « Corpus humanum « pulchrius est et nobilius omnibus corporibus brutorum « propter unionem ad animam rationalem; ergo nobilitas cor- « poris intenditur et augetur ad nobilitatem animae ad quam « ordinatur ut suum perfectibile, forma enim et materia de- « bent esse proportionabilia. Si ergo anima Virginis fuit nobi- « lissima post animam Filii; igitur et corpus eius fuit nobi- « lissimum et pulcherrimum post corpus Filii. Corpus enim

[1] Op. cit., 4 p., tit. 15.

[2] Conc. 3, in Nativ. Virg.

[3] Hom. 2 in *Nativ. B. M. V.*, n. 7. — *P. G.* XCVI, 693. Ex hac consideratione deducere liceat, perfectiores esse picturas seu imagines in quibus Iesus, si cum B. Virgine repraesentetur, puta in nuptiis Cana, sub Cruce, in Resurrectione, imo ab infante, similitudinem cum sua Matre in vultu exhibet. Insuper ex eodem principio sequitur, revelationes factas de apparentia vultus Christi, si de his certo constet, valere etiam ad probabilem effigiem B. Virginis efformandam. — Cf., v. gr., apud S. Birgittam (l. IV, *Revel.*, c. 7).

« Filii, quia unitum Deitati, ideo perfectissimum in pulchri-
« tudine; unde corpus immediate ordinatum ad ipsum erit
« secundo loco pulcherrimum. Sed illud fuit corpus Matris,
« unde assumebatur id quod uniebatur divinitati, propter
« quod sequitur quod fuit pulcherrimum corpus B. Mariae » [1].

γ) Haec autem ratio augetur si in ipsa efformatione corporis B. Mariae perpenditur intentio Dei. Si iam Tertullianus de luto a Deo in hominem formato dicere potuit: « Quod-
« cumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo
« futurus » [2]; quanto magis in efformanda B. Virgine Deus cogitabat Filium suum carne ex hac carne induendum [3]. Quanta igitur perfectio a tam potente tam sublime opus moliente expectanda erit? Huc faciunt verba Ruperti ad versum Cantici: « Manus eius tornatiles » [4]: « Qui torno operatur, ait,
« citius atque perfectius operatur. Sic iste dilectus nimirum
« longe facilius, multo citius, valde perfectius mira quae vo-
« luit, operatus est, quam aliquis ex cunctis operariis virtu-
« tum quicumque a saeculo fuerunt » [5]. Inde S. Andreas Hierosolymitanus Mariam appellat viventem statuam ab ipso Deo exculptam, imaginem vivam pulchritudinis supremae, geminam virginitatis, splendidumque caelum [6]. Inde S. Damascenus Mariam vocat perfectissimum opus naturae et gratiae [7]. Ex hac forte locutione Gersonius ideam concionis desumpsit, in qua Naturam et Gratiam successive dipingit omnes suos conatus conferentes thesaurosque explentes, ut dignam Verbo Matrem efficerent [8]. Et sane si Pater de Filio testatus est: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene
« complacui »; de Virgine hac pulcherrima iam erat praedictum: « Et concupivit Rex decorem tuum ».

Porro in hac B. Virginis pulchritudine Patres quemdam mirabilem splendorem praesertim agnoscunt, per totum tempus quo Filium suum in utero gestabat. Et sane si iam

[1] Op. cit., loc. cit., c. 10, § 2.
[2] *De resurr. carnis,* c. 6, *P. L.* II, 802.
[3] Hanc considerationem eloquenter more suo evolvit Bossuet (loc. cit., exord.).
[4] Cant. v, 14.
[5] *In Cant.,* l. v. — *P. L.* CLXVIII, 525.
[6] Serm. 1. *De dorm. SS. Deip.* — *P. G.* XCVII, 1068, 1092.
[7] Serm. 2. *De Nativ. V. Deip.*, n. 7.
[8] Op. cit.

facies Moysis resplenduit ex colloquis divinitatis [1], quanto maiore splendore non fulgere debuisset Maria, si radios gloriae, quem gestabat, ex illa veluti virginea lucerna emisisset. Inde forsan in Officio Immac. Concept. Ecclesia transfigurationis splendorem applicat Mariae: « Vestimentum tuum can- « didum quasi nix et facies tua sicut lux » [2]. Bene Richardus de S. Laurentio: « Nota quod Maria facta est amictus Solis « iustitiae, quod ipsum carne mundissima induit; et amicta « ipsa Sole, quando Filium portans in utero, facie splendebat « ut sol: ita quod Ioseph, ut dicitur, ipsam facie ad faciem « videre non poterat » [3]. Quod et cecinit iam Venantius Fortunatus:

Nix premitur candore tuo, sol crinis honore,
Pallescunt radii, Virgo, decore tui.
Lychnites hebes est, cedit tibi Lucifer ardens,
Omnibus officiis lampade maior ades [4].

Mitius id exprimit Dionysius Carthusianus: « Hoc est cre- « dibile, imo certum, excellentissimam illam gratiae plenitu- « dinem, et mentis claritatem in corpus redundasse, prae- « sertimque in vultu resplenduisse: si enim mentis pertur- « batio in anima passionata deformitatem corpori adducit, cur « non serenissimae ac candidissimae conscientiae vultus de- « corem, totiusque corporis venustatem exuberaret ac redun- « daret? » [5].

Ex hac claritate quae Mariam decorabat, quidam Patres explicant quomodo Simeon inter omnes mulieres B. Virginem agnoverit. « Iustus Simeon oculos huc illuc circumferens, vidit « quidem multas mulieres, verum singulas schemate, orna- « tuque humanae naturae proprio affectas; solam autem Vir- « ginem quodam divino, infinitoque lumine circumfusam ani- « madvertit. Currens itaque segregavit reliquas matres, etc. ». Ita Timotheus Hierosolym. [6]. - Imo inde conantur explicare illud Matthaei: « Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit

[1] Exod. xlviii, 32, 33.
[2] Antiph. Vesp.
[3] Lib. 12, ser. in Assumpt.
[4] Lib. viii, *Hymn.*, 5.
[5] Op. cit., l. ii, c. 4.
[6] Orat. ad *Nunc dimissis*.

« Filium suum » [1], scilicet ob nimium quem de se emittebat fulgorem: « Quamdiu Virgo B. habuit in suo utero Solem « justitiae, ait Origenes, tantus fulgor exibat ex eius facie, « quod Ioseph eam cognoscere et discernere non valebat, « nec in eius faciem intendere poterat, donec uterus eius fuit « evacuatus » [2]. Et S. Hilarius: « Propter Sanctissimae Mariae « glorificationem a Ioseph cognosci non potuit, donec peperit: « Dominum enim gloriae habens utero quomodo cognoscere- « tur?.... Post partum autem a Ioseph cognita invenitur specie « faciei, non tactu libidinis » [3]. Haec sane sunt exegetice improbabilissima. Sed ostendunt quantopere hic conceptus de splendore pulchritudinis Mariae mentibus Patrum inhaeserit. Putamus ergo standum esse mitiori interpretationi Dionysii Carthusiani, et in Mariae pulchritudine fuisse quemdam splendorem veluti effusionem perfectissimae eius sanctitatis. Qui splendor forte interdum intensiores radios emittebat, quemadmodum de vultu Christi diserte affirmant S. Chrysostomus [4] et S. Hieronymus [5].

Quaesiturus autem qualis fuerit vultus B. Virginis, qualem formam habuerint frons, genae, os, mentum, nasus; qualem colorem capilli, supercilia, oculi, etc. consulat imagines nomine S. Lucae celebratas, si eis aliquam authentiam tribuat; legat primos de hac re Georgium Cedrinum et Nicephorum Callistum, utrumque tamen sat recentis aetatis. Res nobis incerta nimis, ut huic argumento diutius inhaereamus [6]. Probabilissimum autem videtur, B. Virginem in se congestam habuisse omnem pulchritudinem formae muliebris, adiuncta quadam fortitudine et maiestate virili, cum speciali relatione ad typum regionis in qua nata erat et gentis nobilissimae e qua ortum trahebat.

Unum praecipue inconcussum teneatur, - et inde solvitur praecipua obiectio contra pulchritudinem B. M. V. moveri solita, - venustatem B. M. Virginis talem fuisse, quae, nedum

[1] MATTH. I,.25.

[2] Super Matth. c. I.

[3] Hom. in Matth.

[4] Homil. 8, in Matth.

[5] In c. IX Matth.

[6] Quem allicit argumentum, consulat, si otium sinit, longam elucubrationem in VI volumine collectionis *Bourassé, Summa aurea B. M. V.*

ullo modo ad libidinem excitaret, intuentes ad virtutis amorem alliceret. Sobrie S. Thomas: « Gratia sanctificationis non « solum repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in aliis « efficaciam habuit, ita ut, quamvis esset pulchra corpore, « a nullo concupisci potuerit » [1]. Et S. Bonaventura: « Quidam Iudaei asserunt, hoc mirum fuisse in Virgine quod, « cum esset pulcherrima, tamen a nullo unquam viro fuerit « concupita » [2]. Alexander de Hales idem concinne evolvit: « Merito *cedri* nomine nuncupatur Maria, quia, sicut cedrus « interficit serpentes odore suo, ita sanctificatio eius irra- « diabat in alios, et in eis extinguebat omnes motus concu- « piscentiae carnalis in carne serpentes. Item comparatur « *myrrhae:* Ego sicut myrrha electa; quia sicut myrrha « interficit vermes, ita eius sanctitas interficiebat vermes, id « est concupiscentias carnales » [3]. Quod breviter iam dixerat S. Ambrosius: « Si quos inviseret, integritatis insigne confe- « rebat » [4]. Elegantissime idem expressit S. Thomas a Villanova: « Pura et immaculata Virgo, cui etiam prae aliis hoc « virginitatis insigne erat, ut inspectatores suos virgines « faceret: erat enim in ea virgines germinans Virginitas » [5]. Conveniunt Bernardinus de Bustos [6], aliique quos adducit Vega [7]. Unde Simon Cassia Mariam cum Sara ingeniose confert: « Non ut Abraham Saram, praemonuit Ioseph Mariam « ut diceret se ipsius esse sororem; sciebat enim, quod me- « lius quam Sara custodiebatur ab Angelo, et talem gratiam « in Maria Deus posuit, ut nec propter excedentem pulchri- « tudinem potuisset ab aliquo concupisci » [8].

[1] III. Dist. II, q. 1, a. 2 ad 4.
[2] III. Dist. III, q. 3.
[3] III. Q. IX, Membr. 3, a. 1
[4] *De instit. virg.*, c. 7.
[5] Serm. 2, de Annunc.
[6] Serm. 4, de Virg. Mar.
[7] Op. cit., Pal. VI, cert. 16.
[8] Lib. II, in Evang., cap. 22. Utinam hanc peculiarem indolem pulchritudinis B. Virginis meditentur quotquot arte sculptoria vel pictoria Dei Matrem repraesentare moliuntur. Cogitent venustatem caelestem, angelicam, prope divinam, ab omni concupiscentia alienissimam, castitatis imo inspiratricem. Sed, eheu! quot, ex his etiam operibus fama summa celebratis, corda cum oculis a divinis potius removent ob sensualem nimis formam aut habitum incompositum. Nec mirum: quomodo enim elucubrationes istae theatris aptiores quam ecclesiis, sanctas cogitationes enutrirent, nimis si pictor, quod saepius accidit, pro Virginis purissimae exemplari *suam*

2) **Iam de evolutione** corporis B. M. Virginis breviter quaedam sint.

a) Et primo quid *de instanti animationis* Prolis conceptae? Aliter et aliter haec quaestio se offert illi qui tenet, animationem ordinaria naturae lege fieri in ipsa conceptione activa, et illi qui opinatur, conceptionem passivam nonnisi evoluto foetu obtineri. Qui prius tenet, potest sanctificationem B. Virginis immaculatae ponere in ipso instanti eiusdem conceptionis activae, quin ad ullum privilegium pro Maria recurrere cogatur. Qui alteram sententiam sequitur, debet vel concedere Immaculatam Conceptionem factam esse postea, coli tamen die conceptionis activae, quia instans conceptionis passivae seu animationis ignoratur; vel admittere pro futura Matre Dei privilegium, ut in ipsa sua conceptione activa fuerit animata. Nos quidem priori opinioni potius adhaeremus; ac proin tenemus, Immaculatae Conceptionis mysterium completum esse ipso die quo colitur, quin haec foetus animatio fuerit privilegium inclytae illi Puellae singulare.

b) Quid autem iam *de plus vel minus veloci evolutione* membrorum B. Virginis in utero materno?

Rursus haec quaestio solvitur modo parumper diverso a patronis duplicis sententiae modo expositae. Qui alteram tenent, per hoc ipsum quod dicunt, animationem pro B. Virgine in conceptione activa adfuisse, contendunt membra almae Puellae fuisse in instanti sat evoluta ut animam caperent. Qui priori sententiae adhaerent, integrum et hoc alterum habent quaesitum solvendum.

Contra sententiam quae tenet, B. Virginis membra fuisse in instanti sat evoluta, - uti pro Christo passim admittitur, - solet afferri iudicium latum ab Indice Expugnatorio an. 1640, in sententiam Ioan. Bapt. Pozae: « Corpora Deiparae et Iesu « ab instanti conceptionis fuisse praedita ossibus, nervis et « partibus carneis ac cartilagineis, in eodem temperamento, « quod habuere ad annum vigesimum aut trigesimum aetatis « suae » [1]. Et Index subdit: « Haec et similia, quae excedunt

dominam voluptuosam assumpserit! Nec fulmina Hieronymi Savonarola in tantam artis sacrae degradationem sat invehere possunt.

[1] *Elucid. Deip.*, fol. 670, col. 1, l. 13.

« naturalem facultatem et ordinariam, deleantur ». Quae damnatio, ut recte monet Vega [1], hoc sane mirum praebet, quod eodem modo corripit, quae proferuntur de Iesu et de Maria; quum tamen de Iesu communissima opinio teneat, fuisse carnem a Verbo assumptam iam ab initio sat evolutam, ut anima sui conscia capax esset [2]. Quidquid sit, ob damnatam hanc propositionem Tribunali Inquisitionis Valentinae delata fuit etiam, uti aperte tendens in idem, propositio dicens: « In eodem die, quo D. Anna semen suscepit, corpus B. Vir- « ginis fuit organizatum et anima introducta ». Quod assertum alii, uti Bandellus et Vasquez, impugnabant; alii, uti Iacobus Granado, Marcus Ant. Palau, Philippus Malla, defendebant [3]. Defendentium argumentatio desumebatur partim ex animatione, quam tunc factam fuisse dies festi Immac. Concept. suadet; partim ex dignitate, quam Maria cum Filio veluti participat.

Nobis prior ratio non valet, quia non tenemus istum ordinem inter evolutionem foetus et animationem. Nec altera urgenda videtur. Etenim in Christo hocce privilegium, imo miraculum, exposcitur ob dignitatem unionis hypostaticae. Quae sane ratio est prorsus singularis.

Ideone putamus, B. Virginem quoad hoc fuisse in eadem omnino conditione ac aliae proles antequam in lucem edantur? Nequaquam. Imo oppositum tenemus; at per aliam viam efficacius id suaderi existimamus. Scilicet omnia privilegia quae aliis Sanctis concessa apparent, a fortiori, quin et altiori modo sunt B. Virgini tribuenda. Iam vero ex narratione evangelica probabile est, S. Ioannem Baptistam, utpote in adventu Christi exultantem, iam ab utero materno usum rationis habuisse. Ergo idem modo longe perfectiori de B. Virgine praedicandum est. Id autem quomodo fiet, nisi concedatur velocior membrorum eius evolutio? Ergo velocior fuit conformatio B. Virginis in utero materno quam alius cuiusvis prolis, dempto Christo Filio eius divino, in quo, ob dignitatem infinitam, fuit instantanea [4].

[1] Op. cit., Pal. IV, cert. 2.

[2] Cf. dicenda de hoc in Q. XXXIII.

[3] Cf. VEGA, loc. cit.

[4] Inde aliqui putant de ipsa formatione humani corporis Iesu intelligi posse verba Ioannis: « Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est » (IOANN. I, 15).

Haec mitigata sententia est sane consona doctrinae S. Thomae, in quantum hic non admittit in B. Virgine usum rationis ab instante conceptionis activae; quatenus autem usum rationis concedit ante nativitatem, ulterius progreditur quam Angelicus, qui de Maria dicit: « Non habuit usum liberi arbi- « trii adhuc in ventre matris existens: hoc enim est speciale « privilegium Christi » [1]. Sed quum Aquinas nec Immaculatam Conceptionem admiserit, ne privilegium Christi offenderet; possumus consequenter et quoad physicam conditionem Mariae ulterius Angelico progredi. Caeterum mens nostra nullo modo est in hac re aliquid definire. Imo brevissime hoc argumentum absolvimus, quia nihil certi de eo stabiliri potest [2].

3) Porro **complexionem** B. Virginis fuisse omnino perfectam, demonstratur multipliciter.

a) Primo quidem ex perfecta pulchritudine quam modo descripsimus. Etenim « vera pulchritudo », ait Galenus [3], « nihil aliud est quam constitutio optima »; utpote « in mem- « brorum apta connexione sita » [4].

b) Accedit ipsa Immaculata Conceptio, per quam tum gratia dominium in totam naturam ab ipso initio acquisivit, tum caro, licet naturali via traducta, ab omni fomite liberata fuit. Iam vero quis non videat, a lapsu primorum parentum provenisse, cum gratiae detrimento, omnes animi corporisque deformitates?

c) Adde missionem B. Virgini per divinum praedestinationis consilium ab aeterno demandatam, ut Christo carnem aptaret dignissimam.

d) Adde, ad fortiter agendum non parum conferre felicem

[1] III. Q. XXVII, art. 3, in corp.

[2] Abstinemus quoque ab investigando tempore quo B. Virgo in utero materno permansit. Miror sane quosdam theologos de tam abditis rebus veluti oracula depromentes. Cf. VEGA (op. cit., Pal. VI, cert. 5), ubi quaerit: « An Deipara biduo minus « delituerit in utero materno quam Iesus ». Falsae autem imaginationes interdum inde procedunt quod liturgico festorum calendario nimia historica auctoritas tribuitur. Hinc, v. gr., S. Petrus Damiani, facta dierum supputatione concludit, Christum duos dies supra Praecursoris tempus in utero materno latuisse (Epist. 16).

[3] Lib. I, *De usu part.*, c. 5.

[4] Idem. lib. *De Hipp.*, 5, c. 3.

complexionem physicam. Quod S. Antoninus his verbis expressit: « Multum iuvat ad bene operandum bona com-« plexio corporis, et debita organorum dispositio; et qui me-« liora naturalia habet (quod est ex dispositione corporis), « ille instinctu gratiae perfecta perfectius exequitur: et quia « B. Virgo optima naturalia habuit, et perfectissimam cor-« poris complexionem et dispositionem, repleta gratia in sanc-« tificatione perfecte operabatur » [1].

Quare quidquid sit de effato, apud antiquos trito, feminas nasci per accidens et quasi ex defectu virtutis generativae [2], id pro B. Virgine nullatenus admitti potest. Quemadmodum enim e latere viri prima mulier ex intentione divini artificis perfecta exiit Virago, ita quoque ex directa intentione praedestinantis Dei Maria concepta est mulier fortis [3]. Imo utriusque sexus in se perfectionem et virtutem habuisse dicenda est Illa, quae sine adiutorio viri Filium Dei erat in lucem editura. « O feminam, exclamat Greg. Nazianze-« nus, quae propter commune salutis certamen, virilem natu-« ram superasti, atque illud conspicuum fecisti: masculum « et feminam corporis, non ita animae discrimen esse » [4]. Quae licet directius de animae virilitate dicta, redundant in vigorem physicum ob dicta superius, et ob proportionem debitam inter animam et corpus.

Ex hisce, conclude, B. Virginem nulli fuisse morbo subiectam, passam autem esse dolores in corpore ex redundantia passionum, illarum utique quae consequebantur sanctissimam animae activitatem. Imo quo perfectior erat physica Mariae complexio, eo intensiores isti dolores fuisse dicendi sunt.

Et haec satis sint quantum ad dotes corporis B. Virginis; iam de eius animae dotibus pauca dicamus.

[1] IV. p., tit. 15, c. 10, § 2. — Dicit « in sanctificatione », quippe Immacul. Conceptionem, uti diximus, non admittens.

[2] Aristoteles ait: « Sexum femineum quasi laesionem naturalem et detrimentum « putandum est » (*De gener. animal.*, l. IV, c. 6). Et alibi dicit: « Mares natura « integra praeditos esse, feminas vero manca et laesa ». Quae, etsi de caeteris animalibus valerent, non ita sane de homine in statu integro; in quo nulla fuisset deficientia et nihilominus utriusque sexus procreatio. Cf. illud S. Bonaventurae: « Quod « in statu naturae integrae, generatio vel feminae subesset voluntati rationali » (II. Dist. XX, q. 6).

[3] Cf. S. Bernardum hom. 2 super *Missus est.*

[4] In S. Gorgoniam, orat. 11.

B) Hic non est diutius immorandum. Absolutam enim omni numero fuisse Mariam quoad suas facultates omnes, id est quoad perfectiones tum intellectus, tum voluntatis, ex dictis hucusque liquido constat.

Etenim *a*) si dicitur in Scripturis, primum hominem a Deo conditum esse rectum, si scimus omnia vitia ignorantiae in intellectu, gravedinis in voluntate sequelam esse peccati: nonne manifestum est, Virginem Immaculatam vi huius privilegii fuisse istorum vulnerum undequaque expertem? - *b*) Si Christi anima a Deo facta est perfectissima, nonne post Christum nobilissima debet esse anima B. Virginis, utpote Filii veluti figura et adumbratio? [1] - *c*) Imperfectiones quae impediunt ac retardant animae facultates ab inordinatione corporis plerumque derivantur. Iam vero vidimus modo B. Virginem corpus habuisse optima complexione dispositum [2]. - *d*) Demum vidimus, Mariam fuisse plenitudine gratiarum cumulatam. Iam vero natura est substratum gratiae; unde, nisi adsit ratio aliunde impediens, abundantissimae gratiae respondet anima tum quantum ad acumen et promptitudinem intellectus, tum quoad rectitudinem et vigorem voluntatis optime instructa.

Ex quo iam sequitur, in B. Virgine non adfuisse passiones, nisi in quantum passiones ad perfectionem pertinent. Fuit proin in ipsa cor maxime compatiens, odium summum de peccato, zelus ardentissimus gloriae Dei propriique Filii, etc., etc.. Sed et haec sub altissima regula voluntatis supernae. Quae bene complexus est S. Antoninus Mariam sub cruce describens his verbis: « Stabat verecunda, modesta, « lacrymis plena, doloribus immersa; ita tamen divinae vo- « luntati conformis, quod, ut Anselmus ait, si oportuisset, ad « implendum secundum rationem, voluntatem Dei, ipsa Filium « in crucem posuisset, atque obtulisset; neque enim minoris « fuit obedientiae, adde et fortitudinis, quam Abraham » [3].

Evolutio autem ingenii B. Virginis non fuit solummodo

[1] Recole dicta in praecedenti volumine de perfectione animae Christi. Q. IV, ac deinceps.

[2] Nolumus hic tangere quaestionem de aequalitate animarum humanarum per se. De hoc fusius disputabimus in proxime edendo tractatu: *De Deo creante et gubernante*.

[3] IV p., tit. xv, c. 41, § 1.

praecocissima, - quod suadet traditio de Puella trienni in templo Dei servitio mancipata [1]; - sed, si verum sit, Mariam adhuc in matris utero latitantem per prodigiosum privilegium habuisse usum rationis, oportet in mente ipsius quamdam infusam scientiam admittere, circa quam intellectus et voluntas B. Virginis sese tunc exercuerint. Sed ab hac infusa scientia penitius investiganda, tum quoad suam comparationem ad infusam scientiam Angelorum, tum quoad suam relationem ad illustrationes supernaturales, tum quoad suam extensionem, brevitatis necnon discretionis causa abstinemus [2].

At nec acumen ingenii naturalis, nec ambitus huius scientiae infusae tantopere urgenda sunt, ut B. Virginem ab omni ignorantia exemerint. Eo vel minus quod ordo rerum naturalis, licet profundissime agnitus, non conducit per se ad ordinem supernaturalem. Inde B. Virgo, licet in Scripturarum lectione versatissima, non intellexit, sese futuram esse Virginem illam ad dignitatem Matris Dei praeelectam.

De quo rursus dicemus mox, quando de Annuntiationis mysterio erimus data opera solliciti. Interim satis sit monere, hanc ignorantiam, sicut et alias nunquam habuisse in Maria indolem imperfectionis in sensu defectus, longe minus in sensu culpae [3].

[1] B. Virginem triennem in templo esse praesentatam, ibidem cultui divino devovendam, testantur plures Patres (Cf. Gregorius Nyss. (?), *Homil. in diem nat. Chr.* — *P. G.* xlvi, 1139; — S. Ioannes Damasc., *De fide Orth.* Cf. Brev. Rom. die 21 nov.; — S. Ambrosius, *De Virgin.* ibidem. De quo argumento lege B. Canisium (op. cit., l. i, c. 12) et Suarez (*De myst. vitae Chr.*, disp. 5, sect. 1, n. 1; disp. 11, ante sect. 1). Tantopere haec Mariae praesentatio est insita traditioni, ut Benedictus XIV scripserit: « Ut ab incertis certa secernamus, negamus de praesentatione « dubitari quidquam posse »; sed addit: « Ea vero quae velut adiuncta eius a non- « nullis narrantur, fatemur multas rationes suppetere, quamobrem in dubium vocen- « tur » (*De festis B. M. Virg.*, c. 14, n. 4). De consuetudine huiusmodi praesentationis apud Hebraeos cf. Exod. xxxviii, 1: I. Reg. ii, 22; Ps. lxvii, 26; Macch. iii, 19 *.

[2] Qui plura quaerit, adeat, v. gr., Vega (op. cit., Pal. 13 sq.). Equidem existimo apud hunc auctorem reperiri nonnulla, quae potest et in B. Virginem devotissimus cum moderamine admittere, imo recusare.

[3] Quam stolide hac B. Mariae ignorantia aliqui haeretici abusi sint, convincunt, inter tot alia, haec verba Culmani: « Si erravit Maria, ergo et Ecclesia errare « potest » — Cf. Vega (op. cit., Pal. vii, cert. 2, n. 763).

* Cf. Scholz (*Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel*, i, 35 sq. — Regensburg 1868).

Porro quo perfectius erat in Maria ingenii acumen, quo robustior voluntas, eo magis B. Virgo appropinquabat ad illam divini sui Filii perfectionem, quae passionibus nonnisi ad perfectionem utitur, easdem ita domando et continendo, ut propassionum limites excedere non possint. Magna tamen et in hoc inter Christum et Mariam distantia servanda est, propter summum discrimen quod interiacet inter utriusque virtutis fundamentum.

Hoc sane fortissimo in proprios affectus dominio, praeter fulcimen gratiae, B. Virgo nedum spectaculo passionis effractum animum dimitteret,

Stabat *Mater dolorosa,*
iuxta crucem lacrymosa,
dum pendebat Filius [1].

Liceat claudere has considerationes de dotibus B. M. Virginis nostra faciendo verba pulcherrima S. Ioannis Damasceni [2]: « O desiderabilissima femina, ac terque beata! Bene« dicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. O « femina regis David filia, Deique omnium Regis Mater! « O divinum vivumque simulacrum, cuius conditor Deus pul« chritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus « gubernatam habet, Deoque soli addictam; cupiditatem vero « omnem ad id quod solum expectandum est, et amore di« gnum, intentam; iram autem erga peccatum dumtaxat « eiusque parentem [3]. Vitam natura potiorem habebis. Ha« bebis autem non tibi ipsa; quippe quae non tui ipsius causa « genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mun« dum prodiisti; ut orbis universi saluti obsequaris; Deique « antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi ac nostrae « deificationis, per te impleatur. Appetitus tuus divinis ser-

[1] Monent hinc scriptores ascetici, vix probandas esse imagines, quae repraesentant sub cruce Matrem Dei piarum mulierum ulnis suffultam. Minus tamen hoc offendit, si post iam emortuum Filium, consummato suo haud secus ac Nati sacrificio, B. Virgo, veluti heroico nisu exhausta, Regina Martyrum, cordis agoniae membra relaxat.

[2] Hom. I. *in Nativ. B. V. M.* n. 9, 11. — *P. G.* XCVI, 673, sqq. — De authentia huius homiliae a nonnullis dubitatur. Iam Leo Allatius de altera eiusdem tituli oratione dubia movit; ac nuper I. Langen utramque eiusdem esse auctoris demonstrare contendit (*Ioannes v. Damaskus.* Gotha. 1879, p. 224).

[3] En quam in 1. Coroll. art. 3 dicebamus descriptionem egregiam fomitis virtutum.

« monibus nutrietur [1], hisque pinguesces tanquam oliva fruc-
« tifera in domo Dei; tanquam lignum plantatum secus
« decursus aquarum Spiritus; tanquam vitae lignum quod
« fructum vitae dedit praefinito suo tempore: Deum scili-
« cet incarnatum, aeternam universorum vitam. Cogitatum
« omnem alumnum habens et animae proficuum, ac superva-
« caneum omnem et animis exitiosum prius reprobans, quam
« eum degustes. Oculi semper ad Dominum, perenne et inac-
« cessum lumen intuentes. Aures, ut divinum sermonem
« audiant, ac Spiritus cithara oblectentur, per quam Verbum
« ut carnem assumeret, ingressum est. Nares, unguentorum
« sponsi odore deliniuntur; qui quidem divinum unguentum
« est, sponte effusum suamque humanitatem perungens.
« Unguentum enim effusum nomen tuum, inquit Scriptura;
« Labia Dominum laudantia, ipsiusque labiis adhaerentia.
« Lingua et fauces Dei verba discernentes, divinaque suavi-
« tate ad satietatem usque perfruentes. Cor purum et labis
« expers, Deum videns omni labe carentem, eiusque cupidi-
« tate flagrans ».

Paucis interiectis, quae brevitatis causa omittimus, pius Doctor tenerrimo affectu veluti raptus, in hanc suavissimam B. Mariae descriptionem prorumpit: « Salvesis, Maria,
« Annae dulcissima puella: nam me rursum ad te amor per-
« trahit. Quonam modo incessum tuum gravitate plenum
« describam? quomodo amictum? quomodo venustatem oris?
« senilem illam in iuvenili corpore prudentiam? Honestus
« vestitus fuit, mollitiem et luxum omnem fugiens. Gressus
« gravis, nec praeceps, nihil fractum ac molle habens. Mores
« severi et hilaritate temperati, per quos nullus ad te viris
« accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusi-
« tato angeli alloquio incidisti. Parentibus morigera et obse-
« quens eras. Animus humilis in sublimissimis contemplatio-
« nibus. Sermo iucundus, ex leni anima progrediens. Quid
« demum aliud quam Deo dignum domicilium? [2] Merito te

[1] Ab his verbis describitur operositas huius appetitus virtutum, per regium dominium in omnes facultates, imo in omnes corporis sensus, eorumque sanctissimum usum sub motore Deo in Deum.

[2] Vide quam bene hic et in praecedentibus Damascenus Mariae sanctitatem ordinat omnem in Matris Dei dignitatem, cui cum omnibus suis dotibus praedestinabatur.

« beatam praedicant omnes generationes, ut eximium humani « generis decus. Tu sacerdotum gloria, Christianorum spes, « virginitatis uberrima planta. Per te enim virginitatis hone- « stas sese latissime effudit. Benedicta tu inter mulieres, et « benedictus fructus ventris tui. Qui te Dei Genitricem con- « fitentur, hi benedicti sunt: qui inficiantur, maledicti ».

§ 3. - De Mariae nomine [1].

Nomen rei est eius veluti brevissima descriptio. Inde de Adamo dicitur: « Appellavitque Adam nominibus *suis* cuncta « animantia, etc. » [2]. Et: « vocavit Adam nomen uxoris suae « Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium » [3]. Imo iam ipse Deus primae mulieri nomen descriptivum imposuerat: « haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta « est » [4]. Quae lex tantopere apud antiquos vigebat, ut non semel Deus nomina significativa munerum ipse imposuerit aut mutaverit, uti Abraham, Israel, Petrum [5].

Imprimis significativum est nomen Iesus. Quod Angelus Iosepho ostendit dicens: « Vocabis nomen eius Iesum, Ipse « enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » [6]. Quum igitur post adorabile nomen Iesu nullum sit praestantius nomine Mariae, a priori certum est, non fortuito hoc nomen Christi Matri datum esse, sed ex inspiratione divina; ac proin iucundum simul est ac utile de ista tanti nominis significatione inquirere.

Sed antequam id fructuose praestari possit, originalis forma nominis definiatur oportet.

In antiquo Testamento nonnisi una mulier Mariae nomine decorata apparet, soror scilicet Moysis *Mirjam* מִרְיָם. Quae quanta in veneratione apud populum electum habita sit, constat non modo ex eius historia, sed ex improperio Domini

[1] Cf. de hoc argumento recentissimam dissertationem Cl. BARDENHEWER, cui titulus *Der Name Maria, Geschichte der Deutung desselben* (*Biblische Studien*. t. I, p. 1-161); ex quo opere plura hic contraximus.

[2] GEN. II, 20.

[3] Ibid. III, 20.

[4] Ibid. II, 23.

[5] GEN. XVII, 5; GEN. XXXII, 28; IOANN. I, 42; MATTH. XVI, 18.

[6] MATTH. I, 21.

apud prophetam Michaeam: « Eduxi te de terra Ægypti et « de domo servientium liberavi te; et misi ante faciem tuam « Moysen, et Aaron, et Mariam » [1].

Imo ex hac ipsa veneratione factum esse videtur, ut sicut nec nomina Moysis [2], Aaron, Abraham, Isaac et Iacob, aliis data esse legimus, ita nec alia mulier nomine Mirjam occurrat [3]. Nam quod legitur in primo libro Paralipomenon « ge- « nuitque Mariam, אֶת־מִרְיָם » [4] menda masoretici textus esse videtur, et nomen viri loco mulieris ponendum [5].

Post absolutum librorum canonem rigor huius disciplinae parumper relaxatus videtur; unde tempore Christi plures viri Iacobi, pluresque mulieres Mariae nomine apparent.

Nomen autem primitivum *Mirjam*, triplici alia forma occurrit: Μαριάμ, Μαρία, Μαριάμμη, sed unum et idem est nomen. Sunt quidem aliqui auctores qui existiment nomen esse duplex; inter recentiores huic opinioni subscribunt Haneberg et Schegg. Prior putat *Mirjam* significare « Hold- « seligkeit, Anmuth », *Mariam* autem « Dominam » [6]; alter convenit de sensu *Mariae,* at existimat *Mirjam* idem dicere ac « die Kräftige, oder Hohe (Hochgewachsene) » [7].

Sed optime demonstrat Cl. Bardenhewer [8], hanc distinctionem esse gratuitam. Et sane Septuaginta verterunt *Mirjam* in *Mariam* [9], quae pronuntiatio non solum in partibus Ægypti tunc temporis in usu fuit, sed et in Palaestina. Inde

[1] Mich. vi, 4.

[2] Apud Samaritanos nomen Moysis alii homini datum, tanquam profanatio habebatur. Inde aiunt maximum huius gentis scriptorem nomine consimili appellatum esse, cuius litterae eumdem saltem numerum efformarent מִרְקָה ק+ר=ש = 300). (Cf. H. Petermann, *Reisen im Orient.* Bd. i, Leipzig. 1860, p. 237).

[3] Idem per prima saecula viget, saltem passim, apud Christianos de nomine Matris Dei; imo apud Polonos id diu servatum asserunt. (Cf. Rohault de Fleury. *La Ste. Vierge. Études archéologiques et iconographiques.* Paris. 1878, 2 vol. 4⁰. t. i, p. 41 a. — Harnack *Biblische Namen als christliche Rufnamen.* — *Die Christliche Welt,* Jahrg. 1894, col. 328).

[4] I Par. iv, 17.

[5] Iuxta Septuaginta τὸν Μαρών, iuxta de La Garde τὸν Μωεώρ, iuxta Swete τὸν Μαιών.

[6] *Geschichte der biblischen Offenbarung als Einleitung ins alte und neue Testament,* 4 Aufl. Regensburg 1876, p. 604, not. 2.

[7] *Iacobus der Bruder des Herrn.* — München. 1882, p. 56.

[8] Op. cit. p. 6, sqq.

[9] De ratione huius mutationis lege, v. gr. Könnecke *Die Behandlung der Hebraeischen Namen in der Septuaginta* (Prol.) Stuttgart, 1885, p. 22, sq.

enim derivantur aliae duae formae Μαρία et Μαριάμμη, quae nihil aliud sunt quam duae modificationes ad indolem vocabulorum graecorum [1], altera per suppressionem finalis consonantis cum anticipatione accentus Μαρία, altera per reduplicationem consonantis et additionem vocalis finalis Μαριάμμη [2]. Insuper declinationes formae vocis Μαριάμ et Μαρία prope eaedem sunt: genitivus enim casus semper sonat Μαρίας, dativus interdum Μαρίᾳ, interdum Μαριάμ, accusativus pariter Μαριάμ vel Μαρίαν [3]. Imo apud S. Lucam in nominativo occurrit duplex forma Μαριάμ et Μαρία [4].

Si usum Scripturae consideras, forma Μαριάμ de B. Virgine frequens, non occurrit de aliis feminis Maria dictis, nisi, iuxta quosdam criticos [5], interdum de Maria Magdalena, et de sorore Lazari ac Marthae [6]. Romanam christianam de qua Paulus: « Salutate Mariam, quae multum laboravit in « vobis » [7], alii scribunt Μαριάμ, alii Μαρίαν.

Inde exoritur quaestio, cur, si idem nomen sit Μαριάμ et Μαρία, forma Μαριάμ quasi unice contrahatur ad designandam Matrem Dei. Ad hoc factum explicandum alii inducunt duplicem formam, aliam plenam Μαριάμ, aliam contractam Μαρία, sicut nomina Ionathan et Nathan, Iochanan et Chanan; quae abbreviationes apud omnes populos in usu habentur [8]. Sed haec explicatio longius discurrit; nec tantum est discrimen inter Μαριάμ et Μαρία, ut haec forma abbreviatio dicenda sit; nec consonat transpositio accentus. Alii, admissa identitate nominis et sola graecizatione formae

[1] Alia nomina hebraica graecam formam simili modo induerunt: Ἰάκωβος, Σαύλος, Ἱεροσόλυμα, etc.

[2] Similis transformatio frequens occurrit in lingua italica: Giobbe, Davide, Gerusalemme, Betlemme, etc. Putant nonnulli ex forma Μαριάμμη deductum esse vulgatum nomen *Marianne,* transeundo per *Mariamne.* Sed longe probabilius est, nomen *Marianne* esse contractum nomen pro *Marie Anne;* sicuti apud Italos *Pierluigi,* et apud Flandros *Miejef Miewanne.*

[3] Nomen Μαριάμμη primo occurrit apud Flavium Iosephum, qui et narrat, Herodem unam e tribus turribus palatii a se extructi hoc nomine appellasse (*Bell. Iud.* v, 4, 3).

[4] Westcott et Hort scribunt Μαρίαν Matth. i, 20.

Plerique critici Luc. ii, 19 ponunt Μαρία.

[6] Cf. Westcott et Hort.

[7] Abstrahimus hic a quaestione, utrum soror Marthae fuerit necne ipsa Maria Magdalena.

[8] Cf. flandrice Jef, Sis, Jan, Piet, Riek, Door, Dries, Koben, Bert, Bart, etc.

Μαρία, putant scriptores formam originalem pro Matre Dei reservasse, veluti honoris causa, sicut forma Ἰακώβ, et Σαούλ reservantur patriarchae et regi [1]. Nobis alia explicatio magis arridet uti simplicior. Forma Μαριάμ fuerit magis in usu in Palaestinae regionibus, ubi sermo hebraicus, id est aramaicus praevalebat; forma Μαρία, in partibus quas, ob frequentius commercium cum extraneis, magis invadebat sermo graecus. Inde B. Virgo passim vocabatur Μαριάμ, utpote oriunda a regione ubi hoc nomen pronuntiabatur Μαριάμ; reliquae mulieres potius e suis dicebantur Μαρία. Unum tamen fuisse nomen, constat absque dubio, si ab ipso Luca B. Virgo in forma nominativi, licet passim Μαριάμ, una tamen vice vocatur Μαρία.

Stat igitur unum esse nomen Μαριάμ, Μαρία, Μαριάμμη, idque derivatum a nomine sororis Moysis מִרְיָם. [2]. Quod nomen uti vere hebraicum habendum est, licet in Ægypto datum. Id enim suadet tum structura ex triplici littera radicali, tum suffixum *am,* quod in aliis hebraicis nominibus frequens est [3]; tum absentia huius nominis etiam in aliis linguis semiticis, in quibus nonnisi posteriori aetate per derivationem occurrit. Ad determinandam ergo significationem nominis *Mariae* oportet inquirere de etymologia nominis מִרְיָם.

Antequam autem id directe praestemus, aut saltem probabiliores explicationes adducamus, iuvat breviter interpretationes afferre, quas eiusdem nominis scriptores cuiusvis regionis et temporis tradiderunt.

1) **Philo,** contemplans quod de Moysis sorore Exod. II, 4 narratur, nomen Mirjam interpretatur *spem,* sed id non facit

[1] Ita laudatus Bardenhewer (p. 11, sq.). — Similem rationem dignitatis Uppström vidit in modo quo episc. Gothus Vulfila nomen B. Virginis vertit *Mariam* seu *Maria,* nomen autem aliarum feminarum *Marja.* (*Codex argenteus, Sacrorum Evangeliorum versionis Gothicae fragmenta* — Upsaliae 1854, p. 46). Sed iste codex videtur nimis incompletus, ut exinde aliquid certi deduci possit.

[2] Ipse Mahumedus videtur B. Virginem confudisse cum sorore Moysis: exhibet enim Matrem Iesu *Mariam,* « filiam Imram, et filiam Aaronis ». Iam vero iste Imram videtur idem esse ac Amram pater Moysis. Sed cur eam vocavit sororem non Moysis, sed Aaron? Res mira sane. (Cf. A. Gieger: *Was hat Mohammed aus dem Judenthume aufgenommen?* Bonn, 1733, p. 173).

[3] Cf nomina filiorum Beniamin שְׁפוּפָם et חוּפָּם, patris Moysis עַמְרָם, et prophetae בִּלְעָם.

revera etymologice, sed allegorice [1]. Unde haec interpretatio, licet et alibi apud Patres occurrat, philologice non est attendenda.

2) **Rabbinorum** traditio [2] alludens ad Exod. I, 14. (וַיְמָרְרוּ) interpretatur Mirjam *amaritudinem;* scilicet nomen sororis Moysis est symbolum vitae amarissimae in qua Hebraei sub fine tyrannidis Ægyptiacae languebant. Sed etymologice violenta est deductio vocis Mirjam a radice « מרר esse ama- « rum », neque ullo modo constat sorori Moysis nomen ex temporum angustiis appositum esse; quae allusiones in nominibus solent in Scripturis adiungi; ut patet, v. gr., ex Exod. XV, 23, de ipsa voce *Mara:* « Unde et congruum loco nomen « imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem ».

3) Si iam antiqua **Graecorum** *onomastica sacra* [3] consulimus, sex ibi principales interpretationes nominis Mariae reperimus, quae utique singulae cum quibusdam varietatibus occurrunt: *a*) Mare amarum πικρὰ θάλασσα; - *b*) myrrha maris, σμύρνα θαλασσία vel θαλάσσης; - *c*) illuminans vel illuminata Μαρία φωτίζουσα (αὐτούς), φωτιζομένη; - *d*) Domina κυριεύουσα; - *e*) Mater Domini: κύριος ἐκ γεννήσεώς μου; - *f*) *Sigillum Domini* κυρίου σφαγίς. Sint igitur de his sex etymologiis pauca.

a) Interpretatio *mare amarum* deducitur a duplici vocabulo מַר et יָם; unde videtur prae oculis habuisse formam

[1] En eius verba: « τὴν Μωϋσέως ἀδελφὴν — ἐλπὶς δὲ παρ' ἡμῖν τοῖς ἀλλη- « γορικοῖς ὀνομάζεται — φασὶν ἀποσκοπεύειν μακρόθεν οἱ χρησμοί » (*De Somn.* II, 20). Loco ἐλπὶς Mangey operum Philonis editor legendum proposuit ἐμβλέπουσα, sed gratuito et a priori.

[2] Cf. notissimam homiliarum collectionem nomine *Pesikthi rabbathi.*

[3] Iam ipse Origenes in fragmentis sui Commentarii in Ioannem ad huiusmodi opus alludit: « εὕρομεν τοίνυν ἐν τῇ ἑρμενείᾳ τῶν ὀνομάτων » (t. II, c. 27. — *P. G.* XIV, 172; cf. *In Gen.* hom. 12, 4. — *P. G.* XII, 227). Ipse Philo videtur huiusmodi onomasticum confecisse (SIEGFRIED. *Philo v. Alex. als Ausleger des Alt. Test.* Iena 1875, p. 365), quod teste S. Hieronymo maxime diffusum est. Huiusmodi autem opus non potuit Origenes ex propria scientia conficere, quum ipse se fateatur linguae hebraicae imperitum (cf. In Gen. hom. 12, 4, loc. cit.; et In Num. hom. 14. 1. — *P. G.* XII, 677). De his onomasticis compilandis atque edendis optime meriti sunt, praeter laudatum Siegfried, Maurinus MARTIANAY et VALLARSI in suis editionibus operum S. Hieronymi, necnon DE LA GARDE in sua collectione cui titulus *Onomastica sacra,* Gottingae 1870; quae collectio continet « fragmentum libri nominum hebrai- « corum antiquissimum » anno 1836 ab Hohlenberg in lucem editum; at in ea desideratur « nominum hebraicorum interpretatio » a Tischendorf anno 1855 evulgata.

Mariam et non *Mirjam*. Sed iuxta indolem linguae hebraicae dici debet *iam-mar*. Insuper vocabulum *iam* de mari non indicat amaritudinem - id praestat vox *nulach*, - sed magnitudinem [1]. Caeterum quo spectaret hoc nomen B. Virgini datum; nisi ad eius dolores significandos?

b) In sensu *myrrhae maris*, - quae qualis sit prorsus ignoratur, quum myrrha sit arboris non pelagi fructus, - rursus vox *Maria* prae oculis habita est, et radix מֹר myrrha.

c) Ex omnibus formis interpretationis quae a luce derivatur, primitiva videtur fuisse φωτίζουσα αὐτούς. Haec forma activa reducitur, at non sine violentia, ad participium hiphil מַרְאֶם, « eos videntes reddere »; forma autem passiva φωτιζομένη vel φωτισθεῖσα a participio Hophal verbi ראה, מָרְאָה « facta videns ». Et haec procedit a *Mirjam*.

Interpretatio quae potius lucem negat Μαρία ἀπὸ ἀοράτων « ab invisibili », derivare videtur a *Mirjam*, propter מִן ab. Sed monet Cl. Bardenhewer, huius interpretationis rationem esse imperviam.

d) Etymologia *Domina*, κυρία, κυριεύουσα, non aliunde venit quam a confusione nominis Μαρία cum vocabulo aramaico מָרְיָא « Dominus ». Unde iam Hieronymus dixit: « sciendum quod Maria sermone syro domina nuncupatur » [2]. Sed quum nomen Maria non aliud sit quam antiquius nomen *Mirjam*, haec interpretatio, licet primo intuitu obvia, nequit haberi uti solida. Insuper forma feminina huius nominis sonabat מָרָא et in statu emphatico מָרְתָא vel מָרְתָּא, seu *Martha*.

e) Vicina etymologia *Dominus ex genere meo*, κύριος ἐκ γεννήσεώς μου, ita explicatur a Vega: « Maria igitur iuxta « Ambrosium componitur ex " *Iah* ", quod est nomen Dei, et « ex *Mar*, quod ad radicem *harah* revocat, quae vox *gene-* « *rare* significat; unde Marjah perinde erit ac " genus meum « Deus ", seu ut Ambrosius vertit: " Deus ex genere meo " » [3]. Sed vox *mar* praemissa alteri *jah* insolita est. Insuper haec etymologia rursus procedit a Marjah. Inde Bardenhewer suggerit explicationem huius sensus procedendo a verbo

[1] Cf. Thren. ii, 13.

[2] *Lib. interp. hebr. nom.* Matth. i, 16.

[3] Op. cit. Lugd. 1653, p. ii, p. 95 a.

הָרָה, cuius participium Pual esset מְהֹרִי (conceptus meus, natus meus), quod contractum daret מֹרִי [1].

f) Denique interpretatio *sigillum Domini,* κυρίου σφραγίς, a Steininger [2] explicatur tanquam compositio ex vocabulo persico *muhr* vel *muhur* et dictum *jah.* Si tamen σφραγίς, loco sigilli, posset intelligi in sensu imaginis, figurae, forsan posset haec interpretatio, suadente eodem Bardenhewer, a vocabulo מַרְאֶה deduci. Sed, addit ipse, haec non est significatio vocis σφραγίς, quae dicit sigillum, vel signum, vel monumentum; non autem imaginem nec figuram [3].

Et haec satis sint de sex etymologiis praecipuis, quas vetera onomastica suggerunt [4].

4) Porro etymologiae nominis Mariae quas suppeditant scriptores **Graeci** tum antiquiores tum aetatis mediae, plerumque non recedunt a significationibus hucusque discussis.

Ps.-Gregorius Thaumat. habet Μαριὰμ φωτισμός [3]. - Iuxta S. Epiphanium in laudibus Deiparae significatio nominis Mariae est κυρία, ἐλπίς, σμύρνα θαλάσσης, φωτιζομένη. [6] - S. Ioannes Damascenus interpretatur τὴν κυρίαν; [7] et in secunda homil. de Nativ. Mariae, si tamen sit eius [8], B. Virgo praeter κυρίαν, salutatur σμύρνα θαλασσία. - Interpretatio κυρία occurrit etiam apud Theophylactem Achridensem. [9] - Demum in glossa quadam ad protoëvangelium Iacobi occurrit etymologia

[1] Op. cit. p. 34.

[2] *Ueber einige Ehrennamen Mariens:* (*Theol.-prakt. Quischr.* t. XXXVI, Linz. 1883, p. 290-301).

[3] Ibid. p. 35.

[4] Mitto explicationem cuiusdam G. Rösch, qui contendit ex his etymologiis demonstrare, Mariam in mente vulgi confundi cum Astarte « die volksthümliche « Combination Marias mit Astarte ». Ita etymologia illuminatrix, alludit ad relationem Astarte cum luna et cum stella Venere; altera mare myrrhae permiscet arborem Veneris cum aromate Arabico, et unum inde conceptum efformat cum dominio maris quod Astarte competebat. (*Maria Astarte. — Eine Studie:* Theol. Stud. u. Krit. t. LXI, 1888, p. 265-299). De qua elucubratione vere paradoxali bene scribit Bardenhewer: « Röschs Abhandlung ist ein sehr bezeichnender Beleg für die wis- « senschaftliche oder vielmehr durchaus unwissenschaftliche Zuchtlosigkeit, wie sie « in manchen Beiträgen zur vergleichenden Religionsgeschichte aus jüngster Zeit « sich geltend macht ». (op. cit. p. 28)

[5] Homil. 2. de Annunt. B. Virg. n. 13. — *P. G.* X, 116.

[6] *P. G.* XLIII, 438, sq.

[7] *P. G.* XCIV, 1157.

[8] *P. G.* XCVI, 689.

[9] *P. G.* CXXIII, 708, 853.

nominis Mariae per oppositionem derivata ab οὐ μαραίνεσθαι: « λέγοντες, » illi scilicet qui in oblectactione nomen Mariae imposuerunt, « ὅτι τὸ ὄνομα αὐτῆς οὐ μαρανθήσεται. » Quae sane interpretatio nonnisi risum moveret, nisi constaret, interdum apud veteres, imprimis Romanos, adhibitas esse etymologias κατ' ἀντίφρασιν, uti « *lucus* a *non lucendo* » [1].

Hucusque, praeter hanc ultimam interpretationem nullius prorsus auctoritatis, nihil apud illos scriptores invenimus nisi etymologias onomasticorum, nec eas omnes, et etymologiam Philonis, quam adducit Epiphanius. Sed ecce Nicephorus Callisti aliam suggerit: *donum* δῶρον, dicens Annam puellae imposuisse nomen Mariam, ad significandum, Deum esse gratiae datorem [2].

Sed haec etymologia apud Syros etiam frequens occurrit. In Syrorum enim lyricis libris Maria explicatur « donum, donum Dei, illuminatio, mater lucis ». Unde dubium moveri potest, utrum Graeci a Syris, an Syri a Graecis hanc interpretationem derivarint [3].

5) Iam ad scriptores **Latinos** gressum moveamus. *Liber interpretationis hebraicorum nominum* ab Hieronymo confectus, thesaurus fuit a quo omnes scriptores Latini usque ad saeculum XVI immediate vel mediate hauserunt quodcumque de Mariae nominis significatione conscripserunt; nisi demas S. Ambrosium, qui hoc nomen interpretatus est, quando Hieronymi librum nondum cognoverat.

Iam vero placet singula loca afferre in quibus S. Hieronymus etymologiam nominis Mariae adducit. Ad textum Exodi XV, 20 haec habet: « Maria *illuminatrix mea,* vel *illuminans eos,* aut *smyrna maris* aut *stella maris.* » Tres priores interpretationes iam antiquae sunt, ultima autem prima vice occurrit. In fragmento de Evangelio Matthaei [4], ulterius discernit inter hos quatuor sensus tres primos reiiciens, ulti-

[1] Cf. Wölfflin, *Die Etymologien der lateinischen Grammatiker.* (*Arch. f. lat. Lexigr. u. Gram.* t. VIII, 1893 p. 434-436). — Inde id lepide dictum: « Canonicus a canendo, sicut mons a movendo ».

[2] *Hist. Eccl.* I, 7. — *P. G.* CXLV. 652.

[3] Non est impossibile, iam S. Ioannem. Damasc. in prima homil. praecitata (c. 2), necnon Ioannem Eubocensem in sua concione de homilia Mariae Conceptione (c. 1.) ad sanam etymologiam alludisse.

[4] I, 16.

mum retinens: « Mariam plerique aestimant interpretari *illuminant me isti* vel *illuminatrix*, vel *smyrna maris*. Sed mihi nequaquam videtur. Melius est autem ut dicamus sonare eam *stellam maris* sive *amarum mare*. In Actibus Apostolorum [1] Hieronymus remittit ad etymologias supra allatas: « Maria illuminata vel ut supra ». Demum in epistola ad Romanos [2] habet dumtaxat: « Maria illuminans vel illuminata ».

Ab Hieronymo deinceps haec etymologia *stella maris* ad alios scriptores transit, imo veluti praecipua efficitur. Quaestio autem non spernenda movetur, utrum S. Doct. scripserit *stella maris*, an *stilla maris*. Rationes dubitandi sunt tum directe contra priorem lectionem, tum directe in favorem alterius.

a) Contra lectionem *stella* facit α) novitas huius etymologiae a nullo hucusque allatae, quin tamen S. Hieronymus hanc novitatem indicet; β) impossibilitas philologica huius reductionis, nam nullum cognoscitur hebraicum nomen, quod significet stellam et ad radicem מר appropinquet [3].

b) In favorem lectionis *stilla* facit α) relatio intima quam habet cum interpretatione *mare amarum* [4], unde minus novum sonat; β) facilitas deductionis: nam מר in V. T. occurrit tum

[1] I, 14.

[2] XVI, 6.

[3] Hinc iam Estius mendam haberi suspicatus est: « Cum *mar* nunquam inve- « niatur pro *stella*, suspicio est pro *stella stillam* esse legendam, alioquin (quod « absit) imperitiae erit culpandus in lingua hebraea Hieronymus » (*Annot. in praecipua ac difficiliora S. Scrip. loca*. Duaci 1821, p. 479, 1. in Luc. I, 27). Postea id firmius propugnarunt Klöden (1840), Grünbaum (1877),* et Steininger (1880); qui duo ultimi putaverunt erronee se in hac thesi non habuisse antesignanos. Quin et Francus (*Lexic. Sanctorum*. Hanovriae 1634), ad locum S. Bernardi (Hom. 2. sup. *Missus est*) habet: « ait significare Mariam stellam maris. *Stillam* forte voluit dicere, quae « Hebraeis est מַר i. e. gutta, stilla » (p. 77).

Omitto interpretationem Cl. Lauthaegyptiologi Monacensis, « iuxta quem *Mirjam* « deduceretur a *Mimer-juma*, et *minur* esset idem ac stella. Sed periti rei hieroglyphicae vix ullam huic assertioni fidem praebuere ». Cf. Bardenhewer (op. cit. p. 60, sqq.) — Altera interpretatio quam suggerit Schegg, ex contractione מְאוֹר יָם, dupliciter peccat, tum quia S. Hieronymus prae oculis habuit formam *Marjam*, tum quia מְאוֹר non significat stellam, sed luminare, unde Hieronymus hoc non vertisset stellam maris, sed *luminare maris*.

* A Grünbaum forte Fr. Delitzsch in quartam editionem (1879) sui commentarii in prophetam Isaiam, ad verbun מַר (Is. XL, 15) hanc animadversionem inseruit: « Hiernach deuteten die Alten Μαριάμ (מִרְיָם) *stilla maris*, waraus später *stella maris* wurde ».

[4] Hanc similitudinem videtur ipse Hieronymus indicasse per particulam *sive*.

ut adiectivum in sensu rei *amarae*, tum ut substantivum in sensu *guttulae, stillae*. Porro etymologia *stilla maris* praeferenda videtur etymologiae *amarum mare*, quia casus hebraicus potius exigit adiectivum postponi substantivo, unde mare amarum non diceretur *marjam* sed *jammar* [1].

Verum est plerosque codices [2] habere « *stella maris* »; - in codice tamen Bambergensi legitur « *stilla* ». Sed neminem harum rerum non ignarum latet, varietati in una littera positae solidum argumentum superstrui non posse; quin *e* non raro *i* dictum esse, et converso [3]; quod iam monebat Quintilianus [4]. Imo ipse Gregorius Magnus in suo codice Biblico bis legit stellam pro stilla, licet vox sequens *pluviae*, *pluviarum*, mentem ad stillam pro stella legendam invitaret [5]. Gregorius Turonensis utraque forma stella et stilla usus esse videtur; et in quodam versu Venantii Fortunati editores posuerunt *stillantia*, dum codices a saec. VIII ad XI omnes praeter unum habent *stellantia* [6].

Potuit ergo Hieronymiana vox stilla, sine ullo corruptionis proposito, a librariis scribi *stella*; ac deinceps lectio *stella* teneri et explicari sine ulla amplius memoria vocis originantis *stilla*. Inde ab Hieronymo veluti inconscio etymologia *stella maris* ortum ducit; quae tunc etymologia evasit imago sub qua tot oratores ac poëtae B. Virginem celebrarunt. Etenim ab ista etymologia imaginem hanc esse deductam, omnino tenendum videtur [7].

Putamus proin solidas adesse rationes opinandi, etymologiam a S. Hieronymo propositam sonare *stillam maris* et non *stellam maris* [8].

Vixdum *Liber interpretationis hebraicorum nominum* in

[1] Ipse Hieronymus radicum positionem utrimque servavit vertens *stilla maris* et *amarum mare*, non mare amarum.

[2] Cf. Bardenhewer (op. cit., p. 54).

[3] Ita poëtam latinum alii scribunt Virgilium, alii Vergilium.

[4] *Instit. orat.* I, 4, 17.

[5] Iob. XXXVI, 27; Ier. III, 3. — Cl. *Moral.* XXVII, 8. *P. L.* LXXVI, 405.

[6] *Carm.* III, 9, 13. Plura huiusmodi confer apud Bardenhewer (op. cit., p. 68 sqq.).

[7] Contrarium opinatus est Th. Raimundus (*Nomencl. Marian. Glossar.* Lugd. t. VII, p. 455 a.).

[8] Hanc conclusionem erudite nuperrime expositam a Bardenhewer, admittunt quoque, inter alios, Scheeben et Rolb. Contradicunt alii, uti Schigg, A. Schäfer, A. Salzer.

lucem prodierat, quando, uti monuimus S. Ambrosius suum *De institutione virginis et S. Mariae virginitate perpetua* scriptum confecit. In quo Mediolanensis praesul nomen Mariae aliter explicat de sorore Moysis et de Matre Iesu.

Ibi sensus est *amaritudo maris,* id est amaritudo fragilitatis humanae; hic *Deus ex genere meo*[1].

Etymologia *Dominatrix* occurrit in scriptis quibus titulus: *Origo generis humani,* et *Liber genealogicus.*

In Eucherio Lugdunensi occurrunt tres explicationes: « Maria illuminata (*a*), sive stella maris (*b*), sed sermone syro Domina (*c*) »[2]; quae passim apud sequentes auctores vel simul, vel partim reperiuntur: uti apud Petrum Chrysologum (*c*)[3], Isidorum Hispal. (*a, b, c*)[4], ps. - Ildephonsum Toletanum (*b, c*), Bedam (*b, c*), Walafridum Strabonem (*a, b, c*), Rhabanum Maurum (*a, b, c*), Huicmarum Rhem. (*b*), S. Bernardum (*b*), cuius 2 homil. super *Missus est* celeberrima in aevum remanebit ob modum vere sublimem, quo mellifluus auctor Mariae nomen illustrat: « Loquamur pauca et super hoc nomine, quod inter-
« pretatum *maris stella* dicitur, et Matri Virgini valde conve-
« nienter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur;
« quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittet radium,
« sic absque sui laesione Virgo parturit Filium. Nec sideri
« radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam
« integritatem. Ipsa est igitur nobis illa stella ex Iacob orta,
« cuius radius universum orbem illuminat, cuius splendor et
« praefulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam per-
« lustrans, et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet
« virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est praeclara et eximia
« stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario
« sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te
« intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et
« tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne aver-
« tas oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis.

[1] *De inst. Virg.* v, 33-34. *P. L.* xvi, 314.

[2] *Instruct. P. L.* l. 813.

[3] Insuper in sermone 146 identificat verba *Maria* et *maria* (plur. maris). *P. L.* lii, 593.

[4] Nomen stella maris ita explicat: « genuit enim lumen mundi » (*Etymol.* vii, 10, 1. *P. L.* lxxxii, 289).

« Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribu-
« lationum; respice stellam, voca Mariam » [1].

Ab hoc tempore multiplicantur de B. Virginis nomine laudes; imo devotio usque ad minutissima, iuxta huius temporis gustum descendit, in ipsis singulis huius nominis litteris abditas rationes investigans [2].

6) In **Liturgia** autem tres praesertim etymologiae consecrantur: a) Stella maris: « Ave *maris stella.* » [3] « Alma Redemptoris Mater quae pervia caeli porta manes et *stella maris*; » - b) Domina: « O gloriosa *Domina;* » - c) Amaritudo: « Virgo virginum praeclara, mihi iam non sis *amara* ».

7) Porro **Scholastici** nihil in hac re innovarunt. Ita Albertus Magnus scribit: « Habet (hoc nomen) quatuor interpretatio-
« nes: interpretatur enim illuminatrix, stella, amarum mare,
« et syriaca lingua Maria interpretatur Domina » [4]. Plenius Richardus a S. Laurentio: « Interpretatur enim Maria illu-
« minata vel illuminatrix, vel illuminans, vel stilla maris, vel
« smyrna maris, vel secundum quosdam maris hyas, vel mare

[1] IV. 17. *P. L.* CLXXXIII, Lege hanc integram pietatis effusionem, quam nonnisi brevitatis causa truncamus.

[2] Liceat exemplum elucubrationum huiusmodi depromere a Caesario de Heisterbach: Iuxta hunc scriptorem sane ingeniosum, sed ultra limites discretae mentis, in nomine Mariae tres syllabae figurant SS. Trinitatem, quinque litterae legem Mosaïcam, ob Pentateuchum; litterae cum syllabis (5 3), octo beatitudines; quinque litterae per tres syllabas ductae, quindecim psalmi poenitentiales; quinque litterae cum partibus eiusdem numeri (5 + 1 + 2 + 3 + 4) quindecim annos regis Ezechiae qui meruit per adauctam sibi vitam fieri proavus Christi; numerus litterarum in syllabis (2, 2, 1) significat Mariam ante legem agnitam fuisse a iustis et a patriarchis, sub Lege a prophetis et regibus, sub gratia autem non nisi ab Ecclesia; litterae quae habent in latino usu valorem numericum M et I significant Mariae plenitudinem gratiarum excedere omnibus aliis sanctis et ante et post se merito supereminere. Nec, si Caesario credas, vacat positio utriusque litterae I post M: significat enim Mariam esse Reginam altissimo sensu et non pertinere ad illas uxores quasi reginas septingentas et concubinas trecentas, quas Salomon habuisse narratur (III *Reg.* XI, 3). Porro in numero qui obtinetur per valorem litterarum graecarum, id est 152 (40 + 1 + 100 + 10 + 1 = 152), 100 significat integritatem corporis B. Virginis, est enim in parabola numerus virginitatis; 50, puritatem animae cuius symbolum est Pentecosten; 2, duplicem charitatem Dei et proximi. Nec his contentus, auctor noster pulcherrimas composuit sententias quinque verborum, quorum primae litterae efformant ex ordine nomen Mariae, uti, v. gr.: *mater alma Redemptoris, incentivum amoris;* et *Matre Anna radice Iesse adorta* etc., etc.. Et haec de piis huiusmodi ludis satis. Plura, si vis, confer apud BARDENHEWER (op. cit., p. 97, sqq.).

[3] De auctore huius hymni disputatur, sitne Venantius Fortunatus, S. Bernardus vel Robertus II. — Cf. PLAINE O. S. B. (*Studien und Mitteil,* t. XIV, p. 244-255).

[4] *Comment. Luc.* I, 17.

« amarum, vel syro sermone Domina »[1]. S. Thomas se limitat ad tres etymologias (*a, b, c*) supra enumeratas. Tres significationes S. Bonaventura eleganter ita distribuit: « Nomen eius « mysterio plenum, secundum triplicem interpretationem, per « quam triplicem statum intelligimus salvandorum: activos « per mare amarum, contemplativos per stellam, praelatos « per dominium »[2].

8) Iam ad interpretationes a **modernioribus** post renovata hebraica studia propositas. In initio huius epochae editio polyglotta Complutensis etymologias nominis Mariae ita exhibet: « Maria *exaltata*, vel *amaritudinis mare,* aut *myrrha maris*, « sive *doctrix* vel *magistra maris,* aut ex syro et hebraeo « *domina maris* »[3]. Quae sententia, cuius auctor ignoratur, ex omnibus antiquis explicationibus non recipit nisi *amarum mare* et *myrrha maris;* utique cum variatis formis; et novam etymologiam proponit: *exaltata.*

Hanc etymologiam, aliis nervose depulsis, amplexus est Canisius, ducens vocem *Mirjam* a radice רם *ram* « eminuit ». « *Mariam* ergo, ait, sic enim dicitur syriace.... est *excelsa,* « *sublimis*, atque *eminens:* quod etymon optime tam e lin- « guae ratione, quam ex merito per gratiam Sanctissimae « Virgini convenit »[4]. Quod in hac interpretatione pluribus maxime arridet, est, eam recedere ab hypothesi nominis compositi, et nomen *Mirjam* considerare uti simplex. Solutio tamen ipsa deficit, quum ex hac forma produceretur non מִרְיָם sed מָרוֹם.

B. Canisius fuse de etymologia nominis Mariae in laudato suo opere egit, plures solutiones suggerens, inter quas nova est deductio a *marah,* quae *rebellionem* designat; insuper novus conatus explicandi *stellam maris.* Reiicit interpretationem Lutheri « stilla aquae »[5], necnon Strigelii « luctus ».

[1] *De laud. B. M. V.,* qui liber diu uti Alberti Magni habitus est. Porro *maris hyas* non est nisi forma nova pro *stella maris.*

[2] *Comment. Luc.* (I, 17).

[3] Ad MATTH. I, etc., etc.; *Onom. alphab.*.

[4] *De locis S. Script. hebraicis Angeli Canisii commentarius.* — Antverp, 1600. p. 63, sqq.

[5] Ab.: Is. XL, 15: « כְּמַר מִדְּלִי quasi stella situlae. » Forte inde S. Hieronymus sumpsit etymon *stilla maris.*

Ipse tamen magis adhaeret interpretationi *domina, maris domina* [1].

Pasor [2] identificat nomen Mariae cum nomine putei מָרָה [3] et cum nomine quod sibi adiicit Noëmi dicens: « Ne vocetis « me Noëmi id est, pulchram, sed vocate me *Mara,* id est, « amaram » [4]. Estius anceps haesit: putat S. Hieronymum scripsisse *stilla maris;* de interpretatione *exaltata* ait: « Mihi « non displicet » [5]. - Ludovicus ab Alcazar utramque hanc etymologiam belle componit. « Quid vero elegantius, quam « sub eodem Mariae nomine aptissimum humilitatis et excel- « lentiae symbolum delitescere? » [6]. - Cornelius a Lapide putat, masotericam lectionem *Mirjam* esse falsam; veram autem lectionem LXX *Marjam.* Reiiciens etymon *exaltata est,* inclinat in interpretationem *amaritudo maris* et *domina maris,* quae duo nomina ita sorori Moysis applicat, ut prius ad Aegyptiacam tyrannidem, alterum ad triumphalem transitum per Mare Rubrum alludat.

Missis Vega et Raymond, qui in hoc argumento nihil novi protulere, ecce cum Hellero quaestio gressum fecit, non tantopere quia hic eruditus magis evolvit etymon *contumacia,* (a מְרִי, rebellione), sed quia fortiter statuit vocabulum esse substantivum cum suffixo Mem, uti ait, intensivo [7]. Simonis concordat nisi quod radicem מָרָה in sensu amaritudinis accipit, - proxima enim est radici מָכַר - et ita etymon Helleri tenet quoad formam, mutat autem quoad sensum [8].

Saeculo XIX ineunte Genesius vidit in Mariae nomine idipsum verbum quod occurrit II Esdr. IX, 17. « בְּמִרְיָם in « contentione eorum », scil. a מְרִי cum suffixo 3, p. plur. Dis-

[1] Haec etymologia maxime in usu recepta est, uti ostendit vulgaris appellatio B. M. Virginis apud christianos populos : *la Madonna, Notre-Dame, Nuestra Señora, Our Lady, Onze lieve Vrouw,* apud Germanos olim *unser liebe Fraw,* etc., etc.

[2] Exod. xv. 23.

[3] *Etyma nomin. propr.* etc. Herbornae Nassoviorum. p. 48 a.

[4] Ruth. i, 20. Eamdem etymologiam tenet Francus; Leusden autem Complutenses transcribit.

[5] Op. cit., p. 479, b.

[6] *Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi.* Antverpiae 1614, p. 623 l. - 624 a.

[7] *Onomast. sacrum.* Tubingae, 1706. Huic principio subscribunt Ewald, Olshausen, Stade, Barth.

[8] *Onomast. Vet. Test.* — *Lightfoot* tenuit duplicem sensum, scilicet nomen sororis Mariae significare tum amaram afflictionem Iudaeorum, tum eorum rebellionem in Deum, ob quam tam dure vapulabant. (*Harmon. quatuor Evang.*).

sentit ergo ab Hiller quoad sensum finalis Mem. Nam Hiller, quocum convenit Schegg, noluit admittere vocabulum *contumacia eorum* posse esse nomen proprium datum mulieri. Et sane in secunda editione latina maioris sui lexici Genesius, tacendo priorem suam explicationem, etymon Hiller admisit [1].

Alii tamen solutionem a parente derelictam veluti adoptarunt, inter quos eminent I. Grimm et Schanz. Grimm putat Mariae nomen vertendum esse vel *contumaciam eorum, vel amaritudinem eorum* [2]. Ad significationem autem nominis pleniorem obtinendam, oportet et prae oculis habere tristitiam animi, qua languebant mater Samuel, et Sponsa Cantici, cuius manus myrrha plenae describuntur: perficit enim utraque rationem typicam Mariae Matris Domini.

Aliter parumper A. Schäfer in pulchro suo libro cui titulus: *Die Gottesmutter in der H. Schrift* [4]. Putat significationem nominis Mariae alludere ad eius mirabilem sanationem; unde Maria est « *sanata.* » Et concludit: « Wie Mirjam aber im « Altem Bunde die Geheilte in Israel war, so ist Maria im « Neuen Bunde die Begnadete ». Quae interpretatio, si stare posset, quasi contineret in se Immaculatae Conceptionis praefigurationem. Quid enim est Immaculata Conceptio, nisi in altissimo sensu vocis *sanatio in radice?*

Sed Schegg [3], innixus utique principio Helleri, videtur primus nomen *Marjam* a radice מרא derivasse. Unde Maria nihil aliud significaret nisi, a forma robusta et bene nutrita corporis, « pulchra », ea scilicet pulchritudine quae celsitudinem et virtutem secum involvit. Hanc sententiam, cui ipse Schegg non adhaesit [4], quippe qui cum Haneberg etymologiam *domina* praetulit, tenuerunt Fürst, [5] Gildemeister et B. Schäfer [6]. Nuperrime eamdem docte propugnavit laudatus Barden-

[1] Subscribunt Böttcher, W. Grimm, Wichelhaus et P. F. S. Tiefenthal qui hanc interpretationem « unzweifelhalft » tenet. Et addit : « Uebrigens passt gerade " Wider- « stand " als Redeutung des Namens sehr gut auf Maria ; denn welcher Sterbliche « hat dem Treiben des bösen Geistes mehr Widerstand und mit besserem Erfolge « geleistet als sie ? » (*Das hl. Evang. nach Marcus* etc. p. 218).

[2] Sub hoc respectu affinis est cum laudato Simonis quia in radice מר utramque significationem reperit.

[3] *Die heil. Evang. übersetzt u. erklärt.* th. I, etc. etc.

[4] *Liter. Rundsch.* 1894, col. 152.

[5] *Hebräisches und chaldäisches Handwörterb. über das Alte Test.*

[6] *Rhein. Mus. für Philolog.* t. XX, p. 3.

hewer, cuius eruditam dissertationem hic veluti contraximus. Et nobis haec interpretatio placet. Etenim non modo optime convenit nomini muliebri in genere, sed et respondet plenissime archetypo B. M. Virginis, cuius pulchritudinem superius celebravimus. Imo in sensu spirituali exprimit eloquenter illam gratiae plenitudinem et pinguedinem, qua Filius Matrem cumulatam voluit. Ita sicuti nomen *Christus* dicit plenitudinem unctionis atque supereffluentiam gratiae Capitis, ita nomen *Mirjam* significat fortem illam et speciosam formam non modo naturalem sed supernaturalem, qua vera Virago, pinguedine gratiae ornata, attrahit ad se quotquot sacram pulchritudinem anhelantes, in odorem unguentorum eius currere gestiunt.

Hac igitur interpretatione admissa, Sponsus Cantici per verba « Tota pulchra es », significavit nomen archetypi Sponsae; et Angelus Gabriel Virginem salutans: « Ave, gratia plena, » nonnisi exhibuit altius etymon nominis eius: « Gratia plena » enim praesignificatur per « *Miriam* ».

Ob has igitur rationes ista etymologia nobis arridet, quin tamen contendere velimus, exhinc problema a tot saeculis eruditos torquens certam solutionem invenisse [1].

[1] KNABENBAUER (MATTH. I, 16) inclinat in etymon *myrrha* vel *domina;* KRAUS *(Kirchenlex. Wetzer - Welte)* anceps haeret inter « *fortis, potens* » et « *exaltata, domina;* » PESCH non videt cur etymon *corpulenta* sit praeferendum etymologiae *myrrha*. (Op. cit., p. 288).

QUAESTIO XXVIII.

DE VIRGINITATE B. MARIAE.

Ordo Quaestionis. - Tria haec Quaestio ordine logico complectitur: de virginitate B. Mariae *a*) in concipiendo, *b*) in partu, *c*) post partum. Quod triplex privilegium variis in locis canit Ecclesia [1]. In antiph. *Alma Redemptoris:* « Tu quae « *genuisti*, natura mirante, tuum Sanctum Genitorem, Virgo « *prius* ac *posterius* », ubi tria habes coniuncta [2]. - In versu a Natalis die dicendo: « *Post partum* Virgo inviolata perman- « sisti », ubi directe praedicatur tertium, ita ut implicite affirmentur primum et secundum. - In festo Purificationis: « quem « Virgo *peperit,* et *post partum* Virgo permansit » [3], ubi expresse habes secundum et tertium, imo et primum. - Ex tribus simul collectis Sancta Maria meretur simpliciter vocari *Beata Virgo* in plenitudine laudis per hanc vocem expressae.

Quodsi S. Thomas non sciscitatur de virginitate Deiparae *ante* conceptionem Verbi, ratio invenitur in ipsa indecentia talis quaestionis, et in nimia evidentia tum historicae narrationis, tum prophetiarum. Verum quidem est, vix minus indecenter quaeri de tertio; attamen quum hoc privilegium ab aliquibus oppugnatum fuerit, et quidem ex ipsis Scripturis, oportuit illos depellere doctrinâ, quemadmodum Ecclesia eos refellit auctoritate et oratione.

Diademati virginitatis demum Angelicus perfectionis gemmam inserit, quaerens de *voto.*

Porro antequam ad varios respectus huius Quaestionis cum S. Thoma accedamus, iuvat breve compendium exhi-

[1] Cf. plura huiusmodi in decursu expositionis afferenda.

[2] Nisi *prius* intelligatur ante conceptionem; tunc *genuisti* diceret *a*) et *b*).

[3] Ant. ad *Magn.*, I. Vesp.

bere haeresum quae perpetuam virginitatem B. Mariae impugnarunt, et usque impugnant.

De adversariis virginitatis B. M. V.

Adversarii virginitatis perpetuae B. M. V. distingui possunt vel secundum quod unum alterumve respectum huius privilegii impetiverunt, vel secundum ordinem historicum quo in Ecclesia apparuerunt. Utramque simul methodum componere conabimur, loquendo 1) de Iudaeis ac Iudaizantibus, 2) de Ethnicis, 3) de pseudo-Christianis, 4) de Jovinianistis, 5) de Helvidianis, 6) de modernis Rationalistis.

1) **Iudaei** ac Iudaizantes ab initio contra ortum miraculosum Christi rebellarunt. Nec mirum, si Iesum de Virgine natum agnovissent, iam et Messiam in eo venerari debuissent. At quo maiori in Iesum ferebantur odio, eo ferocius quoque in Matrem eius invehebant. Imo quum nihil in Scripturis apertius legeretur, quam Iesum non esse naturalem filium Ioseph, non solum supernam eius generationem respuerunt, sed et honestatem originis ei denegarunt. Unde sicut triplex vituperii nomen Christo dabant: Ieschenozere, Tholin et Hamido, quae sonant: seductor totius populi, in cruce suspensus, et (venia blasphemiae!) ex adulterio natus; ita quoque tribus probrosis appellationibus in Mariam delatrabant, vocitantes eam Thlua, id est carnificem. Sane, sive publicam peccatricem, et Thmea, seu (horribilius dictu!) in coenum libidinis volutatam [1]. Recte igitur Bruno dicere potuit: « Revera nulla « creatura est, quam sic Iudaei habeant odio, sicut Matrem « hanc et Filium. Neque enim Matrem diligere possunt, qui « tam iniquo odio Filium prosequuntur » [2].

Inter Iudaeos qui ab ipsis Christianismi exordiis hoc odio in B. Mariam acti sunt, eminent Carpocrates, Ebion et Cerinthus [3].

[1] Inde forsan illa vere infernalis formula blasphemiae qua, in hac Italia, quin in ipsa Urbe Beatissima purissimaque Virgo saepe nimis offenditur.

[2] Serm. de Annunt. B. Mariae, apud B. Canisium (op. cit., l. II, c. 6).

[3] Cf. Clement. Rom. (l. IV, *Constit. Apost.* c. 6); Tertullianum (*De Carne Christi* c. 18. — *P. L.* II, 898, sq.); Irenaeum (*Adv. haeres* l. I, c. 25.); Epiphanium (*Haeres.* 28).

Porro nedum Iudaei virginalem conceptum Deiparae a priori negarent, tam apertam de hoc prodigio in ortu Emmanuelis implendo traditionem servabant, ut nonnulli scriptores ultra limites progressi, hanc prophetiam praeter aptiora loca etiam in textibus invenerint, e quibus nonnisi per quamdam violentiam erui potest: uti Rabbi Berachius [1], liber Midras Tillim [2], Rabbi Moysis Hadursan et Rabbi Joden [3], Rabbi Rimli [4], Rabbi Iodan et Rabbinus Haccados [5], de quibus lege B. Canisium [6]. Qui sane exegetici excessus redundant in confirmationem catholici dogmatis.

2) **Ethnici** longe aliter sentiebant. Traditione scilicet divina orbati, a Iudaeis libenter convicia in Christum acceperunt, eisque derisiones addiderunt in quales naturaliter prorumpunt homines, qui de Deo nihil determinati credunt, moribusque passim Deum negant. Inde nil mirum, si contra Beatissimam Virginem Celsus calumnias a Iudaeis mutuatus sit [7]. Iulianus Apostata pariter in Mariae virginitatem invexit. Ita de vaticinio Isaiae haec habet: « Sit sane et hoc dictum « de Deo, quamvis minime dictum sit. Non enim erat virgo « quae nupserat, et priusquam peperisset, simul vocata est « cum marito. Detur autem dici de illo. Numquid Deum dicit « ex virgine nascendum? At vos non cessatis vocare Mariam « virginem. Sed non dicit eum qui ex virgine natus est, Deum « unigenitum, Filium et primogenitum omnis creaturae ».

Et tamen non deerat apud ethnicos praestigium virginitatis, imo neque fabulosae origines praecipuis heroibus summisque viris tributae [8]. Quin prostabant vaticinia Sibyl-

[1] Arguit ex Zach. vi, 12; et ex Is. liii, 2.
Arguit ex Ps. ii, 7 et Ps. cix, 2.
Ex Ps. lxxxiv, 12.
[4] Ex Gen. xlix, 10.
Ex Prov. xxx, 18.
[6] Op. cit., l. ii, c. 6.
Λόγος ἀληθής (Keim, p. 11 sqq.). De his calumniis vide, praeter Iustini dial. cum Tryph. et Origenis libros contra Celsum, tractatus *Sanhedrin* et *Toledoth Jeschuah* necnon *Gesta Pilati*.

[8] Lubet audire Hieronymum, quasdam huiusmodi fabulas adducentem. « Apud « Gymnosophistas Indiae, quasi per manus huius opinionis auctoritas traditur, quod « Buddam principem dogmatis eorum, e latere suo virgo generarit. Nec hoc mirum « de Barbaris, cum Minervam quoque de capite Iovis et Liberum patrem de femore « eius procreatos doctissima finxerit Graecia. Speusippus quoque sororis Platonis « filius et Clearchus in laude Platonis et Anaxilides in secundo libro philosophiae,

larum [1] tantopere mira, ut eorum memoria grato ac pio sensu ab Ecclesia usque servetur [2].

Porro ethnicis antiquis adnumerandi sunt impii moderni temporis, quibus iam nihil sanctum superest.

3) **Pseudo-Christiani** tum a Iudaeis, tum ab ethnicis iniuriosa mutuati sunt, quae contra B. Mariae virginitatem eructarunt. Sunt autem ex veteribus Apollinaris, Valentinus, Macedonius, Dioscorus, qui Christum de non Virgine natum blasphemarunt. Contra hos virginitatem Mariae tuentur passim Symbola, v. gr.: concilii Constantinopolitani, Ephesini, Toletani I, IV, XI. Unde eloquenter S. Ambrosius: « Si doc-

« Perictionem matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam ferunt, et sapien-
« tiae principem non aliter arbitrantur, nisi de partu virginis editum. Sed et Timaeus
« scribit Pythagorae virginem filiam choro virginum praefuisse, et castitatis eas
« instituisse doctrinis. Diodorus Socraticus quinque filias Dialecticas insignis pudi-
« citiae habuisse narratur, de quibus Philo Carneadis magister plenissimam scribit
« historiam. Ac ne nobis Dominum Salvatorem de Virgine procreatum Romana expro-
« braret potentia, auctores urbis et gentis suae Ilia virgine et Marte genitos arbi-
« trantur ». (*Adv. Iovin.* l. I, c. 42. — *P. L.* XXIII, 285, sqq.).

[1] Σιβύλλα derivari videtur a forma aeolica Σιὸς βυλή voluntas, fatum Dei, Anno 1545 Xystus Betuleius collectionem octo librorum Sibyllicorum edidit. Ineunte saeculo XIX, Card. Mai et alios libros quatuor evulgavit.

[2] Quanta reverentia apud antiquos fuerint Sibyllarum decem oracula, habita testantur ex ethnicis Varro, e scriptoribus sacris Lactantius, Hieronymus, Arnobius, Augustinus. Inde in sequentia *Dies irae* canit Ecclesiae « teste David cum Sibylla », et in Sixtino sacello Michaël-Angelus Prophetas Sibyllasque permiscuit. Nolumus tamen hic nec de antiquitate, nec de authentia horum vaticiniorum quaestionem movere. Cf. BARDENHEWER *Kirchenlex.* Hergenr-Kaulen. XI, 246, sqq. — In octavo libro praefatae collectionis v. 217 habetur notissimum Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός (Cf. LACTANT. *Div. Instit.* VII, 16, 19, 20; S. AUG. *De Civ.* XVIII, 23).

Placet tamen nonnulla ex his vaticiniis afferre.

Persica Sybilla canit:

. . . . . .

« *Solo, sed satis est, oracula prodere verbo,*
« *Ille Deus casta nascetur virgine magnus.*

Omissa Lybica, Delphica canit:

. . . . . *Virgineo conceptus ab alvo*
Prodibit sine contactu maris, omnia vincit
Hoc naturae opera, ut faciet qui cuncta gubernat.

Samia:

. . . *Mox veniet, solvens nodosa volumina vatum*
Gentis Iudaeae. . . .
Humano quem Virgo sinu inviolata favebit, . . .

Cumana:

. . . . . .

In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Diliget, haec alias forma praecesserit omnes.

« trinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, « credatur monitis angelorum dicentium: " Quia non est im- « possibile apud Deum omne verbum ". Credatur Symbolo « Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper « custodit et servat. Haec est Virgo, quae in utero concepit, « Virgo quae peperit filium! » [1].

Porro non pauci Ariani decursu temporis in Ebionitarum haeresim delapsi sunt. Quum enim cernerent ipsi, et a Patribus nervose praedicaretur, virginalem conceptum tendere in Prolem cuius illustraret divinitatem; ne hoc argumento diutius premerentur, prodigiosum hunc Christi ortum denegare coeperunt, post Filium iniuria Matrem impetentes.

Deformationis aetate [2] Anabaptistae eamdem impietatem instaurarunt; imprimis autem Lucas Sternbergerus, qui aperte

Phrygia:

Virginis in corpus voluit demittere caelo
Ipse Deus prolem, cum nuntiet angelus almae
Matri, quae miseros contracta sorde levaret.

Tiburtina:

Verax ipse Deus dedit haec mihi numina fandi,
Carmine quod sanctum potui monstrare puellam,
Concipiet quae Nazaraeis in finibus illum:
Quem sub carne Deum, Bethlemitica rura videbunt.
O nimium felix, caelo dignissima Mater,
Quae tantam sacro lactabit ab ubere prolem!

Erythraea canit:

Cerno Dei Matrem, qui se dimisit ab alto. . . .
Hebraea quem virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis. . .

Cimmeria:

In teneris annis, facie praesignis honore,
Militiae aeternae Regem sacra virgo cibabit
Lacte suo, per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, et ex illo lucebit sidus ab orbe
Mirificum, sua dona Magi cum laude ferentes
Obicient puero, myrrham, aurum et thura Sabaea.

Ad Cumanum vaticinium alludit Virgilius:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo,
Iam redit et Virgo, redeunt saturnia regna,
Iam nova progenies caelo demittitur alto *.

[1] Epist. 81.
[2] Imo iam saec. XIV Lolardi.

* *Bucol.* eclog. IV.

contendit, Iesum naturali via de Ioseph et Maria natum, primogenitum esse plurium fratrum ex eodem connubio deinceps ortorum. Centuriatores vero, cum eisque Martinus Bucerus et Petrus Martyr mitius sentiunt, quatenus Christum de Virgine corpore quidem sed non mente conceptum asserunt.

Nec desunt hodie inter Protestantes, qui pessimo Ebionitarum errori nomen dent. Quippe quo constantior sibi Protestantismus declinat, eo magis necesse est, ut in rationalismum fatali pondere decidat [1]. Sed quod lugendum est nimis, reperti sunt nuper quidam falsi catholici, qui virginalem conceptionem Mariae negarint [2], quasi ortus Christi de Spiritu Sancto ex Maria Virgine non pertineret ad illa dogmata, quae Scriptura disertissime exponit et Ecclesia instantissime ab ipso suo exordio proclamat.

4) **Iovinianistae** autem admittunt Christum de Virgine conceptum, sed non natum, quatenus prolis in lucem edita matris integritatem violavit. Stulta sane haeresis, quae vulgatorem habuit monachum quemdam nomine *Iovinianum*. Hic monasticae vitae prius in sancta austeritate deditus, postea Romae voluptatibus pessimis indulsit, et infelicissima morte obiit [3]. Inter varios eiusdem errores, maxime ad rem utique moralem spectantes [4], - quippe Iovinianus *Epicurus Christianorum*

[1] Lege de hoc argumento Cl. Leop. Jonck S. J. egregie disserentem. (*Moderne Gegner Mariä. Zeitschr. f. kath. Theol.* 1901, IV, p. 649-678). Cf. fuse dicenda in proxima dissertatione.

[2] Nota est assertio Mivart (utinam mere calumniosa!) viri sanguine Judaei, dicentis se apud suos plures nosse catholicos, qui et sacramenta frequentarent, quin tamen B. Mariae virginalem maternitatem admitterent. Nuper quoque Parisiis repertus est sacerdos catholicus, religionis in quodam lycaeo magister, qui doceret naturali via Christum de utroque parente natum!

[3] Movent quaestionem historici, utrum Iovinianus in duro exilio, an in luxuriosa impoenitentia obierit. S. Hieronymus (ctr. Vigilantium, ann. 406) de eo scribit: « Ille « (Iovinianus) Romanae Ecclesiae auctoritate damnatus, inter phasides aves et carnes « suinas non tam emisit spiritum, quam eructavit ».

[4] Docebat enim: 1) virgines, viduas et maritatas, quae semel in Christo lotae sunt, eiusdem esse meriti, si in reliquis vitae operibus non discreparent; — 2) vere baptizatos a diabolo non posse subverti; — 3) vescentem cibis, modo cum gratiarum actione comedat, nihil differre a ieiunante; — 4) quotquot suum baptisma servaverint, par in caelorum regno praemium esse consecuturos. Quibus erroribus impugnatis a S. Hieronymo S. Augustinus addit et duos sequentes: — 5) omnia peccata esse paria; — 6) B. Mariam concepisse virginem, at in partu integritatem amisisse. Facile quisquis viderit, quid errores Ioviniani commune habeant cum erroribus Lutheri.

vocabatur, - recensetur negatio virginalis partus [1]. Verum est, Hieronymum, qui vehementissime in eum invexit, hunc errorem non tetigisse [2]; forsan quia in confutando Helvidio jam eumdem efficaciter depulerat [3]. Sed Augustinus, qui certe in tali re decipi non potuit, hunc errorem ei tribuit [4]. Caeterum rescriptum S. Ambrosii ad Siricium Papam, ut alia taceam, nullum de hac re solidum dubium relinquit [5]. Ioviniano non defuerunt asseclae, homines quippe liberiori vitae indulgentes; inter quos Siricius nominat Auxentium, Genialem, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Martianum, Ianuarium et Ingeniosum; quibus S. Ambrosius addit Barbationem et Sarmationem. Damnatus fuit Iovinianus in Concilio Romae a Siricio Papa anno 390 [6], et in altero Mediolani a S. Ambrosio habito [7]. Strenue contra hanc haeresim ait S. Augustinus: « Ubi virginitas concepit, integritas parit... Utrobique mira« culum, et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puer« pera » [8].

De controversia oborta inter Paschasium Radbertum et Ratramnum de partu Virginis, in articulo secundo dicemus.

Inter pseudo-Reformatores Iovinianistas secuti sunt Bucerus, Petrus Martyr, Adamus Reisener, Molinoeus, Beza (ob praeiudicium de dogmate eucharistico), Buringerius. Erasmus in hoc puncto, sicut in tot aliis, veritatem non sat strenue amplexus est, attamen in eam inclinavit.

Moderniores Protestantes vix hac quaestione detinentur: aut enim ex toto admittunt Christum de Virgine natum, aut negant et de Virgine conceptum.

5) **Helvidiani** partim peius, partim sanius sentiebant. Sanius,

[1] Virginalem partum primus inter scriptores negavit Tertullianus (*De carne Christi*, c. 23). De quo argumento fuse sermo erit in art. 2.

[2] *Adv. Iovinianum libri duo.* — *P. L.* XXIII, 221, sqq.

[3] Hieronymus scripsit contra Helvidium anno 383, contra Iovinianum autem anno 393.

[4] *De haer. ad Quodvultd.;* L. I *ctr. Iulianum.* — Inde Erasmus putavit, S. Augustinum sine iure hunc errorem Ioviniano tribuisse.

[5] « Sed de via perversitatis produntur dicere, Virgo concepit sed non virgo « generavit ».

[6] HARD. I, 852; MANSI III, 663.

[7] HARD. I, 853; MANSI III, 664, sq. — De Ioviniano consule NATAL. ALEX. (Saec. IV, diss. 48); HEFELE (*Conc.-Gesch.* II, 50 sqq.); LINDNER (*De Iovin. et Vigil.* — Lips. 1839); SCHRÖDL (*Kirchenlex. Hergenr.-Kaulen* VI, 1902, sqq.)

[8] E serm. variis de Natali Dom.

quatenus non denegabant per se virginalem partum; peius, quatenus recusabant perseverantiam Mariae in virginitate post partum. Auctor huius sectae fuit vir quidam vulgaris, *Helvidius* nomine, quem - at vix apparet quo ex fonte, imo inspecto homine res videtur minus probabilis, - Gennadius dicit Auxentii et Symmachi discipulum. Praeter blasphemiam in perpetuitatem virginitatis Mariae, graviter erravit Helvidius matrimonium virginitati aequando. Unde Hieronymus in fortissimo eruditissimoque libro, quem contra hunc Deiparae detractorem scripsit [1], debuit, ipso fatente, « multa de molestiis « dicere nuptiarum [2] ». Inter praecipuos propagatores eiusdem erroris fuit et *Bonosus* episcopus Sardicensis [3]. Hanc haeresim apud Occidentales maxime depulerunt praeter Hieronymum [4] S. Augustinus [5], et in Hispania redivivam S. Ildephonsus Toletanus [6]; apud Orientales nomine **Antidikomarianitarum** (ἀντιδικομαριανῖται) Epiphanius [7] et S. Damascenus [8]. Placet audire indignabunda verba, quibus prior hos haereticos alloquitur: « Undenam vero haec improbitas emersit? Unde tanta pro- « rupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testificatur?... « Quis ullo tempore unquam extitit, qui sanctae Mariae nomen « appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis voca- « bulum adiiceret?... O turbulentum saeculum nostrum!... » [9].

[1] Hoc Hieronymi opus increduli Protestantes peculiari odio condecorant. Cf. dicenda in art. 3.

[2] Ep. 48 ad Pammachiam.

[3] Contra Bonosum primo collecta est synodus Capuae anno 391; hinc res delata est ad plenius concilium episcoporum Illyriae, qui duce Anysio, Bonosum haeresis convictum ab episcopali officio deposuerunt. Siricius ac postea Innocentius I eamdem causam iudicarunt. Porro ipse Bonosus videtur nunquam in Arianismum esse delapsum. Sequaces autem eius, Bonosiani dicti, cuius Matrem offenderant, Filium ipsum Deum esse negarunt, opposito ordine eamdem viam percurrentes, quam Ariani a repudiata divinitate Prolis ad inficiandam dignitatem Matris peregerant. (Cf. WALSCH KETZERHISTORIE, III, 598, sqq.; SCHWANE. *Kirchenl. Hergenr.-Kaulen,* II, 1104, sqq.)

[4] *De perp. virginit. B. Mariae adv. Helvidium.* — *P. L.* XXIII, 193, sqq.

[5] Lib. *de Haeres. ad Quodvult.*

[6] *De virgin. perpet. S. M.* — *P. L.* CXCVI.

[7] *Haeres.* 78. *Adv. Antidicomar.* — *P. G.* XLII, 699, sqq.

[8] Lib. *de Haeres. et de Eccles. dog.* c. 69.

[9] Op. cit., *P. G.* XLII, 705, sqq. — Caeterum adverte hanc haeresim non fuisse undequaque hoc tempore natam. Etenim iam similem errorem commemorant Origenes (Hom. 7 in Luc.), Hilarius (In cap. I Matth.), Basilius (Homil. de hum. Chr. gener.) Ab Ebionitis enim ortum duxisse videtur; sub ista forma eam Epiphanius ab Apollinari derivat.

Quid iam dixisset Epiphanius tempore pseudo-Reformationis, ubi Petrus Martyr et Lucas Sternberger, Helvidii haeresim instaurarunt, et Chytraeus eam uti aliquid pietati indifferens tolerabat? Quid iam diceret nunc, videndo apud protestanticos doctores hunc errorem magis magisque grassantem? Quare exclamatio Epiphanii iure resonat resonabitque iugiter in ore omnium eorum, qui de perpetua virginitate Mariae ad normam antiquorum Patrum cum Ecclesia catholica sentiunt. Resonat pariter quod olim Boëthius, de Trinitate disputaturus, exorsus aiebat: « Christianae religionis reve- « rentiam plures *usurpant;* sed ea fides pollet maxime et « solitarie, quae cum propter universalium praecepta regu- « larum, quibus eiusdem religionis intelligatur auctoritas; « tum propterea quod eius cultus per omnes pene mundi « terminos emanavit, *catholica* vel universalis vocatur » [1].

6) Porro **rationalistae** non solum factum virginalis conceptus, sed et eius possibilitatem negant. Principium enim exegeseos a priori, cui et eruditissimi, uti Harnack, subscribunt, est nihil esse admittendum, quod naturae vires exsuperet. Unde aliter et aliter increduli de hoc mysterio loquuntur. Ubi Voltaire [2] tabernaria convicia eructabat, ac hodiedum Venturini et Paulus Gottlob pessimis calumniis indulgent, Renan aliique velatis imo blandis verbis, veluti cum quodam sacro pudore loquuntur. Pari tamen impietate laborant omnes.

Adde **materialistas**, qui, utpote peccatum originale negantes, quin et instinctum concupiscentiae tanquam sacrum

[1] *De Trinit.* c. 1. — *P. L.* LXIV, 1249, c.

[2] De hisce ironicis scriptis Ferd. Brunetière, moderator ephemeridum *Revue des deux Mondes* nuper optime dixit: « L'ironie, qui ne tue personne, quoi qu'on en « puisse dire, n'a jamais intimidé que ceux qui ne savent pas, que l'ironie n'était « souvent qu'une forme de l'inintelligence. En France nous nous moquons d'abord « de ce que nous n'entendons pas, et Voltaire lui-même, cet homme de tant d'esprit, « quand il ne comprend pas, c'est alors qu'il se tire d'affaire par une arlequinade. « S'il comprenait, il essayerait de répondre, mais au lieu de l'essayer, s'il fait de « l'ironie, c'est qu'il n'a rien à dire. Son ironie n'est que le masque ou le déguise- « ment de son impuissance. Il ne ricane que de ne pouvoir mieux faire » (*Motifs d'espérer*, 24 nov. 1901). Ex his pulcherrimis verbis, - quae non modo valent de Voltaire, sed et de Strauss, imo de Harnack, quando altissima fidei nostrae dogmata, uti SS. Trinitatem aut unionem hypostaticam, conviciis impetunt, - opportunitatem libentius arripio mitigandi iudicium, quod de isto scriptore alibi tuli (*De Deo Uno*, I, p. 261). Ab hoc enim tempore Brunetière tantopere profecit, ut animo forti ac integro non pauca ediderit undequaque laudanda.

extollentes, non modo a quavis sensuum mortificatione abhorrent, sed et virginitatem veluti naturae contrariam damnant. Quomodo iam huiusmodi homines virginalis conceptus celsitudinem aestimarent?

Adde **theosophos,** qui incarnationis conceptum undequaque pervertunt, sicuti in praecedenti volumine ostendimus [1].

Et haec de haereticis incredulisve satis. Iam ad varios aspectus perpetuae virginitatis B. Mariae exponendos atque vindicandos gressum moveamus.

ARTICULUS I.

UTRUM BEATA MARIA FUERIT VIRGO IN CONCIPIENDO.

De ipsa Quaestione. - 1) Romani oraculum olim accepisse dicuntur de Urbe perduratura usquedum Virgo pareret, idque ita intellexisse ac si per hoc, sub rei symbolo undequaque impossibilis, perennitas Romae caelitus promitteretur.

Sed « non est impossibile apud Deum omne verbum ». Unde quando impius Achaz sibi signum a caelo petere renuit, Isaïas maximum ipsi signum nuntiavit: « Propter hoc dabit « Dominus ipse vobis signum: *Ecce Virgo concipiet et pariet* « *filium,* etc. » [2]. Signum proin adventus Redemptoris fuit modus portentosus quo in mundum intravit; sicuti signum operis completi per Hominem-Deum fuit, ex ipsius Christi ore, modus quo, « devicto mortis aculeo », de mundo exivit.

Summi proin momenti est ille ortus Christi de Virgine Matre, non solum ad gloriam Mariae, sed ad oeconomiam vaticiniorum de nascituro Messia impletorum. Nec mirum si ex una parte omnes recte de Christo sentientes hanc virgineam maternitatem sancto zelo tuentur; e contra vero quotquot rationalistice a pleno christianismo deficiunt, aut in vitiorum lutum delapsi de spiritus excellentia nihil amplius percipiunt, hanc virginitatem non solum uti fabulosam depellunt, sed et quasi in naturae instinctum iniuriosam despiciunt.

2) Adverte autem sedulo, hic non agi de nativitate Verbi ex Virgine quatenus de non virgine, id est de patre et matre

[1] Pag. 193, sqq.
[2] Is. VII, 14.

simul ortum sumere non potuisset. Undenam absolute loquendo talis impossibilitas desumeretur? Sed de summa convenientia, imo de morali quadam necessitate a priori, et de facto posteriori agitur, uti mox fuse ostendemus.

3) Iam vero difficultates moveri possunt tum contra convenientiam, tum contra factum.

a) Contra *convenientiam* - dempta obiectione de impossibilitale rei, - ex defectu similitudinis hominis ex virgine nati cum homine nato secundum naturae viam. Quae obiectiones solvuntur recurrendo ad supernaturalem virtutem defectui virium naturae supplentem. Et sane haec solutio generaliori modo expressa sufficit credenti; modum modi penitius investigare, artem medicam respicit potius quam theologicam disciplinam; quare, reverentiae etiam causa, nonnisi breviter, - memores moniti Petri Cellensis: « Virgo certe virgineis ver- « bis et sancto velamine consecratis delectatur affari » [1], - de hac investigatione in decursu argumenti agemus.

b) Contra *factum* proferuntur ex Scripturis sententiae in quibus de B. V. quasi de communi muliere sermo esse videtur.

Responsa non longe petenda sunt. α) *Indirecte* respondetur per argumenta inconcusse virginalem B. V. conceptum probantia. De quibus in appendice. - β) *Directe* respondetur ostendendo quomodo simul S. Ioseph vocetur *pater*, et *putativus* pater; quomodo, uti iam diximus, genealogia per S. Iosephum sit ex lege iudaica aeque concludens pro Maria; quomodo demum vox *mulier* non implicet deperditionem virgineae integritatis. De quibus plura vide in ipso textu, ad quem iam accedimus [2].

Ad Textum. - *1. Obi.* Negligit locum Lucae, in quo Ioseph solummodo putativus pater Iesu apparet [3]; negligit insuper

[1] Ep. 173. — *P. L.* t. CCII, 641. — Idem monet PETAVIUS (*De Incarn.* l. XIV, c. 5, n. 3).

[2] Obiectionem ab aliquibus inde desumptam, quod Iesus semetipsum vocat *filium hominis* utpote nimis ineptam despicimus. Nonne Christus filius Abraham, et David? Insuper nonne vox *homo* totum genus humanum complectens? Num forte definitio hominis a philosophis tradi solita mulieres excludit? — Nec minus inepta est eadem obiectio contra divinitatem Christi mota, quasi Christus non esset simul Deus et homo. Hanc obiectionem uti aliquid subtilis opponit recens scriptor comes de Renesse, cuius opellam blasphemiis refertam, scientia vacuam non semel iam depulimus. (*Iésus-Christ, ses Apôtres et ses disciples au XX siècle*, p. 57).

[3] LUC. III, 23.

oeconomicas rationes propter quas Maria ipsa sponsum suum, Iesu patrem appellat. De quibus fuse in Quaestione sequenti.

2. obi. Pariter negligit tum mores Iudaeorum quoad texendas genealogias, tum legem connubiorum. - *3. obi.* Falso intelligit vocabulum *mulier*. - *4. obi.* Arguit ac si naturalem de Virgine nativitatem esse contenderemus. - *5. obi.* Falso supponit materiam prolis eamdem manere usque ad formationem eiusdem, etiamsi verum sit materiam partialem esse illud quod in conceptione B. V. defuit. Sed de hoc argumento plura dicemus infra, ubi de vera maternitate Mariae et de concepti corporis Christi materia dicemus [1].

Sed contra est. Quum praesens argumentum summi sit momenti, et documenta ex Scripturis, Patribus, Liturgia, Ecclesiae auctoritate et arte sacra nimium abundent, de virginali conceptu in sequenti appendice disserere satius duximus, quam tantam huic articulo inserere molem.

In Corpore. En brevi schemate hoc argumentum expressum. De Virgine concipi Filium Dei decuit: 1) propter *Patrem,* ne alter cum Patre caelesti hoc nomen communicaret; 2) propter *Verbum,* cuius est ab incorrupto concipi corde; 3) propter *hominem,* ut a peccati nexu liberior, peccatum efficacius tolleret; 4) propter *opus salvificum,* cuius est facere filios Dei, ex ipsa virtute Dei, non ex carne. Tertiam rationem hic adductam S. Anselmus fuse evolvit in opere suo: *De conceptu virginali.* De quo in proxima dissertatione.

DISSERTATIO

DE VIRGINALI MATERNITATE B. MARIAE.

Dogma virginalis conceptus B. Mariae abunde illustratur I) ex Scripturis, II) ex doctrina Patrum, III) ex auctoritate Ecclesiae, IV) ex Liturgia, V) ex monumentis artis christianae. De singulis, in quantum sinit rei momentum, breviter.

I. Virginalis maternitas B. M. demonstratur ex Scripturis.

Argumenta e **Scripturis** desumpta sunt alia verbalia, alia realia, secundum quod verbis aut figuris innituntur.

[1] Qq. XXXI, XXXII.

A) **Verbalia** argumenta distribuuntur 1) in certa et 2) in suasiva; quibus addemus 3) argumenta subtiliora quam solidiora, quae tamen sunt interdum a Patribus allata.

1) Certum omnino argumentum *a*) suppeditat in *Vet. Test.* vaticinium Isaiae VII, 14: « Propter hoc dabit Dominus « ipse vobis signum: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* et « vocabitur nomen eius Emmanuel ». Quorum verborum ut vis pateat, oportet prae oculis habere circumstantias eorum et finem [1]. Achaz impie recusaverat petere signum ad probandam veritatem vaticinii Isaiae ad ipsum a Deo missi. Quare Propheta, afflante Numine, hoc ei signum promittit. Oportet ergo aliquid magni praenuntiari, quod respondeat maiestati verborum: « Audite ergo domus David » [2]. Quibus praemissis dicimus, per verba: « Ecce virgo concipiet et « pariet filium הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן » annuntiari Mariam quae virgo concepit et virgo peperit filium. Quod demonstramus per considerationes sequentes.

α) Vocabulum עַלְמָה significat puellam innuptam [3], aut quae saltem ut talis habetur [4]. Vocabulum autem בְּתוּלָה non involvit conceptum virginitatis [5]. Insuper עַלְמָה non dicitur nisi de puella seu adolescentula [6], dum ex opposito בְּתוּלָה potest esse mulier iam annis provecta [7]. Quare cum articulo הָעַלְמָה significat potius τὴν παρθένον, virginem singularem: *la Vergine,* vel emphatice: *una Vergine* [8].

β) Filius huius Virginis *Emmanuel* neminem alium designat nisi Christum. Et sane nisi Christum praenuntiet, rogabimus, cum Origene: « quis fuerit natus Achaz temporibus, « de cuius nativitate dicatur Emmanuel, quod est, *Nobiscum* « *Deus?* Nam si nullus invenietur, manifestum est, id quod « ad Achaz dictum est, promissum esse domui Davidis, eo

[1] Cf. Pesch., op. cit., p. 296.

[2] Vers. 13. Necnon verbis: « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum « inferni, sive in excelsum supra. » Vers. 11.

[3] Ita Gen. xxiv, 43; Ex. ii, 8; Ps. lxviii, 26, עֲלָמוֹת diserte a mulieribus matrimonio iunctis discernuntur.

[4] Ita intelligendus est locus Prov. xxx, 19.

[5] Cf. Ezech. xviii, 3; Ioel. i, 8.

[6] A masculino « עֶלֶם adolescens » (a radice עָלַם).

[7] Cf. Mangenot (Art. *Almah* in *Dictionn. de la Bible*).

[8] Cf. dicta superius de vi articuli hebraici p. 51.

« quod scriptum sit, ex semine Davidis natum Salvatorem « iuxta carnem » [1]. Et sane in cap. seq. Isaiae describitur potestas Messiae sub nomine Emmanuelis [2]; et in cap. IX ipsa eius nativitas et divina maiestas: « Parvulus enim natus est nobis, « et filius datus est nobis.... et vocabitur... Deus, etc. » [3].

Unde mirum non est, adversarios qui in his verbis nolunt agnoscere praedictum Messiam, aliam explicationem suggerere nullam quae quaesito satisfaciat. Ezechiam filium Achaz per vaticinii verba designari non posse [4], iam strenue contra Iudaeos ostendit Eusebius Caesareensis [5]. Nec ab hoc tempore, extra Messiam, magis plausibilis, aut minus absurda solutio substituta est. Absurdius enim de ignoto quodam Isaiae filio intelligeretur [6].

γ) Insuper, - quod summi momenti est, - pone per verba Prophetae nihil aliud nuntiari nisi puellam matrem esse futuram. Quid in hoc tantopere mirum esset? Optime S. Iustinus martyr: « Si ille de quo loquebatur Isaias, non erat ex vir- « gine nasciturus, quis tandem ille est, de quo Spiritus Sanc- « tus clamabat: " Ecce Dominus ipse nobis dabit signum: « ecce virgo in utero concipiet et pariet filium? " .... Quasi « vero res magnae significarentur, si mater ex concubitu pari- « tura esset, quod iuniores omnes mulieres faciunt, exceptis « sterilibus » [7]. Et brevissime S. Chrysostomus: " Si virgo « non fuisset, signum non erat " » [8].

δ) Accedit auctoritas Scripturae ipsius. Etenim α') obvia adest similitudo inter verba Isaiae et verba: « Ecce concipies « in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum » [9], a Gabriele dicta de prole Virginis; nam addit: « Spiritus « Sanctus superveniet in te, etc. ». β') Consonat nomen Em-

[1] Lib. I, *ctr. Celsum.*

[2] Cap. VIII, 8.

[3] Cap. IX, 6.

[4] Haec explicatio vetustissima est, uti apparet ex S. Iustino qui eam ponit in ore Iudae quocum disputat (*Dial. cum Tryph.* c. 67).

[5] Lib. VII, *De Demonstr.*, c. 1.

[6] Cf. KNABENBAUER (in hunc loc.), REINKE, (*Die Weissagung von der Jungfrau*, p. 230 sqq.). LEHNER (*Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten* p. 11, sqq.)

[7] *Dial. cum Tryphone*, n. 84. — *P. G.* VI, 674 sq.

[8] In hunc loc. *P. G.* LVI, 83. — Cf. S. BASILIUM (Ibid. *P. G.* XXX, 463); ORIGENEM (loc. cit.); EUSEBIUM CAESAR. (loc. cit.); etc., etc.

[9] LUC. I, 31 sq.

manuelis ab Angelo puero datum [1]. γ') Imo diserte S. Matthaeus prophetiam Isaiae citat, utpote in conceptione virginali Christi impletum: « Hoc autem totum factum est, ut adimple-« retur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: « " Ecce virgo, etc. ,, » [2]. Unde mirum non est, scriptores sacros passim tam Graecos quam Latinos unanimi consensu in virgine paritura olim Achaz promissa, agnovisse Mariam; imo strenue omnes adversariorum evasiones depulisse [3]. Quare in catholicam traditionem universam impegerunt ps.-Reformatores ab hac doctrina tot saeculis sacrata recedentes [4].

ε) Accedit demum auctoritas Ecclesiae. Nam Pius VI Brevi *Divina Christi voce* (20 Sept. 1719) damnavit sententiam Isenbiehl qui tum ipsi vaticinio, tum Evangelistae citationi vim denegabat.

Porro vaticinium Isaiae valet non solum ad Mariae virginitatem in concipiendo, sed in edendo Filio demonstrandam.

b) Praeter hoc vaticinium Isaiae adest in *Nov. Test.* aliud certissimum argumentum ex ipsa Annuntiatione Incarnationis. Et sane, α) praeter exordium: « Missus est... Angelus « ad *Virginem* desponsatam viro » [5], - β) maxime obvia sunt verba B. Mariae: « Quomodo fiet istud, quoniam *virum non* « *cognosco?* » [6]. Quae verba nullum sensum habent, nisi per ea se virginem et quidem ex mente Deo devotam Maria proclamet. - γ) Iam vero, quid reponit Angelus? Num forte: « sume tibi virum », aut aliquid huiusmodi? Absit. Recurrit ad actionem Spiritus Sancti, et ad omnipotentiam Dei, quemadmodum Isaias magnum signum praedixerat. - δ) Imo formula consensus B. Virginis id involvit: « Fiat mihi secundum « verbum tuum » [7]; quod non tantum de ipsa re, sed et de modo rei est intelligendum.

c) Tertium argumentum certissimum habetur in narra-

[1] Matth. I, 23.

[2] C. I, 22, sq.

[3] Cf. B. Canisium (op. cit., l. II, c. 6).

[4] Œcolampadius vertit: « Ecce adolescentula illa praegnans et pariens filium » Castalion: « Ecce puella praegnans filium pariet ».

[5] Luc. I, 26, sq.

[6] Luc. I, 34. Haec ultima verba, in quibus est tota vis, Harnack simpliciter e textu expungit, utpote parum cum reliquis consonantia! Haeccine vera scientifica exegesis? Sed de his plura mox.

[7] Ibid. 38.

tione visionis Ioseph. Ait enim Angelus: « Quod enim in ea « natum est, *de Spiritu Sancto est* » [1]. Iam vero Evangelista dixerat: « Antequam convenirent, etc. »; et in fine narrationis additur: « Et non cognoscebat eam, donec etc. ». Relinquimus ad articulum tertium solvendas obiectiones ab Helvidianis ex particulis *antequam* et *donec* peti solitas. Interim firmissime ex hac narratione stat, Iesum conceptum esse de Virgine per operationem Spiritus Sancti [2].

d) Demum Scriptura inferius, ante vitam publicam Iesu, proclamat, Ioseph non esse eius patrem, nisi putativum: « Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, *ut puta-* « *batur* filius Ioseph » [3]: erat quippe Filius Virginis [4].

2) Inter argumenta maxime suasiva *a*) primum locum tenere videtur prophetia Ezechielis: « Porta haec clausa « erit; non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam « Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa « Principi, Princeps ipse sedebit in ea » [5]. De quo loco S. Ambrosius: « Quae haec porta nisi Maria? ideo clausa, quia « virgo » [6]. Conveniunt in hac interpretatione scriptores sacri passim, uti Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Eusebius Emissenus, Rufinus, Damascenus [7]. Iam vero hanc prophetiam simul docere perpetuam B. Mariae virginitatem ante partum, in partu et post partum, manifestum est.

b) Huic prophetiae proxima sunt verba Cantici: « Hortus « conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signa- « tus » [8]. Ad quae breviter S. Hieronymus: « Quod clausum « est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, « Matris et Virginis » [9]. Quam virginalem dignitatem vox *soror* insinuat.

[1] Matth. I, 20.

[2] Animadverte quoque, uti diximus, ex nomine Emmanuel puero imponendo corroborari interpretationem vaticinii Isaiae.

[3] Luc. III, 23.

[4] Tantae virtutis est haec additio « *ut putabatur* », ut inde incredulis summe displiceat. Ita v. gr. Harnack eam appellat: « das längst verdächtige ὡς ἐνομίζετο. » Cf. mox fusius de hoc dicenda.

[5] C. XLIV, 2, sq.

[6] De *instit. virg.*, c. 7; cf. epist. 42.

[7] Cf. B. Canisium (loc. cit.).

[8] Cant. IV, 12.

[9] *Adv. Jovin.* I, 31. — *P. L.* XXIII, 265 D.

c) Accedit prophetia Ieremiae: « Creavit Dominus novum « super terram: Femina circumdabit virum » [1]. « Femina « circumdans virum, inquit S. Bernardus, Virgo est conci- « piens Deum » [2]. Adde vocem hebraïcam *Gheber* significare virum fortem atque robustum, quod optime « fortiori » armato convenit.

d) Huc accedit illa consideratio, quod de Christo non nominatur pater nisi Deus [3]; nec de generatione humana nominatur nisi mater [4].

e) Et sane promissus Messias vocatur ab exordio « semen « mulieris » [5]. Unde iam S. Cyprianus [6] diserte ex hac locutione arguebat ad Filium Virginis; et auctor quidam ignotus, sed antiquae auctoritatis ait: « Mater Domini nostri Iesu Christi « in illa tum muliere promissa est... Suscitabo mulierem, quae « repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, sed « ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promis- « sionis exigat novitate, dicendo: " Quemadmodum erit istud, « quoniam virum non cognosco? " [7]. Ecce istud semen mu- « lieris, etc. » [8].

3) Ita transimus ad reliquos quosdam Scripturae textus e quibus Patres argumentum deduxerunt, at subtilius quam solidius, imo interdum quasi contra scopum contextus. - *a*) Ex promissione facta David: « De fructu ventris tui « ponam super sedem tuam » [9], arguunt Tertullianus [10], Irenaeus [11] et Augustinus. Hic tamen interpretationem de virgine matre non adducit uti necessario ex hoc textu effluentem, sed suasive: « Poterat dicere ex fructu femoris « tui. Quare ex fructu ventris voluit dicere? Et illud quidem « si diceret, verum diceret, sed significantius dicere voluit, « ex fructu ventris, quia de femina natus est Christus, quo

[1] Ier. xxxi, 22.
[2] Serm. 5 de Nativ. Chr. — Homil. 2 de B. V.
[3] Ps. ii.
[4] Ps. xxi, 10, 11; Mich. v, 3.
[5] Gen. iii, 15.
[6] *Testim. adv. Iud.*, ii, 9.
[7] Luc. i, 34.
[8] In oper. S. Hieron. Nec aliter Isidorus Pelusiota (cf. p. 48).
[9] Ps. cxxxi, 11.
[10] *Adv. Marcion.*, l. 8.
[11] *Adv. haeres.*, iii, c. 27.

« vir non accessit » [1]. Non recuso interpretationem; sed iam longius petita videtur [2].

b) Pariter subtile est argumentum deductum ex verbis Isaiae: « Dominus ascendet super nubem levem » [3]. De quo loco S. Hieronymus dicit: « Ascendit Dominus super nubem levem: « corpus S. Virginis Mariae, quod nullo humani seminis pon- « dere praegravatum est » [4]. Nec dissentit S. Ambrosius [5].

3) Accedunt iam alii textus, quibus vis, si tamen vis, sane longe minor inest. α) In verbis: « Adducet urentem ven- « tum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas « ejus (mortis) » [6], S. Hieronymus sub imagine deserti agnoscit virginalem uterum Mariae [7]. - β) In verbis: « Imperfectum « meum viderunt oculi tui » [8], S. Ambrosius designari putat inoperatam, uti ait, (in graeco ἀκατεργαστόν) carnem Christi, utpote sine opere viri productam [9]. - γ) Imo Christum de Virgine natum Origenes [10], Maximus [11] et Bernardus [12] describi crediderunt per verba: « Ego sum vermis et non homo » [13]: quatenus, sicuti vermes e materia sponte scaturiunt, ita Christus de Virgine sine concursu viri prodivit. Idem de altera sententia: « Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus » [14] docet Angolemus [15].

Et haec satis sint de huiusmodi interpretationibus, quae, si rigorem strictae exegeseos sustinere non valent, saltem maxime inculcant, quantopere haec primaria veritas de ortu Christi ex Virgine, fuerit mentibus horum scriptorum iugiter praesens. Quare hic ipse excessus in traditionem catholicam roborandam validissime redundat.

[1] In hunc psalm.
[2] Idem erui potest, ex. II Reg. VII, 12.
[3] Is. XIX, 1.
[4] Lib. VII in Is.
[5] De *instit. virg.*, l. XIII.
[6] Os. XIII, 15.
[7] Lib. III in proph. Os. — Cfr. Gilebertus *(Serm. 15 super Cant.)*.
[8] Ps. CXXXVIII, 16.
[9] *De instit. virg.*
[10] Homil. XIV in Luc.
[11] Serm. in Dom. palm.
[12] Serm. de Passione Dom.
[13] Ps. XXI, 7.
[14] II. Reg. XXIII, 8.
[15] In hunc locum.

B) **Realia** porro occurrunt in Scripturis virginalis ortus Messiae testimonia.

1) In *Vet. Test.* ecce *a*) in visione Danielis: « *abscissus* « *lapis* de monte *sine manibus* », et « lapis qui percusserat « statuam, factus est mons magnus, et implevit universam « terram » [1]. Licet enim scriptores sacri non conveniant semper de modo interpretandi hunc montem [2], concordes sunt in agnoscendo modum virgineum, quo Maria sine opere maritali Christum concepit. Caeterum huic prophetiae robur adiicit symbolismus petrae, de qua Paulus dixit: « Petra « autem erat Christus » [3], et quem Psalmista et Isaias et post eum Paulus et Petrus vocant lapidem angularem [4]. Audiatur de hoc loco prae aliis S. Augustinus: « Lapis de monte prae- « scinditur; ipse est lapis quem reprobaverunt aedificantes, « et factus est caput anguli. De quo monte praeciditur, nisi « de regno Iudaeorum, unde Dominus noster Iesus Christus « secundum carnem natus est? Et praeciditur sine manibus, « sine opere humano, quia sine amplexu maritali a virgine « exortus est » [5]. Unde Liturgia lapidis angularis titulo Redemptorem venturum appellat in Ant. maiori *O Rex gentium*.

b) Accedit figura *velleris Gedeonis* [6]. « Quid, ait Ambro- « sius, tam silenter et sine strepitu fit, quam cum imber in « lanae vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nul- « lius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquie- « tudine omnium totum imbrem per multiplices effusum « partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram « nesciens, solida mollitie plures praebens meatus, et quod « clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuita- « tem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quae ita con- « cepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec eiusdem « scissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obse-

[1] Dan. ii, 34 sq.

[2] Irenaeus montem intelligit Mariam (*Adv. Haeres.* iii, cap. 28), Gregorius M. caelestem curiam (Expos. in i cap. Lib. i Reg.), Augustinus (*In Ioann.* tr. 9) et Ildephonsus (*De virg. Mar.* c. 5) regnum Iudaeorum.

[3] Exod. xvii, 6; Num. xx, 11; I. Cor. x, 4.

[4] Ps. cxvii, 22; Is. xxviii, 16; Rom. ix, 33; I. Petr. ii, 6; Act. iv, 11. Imo ipse Christus seipsum lapidem hunc angularem praedictum nuncupavit (Matth. xxi, 42 sqq.).

[5] Loc. cit.

[6] Iudic. vi.

« quium, solida ad sanctimoniam. Recte, inquam, Maria vel-
« leri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vesti-
« menta texuntur. Vellus plane Maria est, siquidem de molli
« sinu eius Agnus egressus est, qui et ipse Matris lanici-
« nium, hoc est, carnem gestans, molli vellere cunctorum
« operit vulnera populorum » [1]. Parumper aliter S. Bernardus hanc figuram explicat; sed quoad symbolum virginalis conceptus plane convenit [2]. Ad hanc figuram reducuntur alia loca Scripturae: « Descendet sicut pluvia in vellus, et « sicut stillicidia stillantia super terram » [3]. « Ero quasi ros « Israël » [4]. « Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum » [5]. Unde Liturgia in vigilia Nativitatis canit: « Orietur sicut sol « Salvator mundi: et descendet in uterum Virginis, sicut « imber super gramen » [6]. Et in festo Circumcisionis: « Quando « natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletae sunt Scrip- « turae: sicut pluvia in vellus descendisti » [7].

c) In *rubo ardenti* [8] Patres pariter agnoverunt symbolum Deiparae Virginis. « Quid rubus ille quondam Mosaicus por- « tendebat, flammas quidem ardens sine combustione, nisi « Mariam parientem et dolorem non sentientem »? Ita S. Bernardus [9]; et ante eum alii, uti Chrysostomus [10] et Eutherius [11] hanc figuram de Matre Virgine explicant. Quae figura, uti apparet, efficacissima est contra Iovinianum ad integritatem Mariae in ipso partu vindicandam. Unde rursus canit Liturgia: « Rubum quem viderat Moyses incombustum, conser- « vatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem » [12].

d) *Virga florida* Aaron eumdem symbolismum exprimit. Imo S. Bernardus, e quo fragmentum de hoc argumento iam superius attulimus [13], in hac figura reperit virginitatem

[1] Serm. 5 de Natal. Dom.
[2] Hom. II super *Missus est* n. 5. — Cf. superius p. 10.
[3] Ps. LXXI, 6.
[4] Os. XIV, 6.
[5] Is. XLV, 8.
[6] Antiph. ad *Benedictus*.
[7] 2 Antiph. Vesp.
[8] Exod. III, 2.
[9] Loc. cit. — cf. serm. de Virg. Mar. ex verbis Apocal.
[10] In Genes.
[11] *De famul. spiritual.*
[12] Ant. 3 Vesp. Circumcis.
[13] Pag. 10.

tum in conceptione tum in partu. « Quid, rogo, virga Aaron « florida, nec humectata, nisi Mariam, concipientem, quamvis « virum non cognoscentem, portendebat? Nec virgae viro- « rem floris lesit emissio, nec Virginis pudorem sacri partus « editio » [1].

Sistimus in huiusmodi enumeratione, ne ultra scopum interpretationes allegoricas extendamus. Caeterum indirecte omnia prodigia in Antiquo Testamento completa, veluti figurabant hoc prodigium summum, quatenus ostendebant « non « esse impossibile apud Deum omne verbum ». Hoc sensu Ambrosius et Augustinus ex omnibus hisce prodigiis contra Iudaeos arguunt: « Quid incredibile, ait prior [2], si contra « usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet; « quando contra usum naturae " mare vidit et fugit ", atque « in fontem suum Iordanis fluenta remearunt? » [3]. Et Hipponensis: « Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, « ipse gravidavit Mariam Spiritu Sancto » [4]. Imo « ab asina » contra huiusmodi stultos arguit: « Deus qui in Numeris « invisibile signum ostendit contra naturam ut asina loque- « retur [5], ipse mirabilius facere voluit, ut Christus de Vir- « gine nasceretur » [6]. Quantum, eheu! discrimen inter magnum Augustinum qui ab aliis miraculis a priori demonstrat virginalem faecunditatem non esse Deo impossibilem, et modernos impios ab impossibilitate cuiusvis miraculi contra hoc prodigium a priori arguentes!

Porro inter haec portenta in genere, et directas figuras Deiparae Virginis, medium veluti locum tenet ipsa creatio primi hominis. Unde eloquenter S. Cyrillus Hierosolymitanus: « O indoctissimi Iudaei, unde Adam factus est? Nonne « Deus accepit pulverem de terra, et creavit creaturam hanc « admirandam? Quid igitur? Lutum quidem in oculum mu- « tatur, et virgo non generabit? quod apud homines maxime « est impossibile, numquid Deus praestare non poterit? » [7].

[1] Hom. 2 super *Missus est,* n. 5.
[2] In epist. 81.
[3] Ps. CXIII, 3.
[4] Serm. 19 de Natal. Dom.
[5] NUM. XXII, 28.
[6] Serm. in Dom. ante Nat. Domin.
[7] *Catech.* XII.

Eodem iure exclamare liceat: O indoctissimi increduli iam atheismo adhaerentes potius, quam cum Catholicis Mariae privilegium agnoscentes! Atheismus ille, qui omnia absurde ponit, quin aliquid demonstrare valeat, num forte, ut inflata vestra sed vacua terminologia utar, unica est methodus « hochwissenschaftlich? ».

2) Iam e *Nov. Test.* duplicem afferre liceat imaginem intemeratae Virginitatis Mariae.

a) *Sepulchrum Christi,* utpote in quo nullus positus fuerat, e quo Christus illaeso sigillo redivivus surrexit, e quo postea nemo est usus, eloquenter sane repraesentat modum quo Christus de illibata Matre in mundum intravit [1].

b) *Mulier* quoque *amicta sole,* a Ioanne descripta S. Bernardo figura virginitatis Mariae visa est: « Magna plane visio « rubus ardens sine combustione: magnum signum mulier « illaesa manens amicta sole » [2].

Concludamus iam hanc expositionem doctrinae Scripturarum. Quidquid aliquis teneat de tot argumentis secundariae virtutis, certum est virginalem maternitatem B. Virginis in vaticinio Isaiae, esse manifesto praedictam et in narratione evangelica disertissime praedicari. Unde mirum non est, si increduli Protestantes [3] his testimoniis torqueantur, omnesque conatus adhibeant ut ab horum textuum molestissimo nexu sese excipiant.

Interim inter patriarchas huius « criticae » scholae iam

[1] De hoc symbolo iam superius diximus. — Cf. S. Hieronymum (*Adv. Jovin.* I, 31. — *P. L.* XXIII, 265, D.).

[2] Serm. de Virg. Mar. ex verb. Apoc.

[3] Ad quem gradum impietatis haec incredulitas descenderit, ostendunt duae sententiae sequentes: « Ob das Heidentum, dem der Glaube an den Gott Iesus ent« stammt, ewig über das Evangelium herschen soll » *. « Hat doch der Begriff der « " Gottheit " und gar der " Gottheit Christi " für Iesus selbst... einfach nicht « existiert » **. Mitius quidem, sed adhuc pessime Ad. Harnack affirmat: « Das « Wesen des Protestantismus besteht darin, dass Gott unser gütiger Vater sei. « Weder die Dreieinigkeit, noch die Gottheit Christi, noch der Tod des Heilandes als « Sühnopfer für unsere Sünden, noch die Auferstehung Christi können aus den Evan« gelien erwiesen werden ».

* G. Wernle (*Deutsche Literaturzeïtung* XXI, 1900, 2391. Cf. ibid. 1901, 347).

** Heinr. Weinel., ibid XXII, 1901, 2059.

confectum est, maternitatem virginalem non amplius posse « scientifice » teneri [1]. Quaestio autem superest subtilior solvenda non tam de scopo, quam de origine huius fabulae. Porro hic in diversa doctores obeunt. Alii simpliciter dicunt, quaecumque dogma catholicum nimis aperte exprimunt, fuisse primaevae narrationi ab evangelista postea inserta [2]. Alii determinant insuper originem ethico-christianam [3]. Alii originem potius a Iudaeis derivant, inter quos primas partes agit Ad. Harnack, eruditissimus sane, in his quae libera mente tractat, at in rebus quae fidem attingunt, vir mirae levitatis quotiescumque rationalistico praeiudicio detinetur. Putat enim originem fabulae de Mariae virginali maternitate a male intellecta prophetia Isaiae derivari. Unde scribit: « diejenigen, welche die Thatsächlichkeit der « Iungfrauengeburt festhalten zu müssen meinen, müssten « annehmen, dass sich hier eine missverstandene Weissa- « gung erfüllt habe » [4].

Nec deest in hoc incredulorum conceptu vox lepidior.

Pastor enim quidam, non ob doctrinae scandalum ab animarum cura remotus, sed in diuturni zeli praemium emeritorum fruge donatus, Lud. Conrady scientifica et critica investigatione eo pervenit, ut Mariam diceret simpliciter Isidem matrem Hori, pariterque Ioseph, Ioachim, Annam, Zachariam, Elisabeth, Herodem et Magos, nihil aliud quam personas apud mythologiam Ægyptiorum recurrentes! [5]. Et haec somnia somnians ipse vocavit: *Ein wissenschaftlicher Versuch!* Revera, huiusmodi monstra tantopere movent sto-

[1] Etenim aperte contendunt scopum huius fabulae esse apologeticum, ad Iesum « gegen die jüdische Verleumdung einer Bastardgeburt zu vertheidigen ».

[2] Ita H. I. Holzmann (zu Luk. I, 26-34 — *Hand-Commentar* z. N. T. Freiburg, 1889).

[3] Ita Ios. Hillmann (*Die Kindheitsgeschichte Jesu nach Lukas kritisch untersucht — Jahrb. f. prot. Theol.* XVII, 1891, 192-261); Herm. Uzener (*Religionsgeschicht. Untersuchungen* I, *Das Weihnachtsfest,* Rom. 1889); I. Wein (*Bern. Wein und Lic. Joh. Wein zu Luk.* I, 34-39. — H. A. W. Muger *Krit.-exeg. Kommentator* über d. N. T., Göttingen, 1892, p. 302-305), licet argumenta ab Hillmann allata, insufficientia iudicet. Hinc interpretationi vehementer restitit; Paul. Lobstein (*Die Lehre von der übernat. Geburt Christi.* Freiburg, 1896, p. 27, 33, 36.

[4] *Dogmengeschichte.*

[5] *Die Quelle der kanonischen Kindheitsgeschichte Jesus. — Ein wissenschaftlicher Versuch!* Göttingen, 1900.

machum, ut proiectis voluminibus et calamo, ad aratrum se quisque sanae mentis potius conferret, rusticusque mallet sapienter nescire, quam « scientifice » cum istis delirare [1].

Quid inde? Et quaenam via ineunda superest, ut textum Lucae criticus vir alta cervice praetergredi possit, quin Caudinis furculis maternitatis virgineae collum submittat? F. Kattenbusch proponit simpliciter ut deleantur quatuor voculae (nonnisi quatuor): ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω. Nec desunt qui geniali solutioni dent plausum [2].

Imo Harnack proponit, ut insuper et in versu 27 deleatur vocula παρθένος, et in cap. III, vers. 23 « das längst verdäch- « tige ὡς ἐνομίζετο ». Sane, fac hypothesim, catholicos theologos ad huiusmodi media recurrere ut difficiliorem quamdam obiectionem evadant, quot conviciis methodus haec antiscientifica exploderetur! At hisce viris licent omnia: artis quippe criticae monopolium detinent! Quousque tandem?

Si autem quaeras, utrum ex codicibus aliquod indicium prostet, haec verba non esse genuina: respondere coguntur negando. Unde nulla prorsus, nec a viris minime christianis confecta est editio in qua haec desiderentur. Quo iure ergo haec tanta deturpatio? Quia aiunt, non possunt haec esse genuina. - Et quanam de causa? - Ex rationibus intrinsecis.

Inspiciamus ergo intrinsecas rationes, quas nuper Harnack protulit ad recusandam in narratione Lucae imprimis quaestionem Mariae: « Quomodo fiet istud, quoniam virum « non cognosco? » Si homo tam acutus nihil melius reperit, argumentum sane sit, nihil fortius esse detegendum [3].

1) Particulae διὸ (« *ideoque* et quod nascetur ex te Sanctum »), et ἐπεὶ (« *quia* virum non cognosco ») dubium evocant. Prima est « auffallend », altera « geradezu verräthe- « risch ». At curnam? Sane utraque particula est apprime catholica, quatenus prior ostendit intimum nexum inter

[1] Æquum est animadvertere, hypothesim Conrady fuisse floribus quidem obrutam, at sub floribus ipsis solemni doctorum ritu sepultam. Et sane quid hypothesim pyramidalem decet magis, quam Ægyptiorum more pyramidalem tumbam?

[2] *Die Auslegung des Apostolischen Bekenntnisses von Fr. Kattenbusch und die neutestament. Forsschung. — Zeitschr. f. neutest. Wissensch.* II, 1901, 37-39.

[3] Ad. Harnach. *Zu Luk.* I, 34, 35; *Zeitschr. für neutest. Wiss.* II, 1901, 53-57. — Cf. *Bemerkungen zu Luk.* I und II. — *Sitzungsberichte der K. Pr. Akademie d. Wiss. zu Berlin* 1900, p. 538-56.

virginem matrem et Prolem divinam [1]; altera apertissime exprimit sensum quo Maria de modo mysterii est sollicita. Num ideo expungenda erunt quaecumque nimis diserte aliquam licet invisam veritatem proclamant?

2) Relatio verborum καὶ αὐτὴ συνείληφεν (vers. 36) ad verba καὶ ἰδοὺ συλλήμψῃ (vers. 31) tam intima est, ut interruptio in sermone Angeli hic appareat. Sed haec est assertio omnino gratuita. Imo haec sermonis confirmatio per ostensam miraculosam faecunditatem Elisabeth, acquirit ex quaestione Mariae longe maiorem virtutem, et faciliori gressu adducitur.

3) Versus 35, si credas Harnack, est veluti tautologia post vers. 31 et 32: unde narratio redditur confusa, eo vel magis quod per verba Δαυεὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ narrator sibi ipse obicem posuerit [2]. Sed haec rursus sunt absque ullo fundamento dicta. Et primo α) alia est mera tautologia, alia eiusdem argumenti plenior explanatio. Versus 31 et 32 continent quidem nuntium mysterii, sed sub verbis velatis; inquirit Virgo; et Angelus reserat magis, quod ab exordio praenuntiabat. Insuper β) si Christus est simul filius David et filius Dei, quomodo verba quibus praedicatur ille magnus Filius David a populo Iudaico expectatus, essent obex ad maiorem illustrationem originis illius divinae?

4) Versus 36 et 37 non habent sensum pressum, nisi in praecedentibus de nativitate per virtutem spiritualem nondum sermo fuerit. - Haec obiectio non solum caret fundamento, sed et retorquetur. Etenim, iuxta ipsum Harnack, versus 35 est « eine Doublette » versuum 31 et 32. Iam vero hoc posito, ita arguo. Vel in versibus 31 et 32 iam habetur sermo de nativitate per virtutem spiritualem, et tunc haec animadversio quarta corruit; vel nondum habetur, et tunc v. 35 nequit esse « eine Doublette ».

Scopus autem versuum 36 et 37 est afferre argumentum ex alio facto, et adducere auctoritatem ex illimitata omni-

[1] Hunc nexum, unde Patres tam constanter arguunt, Harnack vocat « unter« aller Kritik » (*Dogmengesch.* I, p. 552, not. 6). — Cf. mox dicenda de hoc argumento.

[2] « Hätte der Schriftsteller beide Stellen concipiert, so wäre er sehr ungeschickt « verfahren..... (Er hätte) einen unklaren Dialog stilisiert, in welchem er sich « durch die Erwähnung des Vaters David selbst eine capitale Schwierigkeit ges« chaffen hat ».

potentia Dei. Quid in hoc non sit omnino consonum scopo loquentis et dignitati argumenti, prorsus non video.

5) Ultima consideratio videtur ipsi Harnack « das Durch- « schlagende zu sein ». In responsione Mariae vir criticus duplex vitium capitale reperit. *a*) Admiratio de futura conceptione in Maria caret omni ratione; *b*) fidei defectus, quem eius admiratio involvit, contradicit ipsi textui. - Sed quid rursus ac demum haec valeant, non est multi laboris ostendere. *a*) In uxore ordinaria quaestio Mariae esset utique fundamento destituta. At in virgine corpore et mente, est obvia nimis. Quis iam aequo animo ferat hanc arguendi methodum? Darine potest apertior circulus vitiosus? Mariae quaestio est irrationalis: supponit enim virginem sollicitam de modo quo virgo possit fieri mater. Iam vero hoc repugnat. Ergo (!!). - *b*) Posita autem hac legitima, imo necessaria incertitudine circa modum rei quae ipsi annuntiatur, Maria per quaestionem suam nullatenus ostendit mentem incredulam, sed animum prudentem.

Rectissime igitur Adulphus Hilgenfeld, vir certe iudicio independens, rationes ab Harnack allatas tanquam omnino debiles respuit [1]. Caeterum et alii Protestantes narrationem Lucae uti genuinam accipiunt atque venerantur. Inter quos laudem sane non mediocrem sibi meruit episcopus Anglicanus Lightfoot [2].

Ex hisce conaminibus saltem duo sequuntur summi momenti: 1) nullum extrinsecum argumentum adduci posse contra authentiam eorum verborum Evangelii, quae maxime favent catholico dogmati de virginea maternitate Mariae; 2) argumenta intrinseca per fas et nefas extorqueri, quia ipsa verba tam sunt aperta, ut, nisi ipsa deleantur, aut credendum sit, aut Evangelium ipsum proiiciendum.

[1] *Die Geburt Jesu aus der Jungfrau in dem Lukasevangelium. — Zeitschr. f. wissensch. Theol.* XLIV, 1901, p. 313 sqq. — Cf. *Ausführungen über « Die Geburt und Kindheitsgeschichte Jesu »* ibid. p. 177-235.

[2] J. B. LIGHTFOOT. (*The brethren of the Lord. — Dissertations on the apostolic age.* London 1892. — *Comm. epist. ad Gal.* London 1892). — Cf. pariter PLUMNER (*A critical and exegetical Commentary on the Gospel according to S. Luke. — Internat. Critic. Comment.* — Edinburgh 1896, p. 6, 24). — RÖSGEN (*Die Evangelien nach Matth., Mark., und Lukas. — Kurzgefasster Kommentar.* — München 1897, p. 291, sqq.).

II. - Virginalis maternitas Mariae unanimi Patrum consensu fulcitur.

Exordiamur hanc expositionis partem nostra faciendo gravia verba Petavii: « Christum ex integra et experte viri « femina prognatum fuisse, nemo Christianus unquam voca- « vit in dubium. Soli de eo litigant hucusque Iudaei; et qui « nomine solo Christum professi, revera Iudaei erant: Car- « pocrates, Cerinthus et Ebionitae; aliique similes in eodem « sunt errore versati.... Verum Christum Dominum ex virili « satu genitum adstruere, *supremus in eo genere est impie-* « *tatis gradus* » [1].

In hac nostrae expositionis parte istud iudicium illustrabimus, *A*) ostendendo ab ipsis Ecclesiae exordiis insistentiam, qua scriptores sacri Iesum de Virgine conceptum affirmant, nullo contradicente; *B*) evolvendo praecipuas rationes theologicas, quas in hoc sublimi miraculo contemplari solent.

A) Contendunt quidem Protestantes et increduli, dogma virgineae maternitatis Mariae nonnisi postea fuisse in Ecclesia inculcatum. Unde negat Harnack, verba « qui conceptus « est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine » ad primitivum textum Symboli Apostolici pertinuisse [2].

Consulamus igitur ex ordine scriptorum sacrorum documenta. 1) S. **Ignatius** *a*) in epistola ad Ephesios ait: « Et prin- « cipem huius mundi latuit Mariae virginitas, et partus ipsius « et mors Domini; tria mysteria clamoris, quae in silentio Dei « patrata sunt » [3]. *b*) Et in epist. ad Smyrnaeos: « Glorifico « Iesum Christum Deum, ... filium Dei secundum potestatem « et voluntatem Dei, factum vere ex virgine (γεγεννημένον ἀλη- « θῶς ἐκ παρθένου) » [4].

2) **S. Iustinus martyr** pluries ac disertissime virginalem maternitatem Mariae proclamat. *a*) In *Dialogo cum Tryphone* explicans quo sensu Christus sit filius hominis, haec scribit:

[1] Op. cit., *De Inc.* l. XIV, c. 3, n. 2, 3.

[2] *Das Apostolische Glaubensbekenntnis,* p. 23 sqq. Berlin 1892.

[3] *Ad Ephes.* n. 19. — FUNCK (*Patr. apost.* I, p. 186 sqq.).

[4] *Ad Smyrn.* n. 1. Ibid. p. 234. — Cf. et in versione longiori: *Trall.* VI, n. 3; IX, 1; X, 4; *Magn.* XI, 2; *Phil.* III, 2; IV, 3; VI, 2; VII, 1; VIII, 1, 4; *Smyrn.* I, 1; II, 1; *Ant.* III, 3; *Heron.* IV, 3; *Eph.* VII, 2; XVIII, 2.

« Nobis revelavit (Filius) omnia quaecumque etiam ex Scrip-
« turis per eius gratiam intelleximus, cum agnoscentes pri-
« mogenitum Dei esse, et ante res omnes creatas et patriar-
« charum Filium, ut qui ex Virgine ab eis orta factus, informis
« homo et inglorius et perpessionibus obnoxius esse voluit.....
« Filium igitur hominis seipsum dicebat, vel quia natus erat
« ex Virgine, quae ut iam dixi, ex Davidis et Iacobi et Abra-
« hami genere orta est; vel quia ipsius pater exstitit Abra-
« ham et eorum quos recensui, ex quibus genus duxit Ma-
« ria ». Vides B. Ioseph tantopere esse a mente Iustini remotum, ut ne nominetur quidem. Paulo inferius ait, « Iesum
« ex Virgine hominem factum, ut qua via initium orta a
« serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acci-
« peret ». Audi iam quomodo huic rationi, quam mox rursus adducemus, insistat: « Eva enim cum virgo esset et incor-
« rupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mor-
« tem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium
« percepisset, nuntianti angelo Gabrieli laetum nuntium,
« nempe Spiritum Domini in eam superventurum, et virtu-
« tem Altissimi ei obumbraturam, ideoque id quod nasceretur
« ex ea sanctum, esse Filium Dei, respondit: " Fiat mihi
« secundum verbum tuum " » [1]. Nec hodie concionator catholicus posset fortius Mariae virginitatem affirmare.

b) In *Apologia I pro Christianis* cum ethnicis quasi ad hominem arguit, vindicans Christo divinitatem etiam ex modo mirabili quo natus est: « Quod si modo singulari et
« a communi creatione diverso genitum illum ex Deo dici-
« mus Verbum Dei; id ei, ut iam diximus, commune esse
« credite cum iis qui Mercurium sermonem a Deo inter-
« nuntium appellant.... Quod autem natum ex Virgine tene-
« mus, commune id cum Perseo tenete » [2].

3) Imo ante Iustinum Marcianus Aristides in sua apologia ad Antoninum Pium tanquam partem integralem fidei christianae exhibuit modum mirabilem quo Christus de Virgine ortum duxit [3].

[1] Loc. cit., n. 100. — *P. G.* VI, 709 sqq. A B C A.

[2] Loc. cit., n. 22. Ibid. 361, B. C.

[3] *Apolog.* edit. *T. R. Harris (Text and Studies)* I. London 1891, pag. 55. — Cf. J. SCHÖNFELDER (*Theol. Quartlschr.* LXXIV, 1892, 535); Fr. HIMPEL (Ibid. LXII, 1880, 114).

Ergo iam a primis Ecclesiae temporibus quando agebatur de tuendis a fraude tum ethnicorum tum Iudaeorum veritatibus summis quibus constat Christianismus, dogma de Iesu ex Virgine nato iam eum tenebat locum, quem in catholica praedicatione usque servavit.

4) Porro ab aetate apostolica et primaeva apologetica si ad aetatem patristicam accedimus, ecce nobis **Irenaeus** Polycarpi discipulus, qui diserte affirmat: « Qui nedum tantum « hominem eum dicunt (I.-Chr.) ex Ioseph generatum, per« severantes in servitute pristinae inobedientiae moriun« tur..... Ignorantes eum qui ex Virgine est Emmanuel, pri« vantur munere eius, quod est vita aeterna » [1]. Et paucis interiectis, iteratoque dogmate (n. 20), vaticinium Isaiae - de quo in cap. sequente compendiose dicit: « qui est ex Virgine « Emmanuel, est ipse Dominus » [2], - his verbis diserte illustrat: « Propter hoc et ipse Dominus dedit nobis signum in pro« fundum, in altitudinem sursum, quod non postulavit homo, « quia nec speravit virginem praegnantem fieri posse, quae « erat virgo et parere filium, et hunc partum Deum esse « nobiscum, etc. » [3]. Et ulterius urgens sensum prophetiae, ait: « Quid enim magnum, aut quod signum fuerit in eo, « quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod eve« nit omnibus quae pariunt mulieribus? » [4]. Et in eodem capite de virgine paritura interpretatur vaticinia ps. CXXXI, lapidis de monte delapsi, petrae angularis, virgae Mosaicae [5].

5) **Tertullianus** pari insistentia proclamat virginalem faecunditatem Deiparae. « Nove nasci debebat novae nativitatis « dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Isaia prae« dicabatur. Quod est istud signum? " Ecce Virgo concipiet « in utero, et pariet filium ". Concepit igitur virgo et peperit « Emmanuelem, Nobiscum Deus » [6]. Et pergit, afferens mysterii rationes quas mox tangemus, ulteriusque fortiter veram maternitatem cum virginitate servata coniungens. Quodsi Tertullianus, ipso huius libri scopo ultra limitem protractus,

[1] *Haeres,* III, c. 19, n. 1. — *P. G.* VII, 938.
[2] Ibid. c. 20, n. 3, 944, B.
[3] Ibid. c. 19, n. 3, 941, B C.
[4] Ibid. c. 21, n. 6, 953, A.
[5] Ibid. nn. 5. 7, 8.
[6] *De carne Christi,* c. 17. *P. L.* II, 827, A.

virginitatem Mariae in partu non tuetur [1] nedum inde detrimentum, potius robur priori doctrinae accedit [2].

b) A Tertulliano ad **Origenem** gressus arctus est. Quanta ubertate sermonis et subtilitate interdum nimia magnus Alexandrinus virginitatem Deiparae contra calumnias Iudaeorum et Celsi defendat, iam ex dictis apparet, et ex mox addendis ulterius constabit. Satis sit hic afferre notissimam sententiam qua absque ambagine proclamat, non modo Christum esse de Virgine natum, sed hunc prodigiosum ortum pertinere ad dogmata a quovis Christiano genuino firmiter tenenda. En eius verba: « Si quis credat Iesum sub Pontio « Pilato praeside cruci affixum, sacram rem quamdam et « salutarem mundo attulisse; non item credens eum ex Ma- « ria Virgine, et Sancto Spiritu ortum assumpsisse, sed ex « Ioseph et Maria: huic etiam deerunt maxime necessaria « ad habendam omnem fidem » [3].

7) Post Origenem lubet adhuc afferre testimonium ex epistola prima *pseudo-Clementis* ad virgines: « Filium Dei Do- « minum nostrum Iesum Christum sancta virginitas suo gre- « mio contulit, et corpus quod induit Dominus noster, quodque « in hoc mundo doloribus et aerumnis destinavit, ex sacra « assumpsit virginitate » [4]. Lubet quoque adducere *Constitutiones apostolicas,* in quibus plus semel dogma de Virgine Dei Matre proclamatur [5], et ortus Christi prodigium per vaticinium Isaiae illustratur [6].

Et haec scopo praesenti sufficiant. Plures enim aliorum praecipuorum Patrum sententias mox afferemus, quae constantiam catholicae traditionis de dogmate virginalis faecunditatis Mariae plenius illustrabunt. Quod utique dogma, sicuti a primis Ecclesiae temporibus est affirmatum, ita a

[1] Ibid. c. 23, de quo in art. 2 dicemus.

[2] Idem dic de excessu in quem Tertullianus alibi incidit (n. 7), quasi dubitans, num Mater Christi in Filium semper crediderit, quum eum non, sicuti Martha et Maria, secuta sit. (Excessum eiusdem ordinis, licet longe mitiorem, superius deprehendimus in ipso S. Chrysostomo).

[3] *Comm. in Ioann.* t. XXXII, n. 9. *P. G.* XIV, 784, A. B. — Cf. idem brevius t. XX, n. 14; ibid. 641 C. sqq.

[4] Cap. 6. — *P. G.* I, 291 A.

[5] Cf. verba: « ἐνανθρωπήσεως τῆς ἐκ παρθένου γενομένης » (II, 55) « ὁ γὰρ ἐκ παρθένου ἑαυτῷ κατασκευάσας σῶμα » (V, 7).

[6] *Const. apost.* V, 16.

nullo nisi ab aperte impio est negatum, imo nec in dubium vocatum.

B) Posita igitur tanquam inconcussa dogmatis veritate, iam cum scriptoribus sacris praecipuas eiusdem rationes perscrutari conemur. Illae autem rationes respiciunt directius 1) aliae personam Christi, 2) aliae eius opus, 3) aliae eius Matrem, 4) aliae demum caelestem Curiam ipsamque SS. Trinitatem.

1) Inter rationes directe *personam* Christi respicientes *a*) prima ratio a Patribus afferri solita, est demonstratio eius divinitatis, sive eius *dignitas divina*. Equidem scio Ad. Harnack hanc rationem despicere, utpote « unter aller Kritik »; at non minus inde cum in se solida, tum ob tot ac tantas auctoritates est veneranda.

S. Proclus ait: « Non erubuit clemens Deus nasci ex « muliere. Nam vita erat quod ita moliebatur: nullam con- « traxit labem vulvae hospitio quam nullo ipse condiderat suo « dedecore. Nisi enim mater virgo perseveravit, utique purus « homo est qui est natus, nec est partus mirabilis. At si « etiam post partum virgo permansit, quomodo non etiam « erit Deus, ac mysterium quale nemo effari potest? » [1]. — Idem fortiter exprimit S. Cyrillus Alex.: « Deus autem exi- « stens secundum naturam Verbum, quamvis caro factum, « divine processit, hoc est, ut decet eum, qui secundum veri- « tatem est Deus. Solus enim habuit matrem nuptias non « expertam; et servavit virginem eam, quae ipsum peperit « secundum carnem. Admiror autem, quod non audentes « dicere sanctam Virginem Dei Genitricem, cum Deo digne « ipsum esse genitum fatentur (Θεοπρεπῶς). Non enim homo « communis gignitur Deo digne » [2]. - Nec aliter S. Athanasius: « Quis enim omnium unquam hominum corpus ex sola vir- « gine sibi ipsi composuit?.... ut omnibus non parvum suae « divinitatis argumentum exhiberet, ut scilicet inde pateret, « eum, qui corpus illud formaverat, aliorum quoque corporum

[1] Orat. I, *de laudibus S. Mariae*, n. II. — *P. G.* LXV, 68. Partus in hoc et in sequentibus locis intelligitur sensu latiori pro conceptione simul ac editione. Cf. dicenda in art. 2.

[2] *Apol. pro* XII *Capit.*, Anath. I. — *P. G.* LXXVI, 321.

« opificem esse » [1]. - Et S. Zeno Veron.: « Parturit Maria non « dolore sed gaudio;.... qui (Filius) ex se natus non crede- « retur, nisi quia sicut fuit virgo incorrupta post conceptum, « permanet talis quoque post partum » [2].

Hanc eamdem rationem bene exponit textus prolixior S. Ignatii ad Heronem diaconum: « Adae corpus, inquit, ex « quatuor elementis confectum est, Evae corpus ex ipsius « Adae latere: et insolens admirandusque partus ille Domini « ex sola Virgine, non quod detestanda sit legitima com- « mistio, sed quod huiusmodi partus decebat Deum. Decebat « namque Creatorem non consueto, sed peregrino et admi- « rando uti partu, utpote omnium Opificem ».

Et haec satis sint ad demonstrandum, quam leviter Ad. Harnack hanc rationem despexerit, et quam solide e regione scripserit laudatus Terrien: « Si j'interroge les Pères, il me répon- « dent avec ensemble: un Dieu ne pouvait naître que d'une « mère vierge; une vierge enfantant ne pouvait avoir d'autre « fils qu'un Dieu. Ainsi la virginité de la Mère témoigne de la « divinité du Fils, et la divinité du Fils prouve à son tour la « virginité de la Mère.... Rien de mieux fondé, ni qui revienne « plus souvent dans les écrits des Docteurs et des Saints » [3]. Hoc sensu intelligenda est haec brevis invocatio Breviarii Gothici: « O sacratissima Verbi ancilla et mater, quam ostendit « generatio Virginem et virginitas comprobat Genitricem! » [4].

b) Altera ratio considerat in divina hac persona respectum *Verbi*. Ita S. Theodorus Ancyr. ait: « Rem natura superio- « rem vidisti sola Dei virtute factam? Vidisti Verbum modo « rationem excedente nasci? Nam qui natus est, eum esse « Verbum Dei palam est, ex quo virginitatem non solvit. Quae « nudam carnem parit, virgo esse desinit: sed quia natus est « in carne Verbum Dei, virginitatem custodit, se ipsum Ver- « bum ostendens..... Neque enim nostrum verbum cum pari- « tur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum substantiale « et subsistens, partum eligens perimit virginitatem » [5].

[1] Or. *de Incarn. Verbi*, n. 49 et 18. — *P. G.* XXV, 184 et 128.
[2] Tract. IX *de Nativ. Dom.*, — *P. L.* XI 416.
[3] Op. cit., l. VI, ch. 3, p. 153.
[4] Capit. *in Laud. fest. Annunciat.* — *P. L.* LXXXVI, 1300.
[5] Hom. I, *in die Nativ. Dom.* n. I et II. — *P. G.* LXXVII, 1349.

c) Ingeniose Lactantius rationem secundae personae SS. Trinitatis exponit, ostendens quomodo ortus Christi, uti hominis, de matre virgine, relatus ad eiusdem ortum uti Dei de solo Patre, bene exprimat *duplicem nativitatem* eiusdem *Filii* Dei: « Ipse enim, inquit, Pater Deus, et origo et prin-
« cipium rerum, quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ et ἀμήτωρ
« a Trismegisto verissime nominatur, quod ex nullo sit pro-
« creatus. Idcirco etiam Filium bis nasci oportuit, ut et ipse
« fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiri-
« tali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre
« generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quo-
« niam sine patris officio, virginali utero procreatus est, ut
« mediam inter Deum et hominem substantiam gerens, no-
« stram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu
« ad immortalitatem posset educere. Factus est et Dei Filius
« per Spiritum, et hominis per carnem.... » [1].

d) Huic fundamentali rationi - quam utique oportet non de necessitate, sed de summa convenientia intelligere [2], - accedit ratio respiciens *sanctitatem* nascentis. Sane Christus, utpote Deus, etiamsi naturali via ab Adam ortum duxisset, originalem labem non inde contraxisset. Decuit tamen quam maxime, eum ab hac contagione etiam exui uti hominem. Iam vero ad hoc non suffecisset immaculata conceptio matris, nisi haec mater concepisset virgo.

Inter scriptores qui hanc rationem profundius illustrarunt, eminet S. Anselmus. Huc enim maxime spectat eius liber, cui titulus: *De conceptu virginali et originali peccato.* Unde, si dignitas divina facit, ut, licet de utroque parente natus, originalem labem Christus non contraheret; origo de virgine, facit, ut, etiam purus homo, ab eadem expers existeret. Hoc sensu Anselmus: « Adae mala nulla ratione aut rectitudine ad
« hominem conceptum de virgine transeunt..... etiamsi non
« assumatur in personam Dei, sed ut purus homo fiat.... Qua-
« propter etiam si purum hominem sic faceret Deus, ut dictum
« est, necesse esset eum non minori praeditum esse iustitia
« et beatitudine, quam fuit Adam, cum primum factum est » [3].

[1] *Divin. Institut.* Lib. IV *De vera sapientia*, c. XIII. — *P. L.* VI, 482.
[2] Cf. S. Ignatium (vers. prol.) *ad Heron.*
[3] Op. cit., c. 12 et 13. — *P. L.* CLVIII, 447 sqq.

Et paulo inferius: « Ut mihi videtur, de peccato quidem ori-
« ginali sicut proposui, sufficienter ostensum est quomodo
« ad hominem de virgine conceptum nulla ratione descen-
« dere a parentibus potuit; sed potius iustus et beatus fieri,
« ratione exigente, debuit. Quamobrem, quoniam de iusto
« Patre secundum divinam, et de iusta matre secundum hu-
« manam naturam, iustus ab ipsa origine, ut ita dictum sit,
« natus est; non incongrue pro originali iniustitia, quam
« omnes alii filii Adae habent, a sua origine iustitiam origi-
« nalem habere dicendus est » [1].

Quare aliter et aliter utraque dignitas in Christi Matre, sanctificatio eius personalis et virginalis eius faecunditas, influit in conditionem humanam Prolis [2].

e) Adde rationem petitam a relatione quae existit inter *primum et secundum Adamum*. Audiatur Tertullianus: « Virgo
« erat adhuc terra nondum opere compressa, nondum sementi
« subacta: ex ea hominem factum accepimus a Deo in animam
« vivam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito
« sequens, vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde
« de terra, id est, carne nondum generationi resignata in
« spiritum vivificantem a Deo est prolatus » [3].

Eamdem comparationem ita evolvit S. Ambrosius: « Adam
« de terra virgine natus est, et Christus de Maria Virgine
« procreatus. Illius maternum solum necdum scissum fuerat:
« istius maternum secretum nunquam concupiscentia vio-
« latum. Adam Dei manibus plasmatur e limo: Christus Dei

[1] Ibid. c. xx, 452.

[2] Audiatur de hoc S. Anselmus: « Quae duae rationes intellectui meo videntur
« ad quaestionem unaquaeque per se sufficere; sed ambae simul animo vim rationis
« et decorem actionis quaerenti copiose satisfacere. Et quamvis ad idem tendant, in
« hoc tamen differunt, quod ista quidem, quam hic protuli, monstrat Deum etiam
« de peccatricis virginis substantia, quoniam nusquam est in hominis natura prae-
« ter voluntatem peccatum, prolem debere iustam, imo non nisi iustam, nulla ratione
« repugnante, tali propagatione producere. Illa vero probat, quod etiam si in tota
« Virginis essentia peccatum esset, tamen ad huiusmodi conceptionis munditiam,
« per fidem munda fieri posset. Atque in ista omnis mortis necessitas, et cuiuslibet
« corruptionis sive laboris ab illo homine aperte excluditur: in illa autem quaestio
« oriri de hoc ipso videtur; sed sufficienti ratione, si diligenter perspecta fuerit,
« dissolvitur. Quapropter ex utraque palam est, quia nihil nisi pia voluntate Dominus
« noster et Redemptor sustinuit in omnibus, quae passus est » (*De Conc. virgin.*, c. xix. — *P. L.* clviii, 451 sq.).

[3] *De carne Christi*, c. 17. — *P. L.* ii, 827 B.

« Spiritu formatur in utero. Uterque ergo oritur sine Patre, « uterque virgine utitur matre » [1]. Idem breviter contrahit « Augustinus (?): « Sicut Adam ex terra virgine figuratus est, « ita et Christus ex Virgine natus agnoscitur » [2].

2) Ab Adamo ad Evam proximus gressus transitum movet a rationibus quae personam Christi respiciunt, ad rationes quae intuentur eius **SS. Matrem,** sive haec consideretur in semetipsa, sive in sua relatione ad Ecclesiam et ad primam Evam.

a) Prima ratio personalis est ipsa commendatio eminentis Deiparae *dignitatis* atque sanctitatis. Huc faciunt verba S. Augustini: « Talis eligitur Virgo de toto mundo, quae « tantum haberet meritum, ut Dei Filium in semetipsam « susciperet, et post partum omni modo Virgo perma- « neret » [3]. - Et Ioannes Euchait. pulchre ait: « Cum ad divinam « hanc (Filii Dei) generationem etiam condigna mater requi- « rebatur, ecce magnum illud donum, eximiusque fructus « huiusce nostri generis, communis ista naturae gloriatio, « singulare hoc in hominibus portentum, omnium quae in « mundo sunt, pulcherrimum » [4].

b) Accedit ratio *singularitatis,* quam rursus S. Augustinus eloquenter ita evolvit: « Sola Maria corpore ac spiritu simul « virgo et mater. Ac per hoc illa una femina, non solum « spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo. Et mater « quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, « ex quo magis illa spiritualiter nata est; quia omnes qui in « eum crediderint, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi « appellantur [5]: sed plane mater membrorum eius, quod « nos sumus; quia cooperata est charitate, ut fideles in « Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt: cor- « pore vero ipsius capitis mater. Oportebat enim caput no- « strum propter insigne miraculum secundum carnem nasci « de Virgine, quo significaret membra sua de virgine Eccle- « sia secundum spiritum nascitura. Sola ergo Maria et spi-

[1] Serm. 37. (Ap. B. Canisium, op. cit., l. II, c. 3).
[2] Append. Serm. 125. (*In Nat. Dom.* 9 (*b*), 2). — *P. L.* XXXIX, 1993.
[3] Serm. 10, *in Natal. Dom.* (Ap. B. Canisium, ibid.)
[4] Serm. *in SS. Deip. dormit.* n. 10. — *P. G.* CXX, 1085.
[5] MATTH. IX, 15.

« ritu et corpore mater et virgo; et mater Christi, et virgo « Christi » [1].

Hanc rationem multifariam a Patribus, praecipue a S. Bernardo celebratam, Ecclesia exaltat in appellatione: « Virgo singularis » [2], necnon in antiphona: « Genuit puerpera Regem » [3], quam mox afferemus.

c) Si iam magis in Maria illam figurationem mysticam attendimus, ad quam praecitata verba iam alludunt, ecce quomodo idem S. Augustinus describit in Maria typum *Ecclesiae* virginis et matris: « Virginis filius et virginum sponsus « Christus. Ecclesia sicut Maria, et mater et virgo est. Hoc « isto sermone suscepimus: adiuvet Christus Virginis filius, « et virginum sponsus, virginali utero corporaliter natus, « virginali connubio spiritualiter coniugatus. Cum ipsa igitur « universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, « sicut dicit Apostolus [4]; quanto digna sunt honore membra « eius, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota « custodit in fide, quae imitatur matrem viri sui et domini « sui? Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cuius « enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cuius « prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter « caput huius corporis peperit: Ecclesia spiritualiter membra « illius capitis parit. In utraque virginitas faecunditatem non « impedit: in utraque faecunditas virginitatem non adimit. « Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et « spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu; « quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et cor- « pore et spiritu? » [5].

d) Porro et ad *primam Evam* Maria relationem habet expressam per ipsam suam virginalem maternitatem; idque tripliciter, per oppositionem, per similitudinem, per complementum.

α) Relationem *oppositionis* eloquenter exprimit Tertullianus: « In virginem adhuc Evam irrepserat verbum aedi-

[1] *De Sanct. Virg*, c. VI. — *P. L.* XL, 399.
[2] Hymnus *Ave maris stella.*
[3] Antiph. 2 *Laud. Nativ. Dom.*
[4] II Cor. XI, 2.
[5] *De Sanct. Virgin.*, c. II. — *P. L.* XL, 397.

« ficatorium mortis; in virginem aeque introducendum erat « Dei Verbum extructorium vitae: ut quod per eiusmodi « sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redi- « geretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Ma- « ria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo « delevit. Sed - (obiectionem sibi fieri fingit) - nihil tunc con- « cepit in utero ex diaboli verbo. - Imo concepit. Nam exinde « ut abiecta pareret, et in doloribus pareret, verbum diaboli « semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Con- « tra Maria eum edidit, qui carnaliter fratrem Israel, interem- « ptorem suum, salvum quandoque praestaret. In vulvam « ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut nec « memoriam mali fratris eraderet » [1].

β) *Similitudinis* rationem ita exponit Damascenus: « Quem- « admodum prima mulier Eva ex Adam citra coitum formata « est; ita et Maria supra communem naturae cursum, novum « Adam in lucem edidit, licet ipsa communi aliarum prae- « gnantium lege et consuetudine uterum gestare videtur » [2]. Et S. Anselmus: « Valde convenit ut, quemadmodum homi- « nis peccatum et causa nostrae damnationis initium sum- « psit a femina; ita medicina peccati, et causa nostrae salva- « tionis nascatur de femina » [3].

γ) *Complementi* eiusdem, sive reciprocitatis rationem eleganter ita exponit S. Cyrillus Hierosolymitanus: « Eva ab « initio de quo nata est? quae mater conceperat illam, quae « matrem non habuit? Dicit enim Scriptura, quod de latere « facta est Adami. Numquid igitur Eva quidem de latere « viri sine matre nascitur: de virginali autem utero sine

[1] *De Carne Christi,* c. 17. *P. L.* II, 827 C., 828 A. — De his verbis (necnon de imilibus verbis Irenaei) scribit Harnack: « In diesem Zusammenhang (oppositionis « scil. inter Evam et Mariam) finden sich bei beiden sehr hochgegriffene Ausdrücke « inbezug auf Maria...; sie haben aber keine lehrhafte Bedeutung ». Ad quae optime laudatus P. Fonck: « Natürlich nicht, denn das wäre katholisch! » (Op. cit., p. 653). — Eamdem oppositionem pulcherrime evolvit S. Fulgentius (Serm. *de dupl. Nativ. Christi*). Cf. dicta superius ubi de oppositione inter Evam et Mariam.

[2] *De fid. orthod.,* l. IV, c. 15.

[3] *Cur Deus homo,* l. II, c. 8. — *P. L.* CLVIII, 406 C. Et addit: « Ac ne mulieres « desperent se pertinere ad sortem beatorum, quoniam de femina tantum malum « processit, oportet ut ad reformandam spem earum, de muliere tantum bonum pro- « cedat » (Ibid. 406, sqq.). Quam rationem Patres passim adducunt (Cf. TERRIEN, op. cit., p. 174).

« viro nihil nascitur? Mutuata est a viris femineo generi « gratia. Eva enim ex viro nata est, et non ex matre con- « cepta, sed ex solo viro tanquam partu edita. Reddidit igi- « tur Maria gratiae huius mutuum officium, et non ex viro, « sed ex ipsa sola impollute, ex Spiritu Sancto virtuteque « Dei peperit » [1].

3) Porro sicuti Eva mater viventium erat typus Mariae, ipsaque Virgo symbolum est Ecclesiae, ita quoque virginalis maternitas relationem habet ad opus a Christo incarnato complendum. Iam audivimus syntheticam sententiam in qua S. Augustinus Mariam simul virginem ac matrem uti symbolum exhibuit Ecclesiae Christi. Iam penitius investigemus relationes multiplices quae prostant inter virginalem Christi ortum et eius opus salvificum.

a) Et primo quidem quo spectat hoc opus, nisi ad id quod Paulus vocat: « instaurare omnia? » [2]. Audiamus quomodo hunc respectum illustret S. Gregorius Nyssenus: « Decebat « eum, inquit, qui propter integritatem et incorruptibilitatem « universitatis, in humana natura versatus est, initium facere « ab ea, quae nativitati eius inserviret, integritate atque « incorruptibilitate ». - Consonat S. Ambrosius dicens: « Ille qui « carnem sic suscepit, et sic homo factus est, ut hominem « redimeret atque a morte revocaret, inusitato tamen quasi « Deus itinere venit in terras, ut quemadmodum dixerat: « " Ecce facio omnia nova " [3], partu etiam immaculatae Vir- « ginis nasceretur » [4]. Nec aliter S. Basilius Magnus: « Quando « primus Adam non ex viri ac feminae congressu processit « ad ortum, sed e terra formatus est, ultimus Adam, ut veteris « illius contagionem corruptelamque instauraret sua novitate,

[1] *Catech.* 12. — Appropinquant ad hanc considerationem sequentia verba S. Anselmi: « Quatuor modis potest Deus facere hominem: videlicet aut de viro et de femina, « sicut assiduus usus monstrat; aut nec de viro, nec de femina, sicut creavit Adam; « aut de viro sine femina, sicut fecit Evam; aut de femina sine viro, quod nondum « fuit. Ut igitur hunc quoque modum probet suae subiacere potestati, et ad hoc « ipsum opus dilatum esse; nihil convenientius quam ut de femina sine viro assumat « hominem illum quem quaerimus » (*Cur Deus homo,* l. II, c. 8. — *P. L.* CLVIII, 406 B.). Quae consideratio, uti apparet, complet, licet cum minori efficacia, rationes in priori parte allatas quoad manifestationem prolis.

[2] Eph. I, 10.

[3] Apoc. XXI, 5.

[4] Epist. 81.

« corpus assumpsit in virginali utero formatum, ut per car-
« nem in similitudinem esset peccati » [1].

b) Porro haec instauratio est innovatio per novam generationem, cuius *baptismus* est ritus atque principium. Decet proin ut in ipso Christi ortu hoc sacramentum figuretur.

Huc spectant sequentia verba S. Leonis Magni: « Origi-
« nem quam sumpsit Christus in utero Virginis, posuit in fonte
« baptismatis. Dedit aquae, quod dedit matri: virtus enim
« Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit ut Maria
« pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda creden-
« tem » [2]. Et in alio loco idem exprimit: « Omni homini
« renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis,
« eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit et
« Virginem: ut peccatum quod ibi vacuavit sacra conceptio,
« hic mystica tollat ablutio » [3].

c) Iam vero fructus huius innovationis est *deletio peccati originalis*. Oportebat proin ut Instaurator noster nostram assumeret collapsam naturam tali modo, qui hanc deletionem efficaciter exprimeret. Ad rem Fulgentius: « Dei Filius uni-
« genitus qui est in sinu Patris, ut carnem hominis animam-
« que mundaret, susceptione carnis atque animae rationalis
« incarnatus est: et qui est Deus verus, homo verus factus
« est: non ut alter Deus esset, alter homo, sed idem Deus,
« idem homo. Qui ut illud peccatum quod in concubitu mor-
« talis carnis generatio humana contraxit, auferret, conceptus
« est novo more, Deus incarnatus in Matre Virgine, sine
« coitu viri, sine libidine concipientis Virginis: ut per Deum
« hominem, quem absque libidine conceptum, inviolatus edi-
« dit Virginis uterus, ablueretur peccatum, quod nascentes
« trahunt omnes... homines... Solus igitur abstulit peccatum
« conceptionis atque nativitatis humanae Deus Unigenitus,
« qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine,
« et cum nasceretur, virginitatis integritatem servavit in

[1] *De ver. virgin. integr.*

[2] Serm. 5, *de Nativ. Dom.* — *P. L.* LIV, 277.

[3] Serm. 4, *de Nativ. Dom.* — *P. L.* LIV, 206. Ex hoc symbolismo vis augetur figurae virginitatis Deiparae quam in sepulcro Domini superius adesse ostendimus. Etenim sepultura Domini fuit symbolum regenerationis per baptismum, quatenus vetus homo in aquis sepelitur, ut novus homo ex aquis exsurgat. Inde rursus symbolismus tumuli mystici in ritu professionis monasticae.

« Matre. Ista causa est, qua Deus factus est Filius Virginis « Mariae, et Maria Virgo facta est Mater Unigeniti Dei; ut « quem Pater genuit ex aeternitate, ipsum Virgo conceptum « proferret in tempore » [1].

d) Nec satis. Instaurator humani generis ad sublimia virtutum a se redemptos stimulaturus, de Virgine nascens, per suum ortum sublimitatem *virginitatis* commendavit. Id diserte docent S. Patres, e quibus paucas quasdam sententias depromere sufficiat: « Decebat prorsus, ait S. Cyrillus Hierosol., « ut purissimus puritatis doctor ex thalamis puris prodiret » [2]. Et S. Ambrosius: « Speciale sibi donum virginitatis Christus « elegit, et integritatis munus exhibuit atque repraesentavit « quod elegit in Matre » [3]. Et S. Augustinus: « Diligamus « prae omnibus castitatem, quia, ut placere hanc sibi Chri- « stus ostenderet, pudicitiam uteri virginalis elegit » [4]. Et concinne: « Ille unius sanctae Virginis partus omnium « sanctarum virginum est decus » [5]. Et S. Petrus Chrysologus ita Christum alloquitur: « In tuo conceptu, in tuo partu « aucta est castitas, integritas roborata est, et solidata vir- « ginitas » [6]. Et S. Gregorius Nyssenus: « Quod in Mariae « Virginis inviolatae corpore effectum est, perfecta Christi « divinitate, quae in ipsa Virgine eluxerat; hoc ipsum in « omni animo contingit, qui sit castitate ornatus, rationem- « que ducem in virginali vita sequatur » [7].

4) Sed ita a virginitatis laude in ipso virginali ortu Christi contenta assurgimus ad relationem quam hoc mysterium habet ad *curiam angelicam* et ad ipsam *SS. Trinitatem.*

Placet hic rursus audire S. Gregorium Nyssenum: « Res « admirabilis est, atque inusitata, ut virginitas in Patre inve-

[1] *De fid. ad Petr.*, c. 2, n. 17. — *P. L.* XL, 758.

[2] Ibid.

[3] Epist. 81.

[4] Serm. 7, *in Nat. Domini.*

[5] *De sanct. Virgin.*, c. 5. — *P. L.* XL, 399. Et eleganter paulo ante, disserens de colloquio Mariae cum Angelo: « Christus nascendo de Virgine, quae antequam « sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem appro- « bare maluit quam imperare. At sic etiam in ipsa femina in qua formam servi « accepit, virginitatem esse liberam voluit » (Ibid. c. 4, p. 398).

[6] Serm. 142 *in Annunciat. B. M. V.* — *P. L.* LII, 581.

[7] *De Virgin.*, c. 2. — *P. G.* XLVI, 324 B.

« niatur, qui et Filium habet, et Filium absque affectu ge-
« nuit. Cum unigenito autem Deo, qui omnis pudicitiae et
« incorruptae virginitatis auctor est, simul cognoscitur, cum
« in eius pudica atque incorrupta generatione pariter elu-
« xerit. Rursusque mirum aeque est Filium in virginitate
« comprehendi. Eaedemque rationes in Spiritus Sancti naturali
« atque incorrupta puritate spectantur. Cum enim puram
« nominas atque incorruptam virginitatem alio nomine si-
« gnificas: quae in universa denique caelesti natura simul
« versatur, quia cum ab affectibus vacua sit, sublimibus istis
« potestatibus inhaeret..... Ob eam enim causam mihi Domi-
« nus noster Iesus Christus, a quo veluti fonte quodam omnis
« castimonia manat, non nuptiarum vita quaesita, in hanc
« vitam ingressus videtur, ut ex eo modo, quo carnem huma-
« nam assumpsit, admirabile hoc, et magnum plane myste-
« rium patefieret: quoniam, quae Dei adventum demonstra-
« ret, sola castitas idonea est » [1].

III. - Idem dogma per auctoritatem Ecclesiae corroboratur.

1) Tam aperta est in plerisque fidei *Symbolis* professio conceptus virginalis, ut quasi superfluum sit huic demontrationi immorari. *a*) Symbolum Apostolicum in *forma Romana,* - « quod » scilicet, teste S. Ambrosio, « Ecclesia Romana « intemeratum semper custodit et servat » [2], et de quo Rufinus ait: « In diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniun-« tur adiecta, in Ecclesia tamen Urbis hoc non deprehen-« ditur factum » [3], - hoc inquam Symbolum de Iesu Christo ait: « qui natus est de Spiritu Sancto et Maria Virgine » [4].

[1] Op. cit., c. 2, p. 322 C D.; sq. A. Inde bene exclamat Bossuetius: « Quelle « éloquence pourrait exprimer quel est l'amour du Sauveur Jésus pour la sainte « virginité? C'est lui qui a été engendré dans l'éternité par une génération virgi-« nale; c'est lui qui naissant dans le temps, ne veut point de mère qui ne soit vierge ». *(Sermon pour une profession sur la virginité).* — Cf. de relatione inter virginitatem et vitam angelicam, laudatum Terrien (Op. cit., l. VI, ch. 4).

[2] Epist. 7 ad Siricium.

[3] *In expos. Symb.*

[4] S. Maximus Taur. habet *ex* loco *et* (hom. 93); S. Augustinus: « Qui conceptus « est de Spiritus Sancto, natus ex » (Serm. 213). Cum lectione *ex* concordant formae Aquileiensis et Ravennas; cum lectione *et:* formae Hispanica et Africana; cum ver-

b) Ex symbolis *Graecis* α) forma *Ancyrana* habet: « τὸν « γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου »; β) forma *Alexandrina:* « κατελθόντα ἐξ οὐρανῶν, καὶ σάρκα « ἀναλαβόντα καὶ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας γεννηθέντα »; γ) forma *Antiochena:* « τὸν δι' ἡμᾶς κατελθόντα καὶ γεννη- « θέντα ἐκ Μαρίας τῆς ἁγίας τῆς ἀειπαρθένου » [1]. δ) Symbolum Concilii Constantinopolitani I haec habet: « κατελθόντα ἐκ « τῶν οὐρανῶν καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας « τῆς παρθένου ».

Porro etiamsi constaret, verba « qui conceptus est de Spi- « ritu ex (vel et) Maria Virgine » non pertinere ad originalem formulam Symboli, quaestio superesset solvenda, quomodo tam cito, nullo reclamante, fuerint tam in Oriente quam in Occidente eidem passim inserta.

2) Sextus anathematismus Damasi ita sonat: « Anathe- « matizamus eos, qui duos Filios asserunt, unum ante sae- « cula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine » [2].

3) Omissis pluribus Conciliis quae eamdem veritatem tam in Oriente quam in Occidente, propugnarunt uti ex iam dictis de erroribus Ioviniani et Helvidii [3] constat, placet afferre sequentia verba Concilii Toletani XI: « De his tribus per- « sonis solam Filii personam pro liberatione humani generis « hominem verum sine peccato de sancta et immaculata « Maria Virgine credimus assumpsisse: de qua novo ordine « novaque nativitate est genitus; novo ordine quia invisi- « bilis divinitate, visibilis monstratur in carne: nova autem « nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem « coitum nescivit, et faecundata per Spiritum Sanctum car- « nis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione « colligitur, nec exemplo monstratur; quod si ratione colli- « gitur, non potest esse mirabile; si exemplo, non erit sin- « gulare » [4].

sione S. Augustini forma Gallicana; forma quaedam media inter Gallicanam et Africanam habet: « natum de Maria Virgine per Spiritum Sanctum ».

[1] Formae Çaesareensis et Hierosolymitana non exprimunt ortum prodigiosum Iesu de Virgine per operationem Spiritus Sancti, sed tantum Filium Dei dicunt: « σαρκωθέντα », « ἐν σαρκὶ παραγενόμενον ».

[2] Denzinger, op. cit., n. 28.

[3] Cf. epist. Siricii papae ad Anysium in re Bonosi mox afferendam (art. 3).

[4] Denzinger, op. cit., n. 229.

e) Pariter Concilium Lateranense sub Martino I anno 649 habitum can. 2 sancit: « Si quis secundum sanctos Patres « non confitetur proprie et secundum veritatem ipsum unum « sanctae et consubstantialis et venerandae Trinitatis Deum « Verbum e caelo descendisse, et incarnatum ex Spiritu San- « cto et Maria semper Virgine et hominem factum, etc..... « condemnatus sit ». Et expressius can. 3: « Si quis secun- « dum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum « veritatem Dei Genitricem Sanctam semperque Virginem « immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum spe- « cialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula « natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse « ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indis- « solubili permanente et post partum eiusdem virginitate, con- « demnatus sit » [1]. Cuius declarationis vi confutantur simul et Iudaei et Iovinianistae et Helvidiani.

f) Paulus IV in Constitutione « *Cum quorundam* » an. 1555 contra Socinianos edita, eamdem doctrinam fortissime inculcat, damnans impietatem quae asserit: «.... Dominum nostrum « Iesum Christum..... secundum carnem non esse conceptum « in utero Beatissimae semperque Virginis Mariae de Spiritu « Sancto, sed sicut caeteros homines ex semine Ioseph;..... « aut eamdem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram « Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integri- « tate, ante partum scilicet, in partu et perpetuo post par- « tum, etc. » [2]. Quae rursus verba perfectam et perpetuam virginitatem Deiparae solemnissime affirmant.

g) Indirecte huc spectant omnia documenta quibus Ecclesia excellentiam status virginalis tuita est. Etenim quaenam esset, quaeso, ratio huius excellentiae, nisi Christus ipse Virginem sibi delegisset Matrem? Unde quando Concilium Tridentinum sancit: « Si quis dixerit, statum coniugalem ante- « ponendum esse statui virginitatis vel coelibatus et non esse « melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam « iungi matrimonio; A. S. » [3]; indirecte idem Concilium virginalem maternitatem Mariae proclamare dicendum est.

[1] Ibid. n. 203, sq.
[2] Ibid. n. 880.
[3] Ibid. n. 856.

IV. - Idem dogma per Liturgiam celebratur.

Infiniti prope esset laboris omnia congerere documenta Liturgiae tum Orientalis tum Occidentalis, quae virginalem maternitatem Deiparae commendant. Caeterum res est aperta nimis, nec ab adversariis, nisi quoad ipsissima Liturgiae Christianae initia negatur. Quare, praeter textus in sequentibus articulis afferendos, parce hic incedemus.

Iam ab exordiis Ecclesiae B. Virgo vocari solet uno vocabulo quod in se totum continet: ἀειπαρθένος. Porro tum menaeae Graecorum, tum hymni et antiphonae Latinorum maternitatem virginalem certatim exaltant. Imo Deipara propter nimiam excellentiam vocatur « *Virgo* imo singularis *unica* » [1]. Inde appellatio: « Sancta Virgo virginum » [2].

Satis sit quosdam selectos textus afferre e festis B. Virginis et Christi, quae praesens mysterium maxime illustrant. *a*) In festo *Annunciationis*, ecce inter alia, responsorium ad tertiam lectionem primi Nocturni: « Suscipe Verbum, Virgo « Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: « concipies et paries Deum pariter et hominem; ut bene- « dicta dicaris inter omnes mulieres. Paries quidem Filium, « et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida « et eris Mater semper intacta ». Omnis huius festi liturgia est veluti lyrica expositio narrationis evangelii ac vaticinii Isaiae, in quibus, uti vidimus, mysterium virginalis faecunditatis Mariae diserte exponitur.

b) E festo *Nativitatis Domini* satis sit adducere stropham:

Memento, salutis Auctor,
Quod nostri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Nascendo, formam sumpseris [3].

c) E festo *Circumcisionis* ecce tibi dogmaticam antiphonam: « O admirabile commercium, Creator generis humani,

[1] *Litan. Lauret.* — Men. Graec. 7 nov. ad 7; 24 april. ad. 3, etc. Cf. TERRIEN, loc. cit., p. 176 sqq.

[2] Ibidem.

[3] Hymn. Vesp.

« animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: « et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam « Deitatem » [1]. Alios ex hoc festo desumptos textus in sequentibus articulis afferemus [2].

d) Sed et in omnibus Deiparae festis Ecclesia maternitatem invocat « Beatae Mariae semper Virginis » [3].

Beata caeli nuntio,
Fecunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cuius per alvum fusus est [4].
— Vitam datam per Virginem
Gentes redemptae plaudite [5].

Unde doxologia iugiter resonat:

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine.

Et in responsoriis Maria appellatur: « Beata es, etc.: genui- « sti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo »; « O quam gloriosa est Virgo, quae caeli Regem genuit! » [6]. Adde Praefationem et Canonem Missae, quae mox afferemus.

e) Adde e ritu consecrationis virginum maxime praefationem.

f) Imo in praecipuis suis orationibus Ecclesia privilegium B. Virginis recordatur: uti in *Confiteor,* ubi invocat « Beatam « Mariam semper Virginem »: in *Te Deum,* ubi canit de Christo: « non horruisti Virginis uterum »; in antiph. *Salve Regina,* quam claudit verbis: « o clemens, o pia, o dulcis « Virgo Maria », etc. etc.

g) In officio Virginum Ecclesia recolit virginalem maternitatem Mariae, quum, uti modo dicebamus, virginum praestantia privilegio Deiparae innitatur iuxta allatum verbum

[1] Non sine iure hanc antiphonam apprime dogmaticam appellamus. Continet enim synthetica periodo totum finem ordinis supernaturalis atque redemptionis. Imo doctrinam de duplici natura in unitate personae mirabili praecisione sermonis exhibet.

[2] Adde alia festa Nativitatis B. M. V., Maternitatis, Puritatis, etc. etc. Audi, v. gr. verba orationis huius ultimi festi: « Da quaesumus, omnipotens aeterne Deus; « ut purissimae Virginis Mariae integerrimam virginitatem... venerantes, etc. ».

[3] Orat.

[4] Hymn ad Mat.

[5] Hymn. ad Laud.

[6] Resp. 3 et 4 prim. nocturn.

S. Augustini: « Ille unius sanctae Virginis partus, omnium « sanctarum virginum est decus » [1].

Inde haec carmina:

Virginis Proles, Opifexque Matris,
Virgo quem gessit, peperitque Virgo,
Virginis festum canimus beatae,
Accipe votum.

Et:

Iesu corona virginum,
Quem Mater illa concipit,
Quae sola Virgo parturit,
Haec vota clemens accipe.

Quae ambae strophae contra Iovinianum quoque efficacissimae sunt.

Et haec de Liturgia scopo nostro sufficiant.

V. - Virginalis maternitas per artem sacram illustratur.

Imagines B. Virginis quales a primis saeculis in sacellis sive catacumbis depingi aut sculpi solebant, pretiosum adminiculum suppeditant ad horum temporum fidem graphice plasticeque illustrandam [2].

Porro distribuuntur hae imagines in duas classes, secundum quod directius Virginem, aut directius Matrem figurare intendunt. In imaginibus prioris classis Maria apparet in habitu *Orantis*.

Multipliciter quidem Orantes repraesentabantur. Interdum erant historicae figurae: uti Noe cum columba, Abraham cum Isaac, Daniel in lacu leonum, tres pueri in camino ardenti, Suzanna inter utrumque senem. Plerumque tamen apparent mulieres solae. Unde quaestio, utrum sint orna-

[1] *De sanct. virginit.*, c. 5. — *P. L.* XL, 399.

[2] Inde tot apologetica opera e dogmatica descriptione horum monumentorum orta. — Cf. de hoc argumento H. F. Ios. LIELL *(Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau und Gottesgebärerin Maria auf den Kunstdenkmälern der Katakomben)*; — GIOV. BATT. DE ROSSI *(Immagini scelte della Beata Vergine Maria tratte dalle catacombe Romane)*; — WOLTER *(Die Römischen Katakomben)*; — ROLLER *(Les catacombes de Rome)*; — LEHNER *(Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten)*; — IOS. WILPERT *(Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderten der Kirche)*; — KRAUS *(Real. Encyklop. der christlich. Alterthümer)*; — MARUCCHI *(La cripta sepolcrale di san Valentino sulla via Flaminia)*; etc., etc.

menta dumtaxat, an effigies; an insuper symbola. Inter quae symbola tria praeeminent: anima defuncti, Ecclesia, et B. Maria, iuxta illud Ambrosii: « Multa in figura Ecclesiae « de Maria prophetata sunt » [1].

Nolumus negare, Orantes interdum adhibitas esse ad modum ornamentorum viventium, qualia in arte pagana, imo et orantium specie non deerant. At hunc fuisse passim Orantium finem, teneri nequit [2]. Nec admitti potest omnes Orantium figuras nihil aliud esse quam defunctorum effigiem: dantur utique huiusmodi effigies; at aliae permultae; imo Orantes super fornices depictae nunquam effigierum sicut nec simplicium ornamentorum indolem habent, sed altiorem symbolicam [3].

Porro non raro Orantes significant commendationem animae defuncti vel defunctae. Sunt, uti docte ostendit Leblanc [4], tanquam illustratio illius pervetustae orationis, cui titulus: « Commendatio animae, quando infirmus in extremis est » [5]. Inde frequentius in catacumbis repraesentantur scenae vel personae quae in huiusmodi suffragiis occurrunt. — Aliae Orantes sunt symbolica figura Ecclesiae, quemadmodum plures scriptores erudite demonstrarunt uti de Rossi, Abbas Maurus Wolter et Kraus.

Sed non desunt sane quae B. Virginem Mariam symbolice exprimunt. Ita *a*) in pago Albanensi, in catacumba *della Stella,* habetur depicta figura Orantis cum inscriptione MITER THEV = μήτηρ θεοῦ. — *b*) In crypta S. Maximiliani prope Tarasconam cernitur figura delineata Orantis stantis, brachiis extensis, crinibusque hinc inde ab utroque humero descendentibus. Super capite leguntur verba: MARIA VIRGO MINISTER DE TEMPLO GEROSALE = Maria Virgo, ministra templi Hierosolymitani. - *c*) Sed et super vitris aureis plures repe-

[1] *De inst. virg.*, c. 14.

[2] Hanc sententiam a SCHULTZE propugnatam *(Archeolog. Stud. über altchristl. Monum., Die Katakomben, die altchristlichen Grabstätten)* docte confutavit LIELL (op. cit., p. 120, sqq.).

[3] Cf. ibidem LIELL contra SCHULTZE disputantem.

[4] *Étude sur les sarcophages chrétiens antiques de la ville d'Arles;* etc.— Cf. LIELL. (op. cit., 137 sqq.).

[5] Cf. orationem S. Cypriani Antiocheni pro Martyribus in app. S. Cypriani Carthag. op. omn. ed. Baluzii p. XXVII.

riuntur figurae B. Mariae Virginis in habitu Orantis. Praecipuae sunt α) in Musaeo Vaticano, adiuncto nomine Maria; β) in Vaticana Bibliotheca cum superscriptione Maria; γ) in catacumbis S. Agnetis prostat vitrum, in quo Maria uti Orans repraesentatur inter principes Apostolorum; δ) in Musaeo Borgiano Collegii Urbani de Propaganda Fide, effigies similis, nisi quod in hac Petrus stat a dextris Orantis, in altera vero a sinistris; ε) in alio vitro habentur Orans MARA et ANNE seu Agnes; ζ) in Catanensi Musaeo Recuperiano vitrum asservatur, in quo Maria stat inter duas arbores; η) alterum cum Maria et S. Agnete, cernitur in Musaeo Bononiensi.

Iam vero optimo iure dixeris, per Orantis figuram in B. Virgine magis exprimi aut saltem adsignificari dignitatem virginalem.

Porro inter multiplices repraesentationes factorum dogmaticorum, quae ad vitam B. Mariae pertinent, scopo praesenti inserviunt maxime picturae vel sculpturae quae Annuntiationem [1], et Visitationem [2] figurant. Ratio enim altior utriusque mysterii consistit in angelico nuntio de prodigiosa conceptione Christi [3], et in eodem miraculo per inspirationem divinam ab Elisabeth agnito atque celebrato.

Sane in repraesentationibus paucis nativitatis Christi B. Virgo interdum desideratur; solusque infantulus apparet in praesepio inter duo animalia iacens: nec deest imago in qua habetur S. Ioseph quin adsit B. Virgo. In aliis S. Ioseph stat, et Maria sedet [4]. In scena autem Epiphaniae, - nisi cum nativitate synthetice componatur, - passim B. Virgo uti Regina ac Mater puerulum Magis venerandum praebet [5]. In his

[1] Cf. Ravennae sculpturam in ecclesia S. Nicolai Augustinianorum; et opus musivum in basilica S. Mariae Maioris in Urbe.

[2] Cf. ibidem.

[3] Quae prodigii ratio passim figuratur per columbam superne advolantem.

[4] Cf. inter alios, LIELL, op. cit., p. 221 sqq.

[5] Ibidem p. 224 sqq. — Non semel in his picturis puerulus Iesus omni veste destitutus figuratur; forte ad egestatem significandam in qua Filius Dei mortalis apparuit. At quam longe hae imagines vix delineatae distent a sensualibus hisce picturis in quibus B. Virgo et puerulus Iesus non nisi praetextus sunt figurandi formosam puellam cum puero per inverecundam nuditatem spectatorem provocante magis quam aedificante, nemo non videt. Quantopere autem huiusmodi imagines verae pietati noceant, experientia docet. Sicuti enim natae sunt aetate moribus pessima, ita voluptati sensuum, specie devotionis, dupliciter blandiuntur.

autem repraesentationibus nequit directe aliquid pro Mariae virginali maternitate demonstrari. Quare has imagines heic omittimus; ad eas mox opportunius reddituri.

Maioris autem pro praesenti quaestione momenti sunt repraesentationes apprime dogmaticae, in quibus ipsa Mariae imago per aliquam propheticam figuram illustratur. Ita *a*) in vitro Catanensi ad latus Orantis Mariae cernitur Isaias digito Christum velut solem orientem indicans [1]. - *b*) Celebrior longe est imago catacumbae S. Priscillae. Virgo Mater, Filium uberibus admovens [2], sedet maiestate plena: quam Isaias [3] propheta indigitat, quasi vaticinium iterum proferens: « Ecce « Virgo concipiet, etc. »; stella autem Iacob in caelo fulget [4]. - *c*) In catacumbis S. Domitillae est et pictura in qua vir propheta, digito demonstrat Deiparam intra moenia et turres civitatis inclusam. Probabilissime figurat Ezechielem, alluditque ad eiusdem vaticinium de porta clausa, cui Princeps insidet.

Et haec satis sint de istis primaevae christianae artis operibus, quae si B. Mariae virginitatem directe alia, alia indirecte vindicant, omnia simul validissime ostendunt, quantus fuerit apud veteres Christianos Deiparae cultus. « Die Bild- « werke, ait laudatus Wolter, werden überzeugend darthun, « dass auch in diesem Punkte die jetzige Kirche die Erbin « und das treue Abbild der apostolischen ist » [5].

[1] Ita Garrucci, cui post de Rossi plures adhaerent, hoc crystallum interpretatus est.

[2] Inde vides, non esse improbandas imagines quae id illustrare videntur, quod olim mulier de turba exclamavit: « Beata ubera quae suxisti! » Etenim exprimunt modo efficacissimo maternitatem, iuxta illud Liturgiae: « Parvoque lacte pastus est, « per quem nec ales esurit ». Quare, si undequaque plaudimus monitis optimis Cl. Liell de sensualistica arte pictorum etiam maxime celebratorum ex epocha « Renascentiae », in hoc videtur idem limites esse praetergressus, saltem pro his regionibus in quibus matres enutrire lactentes conspiciuntur, quin scandalum inde obveniat, modo composite fiat.

[3] Mariott putavit hanc figuram repraesentare S. Iosephum; at erronee, uti optime ostendit Kraus. Dubitavit autem Garrucci utrum esset Isaias, an, ob stellam, Balaam.

[4] Haec stella passim tum in depictis, tum in exsculptis imaginibus adiungi solet.

[5] Op. cit., p. 19. — Nec aliter in sua *Roma Sotterranea* Kraus, quem repentina morte correptum lugent ecclesiasticae eruditionis amici. Quidquid enim sit de audacioribus iudiciis ad rem politicam maxime spectantibus, — sane ultima eius opella de Romanae Sedis hoste Cavour apologetica nimis! — extra dubium stare videtur, Kraus fuisse catholicae fidei sincero corde addictum. Placet inde referre quaedam verba sane eloquentia ex oratione funebri qua doctissimus L. Duchesne, Gallicae

Et sane quisquis frequentes in catacumbis imagines Mariae, tum sub Orantis tum sub Deiparae specie contemplatur, nequit non simul agnoscere concordiam perfectam quae existit inter Romanam Ecclesiam praesentis temporis et primaevae aetatis, necnon distantiam semper excrescentem quae Protestantium sectas ab hac antiqua fide seiungit [1]. Unde quo

scholae in Urbe moderator, amicum suum ac commilitonem celebravit: « Je ne sais « ce qu'une œuvre littéraire peut compter devant Dieu. A coup sûr et dans son « ensemble, et plus spécialement dans sa partie archéologique, celle-ci s'est inspirée « du désir d'être utile aux autres et d'honorer l'Eglise. Kraus était un honnête « chrétien et un prêtre sincère. Nul ne peut douter qu'il ait voulu le bien, et consi- « déré son travail scientifique comme l'accomplissement d'un devoir sacré.... »

Licet et sequentia afferre, quae, etsi praesenti scopo parumper extranea, illustrant egregie connubium intimum quo ars catacumbarum et Liturgia catholica ad invicem colligantur.

« Que de fois n'a-t-il pas déchiffré ce souhait sur les inscriptions des catacombes: « *In pace! Pax tecum! Pax tibi cum sanctis!*

« Là est le terme commun, assigné aux savants les plus renommés, comme aux « plus humbles fidèles. Là est l'aboutissant de toutes les espérances chrétiennes. « Ainsi espéraient les chrétiens que Néron fit brûler au lieu même où nous sommes; « ainsi ont espéré, espèrent encore, tant de générations de croyants qui se sont suc- « cédé depuis les plus lointaines origines.

« Comme la foi, l'espérance est invariable. Même les images qu'elle se forme, « même les paroles où elle s'exprime sont encore maintenant ce qu'elles étaient au « temps d'Hermas ou de Tertullien. C'est bien le langage antique que l'Eglise met « sur nos lèvres quand elle nous fait prendre congé de nos chers défunts.

In paradisum deducant te Angeli,
in tuo adventu suscipiant te martyres
et perducant te in civitatem sanctam Hierusalem.
Chorus Angelorum te suscipiat
et cum Lazaro quondam paupere
aeternam habeas requiem.

« Pas un trait, dans ce sublime adieu, qui ne soit empreint de la poésie chré- « tienne des premiers âges; pas une image qui ne se retrouve sur nos monuments « les plus antiques. » (*Vorläufiger Abdruck aus der Römischen Quartalschrift für « christl. Altertumsk. und für Kirchengesch.*, XVI, 1 hft.).

Quae verba, poëtico spiritu referta, eo libentius referimus, quo imagines Deiparae, quales in catacumbis occurrunt, liturgicas precum formulas in usu apud primaevos fideles efficacius illustrant (Cf. praeter suffragia superius allata, Graecorum Eunologium).

[1] Inde non sine magno dolore legimus, quae Cl. Schell nuper in ephemeridibus « *Der Türmer* » (Sept. 191) scripsit, laudem Protestantismi potius decantans, quam impietatem eius semper audaciorem corripiens. Ex qua elucubratione nonnullas placet afferre sententias: « Steht die Zukunftskraft des Christenthums (speciell dem Monismus « gegenüber) nur noch auf der Macht der Kirche, auf der Macht der Autorität und « Tradition, oder auf der Macht seines Gedankens, seines Lebenszieles? — Wir schauen « in die Zukunft mit dem Licht der Vergangenheit. Das Christenthum hat den Lebens- « lauf eines geistigen Kampfes hinter sich. Dreimal hat es auf Leben und Tod ge-

magis Protestantismus, rupto unitatis magisterio, in licentias privati cuiusvis capitis declinat, eo severiori ore et calamo a Catholicis sani nominis iudicetur oportet.

« rungen: der Hellenismus, der Islam, die Renaissance und der Monismus sind der « Reihe nach auf die Wahlstatt getreten und haben sich mit dem Christenthum als « Ideal und als Leben gemessen. — Das Christenthum hat in diesem Riesenkampfe « um die Palme des Ideals und des Lebens drei grosse Confessionen aus sich geboren: « den Arianismus, das byzantinische Kirchenthum, den Protestantismus. — Das « Wort "Persönlichkeit" ist allerdings eine Errungenschaft der Neuzeit, allein der « Gedanke ist mit dem Christenthum in die Welt getreten und als Gefährdung der « damaligen Gesellschaftsordnung, der Apotheose der Staatshoheit, verfolgt worden. « Die Worte des Evangeliums von der Bestimmung und dem Wert jeder Menschen- « seele, von der Freiheit, die aus der Wahrheit und Ueberzeugung, aus dem Bewusst- « sein der Gotteskindschaft, aus dem Geiste Gottes stammt, der die Seinen über das « Gesetz des Buchstabens und über jede Menschenknechtschaft hinaushebt: diese Stellen « sind alle so deutlich, dass sie auch heute noch die magna charta für die Grundrechte « der Persönlichkeit bilden, obgleich dieses Wort im neuen Testament gar nicht vor- « kommt. Aber das Senfkörnlein dazu war reichlich da. — Allerdings ist innerhalb « des Christenthums die entsprechende Würdigung und Betonung der geistigen Per- « sönlichkeit nach der Zeit der persönlichen Bekehrungen und Verfolgungen zunächst « zurückgedrängt worden, weil der christlich gewordenen Menschheit zuerst der « christliche Gottesbegriff und seine Offenbarung in Christus in überwältigender « Erhabenheit gegenüber trat, sodann im Mittelalter das Gesetz der Heils-und Gna- « denordnung. Die Christenheit hatte im Christenthum selber zuerst die beiden « Religionsstufen der unendlichen Erhabenheit und der absoluten Gesetzesmacht « durchzumachen, bis sie der neuen Gedankenwelt gegenüber zum vollen Selbst- « bewusstsein der geistigen Persönlichkeit hinaufsteigen konnte. — Das ganze und « volle Christenthum, das in dem Inbegriffe aller Wahrheitsmomente und in der « allseitigen Pflege aller religiösen Ideale seine gottgegebene Grösse und Aufgabe « erkennt und wahrt, wird daran den grossen Entscheidungskampf in der Zukunft « gegenüber dem philosophischen und religiösen Monismus der autonomen Vernunft « und Sittlichkeit siegreich bestehen.... Der moderne Geist stellt Fragen und For- « derungen, welche Alterthum und Mittelalter nicht gekannt haben: weil das Chri- « stenthum diesen Fragen und Idealen gerecht zu werden versteht, gehört ihm die « Zukunft. — Freie Forschung in der heiligen Schrift zu Christus hin, nicht aber « über die Schrift hinaus und noch weniger über den Offenbarungsglauben hinaus. « Der Protestantismus ist die grundsätzliche Erklärung, die Religion sei Sache der « Persönlichkeit. Er entstand formell unter dem Einfluss und inhaltlich im Gegen- « satz zur Renaissance. Indem man das Princip der Renaissance, der souveränen « Kritik der selbstgewissen Vernunft, religiös verklärte und auf die christliche « Heilsaufgabe anwandte, sollte es in seiner antichristlichen Wirkung überwunden « werden. Der Protestantismus ist die Ausprägung des Christenthums als der reli- « giösen Aufgabe, welche die subjective Persönlichkeit des Einzelnen unmittelbar « mit Christus zu erledigen hat, mit Ablehnung aller kirchlichen Vermittlung und « Auctorität. — Das Christenthum hat seither den Sieg über die gewaltigen Geistes- « gegner errungen, weil es in seinem Gottesbegriff und Culturideal all die Wahr- « heitsmomente in höherer Form enthielt und wahrte, die ein Recht auf Verehrung « und Hingabe haben, und all die Ideale hegte und pflegte, die den gegnerischen « Weltanschauungen ihre geistige Stärke und Anziehungskraft liehen. Der Beweis « dafür liegt nicht blos in der siegreichen Abwehr seiner Gegner, sondern noch mehr

ARTICULUS II.

UTRUM MATER DEI FUERIT VIRGO IN PARTU [1].

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Portentosa nativitas Christi non solum respicit Prolis conceptionem de Spiritu Sancto, sed et veluti spiritualem eiusdem editionem ex illaesa Virgine. Quare cum S. Thoma gressum movemus ad hunc alterum respectum catholici dogmatis penitius illustrandum; eo vel magis quod, uti diximus, in finem vergente saeculo quarto, Iovinianus hoc alterum privilegium Deiparae negavit.

2) Sane, virginitas in partu est privilegium per se distinctum a virginitate in conceptu. Unde de potentia absoluta Dei fieri potuisset, ut hoc alterum fuisset B. Mariae denegatum, idque propter duo: tum quia virginalis conceptio magis respiciebat dignitatem Prolis divinae; tum quia virginalis editio minus confert excellentiae Matris. Etenim, licet corpus per prolis editionem magis quam per naturalem conceptionem materialiter ab integritate recedat; formaliter, si concupiscentiam et pudorem spectes, longe magis virginitatem tollit naturalis conceptio quam editio. Imo dolor partus in poenam est concupiscentiae ac voluptatis [2].

Inde fuerunt quidem haeretici qui prodigiosam editionem Christi impugnarint; nullus autem qui hanc affirmarit, et virginalem conceptionem denegarit.

3) Nihilominus, consideranti magnitudinem et rationem prodigii in virginali conceptione impleti, iam quasi logice

« in der Thatsache, dass das Christenthum innerhalb seiner eigenen Entwicklung « grosse Confessionen aus sich hervortrieb, in denen dasjenige, was dem Gegner seine « Kraft und Würde gab, innerhalb des Christenthums selber eine grundsätzliche, « wenn auch einseitige Ausgestaltung erfuhr ».

De quibus verbis in ephemeridibus *Correspondenz-Blatt für den katholischen Clerus Oesterreichs* (XXI; n. 1) sub titulo: « *Ein Optimist* », mite simul ac sanum iudicium tulit parochus Fr. Schneider. Equidem nolim opinari mentem Dr. Schell esse tam in Protestantismum pronam quam sonant eius verba; verba autem, — quidquid ipse scripserit ad eorum sensum mitigandum, — esse prope scandalosa, non infitior.

[1] Lege de hoc argumento inter alios PETAVIUM (*De Inc.* l. XIV, c. 5. 6).

[2] Hinc Paschasius Radbertus in I libro *de Partu Virginis* hanc rationem urgens, demonstrat necessitatem ut B. Virgo integra remanserit in partu. « Quod si ita est, « ut astruunt et affirmant, quod absit, iam Maria Virgo non est, Christus sub male- « dicto natus est, etc. » *Praefat.* — *P. L.* CXX, 1368, C.

sequitur alterum prodigium, certo minus, quod ad virginalem partum requiritur; praesertim quum in gloriam Virginis Matris eximie redundet. Unde probata conceptione virginali, iam adest summa praesumptionis ratio pro virginali partu. At praeter hanc praesumptionem adsunt inconcussa argumenta ex Scripturis et traditione Ecclesiae, de quibus in textu fuse dicemus.

4) Iam vero, sicuti de art. 1° vidimus, ita contra art. 2m obiectiones procedunt ex *impossibilitate*, ex *inconvenientia*, ex *auctoritate* (2. 3. 1).

a) Ex *impossibilitate*. Quomodo verum corpus potest per verum corpus, quin illud laedat, transire? - Ubi adverte sequentia: - α) Fatemur esse prodigium, unde quid mirum si eiusdem modum nesciamus [1]? - β) Etenim ignoramus relationes essentiales corporearum substantiarum ad ea quae quantitatis sunt, uti ex mysterio eucharistico satis apparet. - γ) Si ex eodem mysterio constat, idem corpus esse posse simul variis in locis omnino disiunctis, cur non possent simili modo simul esse duo corpora distincta? - δ) Corpora gloriosa agilitatis dote gaudere, historicis factis probatur. Ergo, si deesset quaevis alia explicatio, dici in casu posset, Christum Deum ex utero matris prodeuntem vel assumpsisse dotem agilitatis, vel eamdem corpori matris contulisse, vel utrumque simul.

b) *Inconvenientia* inde solum peti posset, ne Christi corpus phantasticum appareret [2], dum Filius materni claustri parietem penetraret illaesum, illaesus inde egressus. Sed nonne simul verus homo et Homo-Deus demonstrari debebat? Quomodo Deus, nisi per prodigia leges naturae excedentia? Idem valeret contra factum Iesu deambulantis super aquas; nec non contra veritatem corporis Christi redivivi.

c) *Auctoritas* ex una alterave expressione minus cauta Patrum nihil obtinet contra doctrinam oppositam multis locis explicite contentam. Eo vel magis quod vocabula sive

[1] Recte MARTENSEN, theologus e castris Protestantium: « Wenn wir auch sagen « müssen, dass die jungfräuliche Geburt von einem Schleier verhüllt ist, der für die « physicalische Betrachtung undurchdringlich ist, so ist diese Geburt doch die einzige, « welche die religiöse und theologische Betrachtung befriedigt » (*Christlich. Dogm.* p. 255)

[2] Hinc sane, uti mox dicemus, Tertullianus in hunc excessum declinavit; nec aliter arguebant illi contra quos egit Paschasius Radbertus.

modi loquendi dantur, quae accipiunt sensum latum et strictum. Ita *natus* dicitur lato sensu conceptus. Ait enim Angelus Iosepho: « Quod enim *in ea natum est*, de Spiritu « Sancto est ». Ita pariter *nasci*, lato sensu, secundum legem nascentibus communem, dicitur *aperire vulvam*. Secus quomodo lex purificationis Christum de Virgine natum respicere potuisset? Si autem haec expressio stricto sensu sumitur, dicendum est, - quod et Patres iam animadverterunt, - ex hoc ipso modo loquendi B. Virginem fuisse ab hac lege exemptam. Sed de hoc textu data opera alibi disseremus.

II. **Ad Textum.** - *1 obi.* Confundit dictum communiter ex consuetudine universali, cum dicto specialiter de casu speciali.

2 obi. Procedit ac si unicum in Scripturis cavendum esset, ne corpus Christi phantasticum videretur,

3 obi. Confundit assumptionem transitoriam alicuius dotis, cum statu cui haec dos connaturalis est; insuper supponit sine illa agilitatis dote partum virginalem explicari non posse.

Sed contra est. Quemadmodum ex praevia dissertatione eruitur, praesens veritas demonstratur ex Scripturis, ex Patribus, ex Liturgia, et ex documentis ecclesiasticae auctoritatis.

1) Ex *Scripturis* - *a*) argumentum princeps [1] est illud vaticinium Isaiae: « Ecce Virgo concipiet et *pariet Filium* », nempe Virgo. - *b*) Agnoscitur quoque virginitas intacta Deiparae in prophetia Ezechielis: « Porta haec clausa erit: non aperietur... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam... » [2]. « Quae est haec porta, ait Ambrosius, nisi Maria? ideo clausa, « quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit « in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et geni« talia claustra non solvit. Mansit intemeratum sceptrum pu« doris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret « ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset » [3]. Nec aliter S. Proclus [4], aliique.

c) Adde verba Cantici: « Hortus conclusus, soror mea

[1] Parcat lector, si sub hoc alio respectu unus alterve textus iam allatus recurrat.
[2] C. XLIV, 2, 3.
[3] *De Instit. Virg.* c. 7, cf. c. 8. — Cf. S. Maximum (Hom. 2 *de Nativ. Dom.*).
[4] Cf. textum mox afferendum.

« sponsa, hortus conclusus, fons signatus ». Ad quae optime S. Hieronymus: « Quod clausum est atque signatum, similitu- « dinem habet Matris Domini, Matris et Virginis. Unde et in « sepulcro Salvatoris novo, quod in petra purissima fuerat « excisum, nec antea, nec postea quisquam positus est » [1].

d) Indicatur demum virginalis partus in narratione evangelica his verbis: « Et peperit Filium suum primogenitum, « et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio » [2]. Quae sane puerperae per se praestare nequeunt [3].

2) Pariter integritas B. Mariae in partu constat ex unanimi consensu *Patrum*, qui non solum disertissimis verbis factum proclamant, sed reverenter etiam factum per exempla illustrant.

Accipe quasdam sententias quibus absolute affirmant Mariam parturiisse Virginem haud secus ac concepisse. « Iste « Emmanuel, ait S. Proclus Cyzicenus, naturae quidem portas « aperuit ut homo, virginitatis autem claustra non fregit ut « Deus. Sic nascitur ut est conceptus. Impassibiliter introivit, « ineffabiliter exivit, secundum quod Propheta Ezechiel « dixit » [4]. - Pulchre S. Augustinus: « Si vel per nascentem « corrumperetur Matris integritas, non iam ille de Virgine « nasceretur, eumque falso, quod absit, de Virgine Matre « natum tota confiteretur Ecclesia, quae imitans eius Matrem « quotidie parit membra eius et virgo est » [5]. Et: « Concipiens « Virgo, pariens Virgo, Virgo gravida, Virgo foeta, Virgo per- « petua » [6]. Et: « Virgo genuit, quem Virgo concepit: inviolata « peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miracu- « lum, et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puer- « pera » [7]. - Et iam antea veluti a pari arguerat S. Ambrosius

[1] *Ctr. Jovin.* l. I, c. 31. — *P. L.* XXIII, 265.

[2] LUC. II, 7. — Cf. dicenda in Q. XXXV, art. 6, necnon in proximo corollario.

[3] Ex dictis vides imprudens esse iudicium quod de hoc argumento tulit Cl. Lehner, asserens nihil certi reperiri in Scripturis ad integritatem B. Virginis in partu demonstrandam *.

[4] Conc. habita in Concil. Ephes.

[5] *Enchirid.* c. 34.

[6] Serm. 186 (al. de Temp. 19.), 1. — *P. L.* XXXVIII, 999. Cf. sermones *in Natal. Domini* passim.

[7] Append. Serm. 120. - *In Nat. Dom.* 4 (*b*), 2. — *P. L.* XXXIX, 1985.

* Op. cit., in cap.: « *Immerwährende Jungfrau* ». — De quo lege confutationem laudati LIELL (op. cit., p. 69, sqq.).

dicens: « Quae potuit Virgo concipere, potuit Virgo gene-
« rare; cum conceptus praecedat, semper partus sequatur » [1]. -
Unde S. Leo breviter ait: « Nec damnum credit pudoris, Dei
« Genitrix mox futura » [2]. - Nec aliter Theodotus Ancyranus:
« Natura post partum nescit ulterius virginem: gratia vero
« et parientem ostendit et matrem fecit, et virginitati non
« nocuit » [3].

Inde fortiter scribit S. Ildephonsus: « Si Virgini nostrae
« aut generationem aut integritatem adimis, grandi dedecore
« Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam ser-
« vare, quem fateris absque corruptione adire Virginem
« potuisse. Negas Deum quod vellet facere quivisse, quem
« concedis Genitricem integram invenisse, corruptioni deditam
« reliquisse. Ut ergo asseris, omnipotentis divinitas non profuit
« virginitati, sed obfuit: quia dum virgineum decus nascendo
« violavit, summam virginitatem destruxit: ac per hoc ipsum
« astruis Virginem deturpasse nascendo, quam decoraverat
« ipse creando » [4]. Imo adde, quam nobilitaverat ipse Vir-
ginem faecundando. Quare iuxta hunc modum arguendi Pa-
trum, virginitas in conceptu, at laesa virginitas in partu, est
contradictio in terminis [5]. - Quid iam de S. Anselmo nostro
dicam? Tot invocationibus ad Virginem Deiparam abundat,
ut superfluum sit ex tam feraci messe spiculas afferre seiun-
ctas. Lubet tamen nonnulla transcribere ex oratione ad
ipsum virgineum Mariae partum: « Virgo sanctissima, da
« mihi virtutem per merita tui virginei partus, contra hostes
« tuos.... Beata Mater, quae sola sine dolore genuisti, quae
« sola peperisti Virgo; Beata Mater, quae sola sine dolore
« genuisti, quia tu sola peperisti Virgo » [6].

[1] Epist. 81.

[2] Serm. 1. *de Nativ. Domin.*

[3] Homil. 2. *de B. Virgine.*

[4] *De virgin. Mariae.* c. 1. — Plura huiusmodi testimonia lege apud B. Canisium, (op. cit., l. II, c. 9).

[5] Fateor hanc argumentationem non esse omnino stringentem. Etenim virginitas matris in concipiendo magis spectat ad dignitatem prolis conceptae, et requiritur ad titulum specialem ut haec proles, etiam in quantum est humanam naturam habens, sit a lege contrahendae labis originalis undequaque expers. Insuper cedit in maiorem laudem castitatis matris; dum virginitas in partu magis respicit eius integritatis decus.

[6] Orat. 58. — *P. L.* CLVIII, 963 D.

Porro quod ad explicationem huius prodigiosae integritatis attinet, placet illa pulchra praemittere S. Ambrosii: « Scrutari non licet superna mysteria: licet scire quod natus « sit Christus; non licet discutere quemadmodum natus « sit. Illud negare mihi non licet; hoc quaerere metus est. « Habeat generationis inusitatae gloriam, qui habet pote- « statis inusitatae gratiam » [1]. Et illa famosa S. Augustini: « Ipsa virtus (Dei) per inviolata Matris virginea viscera « membra infantis eduxit, quae postea per claustra ostia « membra iuvenis introduxit. Hic si ratio quaeritur, non « erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare: « demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investi- « gare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est poten- « tia facientis » [2].

Non ideo tamen ab adducendis comparationibus abstinent Patres. *a*) Frequens occurrit exemplum iam his verbis Augustini contentum. Similiter S. Chrysostomus: « Vultis scire quo- « modo de virgine natus sit, ac post nativitatem Mater ipsa sit « virgo? » et allato eodem exemplo pergit: « Locus non est per « quem intret: et tamen intus est, qui intravit, et non apparet, « quomodo intravit. Nescis quomodo factum sit, et das hoc « potentiae Dei. Da potentiae quia de Virgine natus sit, et « tamen ipsa Virgo fuerit Virgo post partum » [3]. - Nec aliter S. Maximus: « Miraculum illud quod Evangelista protulit « tempore resurrectionis, digne mihi usurpatur etiam tem- « pore nativitatis cum Ioanne dicendo: " Venit Iesus ianuis « clausis et stetit in medio „ [4].... Quid hic rationem quaeri- « mus? quid intellectum fatigamus humanum? " Generatio- « nem eius quis enarrabit? „ [5]. Quid novitatem stupemus, « ubi cernimus maiestatem? » [6]. Et pergit ad illam omnipotentiam provocans, qua Deus ex nihilo condidit universum, et ad modum quo praeter legem naturae prima mulier est de primo viro condita.

[1] *De fide* l. I, c. 5.

[2] Epist. 3 ad Volusianum. — Vicissim alibi alterum factum per prius illustrat. (Serm. 56, 160 *de Tempore*).

[3] Homil. *de Ioann. Bapt.*; cf. hom. 2. *de Symbolo*. — Cf. Theodoretum (Dial. II).

[4] Ioann. xx, 26.

[5] Is. LIII, 8.

[6] Hom. 2. *de Nativ. Dom.*

b) Praeter hoc exemplum S. Gregorius Nazianzenus adducit modum quo Christus redivivus de sepulcro surrexit:

Quin forte et idem sic sepulcro condito,
Virginis ab alvo prodiit Matris suae,
Clausoque surgens exiit, velut antea
Infracta servans claustra quam castissime [1].

Quae duo portenta ita Beda noster coniungit: « Qui mortalis « adhuc clauso virgineo utero potuit nascendo mundum ingre- « di, ipse absque ulla dubitatione iam factus immortalis, clauso « licet sepulchro, potuit resurgendo exire de monumento » [2]. Et Euthymius: « Quemadmodum Christus natus est, servatis « claustris Virginis, ita quoque surrexit, servatis integris « monumenti signaculis » [3].

Sed haec sunt potius exempla ex auctoritate desumpta. Unde unum per aliud Patres illustrant ac vicissim, secundum quod de uno vel de alio tractant in recto. Nec in illo processu est ulla circulatio, quum ex fide arguant, non ex ratione.

Aliae comparationes ex rerum natura parumper in ipsam indolem rei penetrant. Ita *c*) S. Ildephonsus (?) adducit similitudinem radii per purissimum crystallum illibate pervadentis [4]; quae similitudo in quadam Sequentia mediae aetatis recurrit:

Sicut vitrum radio
Solis penetratur,
In tamen laesio
Nulla vitro datur;

Sic, imo subtilius,
Matre non corrupta
Deus Dei Filius
Sua prodit nupta [5].

d) S. Leo subtilius recurrit ad lumen Veritatis quod B. Virgo edidit: « Merito igitur virgineae integritati nihil corruptionis « intulit partus salutis; quia custodia fuit pudoris editio Veri- « tatis » [6]. Inde hunc partum vocat spiritualem: « Neque

[1] Ap. B. Canisium (loc. cit.).
[2] Homil. in vigil. Paschae.
[3] In cap. XXVIII Matth.
[4] Serm. 43, *in diem S. Mariae.* — *P. L.* CXCVI, 282.
[5] MONE, *Hymni lat. medii Aevi,* t. II, p. 63.
[6] Serm. 21, *in Nativ. Dom.,* 1, c. 2. — *P. L.* LIV, 192.

« Virgo corruptionem passa est pariendo: spiritualiter enim « peperit » [1].

Praeter *e*) comparationem cum partu mentis, quam superius a S. Theodoro Ancyr. audivimus adductam, et quam in *Corpore* huius articuli affert Angelicus, occurrit *f*) etiam apud scriptores sacros similitudo cum faecunditate telluris aut arboris. « Divinus fructus ex Virgine prodit, nec in conceptu solvens virgineam zonam, nec in nativitate disrumpens », ita habet S. Cyrillus Alexandrinus [2]. - Et S. Bernardus: « Nascitur ex muliere, sed cui faecunditatis fructus sic acce- « dat, ut non decidat flos virginitatis » [3]. Et Adamus Victo- « rinus eleganter canit:

Quam subtile Dei consilium!
Quam sublime rei mysterium!
Virgo florem
Vellus rorem
Virgo profert filium.

Nec pudorem laesit conceptio,
Nec virorem floris emissio:
Concipiens
Et pariens
Comparatur lilio [4].

Et ante poëtam Victorinum cecinerat Fortunatus:

Radix Iesse iam floruit,
Et virga fructum edidit.
Faecunda partum protulit
Et Virgo Mater permanet [5].

Nec tacendus est hic S. Petrus Damiani, qui demonstrat possibilitatem ut Deus corruptae virgini reddat integritatem, quia ipse Deus fecit quod difficilius est: scilicet nasci de Virgine, illaesa eiusdem virginitate [6].

De aliis comparationibus ex figuris Antiqui Testamenti desumptis, mox dicemus ubi de Liturgia. Claudamus hanc

[1] Homil. *in Nativ. Dom.*, inter op. S. Chrys.
[2] *De Incarn. Dom.* n. 23.
[3] *In Circum. Dom.*, serm. 1, n. 3. — *P. L.* CXXXIII, 133.
[4] *Rhythmus in Natale Salvatoris.*
[5] Hymn: *Quod chorus vatum.*
[6] Opusc. 36, *de Dei omnipot.*, c. 10. Argumentum non probo, sed adduco.

expositionem de Patrum et scriptorum consensu, afferendo pulcherrima verba quibus Mellifluus Doctor utrumque Mariae privilegium in conceptu et in partu celebrat. « Matrem suam « singulari in caelestibus donaturus gloria, singulari in terris « praevenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter et « intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porro Deo huius- « modi decebat nativitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur: « talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. « Proinde factor hominum ut homo fieret, nasciturus de « homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere « Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placi- « turam. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata « immaculatus procederet omnium maculas purgaturus: vo- « luit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, « harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimum- « que exemplum ostensurus. Dedit ergo Virgini partum, qui « ei iam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis « praerogaverat meritum. Alioquin quomodo angelus eam in « sequentibus gratia plenam pronuntiat, si quidpiam vel parum « boni, quod ex gratia non esset, habebat? » [1].

Huic tam manifesto Patrum scriptorumque sacrorum concentui [2], - quibus adde implicitas affirmationes apud primos usque Patres frequentes, - nullus opponitur ex priscis scriptoribus nisi a parte Latinorum Tertullianus et Graecorum Origenes. *a*) Dubitari vix potest, Tertullianum negasse integritatem Virginis Mariae in partu. In cap. 23 libri « *De carne Christi* » ait: « Peperit quae ex sua carne; et non peperit, « quae non ex viri semine. Et virgo quantum a viro: non « virgo quantum a partu ». Et expresse inferius: « Peperit, « quae peperit. Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit ipsa « patefacti corporis lege [3]. In quo nihil interfuit de vi masculi « admissi, an emissi. Idem illud sexus resignavit. Haec denique « vulva est, propter quam et de aliis scriptum est: " Omne « masculinum etc. „ Quis vero sanctus, quam Dei Filius?

[1] Homil. II sup. *Missus est*, n. 1. — *P. L.* CLXXXIII, 61, sq.

[2] De fide Ecclesiae Syriacae quoad virginitatem B. Mariae in partu, lege Cyrillonam (BICKELL., *Ged. d. Syr. K.* V, p. 39).

[3] Vides, Tertullianum hic vocem *nubere* sumere, in sensu resignatae corporalis integritatis. Cf. dicenda in art. seq.

« Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam pate-
« fecit? Caeterum omnibus nuptiae patefaciunt. Igitur magis
« patefacta est, quia magis erat clausa. Unde magis non
« virgo dicenda est, quam virgo, saltu quodam mater ante-
« quam nupta. Et quid ultra retractandum est? cum hac ratione
« Apostolus non ex virgine, sex ex muliere editum filium
« pronuntiavit; agnovit adapertae vulvae nuptialem pas-
« sionem » [1].

b) Simili modo Origenes ex loco Exodi XV arguit de Maria:
« Quemcumque de utero effusum marem dixeris, non sic
« aperit vulvam matris suae, ut Dominus Iesus: quia omnium
« mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam rese-
« rat. Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est,
« quo et partus editus: quia sanctum uterum, et omni digna-
« tione venerandum ante nativitatem masculus omnino non
« tetigit » [2].

Hanc sententiam Tertulliani et Origenis plures hoc tempore esse secutos, scimus ex verbis Clementis Alexandrini eam impugnantis [3]. Sed nonnisi falso huic sententiae adscriberes quotquot ubi non directe de hac quaestione agunt, de nativitate Christi talibus verbis loquuntur, quae possunt cum naturali editione confundi [4]. Secus quomodo posset Ecclesia suos facere versus Sedulii: « Salve, sancta Parens, enixa puer-
« pera Regem », si verba in stricto sensu premantur, quo dixit Clemens Alex. Mariam non esse puerperam? [5].

Quum igitur ex omnibus scriptoribus primorum saeculorum nonnisi Tertullianus apertissime et Origenes aperte integritatem virginalem Mariae in partu denegent, reliqui omnes de Mariae virginitate absque ulla restrictione loquantur, imo Clemens Alexandrinus Tertulliani sententiam depellat, non est nimius in hac re tribuendus valor sententiae duorum scriptorum qui et in aliis graviter erraverunt. Quare

[1] Loc. cit., *P. L.* II, 835, sq. CDA. Ita incaute Tertullianus se excipere putabat a falso Academicorum nexu: « Peperit et non peperit; virgo et non virgo ».

[2] Hom. XIV in Lucam.

[3] « Sed, ut videtur, multis in hodiernum diem videtur Maria esse puerpera propter ortum filii, cum non sit puerpera » (*Strom.* VII, 16, 96. — *P. G.* IX, 230 B).

[4] Lege de hoc PETAVIUM (loc. cit.) necnon KLEE (*Dogmengesch.* II, p. 31).

[5] Pariter inde componi possunt Patres qui loquuntur *de utero clauso*, et de *vulva reserata* (Cf. KLEE l. c.).

cum Liell[1] putamus, Lehner dubium quod de hac quaestione exstitit non nihil exaggerasse[2].

De controversia autem quoad Virginis partum inter Paschasium Radbertum et Ratramnum media aetate exorta, in fine huius articuli dicemus.

3. *Liturgia* Mariae virginitatem in partu disertissime et abundantissime proclamat. Praeter documenta in praecedenti dissertatione allata, satis sint sequentia.

Non solum Liturgia Mariam vocat Virginem sine ulla restrictione, sed et virginalem Dei Genitricem constanter salutat:

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine[3].

Et in Praefatione festorum de Beata Virgine utrumque privilegium expresse distinguitur; imo ad comparationem de luce desumptam eleganter alluditur: « Quae et Unigeni« tum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit, et virgi« nitatis gloria permanente, Lumen aeternum mundo effudit, « Iesum Christum Dominum nostrum ». Nec satis; quin et Prolis editio hanc virginitatem novo splendore collustravit. Etenim in festo Puritatis B. M. Virginis Ecclesia orat Iesum: « Qui natus de Virgine, Matris integritatem non minuit sed « sacravit »[4].

Placet huic concentui parumper immorari, e Liturgia mysterii Nativitatis Domini praecipua proferendo, quae Ioviniani blasphemiam depellunt. In Canone Missae per Natalis octavam legitur: « Communicantes et diem sacratissimum « celebrantes, quo beatae Mariae intemerata virginitas huic « mundo edidit Salvatorem.... ». In officio Matutini diei Nativitatis, praeter iam citatum S. Leonem, occurrunt sequentia: « Hodie nobis caelorum Rex de Virgine nasci dignatus est »[5]. « Deus verus, a Patre genitus, introivit in uterum Virginis.... « et exivit per portam clausam Deus et homo, lux et vita,

[1] Op. cit., p. 69 sqq.
[2] Op. cit., p. 123 sqq.
[3] Doxol. fest. de B. V. M.
[4] *Secr. Missae.*
[5] Respons. 1. Citamus iuxta formam breviarii monastici.

« conditor mundi » [1]. « Beata Dei Genitrix Maria, cuius viscera « intacta permanent, hodie genuit Salvatorem saeculi » [2]. In Laudibus canitur: « Genuit puerpera Regem, cui nomen « aeternum, et gaudia matris habens cum virginitatis ho- « nore » [3]. Unde mutato versu antiphonae, iam a primis Vesperis canebatur: « Post partum Virgo inviolata perman- « sisti ». Et haec ipsa antiphona eloquenter Deiparam alloquitur: « Tu, quae genuisti natura mirante tuum sanctum « Genitorem, Virgo prius ac posterius ».

In festo Circumcisionis Domini, quod peculiari Ecclesiae sensu Mariae maternitatem celebrat, praerogativa virginalis partus colitur saepius. « Creator generis humani ani- « matum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est » [4]. « Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tum impletae « sunt Scripturae: sicut pluvia in vellus descendisti..... » [5]. Et disertissime: « Rubum quem viderat Moyses incombu- « stum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virgini- « tatem » [6]. Et in Matutino: « Nesciens Mater Virgo virum, « peperit sine dolore » [7].

Eadem veritas disertissime praedicatur in Officio Annuntiationis B. M. V. Satis sit afferre textum sequentem: « Paries « quidem Filium, et virginitatis non patieris detrimentum: « efficieris gravida, et eris Mater semper intacta » [8]. Alios textus e festo Purificationis adducemus mox, in Quaestione quae de hoc mysterio tractat.

Et sane quotiescumque B. Maria praedicatur Virgo illibata, - uti in hac stropha hymni ad Vesp. in festo Nativ. Domini:

Memento, salutis Auctor,
Quod nostri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Nascendo, formam sumpseris, —

virginitas eius in partu affirmatur.

[1] Resp. 4.
[2] Resp. 6.
[3] Antiph. 2.
[4] 1. Antiph. Vesp.
[5] 2. Antiph. Vesp.
[6] 3. Antiph. Vesp.
[7] Resp. 10.
[8] Resp. 3, 1 Noct.

Nec omittenda sunt hic verba hymni *Pange lingua:*

Nobis datus,
Nobis natus
Ex intacta Virgine.

Pariter invocationes Litaniarum Lauretanarum: « Mater « inviolata, Mater intemerata » [1] huc primo spectant, ut virginalem partum praedicent [2].

Claudamus hanc illustrationem e Liturgia depromptam, per pulchram invocationem Breviarii Gothici: « O Sanctis- « sima Verbi ancilla et Mater, quam ostendit generatio Vir- « ginem, et virginitas comprobat Genitricem! » [3].

4) *Auctoritas Ecclesiae* demum pluries atque solemniter virginalem partum Mariae definivit, uti apparet ex documentis in praecedenti dissertatione allatis; maxime ex condemnatione Ioviniani a Conciliis Romae et Mediolani habitis; necnon ex dogmaticis formulis a Concilio Lateranensi sub Martino I et a Paulo IV sancitis.

In Corpore. Allato Isaiae textu S. Thomas tres affert rationes convenientiae virginei partus:

1) propter *Verbum*, quod non solum intacto corde concipitur, sed et procedit; 2) propter *opus salvificum,* quod erat a corruptione liberare; 3) propter *Matrem*, ne ei Filius deipsa nascendo noceret.

Prima ratio complet illud quod in initio dicebamus: conceptus virginalis principaliter quidem dignitatem prolis respicit; ita tamen ut per virginalem partum melius servetur.

Resp. ad 3m. Certum est, miraculum deambulationis super aquas non unico modo compleri potuisse: vel assumendo

[1] Eadem invocatio, sed inverso ordine, invenitur in Litaniis codicis Poppiensis (Cf. De Santi, op. cit., p. 63).

[2] Similia reperiuntur in aliis Litaniarum formis. Ita in antiquissimis invocationibus quas arte musica Constantius Porta ornavit, Maria invocatur « Rubus ardens « incombustus, Vellus Gedeonis, Hortus conclusus, Fons signatus ». In Litaniis codicis Moguntini legitur: « Sancta Maria, quae stella solem, virgo generans prolem, virga « Christum germinas florem, ora... ». In Litaniis codicum Palatini, Vaticani et Rossiani: « Sancta Maria, Virgo perpetua ». — In aliis Litaniis et orationibus habetur trilogia « Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum » (Ibidem, p. 30, 51, 55, 57, 59, 91, 92).

[3] Or. in Laud. fest. Annunt. — *P. L.* LXXXVI, 1300.

mendo corporis agilitatem, vel solidando ipsas aquas, vel aliquid inter corpus et aquas operando, etc. Ita quoque de virginali partu dicatur [1].

Porro adverte, locum allatum Augustini probare quidem miraculose rem esse gestam, sed non valere contra explicationem quam S. Thomas, uti minus concordem aeconomiae Christi viatoris, reiicere videtur; imo ipsa comparatio ab Augustino adhibita militaret potius in favorem huius explicationis.

APPENDIX

de controversia inter Paschasium Radbertum et Ratramnum.

Media aetate controversia instaurata est praesertim in Germania quoad partum Virginis, non quidem impio animo quasi reviviscente errore Ioviniani; sed potius circa modum quo haec Mariae integritas in partu esset intelligenda.

Paschasius Radbertus [2] urget magis spiritualem, ut ita dicam, modum quo Christus in lucem prodivit; Ratramnus insistit editioni per canalem naturae ad id munus datum, ne falsum sit asserere Christum de Virgine natum.

Exordium monachi Corbeiensis ita sonat: « Fama est, et « quorumdam non contemnenda cognovimus relatione, quod « per Germaniae partes serpens antiquus perfidiae novae « venena diffundat, et catholicam super nativitate Salvatoris « fidem, nescio qua fraudis subtilitate subvertere molitur: « dogmatizans Christi infantiam per virginalis ianuam vulvae « humanae nativitatis verum non habuisse ortum, sed mon- « struose de secreto ventris incerto tramite luminis in auras « exiisse, quod non est nasci, sed erumpi » [3].

In exordio Corbeiensis Abbas scribit: « Dicunt, non aliter « beatam Virginem Mariam parere potuisse, neque aliter « debuisse quam communi lege naturae, et sicut mos est

[1] Imo quo minus urgetur in substantia materiali ratio continui (in quo certo Scholastici excedebant), eo facilius transitus materiae per materiam explicatur.

[2] Iste tractatus diu S. Ildephonsi nomine vulgatus, Corbeiensi abbati solidis rationibus a Mabillonio restitutus est.

[3] Lib. *de nativit. Chr.* c. I. — *P. L.* CXXI, 83 A.

« omnium feminarum, ut vera nativitas Christi dici possit. « Alias, inquiunt, si non ita natus est ut caeteri nascuntur « infantes, vera nativitas non est. Et ideo ne phantasia pute- « tur, aut ne sicut aqua per alveum transiisse, ita per uterum « Virginis absque nascentis ordine natus credatur, pium est « sentire sic eum lege naturae natum fuisse, quomodo na- « scuntur caeteri infantes, et eam sic peperisse, sicut reliquae « pariunt mulieres » [1].

Igiturne qui stant ab altera parte, negant Mariae virginitatem in partu? Nequaquam. « Absit, exclamat Ratramnus, « absit catholicis sensibus, ut nativitas per quam restaurata « fuerunt corrupta, quod corruperit integra credatur! » Et: « Catholica fides de Virgine Salvatoris matre confitetur, quod « Virgo fuerit ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. « Utrumque vides credi, utrumque confiteri, et matris virgi- « nitatem, et infantis exortum.... Propter namque inviolatam « pudoris aulam, virginitatem praedicat et ante partum et in « partu et post partum: et propter verae nativitatis exortum, « verum parientis partum confitetur. Quid enim virgo ante « partum, ni impraegnata virginitas? Quid est virgo in partu, « ni pariens virgo? Et quid virgo post partum, nisi virgo « perseverans post partum? Ubi ergo virgo pariens, si partus « negatur? » [2].

Unde iuxta Ratramnum citra opinionem quam tuetur ipse, non dantur pro Christo nisi fabulosae nativitatis modi. « An « certe Bragmanorum sequemur opinionem, ut, quemadmo- « dum illi sectae suae auctorem Budham per virginis latus « narrant exortum, ita nos Christum fuisse praedicemus? « Vel magis si nascitur Dei sapientia de Virginis cerebro, « quomodo Minerva de Iovis vertice, tanquam Liber pater « de femore? Ut Christicolam de Virginis partu non solemnis « natura, vel auctoritas sacrae lectionis, sed superstitio gen- « tilis et commenta perdoceant fabulosa » [3].

Inde, post argumenta e ratione desumpta, arguens ex Scrip-

[1] *De partu Virginis*. l. I. *Praef*. n. 2. — *P. L.* CXX 1367 D, sq. De hoc libro ita leviter Harnack: « Radbertus zeigt bei seinen seltsamen Belehrungen der Kloster- « fräulein wenigstens nicht die Lüsternheit des Hieronymus, der der Vater dieser « gynäkologischen Phantasien ist ». (*Dogmengesch.* III, p. 286, not.).

[2] Cap. 2. — Loc. cit., 84 BC.

[3] Ibid. c. 3. — p. 87 A.

turis utriusque Testamenti, inter alia urget, verba vaticinii Isaiae « pariet Filium », et verba prophetiae Ezechielis: « per « viam vestibulae portae ingredietur, et per viam eius egre- « dietur »; urget verba « quod aperit vulvam » e libro Exodi; necnon modum quo Christi nativitas narratur [1].

Sed et ex Patribus arguit, et quidem modo parum solido, uti demonstrant quae adducit ex Augustino, Gregorio M., Ven. Beda, et praesertim Hieronymo [2]; adductisque nonnullis carminibus sacris, ita disputationem concludit: « Ergo omnifariam « adversario devicto, teneamus vera fide, confiteamur ore « veridico, Verbum carnem factum per ministerium vulvae na- » turaliter natum, secundum rationis consequentiam et secun- « dum divinarum testimonia Scripturarum, et secundum Doc- « torum non contemnendam auctoritatem: satis abundeque, « ut aestimo, monstratum est, Dominum Salvatorem de Vir- « gine sicut hominem natum, non ut integritatem violaret « illa nativitas, quia Maria Virgo fuit ante partum, Virgo in « partu, Virgo mansit et post partum. Sed ut qui de Virgine « corpus assumpsit, et intra gremium virginale concrevit, « per aulam quoque virgineam naturaliter nasceretur » [3].

Sed quomodo conciliabat Ratramnus haec duo: virginitatem integram in partu, et tamen editionem naturalem per vulvam? Huic insistendum ei magis fuisset; quia ibi videtur esse quaedam contradictio, a qua praeviae considerationes de organorum honestate eum salvare nequeunt. Unde non immerito Paschasius de hac opinione dicebat: « Non dico « quod dicant virginitatem amisisse, quae nesciens virum « Virgo concepit, Virgo peperit et Virgo permansit; sed quia « idipsum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi « lege naturae puerperam filium edidisse » [4]. Quare in sat fusa expositione Abbas Corbeiensis ita catholicum dogma tuetur, ut prorsus contra Iovinianos, imo in quodam loco [5] contra ipsos Helvidianos disputare videatur.

Nec tacendae sunt optimae solutiones difficultatum prae-

[1] Cap. 4-5.
[2] Cap. 6-9.
[3] Cap. 10, p. 102 CD
[4] Ibid. 1368, C.
[5] Pag. 1379.

cipuarum quas adversarii movebant ex Scripturis aut Patribus, maxime ex S. Hieronymo, cuius mentem Paschasius egregie illustrat. Quibus peractis variisque exemplis e Scriptura depromptis, circa finem primi libri ait: « Fateor quod non « tanta materies disputandi valeat inveniri, cur signato se- « pulchro exierit, vel cur clausis ianuis introierit ad disci- « pulos, quanta quod de Maria Virgine clauso exierit utero. « In illis siquidem declaratur divina maiestas, in hac autem « monstratur divina dignatio, et secundum humilitatem debi- « tus honor matris et reverentia pudoris » [1].

Ex hac brevi analysi apparet, in ista controversia Paschasium defendisse sententiam catholicam, a qua Ratramnus, licet mente orthodoxus, recessisse dicendus est. Attamen putamus, Abbatem Corbeiensem ultra limites veritatis esse progressum, quando veluti per dilemma dixit: aut partus Virginis fuit sine dolore, aut filius eius fuit filius irae. Quod, independenter etiam a dignitate divina prolis, putamus esse falsum. Peccatum enim originale contrahitur per vinculum culpae, non autem per vinculum poenae. - Ex altera parte in disputatione Ratramni multa continentur optime dicta. Imo quaecumque disserit ad excludendas vias nativitatis monstruosas, verissima sunt. Sed, ut optime advertit Paschasius, dilemma: « aut nativitas naturalis aut nativitas monstruosa », falsum est: datur enim membrum tertium: nativitas ex utero quidem, ast ex utero miraculose clauso. Quae, licet praeter solitas naturae leges, est tamen vera nativitas, sicut virginalis conceptio est et ipsa conceptio vera. De quo plura recurrent ubi de B. Mariae maternitate agemus.

Corollarium. Ex dictis in hoc articulo liquet, improbandas esse quascumque sive scriptorum sive artificum [2] fictiones,

[1] Pag. 1383 sq., alter liber longe brevior continet praecipue defensionem mentis S. Augustini et Sedulii.

[2] Huiusmodi repraesentationes sat frequentes erant in media aetate sub influxu narrationum apocrypharum, quae tunc in vulgarem sermonem transferri coeperant. Apud modernos pictores, quibus deest sensus artis sacrae, occurrunt hic illicve tabulae minus laudandae ob modum quo B. Virginem exhibent *. Talis sane est pictura quae Romae parietes basilicae S. Pancratii deturpat. Equidem miror talia, sicuti et in basilica S. Crucis in Urbe, fuisse temporibus nostris in ecclesiis admissa, in scan-

* Hoc vitio laborat et pictura caeterum celebrata Flandrin in ecclesia quadam Lutetiae Parisiorum vulgo dicta *S. Germain des Prés*.

quae in Nativitate Christi obstetrices adducunt, aut B. Virginem exhibent Sancti Iosephi ope indigentem. Haec sunt commenta proto-evangelici Iacobi, cui nimiam fidem tribuunt in suo *Lexico* Suidas, et pro sui erroris indole Centuriatores. Has repraesentationes narrationi Scripturarum dogmatique contrarias iam ex antiquis Patribus depulerunt S. Cyprianus, S. Gregorius Nazianz., et S. Hieronymus. « Nulla domus ambi-« tio, ait primus, nisi reclinatorium in stabulo. Mater in foeno, « Filius in praesepio: tale elegit fabricator mundi hospitium, « huiusmodi habuit delicias sacrae Virginis puerperium. Pan-« niculi pro purpura, et pro bysso in ornatu regio laciniae « congeruntur: genitrix est obstetrix, et dilectae soboli exhi-« bet clientelam » [1]. Et Nazianzenus: « Matrem absque sponso « scimus et viro: suas - hic nulla partes et suam manum obste-« trix - depraedicavit: partus hic divinus est » [2]. Et Gregorii discipulus: « Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedu-« litas intercessit: ipsa paucis involvit infantem; ipsa et ma-« ter et obstetrix fuit. " Et collocavit eum, inquit Lucas, « in praesepium, quia non erat locus ei in diversorio " [3]. « Quae sententia et apocryphorum deliramenta convincit, « dum Maria ipsa pannis involvit infantem, et Helvidii expleri « non patitur voluntatem, dum in diversorio locus non fuit « nuptiarum » [4].

Sed per haec ultima verba fit transitus ad articulum sequentem.

ARTICULUS III.

UTRUM MATER DEI PERMANSERIT VIRGO POST PARTUM.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Heic cum S. Thoma accedimus ad vindicandam contra Helvidium aliosque virginitatem Mariae *perpetuam.* In recenti opere cui titulus: « *Les amitiés*

dalum tot peregrinorum et in malam famam artis Italicae: nesciunt enim pictorem esse natione Gallum. Sed Itali, nec in conspicuis maxime sanctuariis, de antiqua sua artistica gloria valde videntur solliciti.

[1] Serm. *de Nativ. Christi.*

[2] Carm. ap. B. Canisium (op. cit., II, 9).

[3] Luc., II, 7.

[4] Lib. *adv. Helvid.*

de Jésus », Cl. P. Olivier O. Pr. vocat: « *une ridicule érudition* » argumenta quibus impia scientia in sancta quaeque rebellans, perpetuam virginitatem B. Mariae impugnare conatur. Nec aliter ea iudicat ipse Daniel Schenkel, dum ait: « Eine Widerlegung verdienen jene verleumderischen Erfin- « dungen nicht.... Alle Versuche dieser und ähnlicher Art.... « führen zur Profanation einer im keuschesten und rein- « sten Stil gehaltenen Sagenbildung » [1]. Nobis autem non agitur hic de mytho castissimo, sed de facto apprime historico. Et re quidem vera numquam haec perpetuitas propter tam infirmas rationes fuisset impugnata, nisi ad hoc impulisset, ac impelleret iugiter odium ipsius virginitatis [2].

2) Porro ad demonstrandam hanc perpetuam virginitatem habemus *a*) silentium absolutum Scripturae de coniugali usu inter B. Mariam et S. Iosephum post Christum natum; quod silentium in casu est argumentum validissimum; - *b*) ipsam mentem qua B. Virgo Gabrielis nuntium accepit; de qua directe in articulo sequenti; - *c*) ultima verba Christi suam matrem utpote Virginem ac solam virgini Ioanni commendantis; - *d*) demum habemus summam indecentiam rei. De quibus in *Corpore* sermo recurret.

3) Rationes autem quatuor in oppositum afferri solitae, inspecto Scripturarum stylo inanes ostenduntur. *a*) Prima difficultas petitur ex hoc quod Evangelia de *fratribus* et *sororibus* Domini loquantur [3]. Imo quatuor fratres enumerant: « Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius « Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas et sorores eius nonne « omnes apud nos sunt? » [4].

Sed etiamsi in hoc loco vocabula « frater » et « soror » intel-

[1] *Bibel. Lexicon.*, IV, 114 sqq.

[2] Inter incredulos protestantes, qui Helvidii ac Bonosi impietatem hodiedum instaurare conantur, satis sit citare THEOD. ZAHN (*Forschungen zur Geschichte des neutestamentalischen Kanons und der altchristlichen Literatur* VI, 2. — *Brüder und Vettern Jesu.* Leipzig, 1900, p. 225-372); et SIEFFERT (*Jacobus N. T. — Realencyklop. für prot. Theol. und Kirche* VIII, Leipz. 1900, p. 574, 81). Inter protestantes oppositum strenue docentes eminet laudatus LIGHTFOOT (op. cit.), et K. ENDEMANN (*Zur Frage über die Brüder des Herrn. —Neue Kirchl. Zeitschr.* IX, 1900, 833, 65).

[3] LUC. VIII, 20; IOANN. II, 12; VII, 3, 4, 5; MATTH. XIII, 54, 55 sqq.; MARC. VI, 1-3; MATTH. XXVII, 55, 56; MARC. XV, 40; LUC. XXIV, 10; IOANN. XIX, 25; GAL. I, 12; I COR. IX, 4, 5.

[4] MATTH. XIII, 55 sq.

ligerentur in sensu presso ex eodem patre vel eadem matre ortum habentium, nondum inde sequeretur B. Virginem post Christum natum alios liberos procreasse. Potuissent enim isti esse filii Ioseph, qui viduus Mariam duxisset. Imo contra Antidicomarianitas hoc argumento abutentes S. Epiphanius, apocryphis utique libris innixus, hanc explicationem adducit [1]. Eamdemque pariter afferunt Clemens Alexandrinus [2] et Origenes [3].

Missa autem hac fabulosa responsione, quaeramus quo sensu intelligenda sint ista vocabula de Christi consanguineis adhibita. Ipsa enim Scriptura vario sensu his vocabulis utitur. Optime Hieronymus contra Helvidium disputans: « Iam nunc « doceberis, quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici:

[1] « Caeterum Iosephus primam e tribu Iudae coniugem habuit, e qua sex liberos « suscepit, mares quatuor, feminas duas: id quod Marci ac Ioannis Evangelia declarant. Primus ex omni stirpe natus illi filius est Iacobus, cognomento Oblias (quod « murum, vel castellum interpretari licet), qui et iustus appellatus est, et Nazaraeus « fuit, quod vocabulum sanctum significat.... Redeo ad Iacobum illum, quem Iosephus « annos plus minus XL genuit. Post hunc alius ei filius nascitur, cui Iose nomen fuit. « Inde Symeon ac Iudas; filiae vero duae, Maria et Salome. Tum mortua uxore, « multis post annis viduus Mariam duxit, cum octogesimum atque eo amplius annum « attigisset » (*Adv. Haeres.*, l. III, haer. 78, n. 7, 8. — *P. G.* XLII, 709 A C.). Et paruper inferius, ait: « Cum enim de Iacobo assidue illud audiremus, fratrem ipsum « Domini vocatum fuisse, quid istud toties necesse foret repetere admirabundi quaerebamus. Nunc autem cur id in sacris Litteris ante sit inculcatum intelligimus. « Videlicet ut cum audimus: " Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes « te ", de Iacobo ac caeteris Iosephi filiis, non Mariae, qui nulli sunt, dictum illud « esse doceamur. Neque enim dubium est quin Iacobus, quo tempore Christus in hoc « mundo versabatur, esset aetate provectior. Caeterum fratres ipsos Scriptura vocat, « contrarias haereses tacite redarguens, ac nomina illorum exprimens: Iacobum, Iose, « Symeonem, Iudam, Salomen et Mariam. Ex quo declaratum illud voluit, cuius « filius, et ex qua matre Iacobus esset genitus, tum uter natu grandior foret » (Ibid. « n. 9, p. 712 C D.).

[2] « Iudas.... frater filiorum Ioseph exstans valde religiosus, et cum sciret propinquitatem Domini, non tamen dicit seipsum fratrem eius esse, sed quid dixit? Iudas « servus Iesu Christi, utpote Domini, frater autem Iacobi; hoc enim verum est, frater « erat ex Ioseph » (*Adumbr. in epist. Judae* n. 1. — Cf. ZAHN *Forschungen*, III, 83, 10 sqq.). Quae argumentatio sane fortior, si Iudas frater quidem natura fuerit Iacobi, Iesu autem nonnisi cognatione.

[3] « Ἀδελφοὺς μὲν οὐκ εἶχε φύσει, οὔτε τῆς παρθένου τεκούσης ἕτερον, οὔτε « αὐτὸς ἐκ τοῦ Ἰωσὴφ τυγχάνων· νόμῳ τοίγαροῦν ἐχρημάτισαν αὐτοῦ ἀδελφοί « υἱοὶ Ἰωσὴφ ὄντες ἐκ προτεθνηκυίας γυναικός ». (*In Ioh.* II, 12, in Catena Corderii pag. 75. — Cf. LIGHTFOOT, *Dissertations*, p. 34. — Cf. FONK, loc. cit., p. 668.)

Porro animadverte, tum Clementem, tum Origenem, tum Epiphanium perpetuam virginitatem B. Virginis strenue tueri, ex quo fortius argumentum exsurgit, quum appellationem « fratrum Domini » magis presse intelligant.

« natura, gente, cognatione, affectu. *Natura* Esau, Iacob, duo-
« decim patriarchae, Andreas et Petrus, Iacobus et Ioannes.
« *Gente,* qua omnes Iudaei inter se fratres vocantur.... [1]. Porro
« *cognatione* fratres vocantur, qui sunt de una familia, id est
« patria: quas Latini paternitates interpretantur ». Et hunc sensum fuse exponit adducto gemino exemplo notissimo de Abraham et Loth, qui fratres dicuntur, dum Loth esset filius Aram fratris Abraham [2]; necnon de Laban et Iacob, quum Laban esset frater matris Iacob [3]. Et pergit: « Innumerabilia
« sunt istiusmodi libris inserta divinis. Sed ne longum faciam,
« ad extremam divisionis partem revertar, id est, et *affectu*
« fratres dici, qui in duo scinditur, in spirituali et in com-
« muni. In *spirituali,* quia omnes Christiani fratres voca-
« mur.... [4]. In *communi,* quia omnes ex uno patre nati, pari
« inter nos germanitate coniungimur » [5]. Quo posito Hieronymus excludit sensum primum, qui dicit nimis et est gratuito positus, quum nusquam isti fratres Domini vocentur filii Mariae; pariter secundum et quartum, qui dicunt nimis parum. Ergo fratres et sorores Domini intelligendi sunt iuxta ipsum loquendi modum Scripturarum, non secundum naturam in presso sensu vocis, sed secundum cognationem.

Id autem evidenter obtinetur inspectis et simul collatis ipsis textibus quos opponit Helvidius. Demonstratio his argumentis maxime contrahitur. α) Eodem modo enumerantur Domini fratres Iacobus et Ioseph quo Simon et Iudas [6]. Iam vero constat Iacobum et Ioseph fuisse filios sororis Matris Iesu. Ergo cur non et alii in latiori cognationis sensu fratres sunt? Minor constat ex hoc quod, iuxta Matthaeum, sub cruce stabat Maria Iacobi et Ioseph mater [7], quae a Ioanne vocatur: « soror matris eius, Maria Cleophae » [8]. Porro Iacobus ille est *minor,* qui passim in Scripturis vocatur *Iacobus*

[1] Et adducit Deut. xv, 12; xxii, 1, 2; xvii, 11; Rom. ix, 3, 4.

[2] Gen. xii, 4, sq.; xiii, 8, 11; xiv, 14, 16.

[3] Gen., xxviii, 5; xxix, 11. Et infra addit exemplum de Abrahamo et uxore eius. Gen., xx, 11.

[4] Cf. Ps. xi, 23; xxxviii, 1; Ioann. xx, 17.

[5] Is. ult. cap. sec. lxx; I Cor. v, 11. — *De perp. virgin. B. M.,* 14, 15. — *P. L.* xxiii, 206 sqq.

[6] Matth., xiii, 54.

[7] Ibid. xxvii, 56.

[8] Ioann., xix, 25.

Alphaei, et *frater Domini* [1]. Iam vero sedulius vocabula attendenti patet, idem esse nomen Cleophae et Alphaei [2]. Parentes igitur Iacobi et Ioseph vocabantur Maria et Cleophas sive Alphaeus. - β) Si, quemadmodum contendit Helvidius, « Maria Iacobi et Ioseph mater » esset ipsa mater Iesu, id monstrum haberetur in evangelica narratione, Mariam in hac sublimi hora vocari non a suo Filio divino sed ab aliis. - γ) Si fratres Domini sunt uterini [3], nulla ratio est cur mulier quae sub cruce stabat, mater Iacobi et Ioseph tantum vocetur, et non etiam Simonis et Iudae; eo magis si Iudas ille inter Apostolos numeretur, Ioseph vero non [4]. - δ) Iudas in exordio suae epistolae vocat se *fratrem Iacobi.* Iam vero probabilius videtur eum non fuisse uterinum fratrem eius, sed merae cognationis. Insuper, si Iudas eodem gradu cognationis cum Iesu et cum Iacobo iungebatur, cur se non potius dixit fratrem Domini? - ε) Adde nonnisi Iesum vocari in Scriptura filium Mariae, in quo validissimum est argumentum [5]. - ζ) Adde demum loquendi modum Iudaeorum apud Matthaeum, supponere ingentem numerum fratrum atque sororum. (Unde revera Helvidius dixit Iosepho fuisse quatuor filios et filias innumeras). Intelligendus est ergo magnus numerus latiori sensu consanguineorum.

Quaeres. Quonam gradu propinquitatis erant isti fratres Christo coniuncti? Res difficilis dictu. Equidem putarem hanc propinquitatem non nimis esse coarctandam. Unde quando Maria Cleophae vocatur soror Matris Iesu, non necessario haec vox intelligenda est in sensu presso. Quare nulla exhinc

[1] Nescio utrum tantopere urgeri possit ista appellatio, ac si Iacobo prae excellentia tributa sit. Sane occurrit haec appellatio apud S. Paulum (Gal. I, 19); sed Iacobus per hoc additum distinguebatur a Iacobo Maiore, fratre Ioannis. Alibi autem S. Paulus sine distinctione appellat ad « fratres Domini », Iacobum scilicet et Iudam (I Cor. IX, 5).

[2] Cf. Chr. Pesch. op. cit., p. 300.

[3] De hac tamen quaestione disputant exegetae. Nulla apparet sufficiens ratio quae cogat ut hos quatuor fratres tanquam uterinos habeamus; e contra rationes in oppositum non deesse videntur. Ita, praeter dicta sub hac littera γ), prostat fragmentum Hegesippi in quo Simeon vocatur ὁ ἐκ θείου αὐτοῦ, id est Iacobi. Iam vero is Simon videtur ille ipse esse, quem Scriptura vocat fratrem Domini (*Fragm.* III, a. Euseb. H. E. IV, 22, 4 sqq.).

[4] Inde a Luca vocatur Maria Iacobi simpliciter (XXIV, 10).

[5] Inde Origenes dixit: « Οὐδεὶς υἱὸς Μαρίας, κατὰ τοὺς ὑγιῶς περὶ αὐτῆς δοξάζοντας, ἢ Ἰησοῦς » (*Comm. in Joh.*, t. I, 6. *Praef.* — *P. G.* XIV, 32 A.).

oritur inexplicabilis difficultas contra dignitatem filiae unicae, quam superius B. Virgini vindicabamus. Potuit enim Maria Cleophae esse filia sororis sive fratris Ioachim sive Annae; et pariter Iacobus pater Iudae [1] esse filius ex alterutra via oriundus [2].

Unde non apparet ratio cur ob Domini fratres subscribamus sententiae eorum, qui putant Annam, emortuo Ioachim, alias nuptias iniisse, ex quibus genuerit patrem vel matrem eorum qui fratres Domini vocantur.

b) Nec maiorem attentionem meretur obiectio Helvidianorum ex usu vocis *coniugis* desumpta, quasi coniux necessario involveret coniugalem matrimonii usum. Imo nec expressio « accipere uxorem suam » involvit matrimonii consummationem. Optime S. Hieronymus: Id « nullum movere debet, « quasi ex eo quod uxor est appellata, sponsa esse desierit: « cum hanc esse Scripturae divinae consuetudinem noveri- « mus, ut sponsas appellet uxores ». Et plura adducit exempla in quibus simul eadem vocatur virgo desponsata, adolescentula desponsata et uxor [3]; vel desponsata uxor ante coniugalem usum [4].

Insuper textus ipse Evangelii sat indicat quo sensu intelligenda sit appellatio uxoris: « Ioseph, noli timere accipere « Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de « Spiritu Sancto est.... Exsurgens Ioseph a somno fecit sicut « praecepit ei Angelus Domini, et accepit coniugem suam » [5]. Ergo nisi intelligatur haec summa blasphemia, quam nec ipse Helvidius proferre ausus est, - quippe homo admittens Christum de Virgine conceptum et editum, - Iosephum scilicet uxorem suam maritali usu post hunc somnum cognovisse [6], nihil ex his verbis effici potest. Iam vero hanc impietatem

[1] Act. I, 13.

[2] Iam Hieronymus latiori cognationis sensu intelligit verba Abrahae: « Vere « soror mea est de patre, sed non de matre » (Gen. xx, 12). — Op. cit., n. 9. Nec aliter S. Augustinus (*Ctr. Faustum*, l. xxii, c. 35. — *P. L.* xlii, 422 sqq.), qui caute fratres vocat propinquos.

[3] Deut. xxii, 23 sqq.

[4] Ibid. xx, 7.

[5] Matth. I, 20, 24.

[6] Simili argumento utitur S. Hieronymus (Op. cit., n. 8).

diserte excludunt verba sequentia: « Et non cognoscebat eam « donec peperit filium suum primogenitum » [1].

c) Sed ecce ex eisdem verbis, quae praecedentem obiectionem ad nihilum redigunt, nova difficultas exsurgere videtur, eaque triplex: α) ex verbo « *cognoscebat* »; β) ex formula « non cognoscebat eam *donec* » collata cum praecedente « *antequam* convenirent » [2]; γ) ex ipsa appellatione filii *primogeniti*. De singulis pauca. α) *Cognoscere* credimus hic dici pro usu matrimonii, licet ab aliquibus Patribus aliter explicetur [3]; sed inde nihil sequitur per se, quum haec cognitio negetur. Vis proin est in voce *donec*. - β) Iam vero ex usu biblico apparet, *donec* non involvere per se exclusionem pro tempore sequente, sed affirmationem pro antecedente. Et probatur: in psalmo CIX legimus: « Sede a dextris meis, *donec* « ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum » [4]. Ergone ita positis inimicis, Christus a dextris Patris removendus est? - In psalm. CXXII oramus: « Oculi nostri ad Dominum « Deum nostrum, donec misereatur nostri? » [5]. Ergone impetrata misericordia, oculi a Domino removendi? - « Ecce « ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consumma- « tionem saeculi » [6], ait Christus ad Apostolos. Ergone, completo saeculorum stadio iam non amplius cum eis erit? Absit Eleganter S. Hieronymus: « Si quis dixerit: Antequam in « portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare « sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit. Aut si « velimus dicere: Paulus Apostolus antequam ad Hispanias « pergeret, Romae in vincula coniectus est; aut certe illud: « Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus « est: statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum; « aut Helvidio poenitentia agenda post mortem? » [7].

Ita et in hoc Evangelii loco. Scriptura scilicet proclamat

[1] Ibid. 25.

[2] Ibid. 18.

[3] Cf. dicta in dissertatione de B. Virginis ortu, dotibus et nomine; et mox dicenda ubi de matrimonio B. Mariae cum S. Iosepho.

[4] Vers. 1, sq. Cf. I Cor. xv, 25.

[5] Vers. 2, sq.

[6] Matth., xxviii, 20.

[7] Op. cit., n. 4, p. 195.

quod factum non est, donec Virgo pareret suum primogenitum; quin aliquid de sequenti tempore affirmet. Eodem prorsus modo, ex eadem lege sermonis intelligenda est locutio: « *antequam convenirent* », ubi solum dicitur non convenisse ante conceptionem de Spiritu Sancto, quin intendatur significari eos postea convenisse. De quo nulla exstabat in mente scriptoris cogitatio; unde de re quae scopo insuper non serviebat, nihil dixit. Imo tam erat remota a mente, ut nec de ea sibi curandum esse putarit [1]. - γ) Sed, instas, quomodo *primogenitus*, si *unigenitus?* Respondeo: Quomodo non primogenitus, si unigenitus? Primogenitus quippe, usu biblico, dicitur absolute, non relative. Inde legalia de primogenitis praescripta erant quoque implenda pro unigenitis [2]. Nam non expectabatur usque ad nativitatem sequentis filii. Belle Hieronymus: « Possum respondere, et dicere; « Quid me unius mentis stringis articulo? Quid primogeni- « tum vocas, quem an fratres sequantur, ignoro? Expecta « donec nascatur secundus. Nihil debeo sacerdoti, nisi et « ille fuerit procreatus, per quem is qui ante natus est, inci- « piat esse primogenitus » [3]. - Et sane, ut idem animadvertit quando Dominus percussit singulos primogenitos Ægyptiorum, nullatenus unigenitis pepercisse dicendus est [4]. Inde dilemma quo Hieronymus claudit: « Aut unigenitos libera- « bis a poena, et ridiculus eris; aut si confiteberis interfec- « tos, ingratis obtinebimus et unigenitos primogenitos appel- « lari » [5].

Adde his rationibus Christum esse *spiritualiter*, secundum locutionem Pauli, « primogenitum in multis fratribus » [6]. Pulchre Paschasius Ratbertus id evolvit his verbis: « Iure « igitur Christus primogenitus appellatur ex Virgine,... quia « qui erat ab initio primogenitus totius creaturae, natus est ex « ea et ipse tam unigenitus quam et primogenitus eo quo

[1] Et sane finge Evangelistam addere: nec eam postea cognovit, aut aliquid huiusmodi, quis non videat per haec verba totam narrationem veluti ad ima deprimi, fierique S. Iosepho iniuriosam?

[2] Exod., xxxiv, 19 sqq.; Num., xviii, 15 sqq.

[3] Op. cit., n. 10, col. 202.

[4] Exod., xii sqq.

[5] Ibid. col. 303.

[6] Rom. viii, 29.

« voluit modo, sine gemitu et sine dolore parientis. Nam et « de baptismo primogenitus recte vocatur, qui et in resur- « rectione primogenitus resurrexisse dicatur. In utraque ta- « men natura et nativitate quamvis primogenitus dicatur, « iure unigenitus esse creditur » [1].

Quare, nedum ex hac S. Pauli expressione nova difficultas oriatur, aut obiectioni vis accrescat, e contra magis legitima apparet appellatio « *primogenitus* » qua utitur Evangelista.

Ergo inania sunt prorsus et imbellia, quaecumque contra perpetuam virginitatem Matris Dei e Scripturis congeruntur; et sub specie eruditionis latet ignorantia non pudenda modo sed deridenda. Hinc vehemens illa nec tamen nimia Hieronymi exclamatio: « Imperitissime hominum, ista « non legeras, et toto Scripturarum pelago derelicto, ad iniu- « riam Virginis tuam rabiem contulisti, in exemplum eius « quem fabulae ferunt, cum vulgo esset ignotus, et nihil « boni posset facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianae « incendisse templum: et nullo prodente sacrilegium, fertur « ipse in medium processisse, clamitans sese incendium sub- « iecisse: sciscitantibus Ephesi principibus, quam ob causam « hoc facere voluisset, respondisse: Ut quia bene non pote- « ram, male omnibus innotescerem. Et hoc quidem Graeca « narrat historia. Tu vero templum Dominici corporis succen- « disti, tu contaminasti sanctuarium Spiritus Sancti, ex quo « vis quadrigam fratrum, et sororum processisse conge- « riem » [2]. Quae in Helvidium olim pio zelo eructata, non minore iure modernos Deiparae hostes convellunt.

II. **Ad Textum.** Obiectionum vitium iam in supradictis deteximus. De tertia et de sexta obiectione in responsionibus nonnihil addemus.

Sed contra est. Perpetua virginitas B. Mariae demonstratur 1) ex Scripturis, 2) ex Patribus, 3) ex auctoritate Ecclesiae, 4) ex liturgia.

1) *Ex Scripturis* quatuor praesertim argumenta prostant. *a*) Locus Ezechielis, iam supra citatus, perpetuam virginitatem Matris Dei praesertim exprimit verbis: « *clausa erit*

[1] Op. cit., p. 1379, sq. D A.

[2] *De perpet. Virgin. B. M.*, n. 16. — *P. L.* XXIII, 209 sq.

et non aperietur, et vir non intrabit per eam ». Explicatio huius loci quam dat Augustinus, confirmatur sequenti declaratione Concilii Telensis in suo rescripto ad Siricium Papam: « Quae est sanctuarii illa porta, porta illa exterior ad orien- « tem, quae manet clausa, et nemo pertransibit per eam, sed « solus Deus Israël transibit per eam? Nonne haec porta « Maria est, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? « Haec est porta iustitiae, sicut ipse dixit: " Sine nos implere « omnem iustitiam "[1]. Haec porta est Maria, de qua scriptum « est: " Quia Dominus transibit per eam, *et erit clausa post* « *partum* " »[2].

b) Alterum argumentum sat quoque directum desumitur ex verbis Christi morientis: « Mulier ecce filius tuus ». Unde S. Ambrosius de Ioanne: « Ipse est discipulus, cui Mater « commendatur. Quomodo marito uxorem tolleret, si fuerat « Maria mixta coniugio, aut usum thori coniugalis cognove- « rat? »[3]. Et: « Quid sibi istud vult, quod cum in cruce Do- « minus positus, peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam « de virginitate materna? At quid aliud dicitur, nisi ut clau- « dat sua ora perfidia: obmutescat, ne matrem Domini aliquo « audeat temerare convicio? »[4]. Et S. Hieronymus: « O furor « caecus, et in proprium exitum mens vesana! Dicis ad cru- « cem Domini Matrem eius fuisse praesentem, dicis Ioanni « discipulo ob viduitatem et solitudinem commendatam: « quasi iuxta non haberet quatuor filios et innumeras filias, « quarum consortio frueretur! »[5]. Nec aliter Ecclesia factum istud intelligit: « Valde honorandus est Beatus Ioannes, qui « supra pectus Domini in coena recubuit, cui Christus in « cruce Matrem Virginem virgini commendavit »[6].

c) Tertium argumentum consistit in voto virginitatis, quo, uti in sequenti articulo demonstrabimus, B. Virgo se Deo dicaverat. Iam vero blasphemum nimis est opinari, Matrem Christi sacrilega segnitie a proposito declinasse.

[1] MATTH. III, 15.

[2] Cf. et de hac prophetia Rupertum (*De glor. et honor. Filii hom.*, l. I. — *P. L.* CLXVIII, 1328).

[3] *De instit. virg.*, c. 6.

[4] Epist. 79. Lege sequentia ibidem.

[5] Op. cit., n. 13, col. 205.

[6] Resp. 1 Matut. fest. S. Ioann.

d) His tribus argumentis positivis, adde absolutum silentium Scripturarum de vita coniugali a Deipara post editum primogenitum cum marito ducta.

2) *Patrum* traditio unanimis est. Audiatur Hieronymus Helvidio, qui in suum favorem Tertullianum [1] et Victorinum quemdam citabat, gloriosam hanc catervam adducens. « Sed « quoniam iam e cautibus et confragosis locis enavigavit « oratio, pandenda sunt vela, et in epilogos illius irruendum, « in quibus sciolus sibi visus, Tertullianum in testimonium « vocat, et Victorini Petavionensis episcopi verba proponit. « Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Eccle- « siae hominem non fuisse. De Victorino vero id assero, quod « et de Evangelistis, fratres eum dixisse Domini, non filios « Mariae. Fratres autem eo sensu, quem superius exposui- « mus, propinquitate, non natura. Verum nugas terimus, et « fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. « Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum se- « riem commovere: Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iusti- « num martyrem, multosque alios apostolicos et eloquentes « viros, qui adversus Ebionem, et Theodotum, Byzantium, « Valentinum, haec eadem sentientes, plena sapientiae volu- « mina conscripserunt? Quae si legisses aliquando, plus sa- « peres » [2].

Et sane Patres hanc veritatem proclamant uti extra omnem controversiam positam. Audiatur Origenes: « In tantam

[1] Etiamsi aperte constaret, Tertullianum in hoc quoque aberrasse, nihil inde contra hanc traditionem sequeretur. Et quidem e Tertulliano duplex prostat praesertim locus ob quem hic error ei a multis tribuitur: In libro de *Monogamia* cap. 8 ait: Christum « quidem Virgo enixa est semel nuptura post partum; et uterque « titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur, per matrem et virginem et uni- « viram ». Sed quid si Tertullianus *nubere* sumpsit in sensu resignati uteri; uti constat ex locutione simili, quam in art. praec. attulimus? — In cap. 7 libri *de Carne Christi* loquitur quidem de Matre et de fratribus Iesu, quin tamen aperte dicat eos uterinos cum Iesu fratres fuisse. Quare et ipse Petavius non audet certo hanc notam Tertulliano inserere (Op. cit., l. XIV, c. 3, n. 3). Porro locum quemdam Eusebii, in se limpidissimum, non potuit in sua helvidiana placita detorquere nisi scriptor omnino levis, uti Sieffert (Op. cit., p. 575, 8, sqq.).

[2] *De perpet. Virgin. B. M.*, n. 17. — *P. L.* XXIII, 211 sqq.

[3] Utique contra hanc assertionem S. Hieronymi indignabundus declamat ZAHN, S. Doctorem apertae falsitatis insimulans. At bene cl. Bardenhewer: « Diese ältesten « Väter hatten sich damit indirect auch über die Brüder Jesu geäussert..... Kein « Zweifel, hat hier jemand « geschwindelt », ist hier jemand unwahr « gewesen, so « war 's nicht Hieronymus, so war 's Zahn » (*Lit. Rundschau* 1901, 4, 8).

« quippe nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam « fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius « iuncta fuerit Ioseph.... Si quando igitur haeretici vobis tale « quid obiicerent, respondete eis et dicite: Certe Spiritu Sancto « plena Elisabeth ait: Benedicta tu inter mulieres... Porro quod « asserunt eam nupsisse post partum, unde approbent non « habent. Hi enim filii, qui Ioseph dicebantur, non erant orti « de Maria, neque est ulla Scriptura quae ista commemoret » [1]. - « Sancta Maria, beata Maria, Mater et Virgo: virgo fuit ante « partum, virgo post partum ». Ita S. Chrysostomus [2]. - Et S. Cyrillus: « Unum et solum Filium peperit sancta Virgo, « nempe Emmanuelem: neque ulli alii post illum ex ea ipsa « nati sunt. Perpetuo namque illa virginitatem conserva- « vit » [3].

Et sane quaenam fuisset, praeter ingratitudinem Deiparae, temeritas S. Iosephi sacrum hoc templum aggredi audentis [4]; imo impotentia gratiae tam ignave virginem in proposito firmantis? Profunde S. Ambrosius: « An vero « Dominus Iesus eam sibi matrem eligeret, quae virili semine « aulam posset incestare caelestem: quasi eam, cui impos- « sibile esset virginalis pudoris servare custodiam? Cuius « exemplo caeterae ad integritatis studium provocantur, ipsa « ab huiusmodi, quod per se caeteris propositum foret, mu- « nere deviaret? Et quae esset, cui maius, quam Matri Do- « mini meritum reponeret, praemium reservaret? » Et paucis interiectis: « Aliis promittit ut non deficiant: Matrem « suam deficere patiebatur? Sed non deficit Maria, non de- « ficit virginitatis magistra: nec fieri poterat, ut, quae Deum « portaverat, portandum hominem arbitraretur. Nec Ioseph « vir iustus in hanc proruisset amentiam, ut Matri Domini « corporeo concubitu misceretur » [5]. Pudet rei tam pudendae

[1] Hom. 7 in Luc. *P. G.* XIII, 1818 A, sq.

[2] Hom. de Ioann. Bapt.

[3] Hom. — Cf. S. Ioannem Damascenum (*De fide orthod.*, c. 15).

[4] Hoc argumentum maxime urget S. Epiphanius, utpote cui persuasum erat ex apocrypha fabula iam provectioris aetatis S. Iosephum Mariam sibi sponsam elegisse. Unde ait: « Quomodo senex et provectae aetatis, tanta signa et miracula « audiens, non verebatur debacchari et contumelia afficere corpus sanctum, in quo « habitaverat Deus? Quomodo audebat tantae ac tali sanctae Virgini copulari? » (*Contr. Antidicomar.*, haeres. 78).

[5] *De instit. virgin.*, c. 6.

diutius immorari. Sistimus cum verbis Ruperti: « Monstrum « illud, scilicet Helvidium, totus orbis execretur » [1].

3) *Auctoritas* porro Ecclesiae multipliciter hunc errorem profligavit. Huc facit imprimis declaratio Siricii papae in sua epistola ad Anysium: « Sane non possumus negare de « Mariae filiis iure reprehensum, meritoque vestram sancti- « tatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo « secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus « sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per Vir- « ginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore, ut illud « genitale Dominici corporis, illam aulam Regis aeterni con- « cubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, « nihil aliud, nisi perfidiam Iudaicam adstruit, qui dicunt « eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc acci- « piant a sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus « fudisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare « contendunt » [2]. - Eamdem veritatem strenuo affirmat can. 3 Conc. Lateran. sub Martino I: « Si quis.... non confitetur pro- « prie et secundum veritatem Dei Genitricem Sanctam sem- « perque Virginem immaculatam Mariam.... absque semine « concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam ge- « nuisse indissolubili permanente et post partum eiusdem « virginitate, condemnatus sit » [3]. Et in bulla Pauli IV inter alios damnantur, qui « asseruerunt, dogmatizarunt vel cre- « diderunt.... (B. V. M.) non perstitisse semper in virginitatis « integritate, ante partum scilicet, in partu et perpetuo post « partum ».

4) *Liturgia* disertissime consonat, uti demonstrant formulae sequentes. « Virgo prius ac posterius »; « Post par- « tum Virgo inviolata permansisti » [4]; « Senex puerum porta- « bat, puer autem senem regebat: quem Virgo peperit, et « post partum Virgo permansit » [5]; « Beata Dei Genitrix, Virgo « perpetua » [6]; « Nativitatem hodiernam perpetuae Virginis

[1] Op. cit., col. 1331.
[2] Denzinger, op. cit., n. 1781.
[3] Ibid. n. 204.
[4] Antiph. et vers. *Alma Redemptoris.*
[5] Antiph. *Magnif.*, 1 Vesp. fest. Purif. — Cf. resp. 12 ad Matut.
[6] Antiph. *Magnif.* 1 Vesp. Praesentat. B. M. V.

« Genetricis Dei Mariae solemniter celebremus » [1]; « Memo-
« riam venerantes, imprimis gloriosae semper Virginis Ma-
« riae » [2]; « Intercedente beata et gloriosa semper Virgine
« Dei Genitrice Maria » [3]; « Confiteor... Beatae Mariae semper
« Virgini ». - Inde ab aetate apostolica Mater Iesu vocari solet ἀειπαρθένος. Et Graeci memoriam eius facientes aiunt: « ἐξαι-
« ρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου καὶ ὑπερευλογημένης ἐνδόξου
« δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ».

In Corpore. En S. Th. argum. paucis verbis contractum: Helvidii blasphemia *derogat dignitati*

1) *Christi,* cui omnino convenit esse *Unigenitum;*

2) *Spiritus Sancti,* de quo Maria virginee concepit;

3) *Mariae,* quae virginitatem miraculose servatam ingratissime perdidisset;

4) *S. Iosephi,* qui Spiritus Sancti templum violare praesumpsisset.

Resp. ad 3m. Adverte discrimen inter locum Gal. III: « posita « est lex *donec veniret semen* ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ τὸ σπέρμα » [4], et Matth. I: « non cognoscebat eam, *donec peperit filium,* ἕως « οὗ ἔτεκεν τὸν υἱὸν » [5]. Quid factum sit postea, non servit scopo Evangelistae; dum e contra ostendere, legem Christi supplantasse Mosaïcam, scopus directus est Pauli. Ergo non per se, sed ex ipsius contextus indole ac exigentia, in hac epistola vocula *donec* est intelligenda cum exclusione pro tempore sequente [6].

Resp. ad 6m. Vis huius obiectionis evanescit ex concordantia inter Evangelia Matth., Marc. et Ioann.. Matthaeus distinguit tres mulieres: Mariam Magdalenen, Mariam Iacobi et Ioseph matrem, et matrem filiorum Zebedaei, aliis verbis: Mariam Magdalenen, Mariam Cleophae vel Alphaei, et Salome [7]. - Marcus pariter numerat: Mariam Magdalenen, Mariam Iacobi minoris et Ioseph matrem, et Salome [8]. - Iam

[1] Antiph. ad *Bened.* Nativ. B. M. V.
[2] In Canone Missae.
[3] Ibidem post *Pater noster.*
[4] Vers. 19.
[5] Vers. 25.
[6] Cf. dicta superius.
[7] MATTH. XXVII, 55.
[8] MARC. XV, 40.

vero Ioannes pariter tres mulieres distinguit: « Stabant au-« tem iuxta crucem Iesu Mater eius, et soror matris eius, « Maria Cleophae et Maria Magdalene » [1]. Duas concordare patet: Mariam Magdalenen et Mariam Cleophae, sive matrem Iacobi et Ioseph. Igitur vel dicendum est, alios Evangelistas omisisse Matrem Domini, vel eos eam indicasse nomine matris filiorum Zebedaei atque Salome. Atqui hoc alterum absurdum est; ergo primum teneri debet. Nec difficilis ratio huius facti redditur, si perpendimus Mariam Iesu Matrem fuisse cum Ioanne; unde, sicuti alii Evangelistae Ioannem non nominant, ita neque Matrem Iesu. Insuper observa, quo melior concordantia appareat, Matthaeum et Marcum enumerare has tres mulieres inter alias stantes « a longe » [2], « de longe aspicientes » [3], dum Ioannes loquitur de stantibus « iuxta cru-« cem » [4]. Unde quid factum est? Ex istis mulieribus propinquiores amore ac sanguine, duce Ioanne, iuxta crucem animosius processerunt, Mater scilicet Domini, soror matris eius, et Maria Magdalene. Hae solae remanserunt etiam post completam sepulturam, excepta Matre Iesu, quam, propter nimium dolorem, Ioannes secum abduxisse credendus est. Unde narrat Matthaeus: « Erat ibi Maria Magdalene et « altera Maria (scilicet Maria Cleophae) sedentes contra se-« pulchrum » [5]; et Marcus: « Maria autem Magdalene et « Maria Ioseph aspiciebant ubi poneretur » [6].

Quaeres I. - Si, uti ex tot documentis apparet, tanti momenti est haec perpetua B. Mariae virginitas, quomodo potuit S. Basilius Helvidianum errorem afferre veluti aliquid indifferens pietati? - Quum hac locutione nonnulli abutantur, placet integra S. Doctoris adducere verba. Etenim ad Scripturae incisum: « Non cognovit eam, donec peperit », haec habet: « Af-« fert hic locus suspicionem, quod postquam generationi « Domini per Spiritum Sanctum administratae caste pureque « serviit, tum demum usitata nuptiarum opera Maria non

[1] Ioann. xix, 25.
[2] Matth. xxvii, 55.
[3] Marc. xv, 40.
[4] Ioann. xix, 25.
[5] Ibid. 61.
[6] Ibid. xv, 47.

« recusaverit. Nos autem, quamquam nihil hoc doctrinae « pietatis officiat, - (siquidem eo usque necessaria virginitas « fuit, dum dispensationi illi serviret: quod autem deinde « secutum est, tanquam nihil ad mysterii rationem spectans, « curiosius omittamus inquirere), - nihilominus cum Christum « amantium aures non sustineant hoc audire, quod Dei geni- « trix aliquando virgo esse desierit », etc. [1]. Iam vero haec Basilii verba absque labore cum doctrina traditionali consona probantur. Fatetur quidem S. Doctor, essentiam dogmatis de Christi ortu servari, etiamsi B. Maria non permansisset virgo post partum; at insimul Deiparae virginitatem perpetuam docet, erroremque oppositum non in Virginem modo, sed in ipsum Christum exhibet iniuriosum. Nec aliter olim Bullinger Helveticus ille ps.-reformator iudicabat: « Oportuit, « singulari et perpetua virginitate, et puritate omnium selec- « tissima illustrem et esse et permanere, quae singulariter « electa a Deo in sacrosanctum Filii sui thalamum et tem- « plum, mater erat omnium sanctissimi partus, Filii utique « Dei aeterni futura » [2].

Quaeres II. - Quaenam haeresis uti gravior habenda est, Ioviniani, an Helvidii? - Resp. concordant auctores, gravius errasse hunc prae illo. Et sane re synthetice inspecta, huic iudicio videtur subscribendum. Nihilominus Ioviniani haeresis habet respectum, qui Mariam in sua divina maternitate, et Christum in sua nativitate magis directe afficit; unde et sub hoc respectu directius potest ex Scriptura confutari, quam haeresis Helvidii. Aliunde tamen si ad moralem dignitatem Mariae respicis, positio Helvidii est omnium pessima. Virginalis enim conceptio et partus fuit prodigium, cuius auctor erat Deus, nuptiae autem carnales post tantum privilegium fuissent opus incontinentissimae creaturae.

De perpetua virginitate S. Iosephi dicemus in appendice ad Quaestionem sequentem.

[1] Homil. *in Sanctam Christi Generationem.* — *P. G.* XXXI. 1468 B.

[2] Serm. de B. Virg. — Imo et Œcolompadius, qui tamen liberius vaticinium Isaiae interpretabatur, haec scripsit: « Numquam de me, ut in Domino confido, audietur, « quasi adverser Mariam, erga quam minus bene affici, reprobatae mentis certum « existimem iudicium » (*Serm. de laudando in Maria Deo.* — Cf. B. Canisium, op. cit., II, 2). Quantum mutati ab illis!

ARTICULUS IV.

UTRUM MATER DEI VIRGINITATEM VOVERIT [1].

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Quum ex voto meritum actibus virtutum accrescat tum ob cultum latriae inclusum in voto, tum ob maiorem subiectionem et firmitatem voluntatis, a *priori* suadetur, Beatissimam Mariam, utpote cui nihil meriti defuisse credendum sit, ex voto virginitatem coluisse antequam angelico nuntio Dei Mater salutaretur.

2) Porro idem *de facto* non solum suadet, sed et probat evangelica narratio, in qua Maria nobis apparet uti virgo non solum corpore sed et mente. Talem esse sensum responsionis ad Angelum: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non « cognosco? » catholica traditio agnovit et vis contextus manifestat.

3) Unicum dubium de hac re inde oriri posset, quod Maria, conscia legis de vitanda sterilitate, sponsalia cum Iosepho inierit. - Sed respondetur: Lex illa non tam lex fuit quam promissio. Etenim verba: « Non erit infaecunda nec sterilis in « terra tua: numerum dierum tuorum implebo » [2], et « Be- « nedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te steri- « lis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus « tuis » [3], etc., sunt magis verba Dei promittentis quam imperantis; nisi dicatur iussa fuisse omnia iumenta eadem lege copulari. Nec vana sane promissio. Quis enim negabit, faecunditatem in se magnam esse Dei benedictionem? Inde « benedicta mulier » saepe idem sonat in Scripturis ac mulier per Dei benedictionem faecunda.

Invaluit tamen ut haec promissorie dicta ad modum legis tenerentur. Cuius rei triplex ratio assignari potest: *a*) ut certius venturo Messiae semen servaretur; *b*) ut populus veri Dei cultor sese numero diffunderet; *c*) ne pessima vitia eum deturparent.

[1] Lege de hoc argumento uberem expositionem apud P. Lépicier (*Tract. de Bña V. Maria Matre Dei.* — Parisiis. Lethielleux 1901, p. 276, sqq.); necnon apud P. Terrien (op. cit., p. 182, sq.).

[2] Exod. xxiii, 26.

[3] Deuter. vii, 14.

4) Nec Mosaïca dumtaxat lex faecunditatem familiae suadebat. Duplici enim ex fine populi augendi, vitandaeque immoralitatis, legislatores tum Graeci tum Romani severissime contra caelibatum invehebant; caelibes quippe, uti magni delicti conscios, aeternis suppliciis destinari putabant. Inde innuptos Licurgus infamiae damnat, Plato usque ad annum trigesimum quintum tolerat, quibusvis dein honoribus orbandos; Romani a censoribus in eos inquiri iubent, eosque a publicis testimoniis arceri. Et re quidem vera, fac rem publicam carere sublimiore stimulo virginitatis, connubii iugum pessimus quisque reiiciet, liberius abominandae libidini blanditurus [1]. Quod, heu nimis, apud populos neopaganos in dies magis deplorandum conspicimus. - Porro non ex odio sacrae castitatis ita statuisse legislatores antiquos, patet ex caelibatu cui se dicabant austerioris scholae asseclae, ex cultu Vestalium, etc.

Ita pariter, imo altius in populo Hebraico universalis nuptiarum consuetudo aestimationem continentiae nullatenus excludebat. E contra Iudith et Anna laude cumulantur de castissima viduitate ab ipsa iuventute, post brevissimum tempus vitae coniugali dicatum, servata.

5) Quid iam ex his pro Beata Dei Matre concludere licebit, nisi, quemadmodum facit S. Thomas, ab initio vitae suae maximum eam virginitatis amorem nutrivisse, ita ut mente virgo, prona in vovendam integritatem suam, quatenus Deo placuisset, sponsum quidem acceperit, ne externe legem violare videretur, sed divina moderante Providentia, cum sponso idem sentiente, virginitatem iam corde sacratam ex mutuo consensu in ipso matrimonio dicaverit?

II. **Ad Textum.** - *1 Obj.* Urget nimis vim huius legis, et abstrahit ab inspiratione divina. Caeterum si haec lex fuis-

[1] Inde quoque mos philosophorum ethnicorum, qui, dum onus matrimonii studiorum causa declinabant, inter se vitio « philosophico » indulgebant. Quod scelus Danti Aligherio hosce versus inspiravit:

In somma sappi, che tutti fur cherci
E letterati grandi, e di gran fama,
D'un medesmo peccato al mondo lerci.
(*Infern.*, cant. xv, 106, sqq.)

Corruptio quippe optimi pessima.

set omnino universaliter ab omnibus servanda, quomodo nisi de contumaci virgine Christus oriri potuisset? Ergo haec interpretatio Legis per excessum peccat.

2 Obj. Supponit Domini Matrem quoad sanctitatem communi oeconomiae Legis subiectam. Iam vero oppositum tenendum est, quod ex ipsa Immaculata Conceptione, nulli alteri nec in Lege Nova concessa, abunde patet.

3 Obj. Non attendit ad Providentiam matrimonium B. Mariae ita disponentem, ut casta cordis consilia utrimque servarentur. Quod in virgineo matrimonio S. Henrici cum S. Cunegunda pariter factum, ad connubium utique S. Iosephi cum Virgine Maria aemulandum, historia docet.

Sed contra est. En praecedentia Augustini verba: « Ipsa « quoque virginitas eius ideo gratior et acceptior, quia non « eam conceptus Christus viro violaturo quam conserva- « ret, ipse praeripuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo « dicatam de qua nasceretur, elegit. Hoc iudicant verba « quae sibi fatum annuntianti angelo Maria reddidit: " Quo- « modo etc. " » [1].

Nec solus Augustinus hanc doctrinam exponit. Audiatur et S. Gregorius Nyssenus: « Quoniam Deo dicatam et « consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, « intactam servari oportebat, propterea, etiamsi angelus sis, « inquit, ac de caelo veneris, etiamsi supra hominem sit id « quod apparet, attamen ut virum cognoscam, fieri non po- « test. Qui mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum « quidem novi, virum autem non cognosco » [2].

Non minus fortiter dixit S. Hieronymus: « Christus Virgo, « Virgo Maria utrique sexui virginitatis dedicavere prin- « cipia » [3]. Et: « Habeant nuptae suum tempus et titulum: mihi « virginitas in Maria dedicatur et Christo » [4]. - Nec aliter S. Ildephonsus: « Sicut de altera Maria dictum est, ista opti- « mam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo vir- « ginitatem obtulit, et idcirco promeruit ut Dei Filius, angelo « nuntiante, ex ea corpus nostrae redemptionis susciperet » [5].

[1] *De Sanct. Virgin.* c. 4. — *P. L.* XL, 398.
[2] Oratio in diem natalem Christi. — *P. G.* XLVI, 1140 D, sq.
[3] Ep. 48 ad Pammach. — *P. L.* XXII, 510.
[4] Ep. 22 ad Eustoch. — *P. L.* XXII, 405.
[5] Serm. 5 *de Assumpt.* — *P. L.* XCVI, 260 B.

Quae verba praeter id de quo quaerimus, duo insuper affirmant: B. Mariam virginitatis votum emisisse primam, et ob idipsum tantopere Deo placuisse ut in Filii matrem eligeretur. Consentiunt Beda noster et S. Bernardus [1]. - Interrogationem B. Mariae S. Anselmus ad mentem S. Augustini ita exponit: « Si cuilibet virgini desponsatae in animo suo dispo-« nenti nubere, diceretur: Filium habebis, non miraretur, « neque interrogaret, quomodo istud fieret, utpote quae se « desponsatam et in proximo nupturam sciret, et a viro « gravidari usu naturae speraret. Haec autem (Maria) non « immerito mirata est, et quomodo fieret, quod promittteba-« tur, sciscitata est, quoniam, quamvis desponsata, tamen se « nunquam nupturam, neque virum cognituram certissime « sciebat » [2]. Idem docent Patres passim [3].

Nec obiicias, virginitatem Matris Christi in Scripturis praedictam a Maria non potuisse ignorari. « Legerat quia virgo « generaret; non legerat, quomodo generaret. Legerat: Ecce « virgo in utero concipiet; quomodo autem conciperet, in « Evangelio primum angelus est locutus ». Ita S. Ambrosius [4].

Quae sententia apud scriptores sacros, exegetas atque theologos catholicos quoad summam rei extra controversiam est. Unde Benedictus XIV ait: « Nullum profecto dubium « esse potest, quin Maria Virgo voverit virginitatem. Cum « monita fuerit ab angelo, filium se parituram, ei respondit: « " Quomodo.... etc. ". Quae quidem responsio abunde pro-« bat eam perpetuae virginitatis votum fecisse » [5]. Idem iudicium iam antea tulerat Baronius [6].

In Corpore. Observa quam bene S. Thomas repraesentet nobis beatissimam Virginem de voluntate Dei in se super omnia sollicitam. Quae consideratio, ut infra videbimus, non parum iuvat ad genuinam explicationem evangelii *Missus est.*

Reliqua de hoc argumento in Quaestione sequenti tangemus.

[1] Cf. quaestiunculas adnexas, necnon textum allatum p. 284.
[2] Hom. *Intravit Iesus in quoddam castellum.* — *P. L.* CLVIII, 646.
[3] Cf. et IOANN. GEOM., serm. *in SS. Detp. Anuunt.* n. 15. — *P. G.* CVI, 824.
[4] Lib. II, in Luc.
[5] *De festis B. M. V.*, c. 1, n. 7.
[6] *Appar. ad Annal.*, § 57.

Quaeres I. - Estne dicendum, B. Mariam virginitatis votum emisisse primam?

Sane ita sonat communis doctrina sacrorum scriptorum. Praeter S. Ildephonsum iam superius adductum, id affirmat S. Beda: « Vere etenim gratia erat plena, cui divino munere « collatum est, ut prima inter feminas gloriosissimum Deo vir- « ginitatis munus offerret » [1]. - Fulbertus Abbas de B. Maria pariter dicit: « Ducta Hierosolymis in templo Domini conser- « vata est usque ad quartum decimum annum, ieiuniis et ora- « tionibus serviens die ac nocte, et virginitatem suam vovens, « quod ante virgo ulla non fecerat » [2]. - Et S. Bernardus: « Pro- « positum virginitatis, maxime et ipsius quoque propositi novi- « tas virginitatem carnis (in B. Maria) illustrat, quod videlicet « in libertate spiritus, legis Mosaïcae decreta transcendens, illi- « batam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit » [3]. Unde eloquenter Deiparam ita affatur: « O Virgo prudens, o « Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quae « lex, quae iustitia, quae pagina Veteris Testamenti, vel prae- « cipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vi- « vere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata « Virgo: Sapientia carnis mors est; et: Curam carnis ne perfe- « ceritis in desiderio? Ubi legeras...: De virginibus praeceptum « non habeo, consilium autem do? Tu vero, non dicam prae- « ceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod unctio « docebat te de omnibus; ac sermo Dei vivus et efficax, ante « tibi factus magister quam Filius » [4]. Haec omnia veluti uno verbo comprehenderat S. Ambrosius Mariam appellans: « Virginum vexilliferam, virginitatisque Magistram » [5], et Ecclesia orans « Sancta Virgo virginum » [6]. - Optime B. Albertus Magnus: « Initium fuit beatitudinis et virginitatis; et « sic est Virgo virginum, quae sine consilio, sine exemplo, « gloriosum munus virginitatis Deo obtulit, et per sui imita- « tionem omnes virgines Virgo germinavit » [7].

[1] Hom. *de fest. Annunt.* — *P. L.* XCIV, 11 A.
[2] Serm. 2, *de Nativ. V. M.* — *P. L.* CXLI, 324 D, sq.
[3] Sermo *Domin. infra octav. Assumpt. B. V. Mariae.* — *P. L.* CLXXXIII, 434 A.
[4] Hom. 3 Super *Missus est.* — *P. L.* CLXXXIII, 74 D, sq.
[5] *De instit. Virg.*
[6] Litan. Lauret.
[7] In Mariali.

Obj. 1. Nonne promulgatio evangelicorum consiliorum ad Christum pertinuisse dicenda est? - Haec ratio, si valeret, ipsum votum virginitatis a Maria factum impugnaret. Promulgavit utique Christus excellentiam virginitatis; at Maria eamdem divino instinctu, afflante ipso Verbo praesensit. Caeterum virginitas Matris in Filium redundat, sicuti in Filium tendit [1].

Obj. 2. Quid in Vet. Test. de Ieremia, de Elia, de Iephte filia? quid apud Gentiles de Vestalibus? nonne hi omnes virginitatem coluerunt? - *R.* Aliud est colere virginitatem, aliud illam servare utique perpetuam ex voto. - *a*) Ieremias quidem et Elias non leguntur matrimonii vinculo irretiti, at neque continentiae voto obstricti. - *b*) Etiamsi constaret, filiam Iephte a patre nonnisi mystice fuisse mactatam, per vitam scilicet a nuptiis alienam, longe distat virginitas coacta a spontaneo virginitatis voto. - *c*) Vestales demum nonnisi ad tempus castitatem servabant, idque non ex voto, sed ex officio [2].

Quaeres II. Quale tenenda est B. Maria emisisse virginitatis votum, utrum absolutum, an conditionatum?

Resp. Caeteris paribus, votum absolutum praestat, quum firmius exhibeat propositum. Unde in B. Virgine nullomodo admitti potest votum conditionatum, sub hac conditione implicita, nisi postea sibi magis arrideret vita coniugalis.

Quid autem de conditione: nisi aliter de me disponat ille, cui, ne legem offendam, meam debeo coniungere sortem? - Et haec conditio respuenda videtur, quum non satis attendat illam providentiam specialissimam quae B. Virginem in eligendo sponso gubernasse dicenda est, quemadmodum in sequenti Quaestione fusius ostendemus.

Quid tandem de conditione: nisi aliter Deo visum sit? - Hic argumentum fit sane subtilius. Equidem quum omnis actuum nostrorum bonitas a conformitate cum divino beneplacito pendeat, res, licet in se praestantior, iam locum cedit alteri, si haec sit magis conformis divinae voluntati, illa vero minus. Quare nequit cogitari excellentia virginitatis, neque ipsius voti, sine relatione ad beneplacitum Dei. Unde nisi

[1] Cf. resp. ad 2.

[2] Cf. Alex. M. Planch., Ord. Serv. B. M. V. *Vita B. M. V.*

B. Virgo, dum suam Deo castitatem dicabat, illustrationem habuerit sibi certo manifestantem, tale votum absolutissimum a Deo acceptari, imo inspirari, nequit B. Virgo virginitatem vovisse, nisi sub hac saltem implicita conditione: nisi Deo aliter magis placeat.

Inde quando, Augustinum se citare putans, Lombardus ait: « Beata Virgo proposuit se servaturam votum virginitatis in « corde, sed ipsum votum non expressit ore; subiecit se divi- « nae dispositioni, dum proposuit se perseveraturam virgi- « nem, nisi Deus ei aliter revelaret. Committens ergo suam « virginitatem divinae dispositioni, consensit in carnalem « copulam, illam non appetendo, sed divinae inspirationi in « utroque obediendo; postea vero simul cum viro labiis se « expressit, et uterque in virginitate permansit »; - S. Thomas discrete addit: « Et hoc est quod Augustinus in littera dicit, « quod proposuit se perseveraturam virginem nisi Deus ali- « ter ordinaret » [1]. Huic sententiae adhaeret Benedictus XIV [2]. Alii tamen, nec pauci [3], in B. Virgine votum magis absolutum admittunt. Quod nescio quo iure ponatur, nisi ex illustratione superna quam B. Virgo habuerit de absoluta huius voti acceptatione divina, qualem nunc habent quotquot adprobante Ecclesia castitatem Deo solemniter vovent.

Quid autem tenendum sit de quaestione a nonnullis theologis mota, utrum necne B. Virgo virginitatem sine divina maternitate praetulisset maternitati divinae amissa virginitate, et quousque huiusmodi haesitatio mentis intelligenda sit latere sub verbis: « Quomodo fiet istud.... », dicemus in art. 4 Quaest. XXX.

Corollarium. – Ex hac tota Quaestione veluti corollarium summi momenti fluit *excellentia virginitatis,* praesertim ex voto Deo dicatae, de qua alibi data opera opportunius agetur. Interim liceat quasdam breves sententias Patrum afferre: « Si non praefertur nuptiis virginitas, quaerit S. Hie- « ronymus, Spiritus Sanctus cur maritatam, cur viduam non « elegit? » [4]. Et S. Ambrosius: « Egregia igitur Maria, quae

[1] IV. Dist. xxx.
[2] Op. cit.
[3] Ita v. gr. S. Bonaventura, Scotus, Suarez, Vasquez.
[4] *Ctr. Iovin.,* l. I, c. 32. — *P. L.* XXIII, 266.

« signum sanctae virginitatis extulit, et intemeratae integri-
« tatis pium Christo vexillum erexit » [1]. Et S. Augustinus virginitatis laudem decantaturus in haec prorumpit: « Adiuvet
« Christus Virginis Filius, et virginum sponsus, virginali
« connubio spiritualiter coniugatus » [2].

Hinc illa exclamatio quam a S. Gregorio Magno, ut aiunt, desumpsit Ecclesia: « Sancta et immaculata virginitas, qui-
« bus te laudibus efferam nescio, quia quem caeli capere
« non poterant, tuo gremio contulisti! » Quare si teste Simeone, Christus positus est in signum cui contradicetur, in Mariam quoque Virginem impingunt quotquot cum Iloviniano, Vigilantio, Luthero, Calvino, recentibusque neopaganis -, uti Neander, Meyer, Alford, Farrar, - concupiscentiam carnis vel non mortificandam vel imo extollendam autumant [3].

Porro si excellentiam virginitatis sive virgineae maternitatis prae nuptiis perpendis, triplici praesertim rationi innititur.

1) Prima ratio, maxime obvia, petitur a conditione humani generis lapsi, qua princeps peccati originalis vulnus, concupiscentiam dico, imprimis residet in iis quae ad propagationem speciei tendunt. - Haec ratio abfuit a conditione primaevae innocentiae, in qua Deus hominem condidit.

2) Secunda ratio residet in dualismo maris ac feminae, qui semper imperfectionem relativam involvit, et proin minus decet, ubicumque agitur de maiori operatione a Deo complenda. Unde longe perfectius est, ut Deus nostram naturam de homine assumpturus virginem solus faecundet, quam si ad hoc alterius ope indigeat. - Haec secunda ratio abstrahit a conditione naturae lapsae, atque in statu originis suam quoque virtutem servaret.

3) Tertia ratio consistit in distantia quae separat Deum summum spiritum et carnem. Unde sicuti excellentia virginitatis consistit in elevatione supra conditionem carnalem,

[1] *De instit. virg.*, c. 5, n. 35. — *P. L.* XVI, 314.

[2] *De Sanct. virgin.* c. 2. — *P. L.* XL, 397.

[3] Vides hinc quam lugendum sit deperditae fidei christianae indicium, persecutio illa quae in vota religiosi status ingravescit, quasi, uti ipsi legislatores et in civitate apprime catholica nuper asserere non erubuere, castitatis votum esset immorale. Quippe hisce, hominibus dicam an belluis, nihil ipso animali naturae instinctu sanctius. Contra quos nuper Leo XIII sublimiorem dignitatem ordinum religiosorum eloquentibus litteris vindicavit.

iuxta illud S. Augustini: « Habent (virgines) aliquid iam non « carnis in carne » [1], ita quoque nonnisi mediante virginitate Verbum poterat fieri caro. Praeclare id evolvit Bossuetius: « Ne semble-t-il pas qu'il y a trop de disproportion entre « la corruption de nos corps, et la beauté immortelle de cet « esprit pur; et ainsi qu'il n'est pas possible d'unir des na- « tures si éloignées? C'est aussi pour cette raison que la « sainte virginité se met entre deux, pour les rapprocher par « son entremise. Et en effet, nous voyons que la lumière, « lorsqu'elle tombe sur les corps opaques, ne les peut jamais « pénétrer, parce que leur obscurité la repousse; il semble « au contraire qu'elle s'en retire en réfléchissant ses rayons: « mais quand elle rencontre un corps transparent, elle y « entre, elle s'y unit, parce qu'elle y trouve l'éclat et la « transparence qui approche de sa nature, et tient quelque « chose de la lumière. Ainsi nous pouvons dire, fidèles, que « la divinité du Verbe éternel voulant s'unir à un corps « mortel, demandait la bienheureuse entremise de la sainte « virginité, qui ayant quelque chose de spirituel, a pu en « quelque sorte préparer la chair à être unie à cet esprit « pur ». - Haec ratio est mixta. Habet enim fundamentum praeter conditionem naturae lapsae, sed per hanc conditionem pondus longe maius acquisivit.

Claudere hanc expositionem lubet verba afferrendo Tertulliani: « Ubi sermo Dei descendit in carnem, ne nuptiis « quidem resignatam, et " Sermo caro factus est ", ne nuptiis « quidem resignanda; quae ad lignum, non incontinentiae, sed « tolerantiae accederet; quae non dulce aliquid, sed amarum « aliquid inde gustaret;... quae munditias suas aquis traderet: « exinde caro quaecumque in Christo reliquas sordes pristinas « solvit, alia iam res est, nova emergit jam... ex aqua pura et « spiritu mundo » [2]. Inde virginitas Christi et Mariae, non virginum dumtaxat, sed et status coniugalis, per figuram Ecclesiae ipsi Christo caste adhaerentis, exemplar evasit et gloria.

[1] *De sanct. virg.*, c. 13. — Ibid. 402.

[2] *De pudic.* c. 6. — *P. L.* II, 1043, A. — Excessus huius operis non impediunt, quin alia pulcherrima contineat. Excedit quidem, maechos et fornicatores a poenitentia excludendo; non autem excellentiam virginitatis proclamando; quasi virginitatis laus involveret nuptiarum damnationem. Quae confusio idearum et apud modernos reperitur. Ita levissime scribit FARRAR: « Fides in perpetuam virginitatem,

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

B. Mariae virginitas, in Vet. Test. diserta prophetia uti signum magnum promissa, variisque figuris praenuntiata, in Nov. Test. expresse declarata, *in conceptu* summe decuit Patrem caelestem, Verbum incarnatum, humanitatem assumptam, ipsumque Incarnationis finem (art. 1). - Pariter *in partu* decuit Verbum quod nascebatur, effectum Incarnationis, et Matrem de qua Verbum prodibat (art. 2). Quae utraque virginitas supra omnes naturae vires per omnipotentis Dei virtutem completa est.

Virginem porro Matrem Dei *post partum* semper permansisse ex Scripturis, traditione, ac auctoritate constat; nec minus demonstratur ex summa indecentia quam oppositum involveret, pro Verbo Filio Unigenito, pro Spiritu Sancto de quo Virgo concepit, pro ipsa Virgine eiusque Sponso (art. 3). Nec modo B. Maria illibata Virgo permansit, sed voto se Virginem Deo dicaverat, antequam se sciret Matrem Christi futuram (art. 4) [1].

« cuius in Ecclesia per plura saecula vestigium desideratur, ex duplici principio « pernicioso et parum in Scripturis fundato originem habet. Primum, quod Virgini « supra humanam dignitatem adscribit, nullum habet fundamentum et insuper a « Scriptura reiicitur. Alterum, quod matrimonium damnat, et coelibatum in perfec- « tionis consilium evangelicum convertit, non solum a Scriptura damnatur, sed « insuper perniciosis haeresibus radicitus fixus est, et apertis, saepiusque repetitis « sacrorum librorum documentis contradicit » *. Cur non addidit: uti aperte liquet ex MATTH. XIX, 10, sqq., et ex I COR. VII, 25-40?

[1] Praeter auctores in decursu huius expositionis iam pluries allatos, consule de virginitate B. M. Virginis, e theologis: SUAREZ (*de Myster.* disp. V-VI); Card. FRANZELIN (op. cit., th. XV); STENTRUP (op. cit., th. XI); SCHEEBEN (op. cit., l. V, § 275); MORGOTT (op. cit., IV, 2); PAQUET (*De Inc. Verbi.* Disp. VI, q. 2); TANQUEREY (op. cit., t. I p. 601, sqq.); CHR. PESCH (op. cit., t. IV. Tr. de B. V. M. art. 3); EINIG (*Tract. de Verb. Inc.* th. XIV); HEINRICH-CUTBERLET (*Dogmat. Theol.* t. VII § 349); SIMAR (*Lehrb. d. Dogm.* I § 104); KATSCHTHALER, SCHWETZ, HURTER, etc. — ex exegetis: VIGOUROUX (*Livres Saints et Critique ration.* t. IV); KNABENBAUER (*Curs. Scrip. Sacr. — Comm.* in Is. VII); etc., etc.

* The early days of Christianity c. 19, iuxta versionem Cl. TANQUEREY (Op. cit., t. I, p. 603, sq.).

QUAESTIO XXIX.

DE MATRIS DEI DESPONSATIONE.

De nexu et ordine Quaestionis. - Nexus huius Quaestionis cum praecedentis Quaestionis doctrina est manifestus. Etenim si B. Maria semper Virgo permansit, quonam spectat matrimonium cum Ioseph ab ea initum? Imo si castitatis votum emisit, quomodo potuit prudenter et sincere sibi deligere sponsum, atque coniugali more vitam communem cum illo inire? Quare dilemma videtur contra Mariam urgere: aut B. Virgo non emiserat votum, aut matrimonium eius cum Ioseph non fuit matrimonium verum.

Unde S. Thomas ordine valde logico quaerit 1) de *convenientia* huius desponsationis, 2) de eius *virtute* seu charactere.

ARTICULUS I.

UTRUM CHISTUS NASCI DEBUERIT DE VIRGINE DESPONSATA.

I. **De ipsa Quaestione.** Ubi agitur de scrutandis operibus divinis principium est fundamentale, nihil decere a Deo fieri, quod altiori bono noceat, et ad id quod intenditur, inefficaciter conducat.

Iam vero talis videtur fuisse desponsatio B. Virginis. Etenim *a*) altiori bono potius obfuit, quatenus miraculum occultabat, cui fides nostra innititur, nempe ortum Christi de Virgine Matre. - *b*) Inefficax ad intentum obtinendum pariter fuit, in quantum celare non valuit, saltem diabolo, modum quo Christus ortus erat. - *c*) Cui duplici rationi si addideris, desponsationem supponere animum a virginitate servanda aversum, habebis congesta paucis quaecumque contra B. V. desponsationem militare videntur.

2) Paucis pariter ad haec tene solutionem. - *a*) Quotiescumque duo obiecta secum pugnant, sapientiae divinae est id

intendere directius, quod aliter vix, aut non tam bene obtineri potest. In casu pugnabant inter se ortus Christi manifestatio per absentiam patris, et famae matris custodia per patris praesentiam. Quum divina Christi dignitas aliis mediis manifestari posset, custodiri autem fama matris vix alio posset medio, sapientia divina - quin et filialis pietas, - hoc alterum praetulerunt. - Haec autem responsio supponit, virgineum ortum Christi istis adnumerandum esse miraculis, quae ad initialem fidem exigendam diriguntur. Sed neque de hoc constat. Unde magis truncatur difficultas negando, ortum Domini ad talia pertinere miracula, nisi postquam credatur, quatenus fidem corroborando auget. - Qua negatione iam non solum recusatur difficultas, sed et retorquetur. Etenim, si virgineus ortus miraculum est *de quo,* non *per quod* sit fides, oportet ut sit *argumentum non apparens;* quod obtinetur melius, si desponsationis velo obtegatur.

b) Duplex movenda quaestiuncula quoad secundam obiectionem occurrit: α) an diabolus ortum Christi certo cognoscere potuerit; β) an dignitatem Christi ante eius mortem certo cognoverit. De utraque quaestione verbulum sit. α) Desponsatio certo inserviit, ut a complendo mysterio diaboli attentio averteretur. Unde hoc sensu verissime loquuntur Patres. - Nihilominus sedula attentione adhibita poterat diabolus, per viam negativam, videndo scilicet servatam B. V. virginitatem intactam, suspicari aliquid excelsi; ast ipsam internam operationem Spiritus Sancti Incarnationem Verbi producentis, cernere nullatenus valebat. - β) Pariter in decursu vitae Redemptoris, diabolus dignitatem Christi semper magis ac magis suspicatus est; plenissime autem eam nunquam agnovit; secus Christi mortem, utpote qua, contrito capite serpentis, satanicum imperium corruit, impedivisset potius quam provocasset.

c) Tertia obiectio duo gratuito supponit: α) desponsationem iniri non posse, neque matrimonium existere, quin ineuntium animus ad idem consummandum ordinetur [1]; - β) Mariam ope illustrationis internae non potuisse ante desponsationem certiorem reddi de virginali sua integritate a viro castissimo cui desponsaretur, castissime servanda [2].

[1] De hoc quaeremus ex professo in articulo sequenti.
[2] Cf. dicenda in proxima Appendice.

II. **Ad Textum.** *1 Obj.* Non attendit ad dicta 2) *c*) α) et β).

2. Obj. Negligit dicta 2) *a*); ubi attende progressionem in modo hanc obiectionem refellendi.

3. Obj. Non considerat duplex membrum 2) *b*). Vide dicenda in resp.

4. Obj. Falso supponit, adulterarum punitionem solummodo in coniugatas esse latam, et non etiam in puellas in patris domo violatas.

Sed contra est. Adde et loca Scripturae in art. seq. afferenda. Huc facit indirecte absurdus error quorumdam Manichaeorum somniantium B. Virginem non fuisse vere *mulierem* [1]. Quam haeresim condemnant quaecumque in Scripturis de desponsatione et maternitate B. Mariae dicuntur; insuper verba Christi eam *mulierem* appellantis [2], et Pauli Christum *de muliere* factum affirmantis [3].

In Corpore. En schema huius *Corporis*

Christum de desponsata Virgine nasci decuit:

- A) *propter ipsum Christum:*
  1) ne reiiceretur ut illegitimus;
  2) ut genealogia eius per virum texi posset;
  3) ut puer contra diabolum tutelam haberet;
  4) ne deesset qui de suo victu curam gereret.
- B) *propter matrem Christi:*
  1) ne lapidaretur ut adultera;
  2) ne infamiam incurreret;
  3) ut in exilio a Ioseph iuvaretur.
- C) *propter nos:*
  1) quia inde maior accrescit auctoritas virgini Matri ex testimonio S. Iosephi;
  2) imo maior auctoritas ipsi Mariae se virginem concepisse dicenti;
  } unde iuvatur nostra *fides.*
  3) ut caute virgines propriam famam servandam discant.

Observa: 1) Rationes B) 1) et 2) maxime intime coniunguntur; potuissent utique ordine inverso, per gradationem disponi.

2) Ratio C) 2) Supponit S. Iosephum iam rei conscium.

[1] Cf. *Directorium Inquisitionis,* p. 2, q. 13.

[2] Ioann. ii, 4; et xix, 26.

[3] Galat. iv, 4.

Non enim valet pro ipso, sed pro aliis. Inde B. Maria reliquit Angelo curam ut eam coram Iosepho defenderet. Etenim per se ratio prima valebat pro Iosepho, si Virgo seipsam defendere voluisset.

Quaeres. Quo spectat ratio A) 2) petita a genealogia texenda, si B. Virgo potuit esse de stirpe Aaron?

Lex erat apud Iudaeos ut inter eamdem tribum matrimonia inirentur; ita tamen ut exciperetur tribus regia, cui licitum erat coniungi cum tribu sacerdotali. Unde potuit Elisabeth esse cognata B. Virginis, licet Zacharias ad tribum sacerdotalem pertineret. Hanc oeconomiam ita exponit S. Epiphanius: « Unde et Maria duplici cum Elizabetha cognatione « ac necessitudine coniuncta fuit; et Iacobus sacerdotii digni« tate praestitit. Quandoquidem duae illae tribus solae invicem « nuptiarum commercio iungebantur; regia, inquam, cum « sacerdotali, et sacerdotalis cum regia. Quemadmodum olim « sub egressionis ex Ægypto tempus, Naasson tribus Iudae « princeps Elizabetham illam priorem Aaronis filiam duxit. « Ex quo factum est, ut complures haereticorum sectae Chri« sti Domini prosapiam ac genealogiam ignorent, atque ob « illam suam haesitationem fidem abrogent, ac veritatem « oppugnare se putent, cum illud obiiciunt: Qui fieri potest, « ut quae ex Davidis ac Iudae stirpe sit oriunda, Elizabethae, « quae ex Levitico genere esset, cognata fuerit? » [1].

Quidquid ergo sit de coniunctione eius familiae cum tribu sacerdotali, B. Virgo primario ad tribum Iudae pertinere dicenda est, quia Christus, quem Virgo concepit, est per Davidem filius Iudae. Quare, etsi lex non praescribebat connubia inter eamdem stirpem ex eadem tribu, certum est Mariam ortum duxisse ex David, haud secus ac Ioseph. Quum autem mos non esset genealogiam texere per feminas, oportuit ut sponsus adesset per quem texeretur. Quae ratio attentius perpensa supponit, neutram e duabus genealogiis quae apud S. Matthaeum et S. Lucam occurrunt, esse genealogiam ipsius B. Virginis, sed utramque, licet per duplicem viam, S. Ioseph genealogiam exhibere.

[1] *Adv. Haeres*, l. III, t. 2, haer. 78, n. 13. — *P. G.* XLII, 721 A.

ARTICULUS II.

UTRUM INTER MARIAM ET IOSEPH FUERIT VERUM MATRIMONIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** Quaestio praesens reducitur ad duo: 1) utrum usus carnalis ad matrimonii essentiam spectet; 2) utrum vinculum inter Mariam et Ioseph limites desponsationis praetergressum sit.

I) Prima quaestio, quae *iuris* est, solvitur distinguendo inter ius utendi et ipsum usum. *a*) Non datur verum matrimonium sine mutuo iure in mutuum corpus, saltem radicaliter per se. Proin in casu, si verum matrimonium exstitit inter Ioseph et Mariam, talis traditio facta est; sed utrimque, sub inspiratione divina, cum intentione eodem iure non utendi - Ast *b*) ipse usus mutui corporis ad essentiam matrimonii non spectat; quod probatur tum ex ipsa re: remanent enim bona fidei et sacramenti; tum ex Sanctorum exemplo, qui virgines in matrimonio permanserunt. - *c*) Quare si verum esse potest matrimonium sine usu carnali, possunt sponsus et sponsa, qui ambo sciunt se virginalem vitam degere velle, imo id promissione voverunt per se nihilominus matrimonium inire.

Placet hanc doctrinam - praeter exempla Eleazari et Delphinae, Eduardi et Edithae, Catharinae et Eghardi, Henrici et Cunegundis, - aliquibus auctoritatibus fulcire. Et sane S. Paulus essentiam vinculi coniugalis collocat in traditione mutuae potestatis [1]. - Unde S. Ambrosius ait: « Connubium « non facit defloratio virginitatis, sed fides et pactio coniu- « galis » [2]. - S. Augustinus pluries hanc doctrinam affirmat, maxime in operibus *De bono coniugali* et *De nuptiis et concupiscentia*. Imo Hipponensis doctrinam de triplici bono matrimonii praecipue evolvit. Caeterum, quum expresse tenuerit, verum inter B. Mariam et S. Iosephum matrimonium exstitisse, uti mox videbimus, nequit praesentem doctrinam non tenuisse. Inde Armentarium Paulinamque, qui in vita coniugali castitatem voverant, his verbis adhortatur:

[1] I. Cor. vii, 4.
[2] *De instit. virg.* c. 6.

« Sit vester consensus oblatio ad supernum altare Creatoris; « et, victa concupiscentia, tanto fortius quanto sanctius vin- « culum caritatis » [1]. - S. Isidorus Hispalensis pariter affirmat: « Coniuges verius appellantur a prima desponsationis fide, « quamvis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus » [2].

Hugo Victorinus fuse de hoc argumento disserens, haec statuit principia: « Spontaneus consensus inter virum et femi- « nam legitime factus, quo uterque alteri debitorem sui se « spondet, iste est, qui coniugium facit. Et coniugium est ipsa « societas tali consensu foederata, quae altero vivente, alte- « rum ab altero non absolvit. Est adhuc alius consensus, « scilicet carnalis commercii ad invicem exigendi atque red- « dendi, similem inter virum et mulierem pactionem con- « stituens, comes et non effector coniugii, officium et non « vinculum: qui et ipse tamen cum pari ab utroque voto « suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur.... Sed « huius debiti necessitas illos coniugatos sibi ad invicem non « subiicit, in quibus dum coniugium contraheretur vel san- « ciretur, huius operis consensus non praecessit. Nec tamen « hoc officio cessante veritatem sive virtutem coniugii cessare « credendum est, imo potius tanto verius et sanctius coniu- « gium esse, quod in solo charitatis vinculo, et non in con- « cupiscentia carnis et libidinis ardore foederatum est. Quid « enim? In concupiscentia carnis coniugium sanctum esset, « et in charitate non esset? Absit! Sed multo verius ac iustius « ibi sanctum et verum dicitur, ubi nihil habet castitas unde « erubescat, sed charitas unde glorietur » [3]. Et infra haec B. Mariae applicans ait: « Aut propterea virum habere con- « sensit haec sancta, ut celaret propositum eius, approbante « et hoc ipsum Ioseph et idem proponente; aut, si forte « huius propositi conscius non erat ipse Ioseph (quod fieri « potuit), parentibus nuptias imperantibus inobediens esse « timuit, et ob hoc viro nubere consensit, speciali - (per Spi- « ritum Sanctum qui eam a principio castitatis amore accen- « derat) - fiducia confirmata et spe, quam in Deum habebat « non dubia, quod eam divina misericordia ita custodiret, ut

[1] Epist. 127, n. 9. — Nec aliter in epist. ad Ediceam (Epist. 262, n. 3).
[2] *Etymol.*, l. IX, c. 7. Desponsatio hic sumitur in sensu de praesenti.
[3] *De B. Mar. Virginit.* — *P. L.* CLXXVI, 859, sq.

« posset et voluntatem parentum in matrimonio contrahendo « obedientiam exhibere, et tamen nihil in eodem matrimonio « impedimenti inventura esset pro quo votum castitatis.... « cogeretur frangere. Suscepit ergo coniugium, sed non mu- « tavit virginitatis propositum [1].

S. Thomae doctrina patebit ex mox dicendis. - Ex S. Bonaventura placet unam saltem adducere sententiam: « Com- « mixtione corporali coniugium perficitur, non quantum ad « veritatem et sanctitatem coniugii, sed quantum ad signifi- « cationem, quia perfectius unionem Christi et Ecclesiae tunc « figurat » [2]. - Inde Catechismus Romanus ait: « Parochi fide- « libus tradent, matrimonii naturam et vim in vinculo et « obligatione sitam esse; ac praeter consensum...., ut verum « matrimonium existat, concubitum non necessario requiri; « nam et primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla « inter eos carnalis copula intercesserat, ut Patres testantur, « vero matrimonio iunctos fuisse plane constat » [3]. - Et Benedictus XIV facta egregia distinctione totum complectitur: « Tria in matrimonio potissimum spectanda sunt: substantia, « usus et finis. Substantia est mutua in corpus potestas: usus « est copula coniugalis, qua vicissim in sua sibi corpora tra- « dita potestate utuntur; finis denique est liberorum pro- « creatio. Usus a substantia seiungi, et substantia sine usu « esse potest. Omnis enim potest esse in matrimonio sub- « stantia sine fine » [4].

Obiicies. Esto: haec omnia ostendunt, matrimonium posse quidem existere sine usu nec fine; sed non demonstrant, usum et finem posse ab ineunte matrimonium excludi. Iam vero hunc finem et hunc usum excludit quicumque voto continentiae sive virginitatis obstrictus, matrimonium iniret; imo quomodo potest talis alteri tradere potestatem in proprium corpus quum eam ipse non amplius possideat?

Fatendum est, has obiectiones non carere subtilitate. Imo movent adversarios, - uti Salmanticenses [5], Sanchez [6], - ut

[1] Ibid. 869, sq.
[2] IV Sent. dist. xxv.
[3] P. II, n. 5.
[4] *De festis B. M. V.*, c. 1, n. 6.
[5] *Curs. theol. mor.* tr. IX, *de Matr.*, c. 7, dub. 3, n. 95.
[6] L. V, *De Matr.* disp. 10, n. 2.

oppositum teneant. Qui et arguunt ex loco, in quo S. Thomas recusat matrimonium initum cum conditione a muliere apposita: « dum tamen non cognoscas me » [1].

Unde sequentia tene. *a*) Verum quidem est, non licere illi qui castitatem vovit, matrimonium inire, nisi a voto dispensetur. - *b*) Verum est, matrimonium cum tali voto initum, - si tamen matrimonium voto servato valeret, - iniuriam facere comparti, quae non solum intendit ius radicale acquirere in rem, sed et ius in usum rei. - *c*) Impotentia nihilominus in qua relate ad matrimonii usum se constituit ille qui castitatem vovit, non est aequiparanda impotentiae physicae, quae utique invalidat contractum, quia radicalem perfectionem matrimonii tollit [2]. - *d*) Quare, potest aliquis valide tradere potestatem in proprium corpus, excluso fine eiusdem traditionis; essentiae enim rei sufficit forma constitutiva eiusdem, seu finis ille qui cum illa operatione identificatur per quam res in sua formalitate essentiali constituitur [3]. - *e*) Ut autem licite aliquis id agat, - α) oportet si in ipso actu contrahendi matrimonii hoc pactum inire velit, ut altera pars hanc clausulam cognoscat et ratihabeat; - β) si autem, (abstractione facta a quavis positiva Ecclesiae legislatione), votum castitatis praecesserit, et libere matrimonium ineat, oportet ut certitudinem habeat coniugale pactum huic voto non fore nocivum; - γ) quodsi coactionem subeat, oportet ut saltem de Dei auxilio possibilitatem servandi voti aut robur ad idem non violandum expectet.

Quare si B. Maria ex una parte castitatis votum et quidem absolutum emisit, et ex altera parte in veri matrimonii conditione cum B. Iosepho vixit, requiritur ut nuptiae B. Virginis iuxta unam ex his tribus hypothesibus legitimae praedicentur; ex quibus sane secunda praeferenda est, quum simul in B. Virgine propositum, in B. Ioseph sublimiorem concordiam, et in ipsis nuptiis nobiliorem libertatem servet excellentius.

II) Et ita gressum ad 2m quaesitum movemus, utrum scilicet inter B. Virginem et S. Iosephum intervenerit praeter spon-

[1] *Suppl.* Q. XLVIII, a. 2 ad 3.m — a. 4, corp.

[2] Cf. De hac impotentia physica intelligenda sunt verba S. Thomae in *Supplem.* Q. LVIII, c. 1.

[3] Cf. S. Th. Ibid. Q. XLII, c. 4; I Q. LXXIII, a. 1.

salia verum coniugale pactum. Et quidem duo hic quaerenda occurrunt: 1) utrum verum fuerit matrimonium; 2) quando inter Mariam et Ioseph intercessit nuptiale vinculum. Iam vero quidquid sit de dubiis locutionibus quae apud nonnullos Patres occurrunt, maxime apud S. Hieronymum et S. Bernardum, putamus ex narratione Scripturarum uti probabilissimum erui, habitudinem inter B. Mariam et B. Ioseph fuisse sponsalem, in sensu matrimonii rati, virgineo animo utrimque initi. Insuper Annuntiationem probabilius factam esse, dum B. Virgo iam degebat in domo Ioseph, et quidem tempore quod decurrit inter sponsionem de futuro et nuptias de praesenti.

Breviter hanc sententiam exponamus percurrendo varias narrationes evangelicas quae de hoc mysterio agunt. Et sane 1) id suggerit narratio *Annuntiationis*. Etenim *a*) tali modo exorditur, ut B. Virgo appareat tanquam virgo sponsa, nondum uxor. « Missus est Angelus.... ad virginem desponsatam « viro... et nomen virginis Maria ». Si erat mere desponsata, nihil erat superaddendum; si iam uxor, res fuisset exprimenda. - *b*) Nec satis. Maria reponit simpliciter: « ἐπεὶ ἄνδρα « οὐ γινώσκω. » Iam vero si fuisset Iosepho iam maritata, dicere debuisset « τὸν ἄνδρα ». - *c*) In domo tamen Ioseph iam erat B. Virgo, iuxta Hebraeorum morem [1]. Nam quum haec relatio, uti mox videbimus, protracta sit usque dum mysterium in Virgine completum exterius appareret, quomodo fuisset Mariae famae provide consultum, si iam gravida nondum in domo sponsi degebat? [2]. 2) Eamdem sententiam expressius evolvit narratio *visionis Ioseph*. *a*) « Cum esset *desponsata* « mater Jesu Maria Ioseph, antequam *convenirent*, etc. ». Scilicet iuxta usum, de quo modo dicebamus, Maria desponsata Ioseph, iam in domo sponsi habitabat. *Convenire* igitur ponitur pro actu quo solebant vel solent nuptiae consummari. Fateor tamen hanc vocem opportune etiam explicari si nondum cohabitarint: tunc enim dicit ipsum actum cohabitandi [3]. -

[1] Cf. textum S. Chrysostomi allatum in resp. ad 3.

[2] Ob hanc rationem potius admitterem Annuntiationem factam esse post initas virgineas nuptias, quam ante nuptias in domo paterna Virginis. Cf. et dicenda in resp. ad 3.

[3] Cf. dicenda in resp. ad 3.

b) « Et nollet eam *traducere* », sive iudici puniendam iuxta legem, sive solummodo factum vulgando, eamque infamia mulctando [1]. - *c*) « Voluit occulte *dimittere* eam », quia nondum eam de praesenti uti uxorem acceperat, sed erat solummodo ipsi desponsatus. - *d*) « Noli timere *accipere* Mariam « *coniugem* tuam »; id est de sponsalitiis ad matrimonium transire. - *e*) Quod et Ioseph fecit: « Fecit sicut praecepit ei « angelus, et *accepit* Mariam coniugem suam ». Id est, quam hucusque dumtaxat sibi desponsatam habebat, iam nuptiali vinculo sibi coniunxit.

Una difficultas remanet iuxta hanc interpretationem, de tempore scilicet breviori post solemnes nuptias elapso usque ad nativitatem Domini, si ante nuptias iam apparuerit mysterium in Virgine impletum; unde non satis videtur famae Virginis provisum. Haec difficultas, vix utique solubilis, si, contra traditionem, Annuntiatio supponitur facta Virgini nondum in domo Ioseph degenti, in nostra sententia sat facile solvi potest. Modeste quum pro conditione sua pauperiori viverent, Ioseph et Maria, desponsati cohabitare coeperunt, ea mente ut virgines ambo remanerent, nec solemnitate publici festi nuptias celebrarent. Proinde adhuc erant simpliciter sponsi quum iam matrimonio iuncti crederentur. Ita, habita caelesti monitione potuit Ioseph *accipere* Mariam *coniugem* suam; quae, impleto tempore ut pareret, Filium edidit, quin extranei suspicari potuerint brevius tempus elapsum inter angelicum monitum et Filii ortum.

Et sane tempus hoc non immerito dicitur brevius, licet mysterium exterius iam apparuerit. Etenim, quum velocior fuerit evolutio divinae Prolis quam iuxta communes leges naturae contingere solet, miraculum etsi recens, iam gravedinis potuit signo apparere [2].

[1] De sensu: traducere in domum suam, vel in sponsam, cf. ibidem dicenda. De indole autem dubii S. Iosephi vide in proxima appendice.

[2] Si tamen quis hoc tempus diutius teneat, poterit per aliam hypothesim rem totam componere. Scilicet, B. Ioseph mysterium detexerit quando B. Virgo ab Elisabeth redux domum petiit. Nam probabile videtur, B. Ioseph sponsam in hoc itinere non esse comitatum *; quin tamen ideo B. Virgo sola per montana perrexerit:

* Non desunt tamen, uti S. Bonaventura, S. Bernardinus Senensis, Suarez, Caietanus, qui existiment S. Ioseph una cum uxore visitasse Elisabeth. E regione Benedictus XIV ait: « Comitem vero illi fuisse Iosephum, tuto affirmari non potest ». (Op. cit., c. 5, n. 4).

3) In narratione *nativitatis* Iesu occurrit locutio veritatem matrimonii pariter suadens: « Ascendit.... Ioseph a Gali- « laea..., ut profiteretur cum Maria desponsata sibi *uxore* « praegnante » [1]. Et sane Maria non solum vocatur desponsata, sed *desponsata uxor*. Quae locutio relationem e virginali matrimonio ortam egregie depingit.

4) Accedit gemina narratio *pueri in templo praesentati* atque *reperti*. « Cum inducerent puerum Iesum *parentes* « eius » [2]. « Et ibant *parentes* eius per omnes annos in Ieru- « salem.... Remansit puer Iesus in Ierusalem; et non cogno- « verunt *parentes* eius » [3]. Sane non possunt haec verba ita accipi, quasi Ioseph esset naturalis pater Iesu. Id enim multipliciter excluditur. Unde mox idem Evangelista dicet: « Ut « putabatur, filius Ioseph » [4]. Et Angelus fugam in Ægyptum iubens, ait: « Accipe puerum et matrem eius » [5]. Nihilominus negari nequit, communem appellationem *parentum* longe melius convenire Iosepho et Mariae, si vinculo veri matrimonii inter se coniungantur.

A fortiori id valet de verbis B. Virginis ad puerulum Iesum in templo inventum: « Fili, quid fecisti nobis sic? « Ecce, *pater tuus* et ego dolentes quaerebamus te! » [6]. Esto, Mariam ita locutam esse, ad secretum sacrae Familiae sub arcani lege tuendum. At rursus, longe plus S. Ioseph vocari potest pater Iesu, si Iesu Mater sit eius uxor, quam si ei mere sit desponsata [7].

De doctrina Patrum, scriptorumque sacrorum necnon de Liturgia dicemus in *Sed contra est.*

II. **Ad Textum.** *Obj. 1 et 2.* Procedunt ex significatione usuali vocis *mariti* et *nuptiarum*. Nisi dicatur, istos Patres,

gravis enim socia ei ad latus fuisse credenda est. Imo in hac hypothesi Maria, parvo intervallo ab Annuntiatione elapso, hoc iter instituerit. Modo tamen nuptiae hoc iter praecesserint; secus inter nuptias et nativitatem Prolis decens spatium deesset ad famam Virginis Prolisque tuendam.

[1] Luc. II, 4 sq.
[2] Ibid. vers. 27.
[3] Ibid. vers. 41, 43.
[4] Ibid. III, 23.
[5] Matth. II, 20; cf. 21.
[6] Luc. II, 48.
[7] Cf. dicenda in Appendice.

saltem Hieronymum, revera putasse Mariam et Ioseph fuisse solum desponsatos, non vero matrimonio iunctos. Hi tales quomodo solvant verba « accipere Mariam coniugem tuam » minus apparet. Facilior e contra esset sententia iuxta quam desponsatio, de qua in initio huius narrationis sermo est, iam de unione nuptiali esset intelligenda, et verba « noli « timere accipere Mariam coniugem tuam », idem significarent ac « noli eam recusare ».

Obj. 3. Si quis teneat, Annuntiationem factam in domo parentum Sponsae ante nuptias celebratas, explicare debet *traducere* vel in sensu *traducere in domum suam,* quod contextui minus consonat [1], vel modo quo supra diximus; *accipere* tunc est eam in domum nubendam accipere, et *dimittere* est rumpere desponsationis vinculum. Quae omnia satis bene teneri possent, nisi traditio alia esset, et nisi in hoc casu famae Matris et Prolis minus provisum videretur.

Quare omnibus perpensis, sententiae supra expositae potius adhaeremus.

Sed contra est. Iam argumenta ex Scripturis superius attulimus. Superest ut sententiam inde expositam per Patrum Scholarumque doctrinam, necnon per Liturgiam illustremus.

1) Verum est, apud nonnullos *Patres* loquendi modos occurrere, qui relationem Iosephi cum Maria ad mera sponsalia reducere videntur. Ita S. Hieronymus ait: « Quod autem « in somnis dicitur ad Ioseph: " Ne timeas accipere Mariam « uxorem tuam ", et rursum: " Exsurgens Ioseph a somno,... « accepit uxorem suam ", nullum movere debet, quasi ex eo « quod uxor est appellata, sponsa esse desierit; cum hanc « esse Scripturae divinae consuetudinem noverimus, ut spon- « sas appellet uxores » [2]. Sed facile erat contra Helvidium agenti urgere nimis discrimen inter commune matrimonium, et relationem quae B. Virginem S. Iosepho uniebat. Eodem

[1] Licet vox latina hunc sensum ferre valeat, recusat hanc interpretationem vox graeca παραδειγματίσαι, si conferatur cum loco simili epist. S. Pauli ad Hebraeos *, ubi versio latina dicit « crucifigentes ». At in epist. ad Colossenses ** invenitur locus ubi ἐδειγμάτισεν (traduxit) sumitur in sensu ostensionis gloriosae.

[2] *De perpet. virginit. B. M.,* n. 4. — *P. L.* XXIII, 196 B. — Cf. in MATTH. I. Ioseph « nutricium, non maritum ».

* Cap. VI, 6.
** Cap. II, 15.

modo salvari potest locutio S. Petri Chrysologi: « Ioseph ma-« ritus solo nomine, conscientia sponsus » [1]. Difficilius S. Bernardus ad hunc sensum trahi potest: « Debuit ergo vir eius « appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salva-« toris, non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, « dicente hoc ipso Evangelista: " Et ipse Iesus, etc. ". Nec « vir ergo Matris, nec Filii pater exstitit; quamvis certa, ut « dictum est, et necessaria dispensatione utrumque ad tem-« pus et appellatus sit et putatus » [2]. Et sane, si Ioseph non fuit magis vir Mariae quam Pater Iesu, vix verum matrimonium teneri potest inter B. Virginem et Sponsum eius. At, si vir sumitur in sensu qui involvit veram paternitatem quoad filium, rursus fatendum est, B. Ioseph hoc sensu non fuisse Mariae virum.

S. Augustinus ex omnibus Patribus magis lucide et expresse evolvit sententiam quam hic vindicamus, idque praestitit tum *a*) per analysim matrimonii in seipso, tum *b*) per argumentum ex Scripturis.

a) « Omne itaque, ait, nuptiarum bonum impletum est in « illis parentibus Christi: proles, fides, sacramentum. Prolem « cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum « adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi « nuptialis concubitus non fuit... » [3]. - *b*) Et arguens ex Scripturis α) ex voce *coniuge*. « Hoc putemus, Evangelistam « facere potuisse, cum vel sua, vel cuiuslibet alterius homi-« nis verba narraret, ut secundum opinionem hominum lo-« queretur. Numquid et Angelus loquens unus ad unum, « contra conscientiam et suam et ipsius cui loquebatur, secun-« dum opinionem potius quam secundum veritatem fuerat « locuturus, qui ei dixit: " Noli timere accipere Mariam « coniugem tuam? " » [4]. - Et β) ex voce *parente*: « Propter « quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo me-« ruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater « eius, sicut coniux matris eius; utrumque mente, non carne....

[1] Serm. 157.

[2] Homil. 2 sup. *Missus est,* n. 15. — *P. L.* CLXXXIII, 69, B C.

[3] *De nupt. et concup.,* l. I, c. 11, n. 13. — *P. L.* XLIV, 427. — Cf. *Ctr. Iulian.,* l. V, c. 12.

[4] *Ctr. Iulian,* l. V, c. 12, n. 47. — *P. L.* XLIV, 811.

« Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur: " Et erant « pater eius et mater mirantes ", etc. » [1].

Iam ante Augustinus hoc animo Tertullianus B. Virginem vocaverat « univiram » [2]. Et S. Epiphanius habitudinem B. Mariae ad S. Ioseph exhibet uti virgineam utique, at nuptialem. Imo ipse S. Hieronymus hoc sensu loquitur de « pene licentia maritali », qua S. Ioseph cum Virgine utebatur [3].

Haec sententia semper magis magisque invaluit in Scholis, ita ut tempore Angelici passim admitteretur. Imo Suarez [4] voluit hanc sententiam ad fidei dogmata pertinere. Sed notum est, quam cito hic theologus aliquid de fide proclamet. Unde cautius Benedictus XIV [5] oppositam sententiam temerariam vocat.

2) Et sane *Liturgia* utriusque Festi *Desponsationis B. M. V.* et *Sacrae Familiae* longe magis consona est sententiae, quae verum B. Mariae cum S. Iosepho matrimonium tenet. In prima enim solemnitate occurrit narratio evangelica in qua leguntur verba: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam ». - Altera autem solemnitas eloquenter eamdem sententiam commendat. Et sane ipse titulus *Sacrae Familiae* eo pressior est, quo arctior nexus Matrem cum Sponso suo connectit. Iam vero inter textus liturgicos huius festi non desunt, qui hunc nexum exprimunt. Ita in hymno ad Matutinum canitur:

Assidet Nato pia Mater almo,
Assidet Sponso bona nupta....

Et in hymno ad Laudes:

Adest amoris particeps
Curaeque Ioseph coniugi....

Evangelium autem festi est narratio de Iesu a parentibus amisso et invento, eisque subdito; quae narratio, uti vidimus ex

[1] *De nupt. et concup.*, l. I, c. 11, n. 12. — *P. L.* XLIV, 421. — Cf. *De consens. Evang.*, l. I, c. 1, n. 3.

[2] Loc. cit.

[3] In cap. I MATTH.

[4] In III. — Q. XXIX, a. 2, sect. 1.

[5] Op. cit., l. II, c. 1.

Augustino [1] connubium virginale inter B. Mariam et S. Ioseph maxime commendat.

3) Nec taceri possunt hic eloquentia verba quibus Leo XIII in epist. encycl. « *Quamquam pluries* » de implorando auxilio B. Iosephi, non solum diserte proclamat nuptiale vinculum quo hic Patriarcha cum B. Virgine coniungebatur, sed inde argumentum desumit celsissimae sanctitatis huius preclari virgineique Sponsi: « Certe Matris Dei tam in excelso dignitas « est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit « Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinclum, ad illam « praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus « longissime Deipara antecellit, non est dubium quin acces- « serit ipse, ut nemo magis. Est enim coniugium societas « necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adiun- « ctam habet bonorum unius cum altero communicationem. « Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit « profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tuto- « rem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso con- « iugali foedere participem » [2].

Adde his omnibus argumentis ex Scripturis, e Patribus, e Liturgia, ex Ecclesiae auctoritate desumptis, rationem congruentiae, quatenus decebat matrimonium christianum non carere tanto solamine tantoque exemplari; quatenus non virgines modo sed et coniugati in B. Iosepho et B. Virgine speculum sibi haberent. Audiatur rursus Leo XIII. « Habent « in Iosepho patres familias vigilantiae providentiaeque pa- « ternae praestantissimam formam; habent coniuges amoris, « unanimitatis, fidei coniugalis perfectum specimen; habent « virgines integritatis virginalis exemplar eumdem ac tu- « torem » [3].

Quaeres. Quodnam fuit substratum huius matrimonii utrimque virginalis? - Resp. Haec ipsa virginitas mutuo servanda, veluti ex iure reciproci dominii. Optime Rupertus noster: « O coniugium verum et sanctum, coniugium caeleste, « non terrenum! Quomodo enim, vel in quo coniugati fue- « runt? Nimirum in eo quod unus spiritus et una fides erat

[1] Cf. et Bossuetium mox afferendum.

[2] Ep. encycl. 15 Aug. 1889. — Edit. Desclée. t. III, p. 273, sq.

[3] Ibid. p. 175.

« in eis » [1]. - Eloquentissime idem evolvit Bossuetius: « Mais « de quelle sorte se sont-ils donnés? Pureté, voici ton triom- « phe. Ils se donnent réciproquement leur virginité, et sur « cette virginité il se cèdent un droit mutuel. Quel droit? « De se la garder l'un à l'autre. Oui, Marie a droit de gar- « der la virginité de Joseph, et Joseph a droit de garder la « virginité de Marie. Ni l'un ni l'autre n'en peut disposer, « et toute la fidélité de ce mariage consiste à garder la vir- « ginité. Voilà les promesses qui les assemblent, voilà le traité « qui les lie. Ce sont deux virginités qui s'unissent, pour se « conserver éternellement l'une l'autre par une chaste cor- « respondance de désirs pudiques; et il me semble que je « vois deux astres, qui n'entrent ensemble en conjonction, « qu'à cause que leurs lumières s'allient. Tel est le nœud « de ce mariage, d'autant plus ferme, dit saint Augustin [2], « que les promesses qu'ils se sont données doivent être plus « saintes » [3].

Ex ipso matrimonio inter Mariam et Ioseph, habes unde confundas Adamianos dicentes matrimonium, uti per se malum, damnandum esse; Tatianos affirmantes, matrimonium non esse nisi occultum meretricium; Catharos contendentes, matrimonium esse peccatum mortale [4].

In Corpore. En schema huius *Corporis:*

In matrimonio consideranda est perfectio	A) ipsius *formae:*	1) bonum *fidei;* 2) bonum *sacramenti.*	In matrimonio inter B. Virg. et S. Ioseph. utrumque adfuit;
	B) *finis:* 3) bonum *prolis*	*a) obtinendae:* superne suppletum est, *b) educandae:* plene adfuit.	

Corollarium I. Ex his quae in hoc articulo exposita sunt, vides quotuplici titulo S. Ioseph dictus sit pater Iesu. 1) Primus titulus est legalis, seu *putativus;* qui exprimitur per verba: « ut putabatur filius Ioseph ». Hic titulus finem principalem habuit, ut famae B. Virginis consuleretur, et eius genealogia texeretur. - 2) Secundus titulus S. Ioseph est pater

[1] In Matth., l. I, c. 1.
[2] *De nupt. et concup.*, l. I, c. XI.
[3] *Premier panégyrique de S. Ioseph.*
[4] Cf. Card. Turrecremata, *De Eccl.*, l. IV, c. 35.

nutritius. Unde in Ægypto et postea in Nazareth per honestissimum laborem augustae Familiae victum emeruit. Inde ipsi dicitur: « Fuge in Ægyptum, et esto ibi » [1]. Et de eo: « Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth » [2]. - 3) Insuper S. Ioseph erat pater Iesu, quatenus erat *vir matris* Iesu. Qui iam altior titulus insinuatur per illa loca Scripturae in quibus ambo vocantur Iesu parentes; unde audivimus S. Augustinum eleganter arguentem. Imo insinuatur quoties B. Ioseph vocatur Iesu pater. « Cum Lucas, ait Hip-« ponensis, narret non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria « Virgine natum Christum, unde eum patrem eius appellat, « nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine com-« mixtione carnis ipsa copulatione coniungi: et ob hoc etiam « Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus « sit, quam si esset aliunde adoptatus? » [3]. - 4) Crescit autem haec ratio, si consideramus Iesum, utpote filium B. Mariae, fructum esse veluti fundi, qui ad Iosephum *iure nuptialis dominii* spectabat. Hanc rationem, quae aliqualiter reperiri potest in verbis: « Accipe puerum et Matrem eius » [4], praeclare Bossuetius illustrat: « La pureté de Marie n'est pas seule-« ment le dépôt, mais encore le bien de son chaste époux. « Elle est à lui par les chastes soins par lesquels il l'a con-« servée. O féconde virginité! si vous êtes le bien de Marie, « vous êtes aussi le bien de Joseph. Marie l'a vouée, Joseph « la conserve; et tous deux la présentent au Père éternel « comme un bien gardé par leurs soins communs. Comme « donc il a tant de part à la sainte virginité de Marie, il en « prend aussi au fruit qu'elle porte; c'est pourquoi Jésus « est son fils, non pas, à la vérité, par la chair, mais il est « son fils par l'esprit, à cause de l'alliance virginale qui le « joint avec sa Mère. Et saint Augustin l'a dit en un mot: « " *Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari* « *ambo meruerunt* " [5]. O mystère de pureté! ô paternité bien-« heureuse! ô lumières incorruptibles qui brillent de toutes

[1] Matth. ii, 13.
[2] Ibid. 23.
[3] *De consens. Evang.*, l. ii, c. 1, n. 3. — *P. L.* xxxiv, 1072.
[4] Ibid. vers. 13.
[5] *De nupt. et concup.*, l. i, cap. xi. — *P. L.* xliv, 421.

« parts dans ce mariage! » [1] - 5) Imo augetur adhuc et quasi provide completur titulus, si perpenditur Deum B. Iosepho erga Iesum, utpote filium uxoris suae, *cor* vere *paternum* indidisse, quo sentiret quidquid patres secundum naturam erga prolem in pectore gerere solent. Qui paternus affectus maxime proditur in verbis: « Ecce pater tuus et ego dolentes quae- « rebamus te » [2]. Hunc affectum vere paternum, tam tenere Matris ipsius ore expressum, eloquenter rursus descripsit Bossuetius, quem B. Iosephi laudes celebrantem vix ullus aequavit, superavit nemo: « Qu'avez-vous, fidèle Joseph? « Qu'est devenu le sacré dépôt que le Père céleste vous a « confié? Ah! qui pourrait ici raconter ses plaintes. Si vous « n'avez pas encore entendu la paternité de Joseph, voyez « ses larmes, voyez ses douleurs, et reconnaissez qu'il est « père. Ses regrets le font bien connaître, et Marie a rai- « son de dire à cette rencontre: " Pater tuus et ego dolen- « tes quaerebamus te " [3]: Votre père et moi vous cher- « chions avec une extrême douleur. O mon Fils, dit-elle « au Sauveur, je ne crains pas de l'appeler ici votre père, « et je ne prétends pas faire tort à la pureté de votre nais- « sance. Il s'agit de soins et d'inquiétudes; et c'est par là « que je puis dire " votre père ", puisqu'il a des inquiétudes « vraiment paternelles: " Ego et pater tuus ": je le joins avec « moi par la société des douleurs ».

6) Hic paternus affectus, nuptiali iuri innixus, culmen suum attigit in *auctoritate,* qua, veluti caelestis Patris umbra, S. Iosephus, Sacrae Familiae caput, Iesum sibi docilem habere meruit, iuxta illud Scripturae: « Et erat subditus illis » [4]. Et de isto titulo placet Bossuetium audire: « Et d'où lui vient cette « hardiesse de commander à son Créateur? C'est que le vrai « Père de Jésus-Christ, ce Dieu qui l'engendre dans l'éter- « nité, ayant choisi le divin Joseph pour servir de père au « milieu des temps à son Fils unique, a fait, en quelque sorte, « couler en son sein quelque rayon ou quelque étincelle « de cet amour infini qu'il a pour son Fils: c'est ce qui lui

[1] Ibidem.
[2] Luc. II, 48.
[3] Luc. II, 48.
[4] Luc. II, 51.

« change le cœur, c'est ce qui lui donne un amour de père; « si bien que le juste Joseph qui sent en lui-même un cœur « formé tout à coup par la main de Dieu, sent aussi que « Dieu lui ordonne d'user d'une autorité paternelle; et il ose « bien commander à Celui qu'il reconnaît pour son maître ».

Haec omnia continet in germine illa brevis sententia S. Ioannis Chrysostomi: « Ὅπερ ἐστὶ πατρὸς ἴδιον, οὐ λυμαινόμενον τὸ τῆς παρθενίας ἀξίωμα, τοῦτό σοι δίδωμι » [1].

Ex dictis in hoc Corollario vides, non unico titulo, tanquam putativum patrem, B. Iosephum munera paternitatis exercuisse, uti in circumcisione Iesu, imponendo ei augustissimum nomen, et in praesentatione symbolicam pro eo hostiam offerendo.

Corollarium II. Licet matrimonium inter B. Virginem et S. Ioseph spirituale potius fuerit, nullus unquam exstitit sponsalis amor intensitate ac devotione maior, quam amor quo ambo in invicem castissime flagrabant. Nam si bonum fidei existit in matrimonio sine carnali usu, quo purior est haec fides, eo altiorem affectum supponit simul et excolit. Adde stimulum mutuae aestimationis, ob tot gratiarum charismata utrimque agnita. Adde summi amoris vinculum infinitae dulcedinis: ipsum Filium Dei. « Qui pourrait maintenant vous « dire, » exclamat saepe laudatus orator, « quel devait être « l'amour conjugal de ces bienheureux mariés? Car, ô sainte « virginité, vos flammes sont d'autant plus fortes, qu'elles sont plus « pures et plus dégagées » [2].

Brevissima totius quaestionis synopsis.

Propter Christi nascituri et propter Virginis Matris honorem et levamen, necnon propter nostram fidem et instructionem virginum, summe decuit de Virgine desponsata viro oriri Deum incarnatum (art. 1).

Porro vere nuptialis fuit unio inter B. Virginem et S. Ioseph, quum bona fidei et sacramenti in ea adfuerint, imo educatio prolis, caelitus quidem obtentae et non carnaliter intentae (art. 2).

[1] Homil. IV in MATTH., n. 6.

[2] Ibidem, lege et sequentia. — Cf. S. AUGUST., *De nupt. et concup.*, l. I, c. 11.

APPENDIX.

De virgineo Sponso B. M. V.

Locus est hic nonnulla addendi de illo praeclarissimo viro quem, uti loquitur Ecclesia, « Deus.... ineffabili Provi- « dentia sanctissimae Genitricis suae sponsum eligere dignatus est ». Breviter igitur disseremus 1) de B. Iosephi ortu, 2) de eius praefiguratione, 3) de circumstantiis eius desponsationis, 4) de eius dubio relate ad B. Virginem, 5) de eius virtutibus, in specie de perpetua eius virginitate, 6) de eius morte, 7) de eius cultu atque patrocinio.

1) **Ortus** S. Ioseph nullum dubium relinquit. Diserte enim eius origo de David ab Evangelistis describitur: « Missus est « Gabriel Angelus ad Virginem desponsatam viro, cuius « nomen erat Ioseph, de domo David ». Et expressius - nam praecedentia verba possunt referri ad virginem, - « Ioseph, « fili David ». Idem constat ex utraque genealogia. Unde et Ecclesia tum in festis S. Ioseph, tum in festo desponsationis B. Mariae hanc originem proclamat.

At licet de regia stirpe oriundus, Ioseph modestam vitam artificis degebat: « Nonne hic est fabri filius? » [1]. Imo ipse Iesus eamdem vitae normam ante vitam suam publicam tenuit: « Nonne hic est faber? » [2]. Τέκτων autem maxime dicitur de fabro in opere lignario *(falegname)*.

2) **Praefiguratus** autem fuit B. Ioseph per Patriarcham eiusdem nominis, cui in Ægypto salutem totius populi electi divina Providentia commisit. Quam praefigurationem, ab Ecclesia disertissime praedicatam in festo Patrocinii S. Ioseph, - de quo in fine dicemus, - Pius IX egregie proclamavit in Decreto de eodem Patrocinio 8 Dec. 1870 emisso: « Quemad- « modum Deus Iosephum illum a Iacob Patriarcha proge- « nitum praepositum constituerat universae terrae Ægypti « ut populo frumenta servaret, ita temporum plenitudine « adventante cum Filium suum Unigenitum mundi Salvato-

[1] MATTH. XIII, 55.
[2] MARC. VI, 3.

« rem in terram missurus esset, alium selegit Iosephum, « cuius ille primus typum gesserat, quemque fecit Dominum « et Principem domus ac possessionis suae, principaliumque « thesaurorum suorum custodem elegit ».

Idem evolvit fusius Leo XIII in litteris modo allatis, ex hac ipsa comparatione argumentum desumens, ut patrocinium B. Ioseph in universam Ecclesiam fulciat. Quare ad finem nostrae dissertationis integrum hunc locum remittimus. Nec solum Pontifex affirmat B. Iosephum per Ægypti Patriarcham praefigurari, sed auctoritates in favorem huius sententiae adducit, « quod non paucis Ecclesiae patribus, ipsa « adsentiente sacra liturgia, opinio insederit veterem illum « Iosephum, Iacobo patriarcha natum, huius nostri personam « adumbrasse ac munera, itemque claritate sua custodis divi- « nae familiae futuri magnitudinem ostendisse » [1].

Et sane, uti ipse Leo XIII adiungit, « idem utrique conti- « git nec vacuum significatione nomen » : Ioseph enim « filius « accrescens » [2]. Quis autem magis crevit in Vet. Test., quam ille filius Iacob a fratribus venundatus in servum, at e carcere ad primum gradum sub Pharaone evectus? Et in Nov. Test., quis maius augmentum accepit, quam modestus ille faber, cuius Evangelia ne verbulum referunt, quem ignota mors de medio tulit, et prima saecula timidius colunt, at paulatim cultus catholicus ad tantam celsitudinem exstulit ut universae Ecclesiae sub Matre Iesu patronus celebretur?

3) Porro **de circumstantiis** in quibus B. Virgo B. Iosepho commissa est vix certi aliquid proferri potest. Antiqua traditio narrat, id a sacerdotibus templi custodibus divinitus actum esse. Audiatur S. Gregorius Nyssenus: « Mulieres « cum sacerdotibus in templo versari, atque in sanctis aedi- « bus conspici, neque lege permittebatur, nec res erat hone- « sta. Deliberantes igitur sacerdotes, in hanc sententiam divi- « nitus convenerunt, ut Virginem connubii nomine cuipiam « viro desponderent, qui tamen ad custodiam virginitatis eius « aptus foret. Ad hoc autem munus aptissimus inventus est « Ioseph, ex eadem nempe tribu et patria, qua erat Virgo:

[1] Ibid. p. 275.
[2] Gen. xlix, 22.

« atque is ex consilio sacerdotum puellam sponsam accepit, « quae tamen coniunctio sponsalia non est egressa » [1].

Nec omitti debet traditio, pictoribus apprime iucunda [2], iuxta quam, inter alios iuvenes B. Iosephus divina sorte, virga scilicet miraculose efflorescente, virgineis hisce nuptiis virgo est destinatus. Equidem quid in virgae portento nimium esset, si iam Aaroni in Vet. Test. simile quid prodigiose contigit [3]; nec indecens erat hanc electionem committere sorti, quum narret S. Lucas, per sortem, utpote per divinae voluntatis signum, Mathiam locum Iudae in Apostolorum collegio obtinuisse [4]. Haec dicta sint, non ad hanc narrationem comprobandam, sed ad refellendas rationes per quas veluti a priori a quibusdam reiicitur.

Si iam quaeritur de *aetate* quam S. Ioseph habebat, quando B. Virgini uti sponsus est unitus, rursus nihil certi de hoc constat. Sane respuenda est illa fabulosa ac prope ridicula versio S. Epiphanii, iuxta quam B. Ioseph iam tunc fuisset senex annorum octoginta. Haec sententia ab apocryphis scriptis annorum derivata, inde videtur ab Epiphanio admissa, quia existimabat, fratres Domini et sorores esse Ioseph filios a prima uxore habitos, ac ex illis Iacobum in ultima senectute martyrem obiisse; unde oportebat et ipsi Iosepho quando B. Virginem duxit, iam provectam tribuere aetatem. Sed haec hypothesis, - contra quam protestantur documenta primaeva artis christianae, ubi S. Iosephus passim iunioris viri specie apparet [5], - haec hypothesis, inquam, multifariam offendit.

a) Offendit in oeconomiam divinae Providentiae. Virgineum enim matrimonium inter Mariam et Iosephum huc maxime spectabat, ut mysterium celaretur profanis, et famae

[1] Orat. in Nativ. Dom. — *P. G.* XLVI, 1140 B. — Ab hoc scriptore idem referunt Metaphrastes (Orat. *de ortu et educ. Deipar.*), Nicephorus Callixtus (Lib. I, c. 7); cf. B. Canisium (op. cit., l. II, c. 11).

[2] Inter pictores qui hoc factum sive hanc saltem traditionem illustrarunt, nominandi sunt imprimis Laurentius a Viterbio dictus, cuius tabula ibidem in ecclesia S. Mariae Servorum conspicitur, necnon Raphael Santius, cuius mirabile opus pinacotheca Mediolanensis asservare gloriatur.

[3] NUM. XVII.

[4] ACT. I, 24-26. — Cf. de hoc argumento BALLERINI (*Difesa della verginità di S. Giuseppe. — La Scuola catt. di Milano.* Ser. II, ann. 3, vol. VI, p. 443, sqq.).

[5] Cf. LIELL (op. cit., fig. 10, 50, 61). — DE WAAL (*Realencycl. Kraus* II, 72).

B. Virginis consuleretur. Iam vero nonne oppositum obtentum fuisset, si speciosissima puella, iam mater, in tenerrima aetate senem habuisset sponsum?

b) Offendit in narrationem Evangelii. Etenim α) Ioseph cum uxore et filio duxit vitam laboriosam valde, praesertim in exilio; - β) in templo apparet ad latus virginis puerum inquirens, et Maria, coram doctoribus, eum Iesu patrem appellat. Porro finge, tantum fuisse inter utrumque aetatis discrimen, haec scaena subridicula evadit; - γ) modus quo Iesus vocatur « fabri filius », suadet tunc temporis recentissimam eius extitisse memoriam. Iam vero si Ioseph iam senex B. Mariae coniunctus fuisset, fabulosam prope aetatem attingere debuisset.

c) Offendit in ipsam laudem S. Iosephi, quippe qui maxime celebratur ob angelicam illam castitatem, qua virgo formosissimae virginis integerrimus custos permansit. Iam vero hoc supponit eum in hac aetate Mariam duxisse, in qua ista laus virginitatis summam perfectionem accipit [1].

d) Offendit in decus Sacrae Familiae, quae uti exemplar domestici sanctuarii elucere debebat. Porro nimia discrepantia aetatis facit, ut ita dicam, claudicare familiam, inducitque aliquid insoliti, imo nonnunquam monstruosi. Talis autem fuisset illa disproportio quam inducit Epiphanius.

Ob istas rationes, - quarum prima (*a*) potior est, et perabunde sufficit, - ab hac opinione prorsus recedimus [2].

At non ideo aetatem Sponsi B. Virginis determinare licet. Equidem putarem, S. Iosephum decorum aspectu haud secus ac Iacobi filium B. Virgini fuisse unitum in candore maturae iuventutis, ita ut huic mirabili connubio applicari potuerint, imo de eadem scripta viderentur verba Isaiae: « Habitabit « enim iuvenis cum virgine, et gaudebit sponsus super sponsam ». Beatam autem Virginem fuisse aetate tenerrimam quando S. Iosepho in sponsam est tradita, suadet Hebraeorum consuetudo, et corroborat universalis prope traditio [3].

[1] Cf. S. Basilium (Orat. *de Temper.*).

[2] Verum est in quadam relatione S. Birgittae Iosephum exhiberi uti iam senescentem quando sponsalia cum B. Virgine inivit (*Revel.* l. vii, c. 21).

[3] Ven. Mar. de Agreda B. Virgini tribuit annos quatuordecim, et B. Ioseph annos triginta tres (*Mistica città di Dio,* edit. ital. Aug. Taurin., t. v, n. 752). Sed huiusmodi revelationes valeant, quod valent.

Licet ergo probabilius S. Ioseph fuerit in florida aetate quando B. Virginem sponsam duxit, non ideo sunt reprobandae prorsus imagines, quae S. Patriarcham iam in provectiore aetate repraesentant. Per venerabilem enim canitiem potest figurari illa adumbratio Patris caelestis, quae tantam S. Iosepho maiestatem contulit. Imo, - quod eo verius fit quo magis fides in periculo versatur, - interdum potest in hoc modo figurandi Sponsum Mariae adesse quaedam cautela, ut spectatores fortius de virginali maternitate Mariae moneantur. Non ideo tamen tollendae sunt imagines S. Ioseph etiam iunioris, puerulum Iesum in ulnis paterna gestantis. Etenim ob scandalum pusillorum, imo potius impiorum atque stultorum, ars christiana non debet tam dulci tamque legitima repraesentatione frustrari [1].

4) Iam de **dubio** quo B. Ioseph angebatur, verbulum faciendum est. Triplex apud exegetas invenitur huius dubii interpretatio.

a) Alii ad humilitatem S. Ioseph recurrunt, quatenus indignum se tanta consorte reputans, cedendum sibi existimabat. Hoc sensu Origenes ait: « Iustus erat Ioseph, et illa immaculata; sed illam ideo dimittere volebat, quoniam virtutem « mysterii et sacramentum quoddam magnificum (licet non « proprium illud de Emmanuele) in eadem cognoscebat, cui « approximare se indignum existimabat. Ergo humilians se « ante tantam et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe « facere. Sic et Ioseph, inquit, iuste humilians se in omnibus, « cavebat et timebat sibimetipsi tantae sanctitatis coniunc- « tionem adhibere. Idcirco occulte eam volebat dimittere. « Dimittam eam, dicens, et a me longe faciam eam, et a « cognatione mea. Maior est enim eius dignitas, superexcel- « lit eius sanctitas, nec meae congruit indignitati » [2]. - Similiter S. Bernardus: « Propter hoc, inquit, Ioseph voluit di- « mittere Mariam, propter quod et Petrus Dominum a se « repellebat, dicens: " Exi a me, Domine, quia homo pec-

[1] De veteribus figuris S. Ioseph cf. De Waal (*Realencycl. Kraus*, II, 72). Paternam familiaritatem qua S. Ioseph erga puerulum Iesum usus est, Ecclesia celebrat, v. gr. in oratione Leonis XIII « *Ad te, beate Ioseph* »; et in Antiph.: « *O felicem virum* ».

[2] Homil. 1 in divers.

« cator sum » [1]: propter quod et Centurio a domo sua eum « prohibebat, cum diceret: " Domine non sum dignus, ut « intres sub tectum meum " [2]. Ita ergo et Ioseph indignum « et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a « tanta non debere sibi ultra familiare praestari contuber- « nium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem. « Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum ge- « stantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, « volebat dimittere eam » [3]. Sed, licet haec interpretatio sit pia, non tamen videtur sacro textui consona. Etenim finge B. Iosephum iam prodigii aliqualiter conscium, ancipitem autem de sibi agenda ratione, Angelus eum non monere debebat, de miraculo, sed firmare de consortio. Porro nihil huiusmodi in narratione evangelica. Imo vox *enim* demonstrat dubium Iosepho fuisse de ipsa indole gravedinis, cuius indicia mirabundus cernebat.

b) Alii in oppositum abeuntes, putant S. Ioseph non tantum de virtute B. Virginis aliqualiter dubitasse, sed gravissimam suspicionem animo admisisse. Ita non deest aliquis sermonarius graecus in quo S. Ioseph vehementissimis conviciis sponsam impetit. Sed et haec, praeterquam quod pietatem offendunt, pugnant contra ipsum textum, qui nobis S. Iosephum nullo modo indignabundum exhibent, sed animo dumtaxat fluctuantem atque ancipitem.

c) Vera igitur sententia docet, S. Iosephum ex una parte signa vidisse gravedinis, ex altera parte noluisse iudicium ferre in sponsam, cuius caelestis magis quam terrena virtus ei erat notissima. Inde fluctuabat animo. Quum enim esset iustus, timebat offendere legem, sponsam in hoc statu secum asservando; quum autem sciret eius sanctitatem, nolebat eam traducere. Quare mediam viam ineundam moliebatur. Unde optime S. Hieronymus: « Sed hoc testimonium Mariae est, « quod Ioseph sciens illius castitatem, et admirans quod eve- « nerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat » [4]. Hanc

[1] Luc. v, 8.

[2] Matth. viii, 8.

[3] Homil. 2, Super *Missus est*, n. 14. — *P. L.* clxxxiii, 68 B C. — Non tamen aliam communiorem sententiam reiicit.

[4] Lib. i, Comm. in cap. i, Matth. — *P. L.* xxvi, 25 A B.

sententiam e Patribus fusius exposuit S. Petrus Chrysologus [1], e recentioribus scriptoribus S. Franciscus Salesius [2].

Quantopere autem ex hac evangelica narratione eluceat humilitas B. Virginis, eiusque in Dei auxilium fiducia sublimis, non huius loci est evolvere, nec ullo humano sermone illustrandum. Ubi Virgo adorans tacuit et nobis adorandum est atque tacendum.

5) Sed ecce laus quam Evangelium decernit: « Ioseph autem « vir eius, quum esset iustus » [3], sollicitat nos ut de *virtutibus* sponsi B. Virginis nonnihil dicamus. Monet quidem Suarezius [4] in hac contemplatione a piis excessibus esse praecavendum. At quis negaverit, B. Iosephum fuisse tantae virtutis, quantae erat excellentiae munus ipsi commissum? De qua eminenti dignitate disputaturus S. Bernardinus Senensis hoc principium statuit: « Omnium singularium gratiarum alicui « rationabili creaturae communicatarum generalis regula est « quod, quandocumque divina gratia eligit aliquem ad ali- « quam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem sta- « tum, omnia charismata donat, quae illi personae sic elec- « tae et eius officio necessaria sunt, atque illam copiose « decorant » [5]. Nec dissentit Angelicus [6].

Porro quam praecelsa fuerit B. Iosephi vocatio, liquet

[1] Serm. 175. — *P. L.* LII, 657 sqq.; cf. serm. 145, ibid.; 588.

[2] *Introd. à la vie dév.*, p. 3, c. 28.

[3] MATTH. I, 19.

[4] « Nihilominus tamen cordati ac prudentis hominis esse existimo, nihil temere « aut nimium asseveranter affirmare, quia revera ubi deest Scripturae auctoritas « aut Ecclesiae traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo, in re praesertim ex « divina electione ac praedestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt, et « abditissima mysteria. Multo autem minus censeo esse asserenda, vel credenda « quaedam privilegia, quae nonnulli huic Sancto tribuunt, ut fuisse sanctificatum « in utero matris, caruisse fomite vel omni actuali peccato, ut videre licet in Ger- « sonis sermone quodam de Nativ. Mariae; et Iacobo Christopol, exponente canti- « cum Virginis. Haec enim et similia, quae sunt praeter generales canones Scrip- « turae, non sunt sine convincente ratione, et magna auctoritate Ecclesiae vel « SS. Patrum, approbanda. Denique quae dona scientiae ut sapientiae, aut quae « gratiae gratis datae huic Sancto donatae fuerint, incertum nobis est; illud solum « ex Evangelio habemus, recepisse interdum Angelicas illustrationes, et propheticas « revelationes. De aliis vero solum dicere possumus, ea ut minimum accepisse, quae « suo muneri convenienter obeundo fuerunt opportuna, reliqua vero ignota nobis « esse ». Op. cit. Disp. VIII, sect. 2.

[5] Serm. 1 *de S. Ioseph.*

[6] III. Q. XXVII, c. 4.

attente perpendenti depositum geminum quod divinitus sibi commissum accepit: virginitatem Mariae, eiusque adorabilem fructum [1]. Praeclare id evolvit Bossuetius: *a*) « Et première-« ment, chrétiens, il m'est aisé de vous faire voir combien « cette qualité lui est honorable. Car, si le nom de déposi-« taire importe une marque d'estime et rend témoignage à « la probité; si, pour confier un dépôt, nous choisissons ceux « de nos amis dont la vertu est plus reconnue, dont la fidé-« lité est plus éprouvée, enfin les plus intimes, les plus con-« fidents; quelle est la gloire de saint Ioseph, que Dieu fait « dépositaire, non seulement de la bienheureuse Marie, que « sa pureté angélique rend si agréable à ses yeux, mais « encore de son propre Fils, qui est l'unique objet de ses « complaisances, et l'unique espérance de notre salut: de « sorte qu'en la personne de Jésus-Christ, saint Joseph est « établi le dépositaire du trésor commun de Dieu et des « hommes. Quelle éloquence peut égaler la grandeur et la « majesté de ce titre? » [2].

Imo adde, cum eodem oratore, depositum tertium: secretum scilicet augustissimum Patris. Unde in fine exordii huius sermonis exclamat: « *Depositum custodi* [3]. - O Joseph, gardez « le dépôt, gardez la virginité de Marie; et pour la garder « dans le mariage, joignez-y votre pureté. Gardez cette vie « précieuse, de laquelle dépend le salut des hommes, et « employez à la conserver parmi tant de difficultés, la fidé-« lité de vos soins. Gardez le secret du Père éternel: il veut « que son Fils soit caché au monde. Servez-lui d'un voile « sacré, et enveloppez-vous avec lui dans l'obscurité qui le « couvre par l'amour de la vie cachée ».

Porro si iam praecipuas virtutes attendis, quarum B. Ioseph extitit exemplar, ecce tibi *fidem* [4], qua Antiquae Legis

[1] Excellentem dignitatem qua B. Ioseph non solum omnibus Sanctis Ant. Test. praeeminet, maximus quippe Patriarcharum, quemadmodum Ioannes Baptista maximus est vatum, — sed et in Nov. Test. locum sublimen occupat, nulli cedens caelitum nisi Mariae, pulchre describit Heinrich-Gutberlet (*Dogm. Theol.* t. VII, 398, sq.).

[2] Ibid. in initio.

[3] I. Tim. VI, 20.

[4] Hanc fidem bene illustrat Grimm. « Da, wie vor Jahrhunderten der Prophet « Achaz hingetreten, erscheint ihm der Engel, und zum Theil mit den nämlichen « Worten, womit der Prophet sein Zeichen gibt, verkündet der Engel sein Geheimnis.

Patriarchas non aequavit modo, sed et superavit. Ecce Angelus altissimum mysterium Iosepho annuntiat: Ioseph credit, neque ullum verbum profert, quo de ipso mysterio sciscitetur. Celebret ergo Paulus fidem Patriarcharum: haec ultimi Patriarchae fides simplici maiestate omnes superavit.

b) Nec minor B. Ioseph *obedientia*. Bis narratur caelestis nuntius aliquid ei imperasse, et utraque vice legitur tam perfecte paruisse, ut executio operis per eadem iussionis verba significetur: « Noli timere accipere Mariam coniu- « gem tuam.... Et accepit coniugem suam » [1]. - « Surge et « accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum, et « esto ibi usque dum dicam tibi... Qui consurgens accepit « puerum et matrem eius nocte, et secessit in Ægyptum, « et erat ibi usque ad obitum Herodis » [2]. Ubi et animadverte verbulum *nocte,* quo significatur B. Iosephum, licet in tam arduo negotio, absque ulla mora paruisse.

c) Quid iam de *humilitate* S. Iosephi dicendum? Est veluti fidei atque obedientiae radix. Elucet autem maxime in modestia qua B. Virginis Sponsus exhibetur tacens: nullum enim verbum illius ab Evangelistis nobis traditur; quasi in

« Aber besser, als der eine Sprössling David's, besteht der andere seine Probe. Was « Achaz durch seinen Unglauben verbrochen und verschuldet, das macht endlich « Joseph durch seinen Glauben wieder gut. Unmittelbar vor seinem Traumgesichte « steht er auf und nimmt ohne weiteres Grübeln, nach dem Auftrage des Engels « " sein Weib zu sich ". In einem Acte des Glaubens und des Gehorsams erschwingt « er sich hiemit, den nur die Jungfrau selbst vor Kurzem überboten hat mit dem « Worte: " Sieh, ich bin eine Magd des Herrn! " Der lauteste Seelenadel des Bräu- « tigams, der ihn befähigte, an seiner hochbegnadigten Braut trotz des allerschlimm- « sten Scheines die Makellosigkeit ihrer Treue und Jungfräulichkeit festzuhalten, eben « dieser himmlische Sinn, der für die Sehnsucht Israels und für die Weissagungen « seiner Propheten doppelt empfänglich war, feiert in diesem Augenblicke seinen « höchsten Triumph: in dieser Lauterkeit des Sinnes birgt Ioseph das Geheimnis « seines Glaubens. Durch diesen Glauben wird er Vater des Messias, lässt diesen « selbst als Sprössling David's, als den einen, vollberechtigten Erben erscheinen, « der den Thron seiner Ahnen, die Herrschaft über Israel wieder aufzurichten « kömmt. Abraham, David und Joseph sind in der Reihe der messianischen Väter « die Glaubenshelden, die den Unglauben so vieler anderer überwanden ». Minus autem placent verba praecedentia: « Die Verheissung, dass aus dem Hause David's « der Messias hervorgehen werde, wird nur durch Joseph, ihrer Erfüllung entge- « gengeführt ». Aliud est affirmare, per fidem Iosephum, implendae huic prophetiae contulisse; aliud, hanc prophetiam de domo David nonnisi per hanc Iosephi fidem esse completam. Etenim primario completa est per Mariam.

[1] MATTH. I, 20, 24.

[2] MATTH. II, 13, sqq.

hac beata triologia eo magis se ultimum senserit, quo mirabilius imperii munus exercere debuerit.

d) Porro *devotione* absque limite B. Iosephum emicuisse erga Sponsam eiusque Filium, historia docet. Quot in Ægypto labores laeto ore sustulit, ut utrique deposito sibi commisso subveniret! De SS. hoc Patriarcha valet imprimis illud S. Augustini: « Ubi amatur, non laboratur; aut si laboratur, labor « ipse amatur ».

e) Sed haec devotio habuit suum veluti cardinem in *prudentia* vere mirabili qua B. Ioseph munere suo functus est, iuxta illud antiphonae: « Fidelis servus et prudens, quem « constituit Dominus super familiam suam ». Hanc prudentiam S. Iosephus maxime demonstravit in taciturnitate, sanctaque discretione qua Patris secretum, nedum gestu verbove divulgaret, constanti zelo celavit. Ad quod iugiter requirebantur venerabundus intuitus divini consilii, perfecta sui oblivio, et sapiens existimatio rerum.

f) Taceo alias virtutes, ut spiritum modestiae et honestae operositatis, per quem est magnum artificum exemplar [1]; spiritum poenitentiae ac contemplationis, quibus praelucet his qui sunt asceticae vitae devoti, ut *de virginitate* potius breviter disseram.

[1] Inde pulchre Leo XIII: « Sed proletarii, opifices, quotquot sunt inferiore for- « tuna, debent suo quodam proprio iure ad Iosephum confugere, ab eoque, quod « imitentur capere. Is enim, regius sanguis, maximae sanctissimaeque omnium mu- « lierum matrimonio iunctus, pater, ut putabatur, Filii Dei, opere tamen faciendo « aetatem transigit, et quaecumque ad suorum tuitionem sunt necessaria, manu et « arte quaerit. Non est igitur, si verum exquiritur, tenuiorum abiecta conditio; « neque solum vacat dedecore, sed valde potest, adiuncta virtute, omnis opificum « nobilitari labor. Iosephus contentus et suo et parvo, angustias cum illa tenuitate « cultus necessario coniunctas aequo animo excelsoque tulit, scilicet ad exemplar « Filii sui, qui accepta forma servi cum sit dominus omnium, summam inopiam « atque indigentiam voluntate suscepit » (Ibid. p. 375, sq.). Legantur et verba sequentia a quibus nonnisi brevitatis causa temperamus. Continent enim consilia turbulentis hisce temporibus apprime necessaria. Sed ecce, quum nonnisi spiritus christianus laborem nobilitat, tenuioribusque suppeditat felicitatis secretum, quanto scelere damnandi sunt homines isti politici, qui, iam omnia subverti cernentes, in universali potius ruina succumbere malunt, quam ab invocato Ecclesiae iuvamine, sperare; quanta levitate insimulandi sunt principes, qui, iam erumpente procella, dum christianae familiae vincula relaxant, Ecclesiam intra sanctuarii limites iniuste coarctant, quasi non esset ipsa suprema reipublicae magistra et salus. Caecos caecorum duces quid expectat nisi fovea, quam Ecclesiae quidem destinabant, sibi autem stulta manu paravere?

De castissima vita quam cum castissima sua Sponsa S. Ioseph egit, iam alibi diximus, ubi de perpetua virginitate Mariae disseruimus. Placet hic parumper immorari virginitati quam S. Ioseph coluit antequam Mariam sponsam accepit. Sane fuerunt aliqui scriptores, qui, uti S. Epiphanius [1], putaverint S. Iosephum ab alia uxore habuisse illos, quos Evangelium nominat fratres sororesque Domini. At haec sententia iam a priscis scriptoribus melioris nominis depulsa, a nullo amplius catholico auctore tenetur.

Praeclare S. Hieronymus contra Helvidium disputans: « Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi « plus vindico; etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Ma- « riam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si « enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum « uxorem habuisse non scribitur; Mariae autem quam puta- « tus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus: relin- « quitur, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Do- « mini meruit appellari » [2]. - Augustinus pariter B. Iosephum ita alloquitur: « Gaude, Ioseph, virginitate Mariae, qui solus « meruisti virginalem affectum possidere coniugii; quia per « meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut « pater dicaris Salvatoris ». - Optime Ven. Beda: « Non defuere « qui Ioseph, virum semper beatae Virginis Mariae putarent « ex alia uxore genuisse eos quos fratres Domini Scriptura « appellat; alii maiore perfidia alios eum ex ipsa Maria post « natum Dominum generasse putarunt. Sed nos.... absque « ullius scrupulo quaestionis scire et confiteri oportet, non « tantum Beatam Dei Genitricem, sed et beatissimum casti- « tatis eius testem atque custodem Ioseph ab omni prorsus

[1] In protoëvangelio Iacobi ita legitur: « Ultimam autem virgam accepit Ioseph, « et ecce columba exiit de virga; et volavit in caput Ioseph. Et dixit sacerdos Iose- « pho: " Tu es sorte divina electus, ut accipias Virginem Domini in custodiam apud « te ". Et contradixit Ioseph, dicens: Filios habeo et sum senex; ipsa autem est « iuvencula: unde timeo ne forte ridiculus fiam in Israël » (N. 9, p. 88, Edit. Hamb.). B. Ioseph bigamum fuisse, praeter Epiphanium * tradunt ex Graecis Origenes ** et Menologium S. Basilii ***; e Latinis S. Hilarius **** et Ambrosius *****.

[2] Op. cit., n. 19, col. 213.

* Loc. cit.
** In MATTH. XIII.
*** Ad diem 23 oct.
**** In cap. I, MATTH.
***** *De instit. virg.*, c. 6.

« actione coniugali mansisse immunem » [1]. Quae sententia deinceps magis magisque invaluit.

Inde media aetate S. Petrus Damianus ita castitatis laudem celebrat: « Numquid ignoras Dei Filium adeo carnis « eligisse munditiam, ut ne quidem pudicitia coniugali, sed « de clausula potius incarnatus sit virginali? Et ne hoc suf- « ficere videatur, ut tantummodo virgo sit mater, Ecclesiae « fides est, ut virgo fuerit et is qui simulatus est pater » [2].

Nec modo virgo fuit B. Ioseph, sed et in supremo gradu sub B. Virgine hanc virtutem excoluisse dicendus est, iuxta hanc sententiam Gersonis: « Sicut decuit, ut Maria tanta puritate « niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, ita decuit ut « S. Iosephus tanta polleat praerogativa, qua similitudinem « et gratiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam » [3].

Et sane si iam, iuxta Ecclesiam, Christus emoriens Ioanni Matrem virginem virgini commendavit, ita quoque minus decens videretur, ut non virgini Sponsa tantae puritatis commissa fuisset. Rectissime ergo S. Thomas ait: « Nos credimus « quod, sicut Mater Iesu fuit virgo, sic et Ioseph, quia virgini « virginem commendavit, et sicut in fine, sic etiam in prin- « cipio » [4].

6) De **morte** autem SS. Patriarchae Scriptura nihil directe dicit. Ab utroque excessu hic cavendum est. *a*) S. Epiphanius - forte ne senectutem S. Iosephi nimis protrahere cogatur, ipsum enim ait obiisse plus quam nonagenarium, sed nondum centenarium, - putat S. Iosephum e vita discessisse paulo post Iesum in templo repertum. Sed hoc non videtur probabile. Etenim α) quaenam provida ratio huius mortis adduci posset, quum B. Ioseph Mariae in solamen quoque datus sit et in prolis eductionem? - β) Verba Evangelistae: « Et erat subditus illis » [5], videntur dicta de longiori periodo, qualis fuit illa vita abscondita Iesu in domo Nazareth. - γ) Insuper modus quo vulgus de Iesu dicebat: « Nonne hic est

[1] In S. Ioann. Evang. Expositio. c. 2. — *P. L.* xcii, 662 C. — Cf. in Marc. Evang. Exp. l. ii, c. 6. — Ibid. 185 A.

[2] *De caelib. sacerd.*, c. 3.

[3] Serm. *de Nativ.*

[4] In Math. xii, 46.

[5] Luc. ii, 51.

« fabri filius », suadet Iosephum, si tunc non amplius vivum, saltem nonnisi recens emortuum [1].

b) Apud S. Cyprianum extat aliquis sermo in quo affirmatur, S. Iosephum adhuc vixisse tempore mortis Christi. Sed hoc rursus non videtur probabile. Etenim quaenam in hac hypothesi ratio afferri posset ob quam Christus Matrem suam Ioanni commendasset? Nam quando addit Evangelista: « Accepit eam discipulus in sua » [2], implicite declarat Sponsum B. Virginis iam tunc esse e vivis sublatum. Secus enim S. Ioseph eam in sua non accepisset modo, sed servasset. « Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relin- « quebat virum, sive coniugem [3] ». Ita recte S. Ambrosius.

c) Media igitur sententia tenenda est, quae scilicet contendit B. Iosephum eo circiter tempore obiisse, quo Christus publicam vitam incepit. Et sane non solum nullibi comparet, nec nominatur, sed pluries ita siletur, ut hoc silentium argumento aequivaleat. α) In nuptiis Cana dicitur: « Et erat mater Iesu ibi » [4]. Num si et Ioseph adfuisset, narrator sacer id omisisset? - β) Deinde dicitur de Iesu: « Post hoc descen- « dit Capharnaum ipse, et mater eius, et fratres eius, et disci- « puli eius » [5]. Quae minuta enumeratio sane ostendit, Sponsum Mariae iam e vivis ereptum. - γ) Alibi Iesu verbum Dei praedicanti nuntiantur adesse mater, et fratres quin ulla S. Iosephi mentio occurrat [6]. - δ) Insuper quum missio patris putativi Iesu tunc impleta fuerit, SS. Patriarcham ante publicam vitam Iesu diem ultimum clausisse, cum indole abscondita et adumbratili S. Iosephi plane concordat.

Hanc sententiam inter alios tuentur Cedrenus [7] et S. Bonaventura [8]. Nec video rationem sufficientem differendi mortem S. Iosephi usque post nuptias Cana, ut scilicet Christus, qui ibidem nuptias ad sacramenti dignitatem evexisse putatur, connubium Mariae et Ioseph hoc honore decorasset.

[1] Loc. cit.
[2] Ioann. xix, 27,
[3] *De inst. virg.*, c. 7. — Cf. epist. 79.
[4] Ioann. ii, 1.
[5] Ibid. 12.
[6] Marc. iii, 32.
[7] *Compend. histor.*: Is tenet S. Iosephum obiisse aetate annorum centum et decem.
[8] L. *de vita Chr.*, c. 17.

Quasi Iesus non potuisset, imo directius ac proin dignius, hoc praestare in ipsa domo Nazareth. Et sane tam inclytis nuptiis non erat haec nova dignitas conferenda veluti per concomitantiam.

Traditio autem exstat, B. Iosephum in ipsa valle Iosaphat sepulturam accepisse. Et haec de morte SS. Patriarchae satis; de eius resurrectione verbulum dicemus in fine dissertationis de Assumptione B. M. Virginis [1].

7) **Cultus** autem B. Ioseph, nomini huius inclyti Sancti apprime respondens, ultimis hisce saeculis iuge incrementum cepit. Iam a saeculo IX Martyrologio insertum, hymnisque variis celebratum [2], festum S. Ioseph in Occidente saeculis XIV et XV inductum est. Augendo eius cultui inter scriptores ab hoc tempore celebres contulerunt maxime Gersonius, qui et soluta oratione et rhythmica [3] laudes eius cecinit, Sancta Theresia, S. Franciscus Salesius et Bossuetius [4]. Anno 1729, die 19 dec. Benedictus XIII nomen S. Iosephi Litaniis inserendum praescripsit. Anno 1621 Gregorius XV festum eius ubique celebrandum iussit. Anno 1870 Pius IX ven. mem. titulum Patroni Ecclesiae universalis S. Iosepho decrevit [5]. Hinc illud « Ite ad Ioseph [6] » quod de Ægyptiaco Iosepho olim gloriose insonabat, iam de symbolico capite Familiae Nazarethanae celsiori titulo usque celebratur.

Placet de hoc patrocinio audire Leonem XIII egregie disserentem: « Domus divina quam Ioseph velut potestate « patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. « Virgo sanctissima quemadmodum Iesu Christi Genitrix, ita « omnium est Christianorum mater, quippe quos ad Calva- « riae montem inter supremos Redemptoris cruciatus gene- « ravit: itemque Iesus Christus tamquam primogenitus est « Christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fra- « tres ». Quo ex fontali symbolismo munus almi Patriarchae

[1] Prostare fertur in sacello splendissime ornato ecclesiae cathedralis Perusinae, annulus nuptialis B. M. Virginis.

[2] Cf. Bolland. 19 mart.

[3] *Iosephina* (nov. cantus).

[4] Cf. Floquet. *Etudes sur la vie de Bossuet,* t. II, p. 134.

[5] Decret. 8 decembr. superius allato.

[6] Gen. XLI, 55.

Pontifex eloquenter his verbis deducit: « Quibus rebus « causa nascitur, cur beatissimus Patriarcha commendatam « sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem Chri- « stianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumera- « bilis isthaec perque omnes terras fusa familia, in quam, « quia vir Mariae, et pater est Iesu Christi, pater propemo- « dum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum, et beato « Iosepho apprime dignum, ut sicut olim Nazarethanam fami- « liam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri con- « suevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam Christi tegat « ac defendat » [1].

Liceat ergo, in fine huius dissertatiunculae ad ipsum SS. Patriarcham cum S. Bernardino Senensi sermonem dirigere: « Memento igitur nostri, beate Ioseph, et tuae ora- « tionis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; « sed et beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propi- « tiam redde » [2].

[1] Op. cit., p. 274 sqq.

[2] Serm. 1, 4, S. Ioseph. — Cf. et orationem SS. Leonis XIII « *Ad te beate Ioseph* ». — De Cultu S. Ioseph, lege TILLEMONT (Mémoires, I, 73 sqq.); BOLLAND. (*Mart.* III, 4 sqq.); BENEDICT. XIV (*De Canoniz.*, l. IV, p. 2, c. 20, n. 7-58); ANAL. IURIS PONTIF. (Romae 1860, 1509 sqq.). Cf. Litteras Leonis XIII « *Quod paucis* » (28 Ian. 1890), et « *Etsi apud* » (3 Iun. 1890) de festo S. Ioseph in Hispania et in Lusitania instaurando. — Pulcherrima quoque de S. Iosepho scripsit AUGUSTE NICOLAS (*La Vierge Marie et le plan divin*, t. II).

QUAESTIO XXX.

DE BEATAE MARIAE VIRGINIS ANNUNTIATIONE [1].

Ordo Quaestionis. Valde logice Angelicus in hoc argumento incedit, sciscitans primo de ipsa re in genere, dein de rei modo. Scilicet inquirit S. Thomas 1) de convenientia alicuius praeviae annuntiationis Virgini faciendae; - 2) de convenientia huius annuntiationis faciendae per Angelum, et quidem per Gabrielem; - 3) demonstrata hac duplici convenientia, investigat de modo quo decuit hunc nuntium apparere; - demum 4) de ordine in ipso mysterii nuntio congrue servando.

Paucis hanc Quaestionem illustrabimus, quum minoris sit theologici momenti.

ARTICULUS I.

UTRUM NECESSARIUM FUERIT ANNUNTIARI B. VIRGINI QUOD IN EA ERAT GENERANDUM.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Si possibilitatem dumtaxat inspicis, certum est B. Virginem potuisse ope illustrationis internae cognoscere mysterium in se completum: sive in ipsissimo instanti quo, Spiritu Sancto operante, Verbum concipiebat; sive post Verbum iam conceptum. Quare convenientiam maiorem hic potius respicimus, quam veram necessitatem.

2) Iam vero haec convenientia desumenda est ex rei utilitate. Quaerenti ergo quaenam pro Virgine utilitates ex hoc praevio nuntio advenerint, tres potissimae rationes apparent: *a*) maior dignitas, ut mens praeveniat corpus; *b*) maior certitudo; *c*) meritum prompti consensus.

[1] De hoc mysterio lege imprimis sermones S. Bernardi super *Missus est.* — Cf. et D. Ben. Sauter. Abb. Emaut. O. S. B. *Die Sonntagschule des Herrn* p. 120 sqq.

3) Imo quum res in Virgine Matre gestae eminentem habeant figurativam ordinationem ad Ecclesiam a Deo faecundatam, inquirendum est, an ex hac ratione non convenientius fuerit mysterium Virgini prius nuntiari, quam in ipsa impleri. Iam vero, quum Incarnationis opus sit verum connubium inter Ecclesiam et Christum; connubium autem quodvis praevio consensu firmetur: decuit Virginem libere consentire praedestinationi caelesti sibi divinitus nuntiandae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Dupliciter deficit. *a*) Supponit praedestinationis modum non cadere sub prophetiam, quod falsissimum est. - *b*) Insuper confundit possibilitatem cum congruentia ut conceptus divinus sine consensu vel cum consensu Virginis factus sit.

2. Obj. Perperam confundit in Maria fidem Incarnationis futurae, et fidem Incarnationis in ipsa Virgine Dei Matre futurae.

3. Obj. Dupliciter deficit. *a*) Non attendit, praedicationem viam parare fidei. - *b*) Supponit quemque credentem certiorem reddi gratiae a se acceptae; quod, si intelligitur de absoluta certitudine, qualis in B. Virgine requirebatur, falsum est. Unde obiectio non solum solvitur, sed retorquetur.

Sed contra est. Eo validius argumentum ex facto deducitur, quo ordinatius Deus maiora sua consilia praeparasse credendus est. Quare de hoc summo mysterio apprime valent quae Ecclesia canit de divina Sapientia a fine in finem omnia fortiter ac suaviter disponente ac attingente.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Congrue Incarnationis mysterium est B.V. annuntiatum:	1) propter ordinem coniunctionis Virginis ad Deum; 2) propter certitudinem de futuro mysterio; 3) propter meritum promptae voluntatis;	hae tres rationes ipsam Deiparae personam respiciunt.
	4) propter spirituale connubium inter Filium Dei et humanam naturam.	haec ratio respicit Ecclesiam, cuius Maria typum gerit [1].

[1] Hanc rationem saepius illustrat S. Augustinus.

Ad primam rationem alludit ipse Christus dum Matrem suam beatiorem praedicat de verbo Dei audito quam concepto; - secundam rationem urget B. Virgo in sua quaestione ad Angelum; - tertiam praedicat Elisabeth exaltans fidem Mariae; - quartam insinuat oppositio inter colloquium serpentis cum Eva et Angeli cum Maria.

ARTICULUS II.

UTRUM ANNUNTIATIO B. V. FIERI DEBUERIT PER ANGELUM.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Posita convenientia praeviae annuntiationis, iam tria de huius annuntiationis praecone quaeruntur: *a*) Utrum haec annuntiatio fieri debuerit immediate per Deum, an per ministerium creaturae? - *b*) Si hoc alterum, utrum per hominem, scilicet B. Iosephum, cui B. V. erat desponsata, an per spiritum caelestem? - *c*) Rursus si hoc alterum, an bene electus fuerit Gabriel ad hoc munus implendum? De singulis verbulum.

2) *a*) Ministerium creaturae opportunius adhibitum est prae immediata revelatione divina: α) propter maiorem certitudinem inde acquirendam; β) ne Angeli frustrarentur gaudio et honore participandi huic mysterio, a quo ordinum suorum reparationem expectabant.

b) Insuper Angeli electi sunt propter rationes in *Corpore* exponendas. Nec inde derogatum et dignitati S. Iosephi, quum ageretur de conceptu sublimiori. Ne autem sponsus praetermitti videretur, ab Angelo et ipse, sed post completum mysterium, monitus est.

c) In Gabriele demum distinguenda est dignitas ordinis, et personalis qualitas. Quantopere autem utrumque muneri convenerit habes in resp. ad 4.m

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Non attendit ad dignitatem naturae, quae in Angelis superior est conditione humana; neque ad dignitatem comprehensoris, quae in Maria iugiter durat. Insuper erronee supponit, nuntium nunquam posse inferiorem esse illi cui superioris nomine nuntium dat; quod ex legatis a regibus ad reges missis falsum apparet. Unde summi

Regis nomine, Gabriel veluti legatus a latere Reginam Angelorum adivit.

2. Obj. Si praecedens obiectio peccat per excessum, haec declinat in defectum. Abstrahit a dignitate supra-coniugali mysterii quod erat nuntiandum. Insuper arguit ac si Ioseph prior mysterium cognoverit, quod falsissimum est.

3. Obj. Supponit, ad facti nuntium requiri plenam intelligentiam ipsius facti, quod rursus est falsum. Factum quidem nuntius revelante Deo accepit; imo de ratione facti a Deo satis illustratus est, ut sciscitanti Virgini respondere potuerit. Ipsa autem Virgo, per fidem accepto nuntio, et per charitatem Deo devota, factum dum in se complebatur, perfectius quam ipse nuntius intellexit.

4. Obj. Supponit uti certum, tum Gabrielem non esse de supremis Angelis, tum de superioribus ordinibus nuntios mitti. Utrumque simul ponere, gratuitum est [1].

Sed contra est. Vide animadversionem in art. 1 eodem loco factam.

In Corpore. En schema huius *Corporis.*

Annuntiatio mysterii Incarnationis per Angelum fieri decuit:	1) ut ministerii angelici ratio servaretur; 2) ut Angelus apud novam Evam antiquo serpenti e regione responderet; 3) ut nuntio angelico angelica virginitas honoraretur.

Resp. ad 4.m Nomen *Archangelus* habet duplicem sensum: *a*) alium specialiorem, absolutum; *b*) alium minus specialem, relativum. Absolute dicuntur Archangeli, quotquot ordinem Archangelorum constituunt; relative, quotquot sunt supra Angelos. Hoc autem rursus dupliciter: vel *a*) solum super chorum Angelorum, quo sensu *Virtutes, Throni,* etc., Archangeli vocari possunt; vel *b*) super omnes choros angelicos, quales forte sunt illi septem, qui astant ante Dominum [2]: Michaël, Gabriel, Raphaël, etc. - In hac ultima sententia omnino truncatur difficultas. Satis etiam solvitur, si Gabriel summus esse dicitur ordinis Archangelorum, quorum est nuntia ad homines deferre maiora.

Nomen autem « *Fortitudo Dei* » eo excellentius convenit

[1] Cf. addenda in resp.

[2] Tob. xii, 15. Luc. ii, 19.

huic Incarnationis nuntio, quo efficacius Omnipotens fortitudinem suam erat monstraturus, spiritum superbiae per humilitatem assumptae carnis debellando. Fortior enim comprobatur, qui imbelliori telo fortem armatum devincit.

Nec vacat sane ministerium ab eodem Archangelo in Ant. Test. adimpletum. Idem enim Gabriel, qui olim Danieli apparuit consilia plenitudinis temporum reseraturus, ecce hebdomadis symbolicis emensis, desiderati Messiae beatissimam Matrem salutat [1]. Imo qui in Vet. Lege huic magno nuntio praeluderat, iam denuo ipse praecursor, in capite Legis Novae nativitatem Praecursoris idem Zachariae annuntiarat.

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELUS ANNUNTIANS DEBUERIT B. VIRGINI VISIONE CORPORALI APPARERE.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Triplex in visionibus, ad viatorum utique conditionem aptatis, gradus distinguitur: visio *corporalis, imaginaria, intellectualis.* Quae, si seiunctim considerentur, ita sunt inter se secundum dignitatem habendae, ut intellectualis praestet imaginariae, imaginaria corporali. Si tamen vel corporalis, vel imaginaria intellectuali coniungitur, perfectior evadit quam mere intellectualis. Quare, si perfectionem dumtaxat visionis inspicis, intellectualis coniuncta cum imaginaria est perfectissima.

2) Hoc quidem caeteris paribus. Sed oportet insuper attendere ad visionis scopum. Unde quum, iuxta superius dicta, certitudo menti B. Virginis ingerenda, fuerit unus ex finibus annuntiationis per Angelum factae, convenientius Angelus corporalem speciem assumpsit, quam mere imaginariam visionem produxit.

II. **Ad Textum.** Obiectiones logico ordine procedunt, prima in favorem visionis mere intellectualis; secunda in favorem visionis imaginariae prae corporali; tertia contra visionem corporalem.

[1] Dan. ix. Equidem scio, vim huius prophetiae Danieli factae ab aliquibus etiam catholicis viris, perpaucis sane, hodiedum infrangi. Sed haec opinio audacior nobis videtur quam solidior. Quare in re tanti momenti, universalissimae Patrum scriptorumque orthodoxorum traditioni standum esse existimamus.

1. Obj. Procedit erronee secundum visionem corporalem sine illustratione intellectuali. Insuper nimis abstrahit a conditione Virginis, quae, utpote mere viatrix, ipsam substantiam Angeli intellectualiter videre non poterat.

2. Obj. Abstrahit a scopo annuntiationis, quatenus tendebat in Virg. de mysterio in se complendo certiorem reddendam.

3. Obj. Falso supponit turbationem non habuisse in Virgine convenientiam, nec maiori bono fuisse compensatam. Insuper supponere videtur, conturbationem nonnisi per visionem corporalem produci.

Sed contra est. Corporalem fuisse apparitionem Gabrielis ad B. V. probatur ex locutione: « Ingressus Angelus ad eam ». Ingredi est hominis, vel in corporali specie humana apparentis. Insuper colloquium humano sermone protrahitur inter Virginem et nuntium supernum, quem illa coram intuetur et auscultat.

In Corpore. En compendiose tres rationes a S. Thoma allatas.

Convenienter Incarnationis nuntius corporali specie apparuit:
- 1) ut Verbum *carne induendum* nuntiaret;
- 2) ut Virginis, mox corporaliter Deiparae, non solum mentem, sed *et sensus* recrearet;
- 3) ut maiorem mysterii *certitudinem* eidem iniiceret.

Ad 1m. Adverte in fine considerationem S. Thomae de perfectissima Angeli visione per substantiam suam. Quam visionem sive intuitionem Christus adhuc in terris, quia iam simul comprehensor, habuisse dicendus est; non exclusa tamen inde visione corporalis speciei quam assumpserunt Angeli, v. gr., in deserto ipsi ministrantes.

Ad 3m. En responsum ad hanc obiectionem schemate expressum:

1) Visio non solum corporalis, sed et imaginaria initio *turbat, quin noceat:*
- *a)* mentem elevat super seipsam, inde quies rumpitur.
- *b)* sed turbationi subito medetur quies: inde criterium ad visiones discernendas:
  - α) in *bonis,* pax succedit turbationi;
  - β) in *malis,* turbatio perdurat.

2) Perturbatio B. M. congrua fuit:
- *a)* si ex *aspectu* angeli, decet *virginem;*
- *b)* si ex *dictis* ab Angelo (quod magis sacro textui consonum est) decet *humilem.*

ARTICULUS IV.

UTRUM ANNUNTIATIO CONVENIENTI FUERIT ORDINE PERFECTA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad rectam intelligentiam ordinis annuntiationis non parum confert genuina interpretatio quaestionis quam Maria Archangelo fecit, collatae cum responsione a Zacharia ad eumdem caelestem nuntium mota. Multum quaestionem geminam ab invicem differre, ex hoc solo patet, quod Zacharias fuerit ab Angelo propter incredulitatem punitus, Maria autem a superno nuntio ulterius illustrata, et propter fidem suam ab ipsa uxore Zachariae celebrata: « Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, « quae dicta sunt tibi a Domino » [1]. Ergo quaestio Mariae fuit iam corde credentis; Zachariae, fidem adhuc recusantis. Quod ex utriusque narrationis contextu paucis evincendum est.

2) Et sane *a*) Maria non dubitat de veritate rei, sed sciscitatur de rei modo; - Zacharias, abstrahens iniuriose ab auctoritate illius qui sibi rem nuntiat, petit unde sciat: utique nondum sciens, quia nondum credens. - *b*) Zacharias tam clare rem audierat, uxorem scilicet suam parituram iuxta vota sua: « exaudita est oratio tua », etc. [2], ut nullam rationem habuerit ulterius haesitandi, nisi dubium illegitimum circa possibilitatem miraculi aut auctoritatem nuntii nutrivisset. Quare Gabriel, affirmans hanc eamdem auctoritatem, *ad hominem* respondet; ac si diceret: auctoritas mea argumentum sufficiens esse debebat de nuntii veritate; sed quia aliud argumentum credibilitatis petis, « ecce », - locutus enim stulte, ubi sapienter tacere debuisses, - « eris « tacens.... etc. » [3]. Maria e contra iam audierat sibi nuntiari *factum* et gloriam Prolis de se nasciturae. Credit corde, sed prudenter sciscitatur *de modo* quo illud factum impleri debeat. Audierat « *ecce concipies* »; quaerit de *modo conceptus*. Unde Angelus pergit, non quidem ad auctoritatem suam

[1] Luc. I, 45.
[2] Ibid. 13.
[3] Ibid. 20.

appellans, quam Virgo non recusabat, sed caelestem modum aperiens quo Virgo fieret Mater Dei [1]. - *c*) Proinde ratio quam affert Maria: « quoniam virum non cognosco », longe alia mente dicta est, ac verba Zachariae: « ego enim sum « senex et uxor mea processit in diebus suis » [2]. Maria quaerit illustrari circa aliam viam; - Zacharias recusat possibilitatem huius viae, vel saltem propter eiusdem difficultatem circa angelicum testimonium haesitat. - *d*) Quare Zachariae non datur signum nisi punitionis; Mariae signum datur illius ipsissimi prodigii quod Zacharias credere recusaverat; non quasi faecunda virginitas sterilitatem faecundam non exsuperet; sed quia utrumque eamdem habet causam: omnipotens Dei verbum [3].

3) Sed duplex remanet difficultas in explicanda quaestione Mariae. *a*) Quomodo potuit in verbis Angeli non agnoscere promissionem fore ut mater fieret Redemptoris Israël? Et si hoc agnovit, quomodo non agnovit se virginem parituram? Et rursus si hoc agnovit, quo spectabat illud: « quoniam « virum non cognosco? » - Huic difficultati respondendum putamus, attendendo ad ea quae obvenire solent in mente hominis mirabilia audientis. Talis enim, quin omnia valeat otiose componere, interrogat de hoc quod magis sibi mirum sonat. Iam vero quid mirum magis Virgini Mariae sonare potuit, quam haec verba, primum sibi audita: « Ecce conci- « pies et paries filium? ». Quae tantopere eam commovent, ut, dum sequentia audit, de illis maxime remaneat sollicita, et de illis inquirat, virginitatis suae rationem adducens.

Caeterum, potuit quidem B. Virgo ex verbis Angeli agnoscere, se esse illam virgineam Messiae matrem ab Isaïa promissam; quin tamen ideo scire potuerit, quomodo complenda esset illa virginea conceptio, de qua prophetae nihil dixerant. Unde locus remanebat quaerendi de modo executionis. Proin in hac sententia sensus interrogationis B. Virginis esset iste: « Quomodo fiet istud? Nam virum non cogno-

[1] Observa rursus quam leviter Harnack hos versus, - utpote quos incredulus ipse tantopere de medio tollere velit, - vocet « eine Doublette ».

[2] Ibid. 18. Vides ex his verbis, dubium Zachariae maxime fuisse de possibilitate prodigii.

[3] Ibid. 37.

« sco; virgo sum, et scio de virgine nasciturum illum, quem « mihi filium nuntias. Quomodo igitur illum virgo conci- « piam? » Haec interpretatio, ad quam superius vidimus S. Ambrosium alludentem, sat obvia est; imo truncat radicitus quaestionem alteram, de sensu quo B. Maria virginitatem suam adduxit.

4) Etenim solent hic quaerere, utrum B. V. hanc attulerit animo recusandi honorem divinae maternitatis, si modus eiusdem cum virginitate sua pugnaret; an potius animo hanc ipsam virginitatem offerendi beneplacitis divinis, si ita a caelesti nuntio iuberetur.

Resp. Tum ingenuitati virtutis B. Mariae, tum absolutae dependentiae quam erga divinam voluntatem nutriebat, putamus obstare, ut quaestionem posuerit animo recusandi consensum, si modus conceptionis ipsi promissae virginitatem laedere debuisset. E contra plenissima simul fide, fiducia, devotione, prona erat in consensum, unice de voluntate divina in se sollicita. Proinde de modo mysterii in se complendi prudenter investigat, non ut consensum deneget, si conditio apponenda displiceat; sed ut pleniorem quia instructiorem praestet. Unde hunc ipsum consensum ea expressit formula, quae voluntatem testificaretur beneplacitis divinis prorsus subditam: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum « verbum tuum ». Hanc interpretationem mentis B. Virginis in colloquio cum Angelo putamus magis consonam doctrinae quam S. Thomas in art. 2 Quaest. praec. defendit.

Et sane haec sententia convenit cum doctrina S. Bernardi, B. Virginem ita inducentis: « Cum sciat Dominus meus, « testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non « cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat « istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem « filium, et gaudeo de filio, et doleo de proposito: fiat tamen « voluntas eius. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam « (quod utique, si placuerit ei, impossibile non erit), tunc scio « vere quia respexit humilitatem ancillae suae. Quomodo « ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » [1].

Equidem scio, non deesse nec scriptores antiquiores, nec

[1] Homil. 4 super *Missus est.* n. 3. — *P. L.* CLXXXIII, 80.

theologos moderniores, qui B. Mariam ita mente dispositam existiment, ut, si scivisset se nonnisi amissa virginitate Matrem Dei fieri posse, hunc honorem recusasset. Sed pace horum scriptorum dixerim, haec positio mihi displicet, utpote contradictionem involvens et indigna Deo. Etenim Filius Dei non potuit incarnari nisi de Matre dignissima. Porro Virginem futuram Dei Matrem, vel ad id munus vocatam, pone ante hoc dilemma. Si perfectius erat eligere virginitatem, iam Christus nasci non poterat nisi de minus perfecta Si autem perfectius erat, in sensu utique composito, eligere tales nuptias, quidni B. Virgo illas elegisset? Insuper si tantopere ad excellentiam Prolis exigebatur, ut nasceretur de Virgine quo spectaret, quaeso, haec hypothesis a parte Dei, nisi ut de firmitate propositi B. Virginis fictitie inquireret? Nonne res tam sancta uti maternitas divina, indecenter assumeretur tanquam huius inquisitionis instrumentum?

Nec me movere fateor, argumentum adductum a Cl. Lépicier [1], quatenus perfectus amor plus diligit dare quam accipere, ac proin B. Virgo potius dicasset virginitatem, quam honorem divinae maternitatis accepisset. Quasi hic honor non maxime consisteret in dandis Dei Filio corpore de proprio corpore, et vitâ integrâ ad normam immolationis cum hac divina missione necessario connexae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Dupliciter peccat. *a*) Supponit salutationem Angeli non convenire Mariae nisi propter maternitatem divinam ipsi nuntiandam, quod falsum est; convenit etiam ipsi quatenus eximia sua sanctitate ac puritate ad tam sublime munus praeparata erat. - *b*) Insuper non attendit ad admirationem humillimae Virginis per ipsas laudes provocandam.

2. Obj. Supponit Mariam dubitando quaesivisse de modo quo implenda essent ea, quae Angelus nuntiabat. Quod gratuito supponitur; imo erronee, si dubitatio intenditur non modo mirantis, sed et fidem recusantis.

3. Obj. Non attendit ad omnipotentiam Dei, ad quam recurrit Angelus in fine, et quae pariter potest minus et maius.

[1] Op. cit., p. 288.

Sed contra est. Non te offendat, a verbis S. Pauli « *ordi-* « *nata sunt* » S. Thomam concludere, Annuntiationem fuisse *ordinatissimam.* Nam mens Pauli evidenter erat loquendi de ordinatione *maxima,* quum argumentum sumat a sapientia Dei, quae sane maxima est. Licet enim Apostolus hic directe loquatur de potestate quae in republica non existit nisi a Deo ordinata, argumentum tamen efficaciter exinde assumi potest ad vindicandam rationem optimam, qua Deus maxime disponit, quae sunt ordinis supernaturalis.

In Corpore. En schema huius pulcherrimae argumentationis [1]:

Angelus in Annuntiatione tria intendit:	1) B. Mariam *attentam reddere* circa mysterium:	*a)* idoneam laudat: (ante)	*Gratia plena;*
		b) conceptum exprimit: (in)	*Dominus tecum;*
		c) honorem futurum pronuntiat: (post)	*Benedicta, etc.;*
	2) eam *instruere* de mysterio, praenuntiando:	*a)* conceptum et partum:	*Ecce concipies, etc.*
		b) dignitatem prolis:	*Hic erit magnus, etc.*
		c) modum conceptionis:	*Spiritus Sanctus, etc.*
	3) B. Mariae *consensum obtinere,* adducendo:	*a)* exemplum Elisabeth:	*Et ecce cognata, etc.*
		b) omnipotentiam divinam.	*Quia non est, etc.*

Circa 2) *c)* adverte, verba « Benedicta tu, etc. » non solum respicere honorem B. Virginis ex maternitate virginea obventurum, sed ipsam benedictionem tam prodigiosae faecunditatis. « Benedicta » enim in sermone biblico vocabatur quaevis mulier quae conceperat. Quod et servatur in usu moderno. Ita in patrio meo sermone flandrico « een gezegende staat » significat conditionem mulieris praegnantis. Porro « inter mulieres » B. Virgo salutatur « benedicta », utpote tantae Prolis, servata virginitate, futura Mater sine dolore illo, quem maledicta mulier ex culpa in se suumque genus provocavit.

Resp. ad 2m. Observa, admirationem illam, de qua agunt

[1] Ex hac argumentatione rursus apparet, quam utiliter concionator Angelicum non solum pervolvat, sed et meditetur. Ecce tibi de mysterio annuntiationis sermonem plane egregium.

Augustinus et Thomas, optime convenire cum explicatione, quam supra dedimus de Deiparae interrogatione: « Quomodo fiet istud? ».

Resp. ad 3m. Non negamus gradationem in argumento auctoritatis, quo Angelus nuntium claudit. Attamen iuvat animadvertere, ubicumque datur aliquid quod vires naturae superat, quatenus hae vires, effectui producendo impares, suppleri nequeunt nisi ab omnipotentia divina, in aequo veluti stare prodigia; licet quoad disproportionem inter effectum et naturales vires, si ipsa opera complenda in se consideras, alterum alteri emineat. Utrumque in verbis Gabrielis continetur: « *non est impossibile apud Deum* », (en aequalitatem relate ad divinam causam) « *omne verbum* », (en subindicatum τὸ plus vel minus a parte ipsius effectus).

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum, teste S. Paulo, quae a Deo sunt, ordinata sint [1], *a priori* dicendum est Incarnationem convenientissime fuisse praevie annuntiatam, per Archangelum Gabrielem, corporali specie apparentem, et cum B. Virgine eo ordine, qui in evangelica narratione habetur, colloquentem. De quibus singulis punctis in se consideratis convenientia apparet.

1) *Praevia annuntiatio* requirebatur, ut ordo coniunctionis B. Mariae in Deum servaretur, certior Deipara de mysterio redderetur, meritumque prompti assensus acquireret; demum ut connubium mysticum inter Christum et humanam naturam per hunc consensum significaretur (art. 1).

2) *Angelum* autem esse nuntium decebat propter ordinem ministerii angelici, propter oppositionis respectum ad colloquium Evae cum serpente, propter honorem virginitati Mariae reddendum. - Gabriel autem optime ad id electus est, summus ex Archangelis, *Fortitudo Dei,* nomine mysterium significans, quod ipse iam bis annuntiarat (art. 2).

3) Porro *corporalis species* ipsum decuit, (*ingressus* quippe narratur), ut manifestationem Verbi in carne adsignificaret, ut sensus quoque Virginis, intellectualiter insuper illustra-

[1] Rom. xiii, 1.

tae, recrearet, magisque eam de mysterio complendo certam redderet (art. 3).

4) Iam vero *mirabili ordine* factam esse annuntiationem apparet, si consideretur nuntium debuisse Virginem in mysterium reddere attentam per laudem (personae, dignitatis, gloriae), docere de mysterio (conceptus, Filii Dei, de Spiritu Sancto), eiusque consensum per auctoritatem obtinere (art. 4).

APPENDIX.

De Cantico B. M. Virginis.

Quum visitatio B. Virginis ad cognatam suam Elisabeth sit veluti epilogus annuntiationis, liceat et heic appendicis instar nonnihil disserere de cantico *Magnificat* in quod Maria prorupit. Etenim hisce ultimis annis controversia quaedam moveri coepit, utrum hoc canticum revera in ore Mariae, an potius in ore Elisabeth sit reponendum.

Hoc ordine procedemus: 1) Historiam controversiae breviter exhibebimus; - 2) documenta hinc inde adducemus; - 3) rationes allatas contra Marianam originem cantici discutiemus; - 4) demum conclusionem nostram afferemus.

1) Iam anno 1893 Cl. Alfredus Loisy dubium de nostra quaestione expresserat: « Je l'avais insinué dans mon com- « mentaire des Evangiles synoptiques (p. 357) en 1893, sans « que personne y eût fait attention (et l'on peut voir par « cet exemple jusqu'à quel point je subis l'influence des « critiques allemands) » [1]. - Fusius de eodem argumento tractavit sub pseudonymo Jacobé, anno 1897: « *L'origine* « *du " Magnificat "* » [2].

Eodem anno D. Germ. Morin, disserens de tractatu *De psalmodiae bono,* per transennam ad controversiam nostram alludit his verbis: « Les deux passages les plus intéressants « qui appartiennent en propre à notre texte, sont incontesta-

[1] *Chronique Biblique* (*Revue d'Histoire et de Littér. relig.*, t. VI, n. 3, mai, juin). Ad quae optime LAGRANGE: « On aurait tort en effet de penser que M. Loisy « ne dépasse jamais les critiques allemands dans ses théories personelles ». (*Revue Biblique,* Bulletin 1901, n. 4, Oct. p. 631).

[2] Ibidem t. II, 424-432.

« blement ceux qui mentionnent l'existence d'un apocryphe « inconnu jusqu'à ce jour, l'*Inquisitio Abrahae,* et d'un cantique « d'Elisabeth qui n'est autre que le *Magnificat.* Ces deux par- « ticularités ont déjà été signalées dans un article de la " *Re-* « *vue Biblique* ", avril 1897, pp. 282-288; ce n'est pas le lieu « d'y revenir. Toutefois, à propos de ce cantique d'Elisabeth, « qu'il soit permis de dire un mot de la série des cantiques « en usage dans l'église régie par Niceta » [1].

Anno sequenti P. Durand S. I. disseruit: « *de l'origine du* " *Magnificat* " » [2].

Sed anno 1900 Ad. Harnack, iam non anceps, sed omnino certus, canticum *Magnificat* tribuendum esse Elisabeth, propugnat in elucubratione cui titulus: « *Das Magnificat der* « *Elisabet* (Luc. I, 46-55) *nebst einigen Bemerkungen zu Luc.* « *I und 2* » [3]. En prima huius scriptoris verba: « Einen Lobge- « sang der Elisabet kennen unsere Bibelausgaben nicht, « und auch die Textkritiker und Exegeten des Lucas-Evan- « geliums wissen nichts von ihm: sie sprechen von dem « " Magnificat " der Maria, der Mutter Iesu. In dem Fol- « genden werde ich zeigen, dass dieses " Magnificat " von « Lucas der Elisabet zugewiesen worden ist, und dass man « es irrthümlich auf Maria übertragen hat (die Ubertragung « ist freilich schon sehr alt). An diesen Nachweis werde ich « einige Beobachtungen über das " Magnificat " und über « Luc. I, II knüpfen » [4].

Thesim Harnack confutandam aggressus est Cl. Bardenhewer in opella cui titulus: « *Ist Elisabet die Sängerin des* « " *Magnificat* "*?* » [5].

Quae confutatio, nostro iudicio solida, tam parum placuit Alfr. Loisy, ut nuper scripserit: « En 1897, je croyais la con-

[1] *Le* De Psalmodiae Bono *de l'évêque saint Niceta: rédaction primitive, d'après le ms. Vatic.* 5729. (*Revue Bénédictine*, 1897, n. 9, p. 388).

[2] *Revue Biblique,* VII (1898), 74-77.

[3] *Sitzungsberichte der Königl. Preuss. Akad. der Wissensch. zu Berlin.* XXVI, XXVII, 17 Maii 1900.

[4] Pag. 538. Timidius idem dixerat Jacobé hisce verbis: « L'attribution du " *Ma-* « *gnificat* " à Elisabeth recommandée par une quantité respectable de témoins « anciens, soulève un problème de critique textuelle et d'exégèse qui mérite l'atten- « tion des personnes compétentes ».

[5] *Biblische Studien* VI B, 1. 2 H, *vom Münchener Gelehrten Kongr. - Bibl Vorträge.* Freib. Herd. 1901.

« jecture assez probable; après avoir lu la réfutation de « M. Bardenhewer, je la trouve à peu près certaine » [1]; contradicente laudato P. Lagrange [2].

Si hisce scriptis addideris dubium quod *Nestle* de authen- « ticitate lectionis: « Et ait Maria » (v. 46) anno 1899 expressit in 2ª editione sui operis « *Einführung in das griechische Neue* « *Testament* » [3], habes paucis collecta, quae ad controversiae historiam pertinent.

2) Iam ad statum documentorum, id est, codicum atque antiquorum scriptorum qui de hoc sacro textu loquuntur. Usque ad Nestle, non solum quasi omnes editores Novi Testamenti reproducunt lectionem: « καὶ εἶπεν Μαριάμ (vel Μαρία) », quin aliam afferant; sed paucissimi qui varietatem Ἐλισάβετ adducunt, uti Tischendorf, Westcott et Hort, Holtzmann, Blass, eam insimul uti non attendendam respuunt. Cuius facti prostare debet ratio gravissima. Et sane haec non deest.

a) Etenim si *codices* attendis, omnes Graeci codices habent lectionem « *Maria* »; eamdemque exhibent plerique codices Latini. Attamen tres codices magnae auctoritatis exhibent « *Elisabeth* »: Vercellensis (saec. IV), Veronensis (saec. V), necnon prima manu codex Rhedigeranus - Vratislaviensis (saec. VII, at versionem antehieronymianam referens).

b) Si *auctores* inspicis, innumeri adduci possunt in favorem traditionis catholicae, duce Tertulliano, qui in libro *de anima* haec ait: « Exsultat Elisabeth, Ioannes intus impu- « lerat; *glorificat Dominum Maria,* Christus intus instin- « xerat » [4]. Pro alia sententia, praeter illum tractatum Nicetae de quo nuper Morin, non prostant nisi locus quidam Origenis sive Hieronymi, et locus alter Irenaei. α) In septima homilia in Lucam, quam nonnisi latino sermone iuxta versionem Hieronymi possidemus, leguntur sequentia: « Inve- « nitur beata Maria, sicut in aliquantis exemplaribus repe-

[1] Loc. cit.

[2] Op. cit.

[3] Pag. 201, 223.

[4] C. 26. — *P. L.* II, 737. — Cf. *Protoevang. Iacobi:* « Τίς εἰμι ἐγώ, κύριε, ὅτι πᾶσαι αἱ γενεαὶ τῆς γῆς εὐλογοῦσίν με » (c. 12, 2). « *Maria* » quoque legunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, etc., etc.

« rimus, prophetare, - non enim ignoramus, quod secundum « alios codices et haec verba Elisabeth vaticinetur. Spiritu « itaque Sancto tunc repleta est Maria, etc. » [1].

Sed quaestio movetur, utrum haec animadversio de codicibus sit ipsius Origenis, an Hieronymi. Utrumque scriptorem saepius tales animadversiones argumento interiecisse, compertum est. Caeterum Origenes reiicit versionem « *Elisabeth* » ; et in homilia octava, de qua et prostat fragmentum graecum, *Magnificat* appellatur παρθενικὴ προφητεία [2].

Porro si dicis, animadversionem de codicibus non esse ipsius Origenis, sed Hieronymi, facile hunc locum componis cum statu codicum Graecorum. Unde hanc explicationem ipse Harnack uti admissibilem habet [3], eamque Bardenhewer strenue defendit. Si autem, cum Loisy, hanc solutionem tanquam insufficientem et arbitrariam reiicis, superest tibi explicandum quomodo codices Graeci ne vestigium quidem ostendant illius versionis, quae tempore Origenis non infrequens legebatur. Hoc puto sat arduum. Quare pronior sum in sententiam quae hanc animadversionem Hieronymo tribuit.

b) De Irenaeo minor moveretur difficultas, - imo potius ex hoc scriptore confirmatio traditionis desumeretur, - nisi circa quemdam locum codices discreparent. Quod enim e lib. IV *Haeres.* 7, 1, legitur in codicibus Claromontano (saec. IX) et Vossiano (saec. XIV): « Sed et *Elisabeth* ait: « Magnificat, etc » ; in codice Arundeliano (saec. XIII) legitur: « sed et *Maria* ait ». Quare hic locus dubius est. Sed reliqua Irenaei dubium in favorem traditionis solvunt. Ecce lib. III, 10, 1, legitur, nullo codice contradicente: « Propter « quod exsultans Maria clamabat pro Ecclesia prophetans: « " Magnificat, etc. " ». Quae autem habentur lib. III, 14, 3: « Plurima et magis necessaria Evangelii per Lucam cogno- « vimus, sicut Iohannis generationem, et de Zacharia histo- « riam, et adventum Angeli ad Mariam et *exclamationem* « *Elisabeth,* et Angelorum ad pastores descensum, et ea quae « ab illis dicta sunt, et Annae et Simeonis de Christo testi- « monium, etc. » haec, inquam, " *exclamatio Elisabeth* " non

[1] Lommatzsch. t. v, p. 108, sq. — *P. L.* xxvi, 247.
[2] Ibid. p. 111.
[3] Loc. cit., p. 539, not. 1.

necessario debet de *Magnificat* intelligi; licet forsan haec interpretatio videatur inde magis obvia, quod, nisi per hanc appellationem significetur, hoc canticum in ista enumeratione praetermitti dicendus sit [1].

Quidquid sit, ex Irenaeo - ut minus dicam - nullum certum argumentum contra traditionem deduci potest. Incohaerentia quae habetur inter varios textus, suadet vel versionem utriusque codicis lib. IV, 7, 1, esse dumtaxat errorem transcribentis; vel forte ipsum vertentem prae oculis habuisse codicem Latinum, in quo legebatur « Elisabeth ».

Haec igitur versio traditioni opposita, habet pro se documenta non multa, sed sat solida et vetusta, quippe usque ad tertium saeculum pertinentia. Non autem constat eam versionem cognitam fuisse extra Occidentem, quum certum non sit allatum textum Origenis esse huius scriptoris et non translatoris Hieronymi. Quum ergo ex una parte fons huius versionis non careat omni genuitatis charactere; et ex altera versio *Elisabeth* sit minus exoptata, operae pretium est ut haec versio sedulo ponderetur [2].

3) Quod ut sincerius praestaremus, aequum duximus primo afferre rationes quales adducuntur et urgentur ab utroque praecipuo propugnatore sententiae quae traditioni catholicae adversatur [3].

a) Prima ratio, ab utroque allata, desumitur ex hoc quod de Elisabeth dicatur « repleta Spiritu Sancto » [4], dum de Maria nihil huiusmodi in textu narratur. Iam vero α) quae Elisabeth protulit ante canticum, non sufficiunt ad hanc Spiritus Sancti impletionem eructandam; β) *Magnificat* si esset Mariae similem inspirationem praemitti postulasset [5].

[1] Fateor, hunc locum mihi maiorem difficultatem facere quam ipsi Harnack visum est (p. 540).

[2] Ita Harnack: « Die variante " Elisabet " ist keineswegs schon durch ihre « geringe Bezeugung gerichtet: das hohe Alter und die Güte der Zeugen fordern, « dass sie sorgfältig erwogen wird. Dazu kommt, dass sie die minder erwünschte « Lesart ist: ein Lobgesang der Elisabet bedeutete viel weniger als ein Lobgesang « der Maria. Nur der Context vermag zu entscheiden ». Op. cit., p. 540.

[3] Traditionem catholicam hic non dictam velim in sensu veritatis inconcussae per traditionem propugnatae, sed in sensu sententiae communissimo et publico Ecclesiae usu traditae.

[4] Luc. I, 41.

[5] « In v. 41 heisst es: καὶ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου ἡ Ἐλισάβετ. Diese Worte

Sed haec utraque ratio debilis valde. α) Quae enim Elisabeth protulit, digna prorsus sunt ut inspirante Deo prolata narrentur. Unde ipse Evangelista ait: « Et exclamavit voce « magna et dixit » [1]. Magnum quippe caelestis luminis argumentum fuit, agnovisse mysterium in secreto Virginis impletum, gloriam exaltasse Deiparae, fidemque eius celebrasse. - β) Quod autem Maria non pariter dicatur Spiritu Sancto repleta antequam canticum eructet, non caret profunda ratione. α') Maria gestabat in utero Verbum incarnatum. Quae iam perfectior coniunctio cum divinitate in ea requiri poterat? β') Maria celebrat mysterium iam a se agnitum et ab ipsa Elisabeth proclamatum; unde non oportet ut propheticus veluti Spiritus eam invadat. Imo contemplativa dulcedine munera divina potius recolit, quam vatidice intonat.

b) Secunda ratio petitur ex structura v. 46: « Καὶ εἶπεν », quasi, si subiectum loquens mutaretur, dici debuisset: εἶπεν δὲ Μαριάμ, uti habetur in v. 38 [2].

Responsum obvium est. Potuisset dici εἶπεν δὲ, concedo; debebat dici, nego prorsus. Et demonstro per ipsum stylum S. Lucae. In colloquio inter Angelum et Zachariam bis mutatio subiecti inducitur per Καὶ εἶπεν: vers. 18: « Καὶ εἶπεν Ζαχαρίας; » vers. seq.: « Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος ». Pariter in Annuntiationis narratione, licet bis occurrat formula « Εἶπεν δὲ Μαριὰμ » (vers. 34, 38), et altera habetur: « Καὶ εἶπεν ὁ ἄγγελος » (vers. 30). Et in immediate sequentibus occurrit bis formula καὶ, loco δὲ (vers. 60, 61). Igitur haec ratio debilis prorsus. Nec eam attulit Loisy.

Imo videtur haec ratio retorqueri posse. Quotiescumque enim dialogus inducitur, formula: « *Et dixit* » indicat mutari subiectum quod loquitur. Iam vero praecedentia verba sunt

« sind durch v. 42-45 noch nicht ausreichend gedeckt; sie werden erst vollständig « gerechtfertigt, wenn ein prophetisch-poetischer Erguss folgt. So heisst es auch « v. 67 von Zacharias: καὶ Ζαχαρίας ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου καὶ « ἐπροφήτευσεν λέγων, und nun folgt ein Lobgesang. Von Maria ist aber überhaupt « nicht gesagt, dass sie bei jener Begegnung in prophetische Disposition versetzt « worden sei; daher ist es unwahrscheinlich, dass Lucas ihr den Lobgesang zuge- « wiesen hat ». HARNACK, p. 540.

[1] Ibid. 42.

[2] « Wenn v. 46 das Subject wechseln würde, wäre nicht καὶ εἶπεν, sondern « εἶπεν δὲ Μαριάμ (v. 38) zu erwarten ». Ibid. 540, sq.

Elisabeth, nec ulla ratio apparet cur de illa iteretur « *et dixit* ». Ergo quae sequentia profert, Maria est.

c) Maiorem speciem habet sequens ratio ab utroque adducta. Nonne verba quae hanc narrationem claudunt, supponunt ultimam locutam esse Elisabeth? Non enim dicitur: « Mansit autem cum Elisabeth », sed e regione: « Mansit autem « Maria cum illa » [1].

Sed vim suam amittit, si perpenditur, Mariam esse personam principalem totius narrationis. Unde licet Maria sit locuta ultima, claudit nihilominus Evangelista narrationem directe eam nominando. Fateor tamen huic rationi suasibilius subesse fundamentum.

d) Quarta ratio inde desumitur, quod canticum ori Mariae impositum, parum concordet cum Evangelistarum ipsiusque Lucae oeconomia circa Matrem Dei. Unde vix probabile videtur, ut B. Virgo, quae Angelo nihil respondit nisi: « Ecce ancilla Domini, etc. », hic in longiorem exultationem erumpat [2].

Haec ratio non multum abest a petitione principii. Etenim si revera B. Virgo, tam sublimi exsultatione ab Elisabeth salutata, gratitudinem sui cordis laetitiamque de redemptione Israël et ipsa celebravit, cur Evangelista id narrare non potuisset? Pariter, si in Annuntiatione B. Virgo nonnisi haec pauca verba Angelo Gabrieli dixit, cur Lucas plura verba ei tribuere debuisset? Huiusmodi scilicet considerationes vim habeant in mente viri critici, qui, uti Harnack, in Evangelio minus attendit veritatem obiectivam rerum, quam

[1] « Die Worte v. 56: ἔμεινεν δὲ Μαριὰμ σὺν αὐτῇ machen es so gut wie ge- « wiss, dass unmittelbar vorher nicht sie, sondern Elisabet gesprochen hat; im « anderen Fall müsste es ἔμεινεν δὲ Μαριὰμ σὺν τῇ Ἐλισάβετ, oder noch einfa- « cher: ἔμεινεν δὲ σὺν τῇ Ἐλισάβετ heissen ». Ita HARNACK (p. 541). Et JACOBÉ sive LOISY: « La conclusion, où Marie est rappelée directement à la pensée du lecteur, « tandis qu' Elisabeth lui est toujours censée présente, ferait volontiers supposer « que la personne qui vient de parler n'est pas Marie, mais Elisabeth » (Loc. cit.).

[2] « Die ganze Anlage der beiden ersten Capitel des Evangeliums (c. 1, und c. 2, « 1-39) macht es nicht wahrscheinlich, dass Lucas der Maria einen umfangreichen « Lobgesang in den Mund gelegt hat; er hat Maria und Joseph sehr discret behan- « delt und eben damit eine hohe Wirkung erzielt, dagegen die Nebenpersonen viel « kräftiger in Reden hervortreten lassen ». HARNACK, ibid. — Et brevius JACOBÉ: « Marie garderait cette réserve qu'elle a partout ailleurs dans le récit de saint Luc « et qui donne à son rôle un caractère si touchant » (Loc. cit.).

modum quo hae res sunt a scriptore plus minusve perito elegantive composita [1].

Imo si Maria tam eloquens canticum eructavit, silentium quod passim servat eo sublimius est, dulceque inde contemplativa vita desumit argumentum taciturnitatis servandae cum hominibus, quo plenior cordis effusio divinae laudi servetur.

Quare si canticum *Magnificat* revera Maria cecinit, et optime cecinit hymnum optimum, et optime Lucas eam ita cecinisse narravit.

e) Quinta ratio, quam ipse Harnack potiorem vocat, desumitur ex indole intrinseca cantici: *Magnificat,* scilicet in ore Mariae est, quod Itali vocant *una stonatura;* in ore autem Elisabeth nihil decentius [2]. Timidius idem dixerat Jacobé [3];

[1] Quantopere Harnack in hac methodo excedat, ostendunt verba sequentia: « Eine Vergleichung des " *Magnificat* " der Elisabet mit seinen alttestamentlichen « Vorlagen, dem Lobgesang der Hanna und anderen Stücken, ist vor Allem deshalb « wichtig, weil sie uns lehrt, wie Lucas Vorlagen benutzt hat. An anderen Stellen « sind wir nur auf Grund verwickelter und nicht immer sicherer Combinationen « im Stande dies festzustellen: hier liegen die Dinge einfach und klar ». (Ib. p. 543). Scilicet:

Vers.	46, 47	respondet	I Sam. ii, 1.
»	48	»	ibid. i, 11.
»	49	»	Deut. x, 21; Ps. cxi, 9.
»	50	»	Ps. ciii, 17.
»	51	»	Ps. lxxxix, 4.
»	52	»	Iob. xii, 19; v, 11.
»	53	»	I Sam. ii, 7; Ps. cvii, 9; Iob. xii, 19.
»	54	»	Is. xli, 8; Ps. xcviii, 3.
»	55	»	Mich. vii, 20; II Sam. xxii, 51.

Unde quinta conclusio (p. 556) ita sonat: « Dass Lucas die beiden Gesänge « aus dem Hebräischen (Aramäischen) übersetzt habe, *ist natürlich ganz ausge-* « *schlossen* ». Quasi repercussio prophetici sermonis esset argumentum ad excludendam veritatem inspirationis Illius, qui utrumque Testamentum fecit unum in Christo!

[2] « Der Anfang des Lobgesangs - und dieses Argument ist das entscheidende - « passt nicht für Maria, passt aber vortrefflich für Elisabet. Dieser Anfang ist « bekanntlich nur eine leichte Umformung des Anfangs des Lobgesangs der Hanna « (I Sam. 2, 1 bez. 1, 11); Hanna aber dankt Gott in demselben, weil ihr nach lan- « ger Unfruchtbarkeit ein Sohn geschenkt war. Eben in dieser Lage befand sich « aber Elisabet, während Maria jugendlich und Jungfrau war. So unpassend es « also gewesen wäre, diese an den Lobgesang der Hanna erinnern zu lassen, so « schicklich war dies bei Elisabet. Somit vereinigen sich alle Beobachtungen zu « dem Ergebnisse: das " *Magnificat* " gehört der Mutter des Täufers ». (Ibid. p. 541).

[3] « La situation d'Elisabeth n'a-t-elle pas plus d'analogie avec celle d'Anne que « celle de Marie? » (Loc. cit.).

fortius autem nuperrime iteravit Loisy [1]. Praesertim verba: « Quia respexit humilitatem ancillae suae » impugnantur, tanquam in ore B. Virginis potius indecentia, quum alludant ad opprobrium diuturnae sterilitatis quam Elisabeth, sicut et Anna, passa erat.

Multa hic dicenda forent, quae spatium huius dissertatiunculae non sinit. Pro viro qui, praefigurationem Ant. Test. non admittens, rationalistice discurrit de similitudinibus quae utrimque occurrunt, nonnulla videntur magnam habere vim, quae pro viro praedito fide, veluti instantanee evanescunt.

Ad casum. Quis unquam somniavit negare, maiorem longe dari conformitatem materialem inter Annam illam Samuelis matrem, et Elisabeth matrem Ioannis, quam inter Annam eamdem et Virginem Mariam? Unde, caeteris paribus, nemo nisi stultus inficiari potest, textum ex Anna allatum, magis esse ad rem in ore Elisabeth, quam in ore Mariae. Sed altius assurgendum est. Sursum corda! Anna illa cum Samuel typum gerebat Mariae. Inde quid mirum, si Ille qui typum fecit et canticum ei inspiravit, iam Ipse Mariam implens, per typi prophetiam archetypi gaudium illustret?

Fateor huiusmodi argumenta vix recte ponderari posse, nisi fides praeluceat, iuxta illud Anselmi nostri: « Credo ut intelligam ». Praelucente autem fide, iam multa aliam veluti lucem accipiunt; imo prospectiva rerum fit diversa, in centrum aliud partibus singulis convergentibus.

Unde, si per verbum « humilitatem » intelligis humiliationem, sive opprobrium, sane versus ille parum B. Virgini convenit, dum Elisabeth perfecte consonat. At intelligendo hoc verbum in sensu humilis suimet aestimationis, quis iam non ex opposito in hoc versu tam manifestam allusionem reperiat ad verba: « Ecce ancilla Domini », ut exinde argumentum desumat ad vindicandam traditionem catholicam? Nec desunt in *Magnificat* aliae locutiones, quae ad collo-

[1] « Les emprunts que l'auteur du " *Magnificat* " fait au cantique d'Anne, mère « de Samuel, sont très significatifs; le passage: " Il a regardé l'humiliation de sa « servante " est à la fois un emprunt à la prière d'Anne (I Sam. I, 11, Septante), et « une allusion à la stérilité d'Elisabeth; c'est du reste, tout ce qu'il y a de person- « nel dans le cantique. Ce qui suit: " Toutes les générations m'appelleront bienheu- « reuses " est dans le style des psaumes et n'a rien d'exagéré dans la bouche d'Eli- « sabeth » (Loc. cit., p. 286 sqq.).

quium Mariae cum Angelo mysterii nuntio directe alludant. Ita verba: « fecit mihi magna qui potens est », remittunt ad illud Gabrielis: « Quia non est impossibile apud Deum omne verbum ». Incisum: « Et sanctum nomen eius », recolit: « Quod « ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei ». Adde, verba: « Ecce enim beatam me dicent, etc. » optime respondere verbis Elisabeth: « Et beata, quae credidisti ». Dum e contra parum deceret, ut Elisabeth mox idem ipsa de se et quidem fortius praedicaret.

Insuper modus tam modestus simul ac intensus, quo Maria de sua exaltatione, de « Deo *salutari suo* » loquitur, ut inde immediate ad decreta Dei Salvatoris transeat, optime humilitati B. Virginis convenit.

f) Ultima ratio desumitur a Loisy ex analogia inter *Benedictus* et *Magnificat* [1].

Sed quid haec per se valeat, non video. Si Elisabeth cecinit *Magnificat,* bene quidem: conferri poterunt ad invicem ambo matris et patris cantica. Sed non ideo oportet eam hunc hymnum cecinisse. Imo comparatio prorsus oppositum evincit. Sume canticum Zachariae: nihil limpidius. Naturali gressu idearum incedens, ab exaltatione divina ob tempora Messianica mox implenda, transit ad vaticinium de puero tam miraculose obtento: « Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis ». Quid, quaeso, huiusmodi in cantico Elisabeth? Ubi Zacharias tam lucide de Praecursore loquitur, mater de filio suo, nihil, nihil prorsus dixisset? Absit!

Sed et maius aliquid est. Quaenam convenientia fuisset in hoc, quod coram Matre Dei, coram illa quam modo tam dimisse tamque verecunde salutaverat, Elisabeth, disproportionis immeror, in propriam exaltationem erupisset? Si quaeritur *stonatura,* haec sane adest, imo tam ingens, ut solidissimo argumento aequiparanda sit. Optime Lagrange, quem a scopo Evangelistae arguentem ad verbum citare lubet: « Il annonce la conception de Jean et celle de Jésus, puis « il amène Marie chez Elisabeth pour que la plus âgée des « deux et celle qui a conçu la première s'incline devant

[1] « L'inspiration d'Elisabeth dans Luc. I, 41, fait pendant, quoi qu'on dise, à « celle de Zacharie, et invite à considérer comme parallèles le " *Magnificat* " et le « " *Benedictus* " » (Loc. cit.).

« l'autre et reconnaisse l'infériorité de son enfant devant le « fils de Marie. Et l'on veut qu'Elisabeth oublieuse de sa « touchante profession de foi, s'absorbe dans l'œuvre que « Dieu a fait en elle, comme si c'était l'œuvre par excellence « et le salut promis! Même à la naissance de Jean, le nou- « veau-né est mis à sa place de précurseur dans l'œuvre « de Dieu, et cependant Zacharie n'a pas parlé d'abord « comme Elisabeth. L'entretien de Marie et d'Elisabeth ou « plutôt le monologue d'Elisabeth culminant dans la glori- « fication d'Elisabeth sans aucune allusion à Jésus ou à Ma- « rie, c'est un contresens qu'il ne faut pas prêter à l'évan- « géliste. Toutes les broutilles de raisons ne peuvent prévaloir « contre cette raison fondamentale » [1].

4) Quid ergo concludendum est?

Modestissimis verbis a Cl. Langrange de hoc argumento nuperrime conscriptis plane adhaereo: « Du moins faudrait-il « pour ébranler une tradition très ferme, des arguments plus « solides que ceux qui ont été produits » [2].

Traditio est firmissima, quum codices Graecos omnes plerosque Latinos pro se habeat, et pariter prope unanimi Patrum consensu fulciatur. Imo firmissima est, quia ipsa verba cantici longe melius sonant in ore Virginis quam Elisabeth; quod, si iam est verum, cantico extra contextum sumpto, longe majorem vim acquirit, si narrationis gradatio attentius perpenditur. Quare rationes tum extrinsecae, tum intrinsecae in hanc conclusionem concordant: Traditio Ecclesiae catholicae rectissima est, hymnum « *Magnificat* » non cecinit Elisabeth, sed Maria.

Si autem quaeris, quomodo haec duplex lectio vers. 46 enasci potuerit, non tam facile huic quaesito certum aliquis responsum dederit.

Si dicis, textum originalem habuisse: « καὶ εἶπεν Μαριάμ », quod sane suadent codices, ratio danda est, ob quam in aliquibus codicibus vox Μαριάμ mutata sit in Ἐλισάβετ. Ad quod scribentis incuria vix sufficere videtur, quum sit mutatio quae cantico longe minus dat momentum sive pretium.

Si dicis, originalem textum fuisse Ἐλισάβετ, maior difficul-

[1] Loc. cit., p. 632.
[2] Op. cit., loc. cit.

tas tibi solvenda est, quomodo scilicet codices Graeci omnes prorsus [1], et Latini pene omnes ab ista lectione recedere potuerint.

Unde Harnack [2] probabilius putat, textum originalem habuisse solummodo: « καὶ εἶπεν ». Sed etiam si hoc verum esset, - (non desunt exempla in quibus subiectum indeterminatum in originali textu postea per additionem determinationem accepisse videtur) [3], - non inde sequeretur, - uti vult Berolinensis Professor, - veram determinationem in casu esse Ἐλισάβετ, falsam autem Μαριάμ. Imo et in hac hypothesi credimus, traditionem catholicam de Mariae cantico nullatenus esse relinquendam.

Et haec de isto argumento satis [4].

CAPUT II.

DE IPSA CONCEPTIONE SALVATORIS.

Quemadmodum ad calcem p. 2 monuimus, initium huius Capitis, scilicet Q. XXXI, aeque complet Caput primum, et exorditur alterum. Sequimur tamen in distributione Capitum, dispositionem quam ipse Angelicus in exordio huius Quaestionis suggerit [5].

[1] Hanc difficultatem ita evadit Harnack: « Für die Textkritik des Neuen Testa- « ments aber ist unser Nachweis, dass Μαριάμ eine Interpolation ist, von Werth, « weil er uns belehrt, dass wir uns nicht allein auf die griechischen Codd. verlassen « dürfen » *. Quid haec animadversio, si solida esset, valeret pro controversia de commate Joanneo, nemo non videt. De qua controversia nuperrime scripsit Cl. P. Arendt S. I. in ephemeridibus *Analecta ecclesiastica* (fasc. Ianuar. 1902), iuxta thesim Card. Franzelin. (Cf. brevissimum meum responsum ibidem in fasc. Febr. 1902).

[2] Op. cit.. p. 542. Eodem modo incipit canticum Annae.

[3] Cf. Bengel, (*Nestle*, op. cit., p. 201).

[4] In altera parte eiusdem dissertationis Harnack erudite disserens de authentia cap. I et II S. Lucae, traditionem catholicam vindicat.

[5] Cf. tabellam p. 2.

* Op. cit. p. 543.

QUAESTIO XXXI.

DE CONCEPTIONE SALVATORIS QUOAD MATERIAM DE QUA CORPUS EIUS CONCEPTUM EST.

Ordo Quaestionis. Duas partes haec Quaestio comprehendit: *A*) Prima quaerit de *provenientia* Christi ex Adamo; *B*) altera de *variis respectibus* quibus Christi caro fuit in patribus contenta.

A) *Prima* per *3 gradus* descendit usque ad ipsum Christi ortum: considerans carnem eius 1) ex *Adamo,* 2) ex *Davide,* ubi opportune quaeritur de *genealogia* Christi; 3) ex *femina* deductam, ubi de *modo* huius formationis investigatur.

B) *Altera* pars considerat varios respectus continentiae carnis Christi in patribus, id est: 1) *materialem,* 2) *moralem,* 3) *figuratum.*

ARTICULUS I.

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT SUMPTA DE ADAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam superius [1] quaerentes de convenientia, ut Verbum assumeret naturam humanam in aliquo homine ex stirpe Adae progenito, cum S. Th. respondimus, hoc summe convenisse propter iustitiam satisfactionis, propter maiorem dignitatem hominis, propter maiorem potentiae divinae manifestationem. Hic magis in speciali quaerimus de nexu descendentiae inter Christum et Adamum, seu de modo executionis huius convenientiae.

2) Obiectiones autem contra hanc descendentiam moveri possunt *a*) ex auctoritate, *b*) ex intrinseca indecentia, *c*) ex inconvenientia extrinseca.

[1] Quaest. IV, n. 6.

a) *Auctoritas* adduci solita [1] iam supra confutata est. Adverte autem scopum S. Pauli nullatenus esse, ut deneget novissimo Adamo veritatem carnis, sed ut exaltet spiritum qui hanc carnem elevat.

b) *Indecentia intrinseca* falso procedit: confundit enim provenientiam secundum carnis materiam cum provenientia per viam naturalem carnis. Haec ultima utique, in se considerata, post hominis lapsum, indecentiam intrinsecam habet, nullo autem modo simplex materialis deductio carnis a carne. Hanc indecentiam sibi Anselmus proposuit removendam in iam saepius laudato opere *De conceptu virginali.*

c) *Inconvenientia extrinseca,* quae exinde petitur quod manifestior fuisset divina Christi origo, si, ut Adam, homo perfectus apparuisset de limo terrae immediate, maiori miraculo productus, multipliciter deficit. Etenim *a*) non attendit ad magnum miraculum virginalis conceptionis et partus, quod sufficit ad probandam supernaturalem dignitatem nascentis. - *b*) Supponit gratuito, ortum Christi de Virgine Matre esse miraculum *per quod,* et non potius *de quo* sit fides: unde non oportuit hoc miraculum externis sensibus apparere, sed per alia miracula manifestari. - *c*) Non considerat, veritatem humanae naturae magis elucere, si Christus de carne Adami nascitur, puerulus de matre in mundum prodiens. - *d*) Demum negligit maximas rationes superius in art. 6 Q. IV allatas: praesertim rationem petitam ex opere reparationis per satisfactionem strictae iustitiae, quae reparatio fieri debebat per membrum eiusdem familiae humanae lapsae et reparandae.

II. **Ad Textum.** - Defectus obiectionum ex dictis iam patent.

Sed contra est. Adde huic loco ex epist. ad Hebraeos desumpto [2] omnia loca in quibus Christus dicitur filius David, filius Abraham [3]. Unde huc spectant omnia vaticinia quibus Prophetae hanc descendentiam passim annuntiarunt.

[1] I. Cor. xv, 47.
[2] Cap. ii, 16.
[3] Matth. i, Luc. iii.

Haereses autem huic carnali descendentiae Christi ab Adamo oppositas iam supra enumeravimus, praesertim agendo de Doketis [1].

In Corpore. Ratio hic allata concordat quoad rem cum prima ratione *Corp.* a. 6, Q. IV; differt tamen quoad modum, sicut hic articulus differt ab altero. Hic enim S. Thomas unice intendit demonstrare convenientiam assumptionis carnis de Adamo. Haec ratio ita exhibita innititur duplici dogmati: 1) peccati originalis per carnalem generationem transfusi; et 2) operis salvifici, vi cuius primario ad delendam culpam originis Christus nostram naturam assumpsit.

ARTICULUS II.

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT SUMPTA DE DAVID.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) *Titulus* articuli inquirit unice de David; sed in *Corpore* quaeritur tum de David, tum de Abraham. Principalior tamen quaestio de David movetur propter difficultates quasdam ex genealogia Christi petitas.

2) De quibus optime S. Augustinus discurrit argumento a priori. Etenim scimus *a*) Ioseph esse virum Mariae, *b*) Mariam esse Matrem virgineam Iesu, *c*) Iesum affirmari filium David. Ergo, nisi Scriptura sibi contradicat, concludere debemus, Mariam quoque fuisse de stirpe David. Quod tenendum esset, etiamsi nihil sciremus de lege connubiorum intra eamdem tribum ineundorum; maxime de lege qua puellae haeredes tenebantur nubere viro agnato [2].

3) Sed inde urgeri videtur alia difficultas. Si ita est, quomodo potuit Maria esse cognata Elisabeth, quum Zacharias esset de tribu Levi? - Iam supra diximus, privilegium fuisse utriusque tribus regalis et sacerdotalis ut inter se iungi possent, ad melius ita figurandum Messiam, Regem simul ac Sacerdotem. Quod privilegium ostenditur in ipso Aaron, qui uxo-

[1] Tom. iv, p. 6, sq., 278, sqq.
[2] Cf. Knabenbauer (*Comm. in Matth.* i, p. 41 sqq.).

rem ex tribu Iuda duxit. Hoc posito, cognatio inter Mariam et Elisabeth variis modis obtineri potuit, tum a parte Elisabeth, tum a parte Mariae. *a*) A parte *Elisabeth:* etenim potuit α) vel ipsa, vel β) mater eius esse de tribu Iuda, etc. - *b*) A parte *Mariae:* etenim α) vel mater eius, vel β) pater eius, vel γ) avus aut avia esse de tribu Aaron potuerunt.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* et *2 Obi.* iam ex dictis vim amittunt.

3. Obi. Supponit sterilitatem, quae de Iechonia a Ieremia praedicatur, esse materialem et non legalem, nempe exclusionem filiorum a solio David, scilicet a regno temporali. Quare utrumque superest, tum de Iechonia Christum ortum esse, tum spiritualiter nullum de Iechoniae stirpe solium David occupasse.

Sed contra est. Confutatur hoc articulo inter alios Faustus Manichaeus, contra quem Augustinus celeberrimos libros conscripsit. Demonstratur haec descendentia Christi de Davide locis Scripturae in praecedenti articulo indicatis, necnon superius in appendice de B. Virginis ortu allatis.

E Patribus satis sit afferre Diaconum Ferrandum: « Qua « ratione fieret ex semine David, nisi carnem suscepisset ex « Matre, quae pertinebat ad semen David? De semine enim « David Maria, et de carne Mariae Christus, quamvis sine « semine maritali, tamen cum proprietate naturae.... Nonne « sic est semen Abrahae Christus, quomodo ex semine David, « propter Mariam, per Mariam, de Maria? Tollat impius « disputator Christo materiam carnis, quam Maria mini- « stravit, et doceat, quomodo est semen Abrahae Christus, « aut quomodo factus est ex semine David » [1].

In Corpore. Non ad Davidem Angelicus quaestionem limitat; sed simul inquirit de Davide et de Abrahamo, secundum illud exordii Matthaei: « Liber generationis Iesu Christi « *filii David, filii Abraham* » [2].

Rationes autem in *Corpore* allatae hoc schemate continentur.

Specialius Christus vocatur Filius David et Abraham:

[1] Epist. 3 ad Anatol.; Cf. Iustinum M. (Apol. 2).
[2] MATTH. I, 1.

1) Propter *promissiones:*	*a*) David et Abraham Christus specialissime promissus; *b*) inde populus Iesum *Filium David* acclamat.	
2) propter utriusque *dignitatem:*	*a*) Abraham: Sacerdos et Propheta, *b*) David: Rex et Propheta,	Christus tria simul.
3) propter *typicam* utriusque *rationem:*	*a*) Abraham, pater circumc., figurat Iudaeos: *b*) David, specialius electus, figurat Gentiles:	Christus utrosque complectitur.

Comple dictum 1) per illud Christi: « Abraham pater « vester exsultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus « est » [1]; ubi Christus insinuat, Abraham, dum factas sibi prophetias audiret, illustratione superna vidisse hunc Deum sua stirpe oriturum.

Porro adverte nexum argumenti. Prima ratio factum implendum ponit; secunda ratio ulterius rationem facti investigat in historica indole utriusque Davidis et Abrahae; tertia ratio superaddit indolem typicam.

ARTICULUS III.

UTRUM CONVENIENTER GENEALOGIA CHRISTI AB EVANGELISTIS TEXATUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Facto originis Christi de Davide et Abrahamo per auctoritatem et convenientiam hucusque demonstrato, probandum superest, Evangelistas convenienter genealogiam Christi texuisse. In quo, ne nimii esse cogamur, subtilitatibus exegeticis parcemus, eo vel magis quod considerationes hoc loco a S. Thoma ex Sanctis Patribus adductae, remanent adhuc validissime ad solvendas difficultates quae contra utramque genealogiam congeruntur. Quae autem tempore quo scribebat Angelicus dubia erant, putamus nec hodie certam solutionem accepisse.

2) Porro, si conferes geminam Christi genealogiam a Matthaeo et a Luca traditam, varia discrimina inter utramque reperies, tum quoad formam seu methodum, tum quoad rem. Quoad *formam*, *a*) a Christi genealogia Matthaeus exorditur Evangelium; Lucas autem vitam publicam Redemptoris. -

[1] Ioann. viii, 56.

b) Mattheus procedit ordine descendente; Lucas ascendente. - *c*) Matthaeus ab Abraham ad Christum descendit; Lucas ascendit usque ad ipsum Adamum. - *d*) Matthaeus variis in locis verbulum interiacet ad nominandum vel fratres vel matrem, alicuius geniti, vel periodum historicam qua vixit; Lucas recta via ascendit usque ad Creatorem. - *e*) Matthaeus utitur verbo *qui genuit*, Lucas vocabulo *qui fuit*. En quoad formam sive methodum.

3) Maius autem discrimen inter utramque genealogiam occurrit quoad *rem*, id est, quoad nomina, ac numerum generationum. Concordant quidem Matthaeus et Lucas quoad deductionem Davidis ex Abraham sive quoad ascensionem a Davide ad Abraham; discrepant autem quam maxime quoad spatium inter Christum et Davidem. Quod ex sequenti schemate apparebit:



Convenit utraque genealogia in nominibus Salathiel et Zorobabel, sed Matthaeus a Zorobabel ad Ioseph habet generationes 10; Lucas autem a Ioseph ad Zorobabel generationes 19.

Si addimus utramque convenire a Davide ad Abraham; et animadvertimus, numerum generationum a Davide ad Zorobabelem, praesertim additis Ochozia et Amasia, qui inter Ioram et Oziam omittuntur, eumdem esse vel quasi eumdem: dicendum est, enumerationem Matthaei in tertia parte ob rationem symetricam ad numerum 14 esse contractam; quae ratio omissionem pariter Ochoziae et Amasiae suggerere potuit.

4) Quidquid autem sit de generationum numero, alia quaestio solvenda est: quomodo per duplicem viam tam differentem uterque Evangelista genealogiam Christi texere potuerit.

Ad cuius quaesiti solutionem per viam exclusivam ad intentum pervenitur.

a) Nequit admitti explicatio *identitatis personarum*, quasi duplici distinctarum nomine; nam α) *Salomon* et *Nathan* non eamdem esse personam, nimis constat; imo β) diversus generationum numerus id refellit. - *b*) Neque valet ratio *descendentiae spiritualis*, per enumerationem iustorum sibi succedentium. Etenim α) talis descendentia non intendebatur in prophetiis; insuper β) nomina Salathiel et Zorobabel in utraque genealogia recurrentia, ostendunt, agi de vera descendentia naturali. - *c*) Igitur per has genealogias nobis indicatur *duplex via diversa* a Davide ad Christum; altera per regum lineam deducta, altera per nomina obscuriora. - Quomodo autem duplex illa via potuerit in genealogia virorum in eumdem virum rursus convenire, nempe Iosephum, explicatur duplici modo. α) Si utraque genealogia est Iosephi, explicatur iuxta legem adoptionis legalis ex suscepta a fratre uxore vidua fratris sine liberis defuncti. Quod potuit fieri non solum circa Ioseph, cui patres assignantur Iacob et Heli; sed etiam in medio genealogiae circa Salathiel [1]. Qua duplici via inspecta non potest a priori determinari, utrum B. Virgo fuerit oriunda ex Davide per Salomonem an potius per Nathan. Imo si gemina genealogia est unice Iosephi, potuit B. Virgo descendere de Davide per viam qua non esset nec Salomonis, nec Nathan. - β) Si quis autem existimet, genealogiam Matthaei esse quidem Iosephi, alteram autem esse ipsius Virginis Mariae [2], haec difficultas minuitur. Non tamen tollitur, quia utraque genealogia convenit in Zalathiel et Zorobabel.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Iam supra soluta est.

2. Obi. Non considerat, descendentiam texi posse secundum genealogiam legalem vel naturalem; imo genealogiam virorum posse a filio non ad patrem, sed ad avum maternum transire. Hoc ultimo medio eo facilius duae genealogiae componuntur, quod apparens est, Matthaeum plures gradus esse praetergressum.

[1] Iechonias quippe potuit mori sine liberis, et Neri, uterinus eius frater, iuxta legem, uxorem eius accipere et ab ea habere Salathiel. Inde corroboraretur prophetia Ieremiae de qua in articulo praecedenti; et in utroque casu haberemus in Matthaeo filiationem naturalem, in Luca legalem.

Cf. dicta de hac hypothesi p. 189, et in proximo corollario.

3. Obi. Vide dicenda in resp.; item pro 4ª et 5ª.

Sed contra est. Iam a primis temporibus difficultas componendi utramque genealogiam hostes Ecclesiae stimulavit a Celso, Porphyrio, Iuliano Apost. [1], Fausto Manichaeo [2], usque ad modernos impios Strauss [3], Renan [4], Davidson [5].

Attamen, praeter opinionem quae dicit Matthaeum describere genealogiam Ioseph, Lucam vero Mariae, ad solvendas difficultates satis est recurrere cum Patribus ad legem matrimonii leviratus; quae lex, quid mirum si in tam longa serie generationum plus semel intervenerit? [6].

In Corpore. Hoc argumentum utique fidem supponit. Fidem habenti a priori sufficit.

Resp. ad 2ᵐ. En paucis ordo huius fusioris responsionis.

A) Excluduntur *solutiones insufficientes:*
1) Eaedem personae nomina duplicata: (Nath.-Salom.);
2) Geneal. Matth. vera, altera putativa (gratuitum).

B) Dantur *bonae solutiones:* (ex Aug.)
1) una genealogia ascendit per avum maternum, aut aliquid huiusmodi [7];
2) Unus pater Ioseph naturalis, alter adoptivus [8].
3) Unus naturalis, alter legalis, ex fratri defuncto suscitato semine (melior solutio).

C) *Applicatur* ultima solutio:

Mathan (ex eadem Estha) *Melchi*
gen. gen.
Iacob (fratres uterini) *Heli*
(ex eadem uxore)
gen. natur. gen. legal.
Ioseph. vir. Mariae.

D) Concluditur quid probabilius tenendum sit *quoad B. Virginem,* utrum ex Melchi, an ex Mathan.

[1] Cf. Origenem (*Ctr. Celsum* II, 32. *P. G.* XI, 852): S. Hier. (*In Dan.* I, 1. — *P. L.* XXV, 495); etc., etc.

[2] Ctr. Faustum pluries de hoc argumento agit Augustinus (*Contra Faustum* l. II, c. 2, 3, 6; l. VII, c. 2; l. XXII, c. 5, 8, 9; Cf. et *Retract.* l. II, c. 7.)

[3] *Leben Iesu* (Ed. 4, I, p. 136-158).

[4] *Vie de Jésus* p. 240; *Les Evangiles* p. 60, sq.

[5] Introduction II, p. 28, sqq. — Saec. XVI Anabaptistae easdem difficultates moverunt (Cf. Sixt. Sen. *Bibl. Sac.* VII, haer. 2.)

[6] Deut. XXV, 5, 6.

[7] Haec ratio potest valere ad explicandum quomodo non omnia nomina debeant convenire; non autem sufficit ad explicandam duplicem seriem nominum diversorum nonnisi in medio convenientium.

[8] Hanc rationem ipse S. Augustinus correxit (*Retract.* II, 7. — *P. L.* XXXII, 663), quia Iudaei hanc adoptionis speciem ignorabant.

Resp. ad 3m. Ita hoc responsum contrahitur:

Matthaeus	in Chr. describit	*Lucas*
dignitatem *regalem*		dignitatem *sacerdotalem*
a) alter *descendit;*		alter *ascendit,*
b) per *Salomonem* (in cui. matr. pecc.);		per *Nathan* veniae nuntium,
c) in exordio Evangelii sui;		in exordio vitae publicae in bapt.;
d) incipiens ab Abrahamo;		pergens usque ad Deum;
e) narrans generationem natur.;		narrans generationem adoptiv.;
f) generationibus quadraginta cuius symbolum (10 × 4) praesens tempus exprimit; (vel 42, cuius symb. (7 × 6) convenit Ecclesiae per laborem praesentis vitae ad futurae requiem transeunti).		generationibus 77, significantibus numero (11 × 7) universalitatem delictorum, quae Christi mors delevit.

Adverte generationes, si persona Christi excipitur, esse in Matth. 13 + 14 + 13 = 40. Tunc admittitur, Iechoniam esse eumdem in transmigratione et post transmigrationem Babylonis. Quod nobis ex ipso modo numerandi Matthaei insinuatur. Evangelista enim ter numerat generationes quatuordecim, dum revera in medio sunt quatuordecim, et in initio ac fine tredecim. Sed adnumerat utrimque personas generantes et genitas. Unde nisi in medio idem sit primus generans cum ultimo genito primae seriei, haberemus in medio, iuxta eumdem modum computandi, non quatuordecim, sed quindecim.

Resp. ad 5m. Si consideretur, S. Lucam familiaritate Mariae usum esse, facile creditur hic Evangelista ab ea accepisse genealogiam Christi, cuius haec ratio fuerit. Per Melchi ascendit ad Zorobabel, quia B. V. de Melchi gente erat. Per Nathan autem a Zorobabele ascendit ad Davidem, idque ob tres rationes: *a*) quia deductio obscurior humilitati Mariae magis consona; *b*) quia purior, pudorem eius minus offendens; *c*) quia magis consona promissionibus Vet. Test. Nam Salomoni nonnisi sub conditione promissus est Messias [1]; quam conditionem non tenuisse dicendus est [2].

Corollarium I. - Ex dictis in hoc articulo vides rursus, quid censendum sit de opinione iuxta quam S. Lucas genealogiam non S. Iosephi sed Mariae descripserit. Hanc quidem

[1] I. Paral. xxviii, 5, sqq.
[2] Cf. Ierem. xxii, 30.

opinionem iam S. Hilarius refert; asserens « multos velle « generationem, quam enumerat Matthaeus, reputari Ioseph, « et generationem, quam enumerat Lucas, reputari Mariae » [1]. Sed ipse hanc sententiam non tenet [2]. Nec iterum apparet haec opinio ante saeculum XVI [3]. Et sane, uti loco suo diximus [4], nihil in textu rationem huius discriminis suppeditat; quin imo textus Graecus Lucae hanc interpretationem vix admittit. Unde, inspecta forma grammaticali, haec opinio nunquam inducta fuisset, nisi extrinseca ratio ad eam impulisset: conciliatio scilicet inter utramque genealogiam. Iam vero in hoc articulo vidimus, hanc conciliationem obtineri posse, quin ad hoc medium recurratur. Ergo cautius est a solutione tam parum probabili abstinere. Insuper duae generationes conveniunt in Salathiel et Zorobabel; quod explicatur per matrimonium leviratus. Iam vero eadem lex explicat quomodo rursus in Ioseph conveniant [5].

Corollarium II. - Ex genealogia Christi per S. Iosephum deducta collige rursus eminentem dignitatem huius Patriarchae. Tantopere enim erat B. Virgini coniunctus, ut Proles Mariae, utpote fructus fundi cuius ipse dominium habebat atque tutelam, esset eius filius [6]. Optime Wouters: « Quum « Christus esset proprius ac legitimus, etsi non naturalis, filius

[1] Card. Mai, (*Nov. Patr.* bibl. I, p. 455).

[2] Cf. in Matt. — *P. L.* IX, 919.

[3] Cf. Patrizi (*De Evang.* III, p. 92).

[4] Cf. p. 189, sq. — Ratio ob quam putamus hanc interpretationem vix admitti posse, non est traditio de Zacharia patre matris Jesu; sed ipsa structura sententiae, collata cum facto quod S. Matthaeus genealogiam Jesu per Josephum descripsit. Etenim, quum structura prope eadem apud S. Lucam prostet, cur, quaeso, haec genealogia deberet esse per Mariam, illa per Iosephum? Nec dicas, verba « ut « putabatur » excludere genealogiam per Iosephum, quasi haec esset veluti contradictio in terminis; nam idem valeret de genealogia S. Matthaei, quae incipit per verba: « Liber generationis Iesu Christi », et tamen clauditur per « Ioseph, virum Mariae, « de qua natus est Iesus ». Imo quomodo explicaretur, quod in genealogia Iesu per Mariam, ipsa Maria non nominaretur, dum tamen nominatur immediate ante Iesum in genealogia per Iosephum? Quare, si genealogia S. Lucae esset per Mariam, quatenus verba: « ut putabatur Filius Ioseph » essent parenthesis, Evangelista primum gradum, utpote summi momenti: « qui fuit Mariae » non omisisset.

[5] Cf. tabellum Cl. P. Cornely. S. I. — *Hist. et critic. introductio in V. T. libros sacros* t. III, p. 199.

[6] Breviter et concinne Lucas Brugensis: « Quum legitimo matrimonio iunctus « esset Ioseph Virgini Mariae, et una cum illa esset caro, iure, etsi non re, proles « e Mariae carne genita, ex eius genita est carne » (In Luc. 3).

« Ioseph, sequitur quod genealogia a S. Luca descripta non « tantum sit genealogia legalis Ioseph, sed etiam Christi. Ac « proin sicut Ioseph habuit omnia iura veri patris in Iesum, « uti erat homo, ita Iesus habuit omnia iura filii respectu « illius, et consequenter ex illa parte quoque habuit ius ad « sedem regalem Davidis » [1]. Imo S. Augustinus ulterius progreditur his verbis: « Si quis demonstrare posset, Mariam « ex Davide nullam consanguinitatis originem ducere, satis « erat secundum istam rationem accipere Christum filium « David, qua ratione etiam Ioseph pater eius recte appel- « latus est » [2].

Non ideo tamen concedendum est Christum per Iosephum dumtaxat, non per Mariam, originem ducere a Davide, quasi ideo Evangelistae genealogiam nonnisi per Iosephum descripsissent [3]. Nam prophetiae de semine David tam apertae sunt, ut vix per aliam quam per naturalem viam impleri posse videantur. Imo haec consanguinitatis ratio apparet, si prae oculis habeatur ex una parte traditio iuxta quam B. Virgo erat filia haeres, et ex altera parte lex quae huiusmodi haeredes iubebat nubere tantum hominibus suae tribus [4], virosque vicissim ducere « uxores de tribu et cognatione sua » [5].

ARTICULUS IV.

UTRUM DECUERIT CHRISTUM NASCI DE FEMINA.

De ipsa Quaestione. - Post dicta iam superius de hoc argumento, articulum praesentem paucis illustrare suffecerit.

Certum est, masculinum sexum esse nobiliorem; ideo omnino decuit Christum in sexu virili formam nostram assumere; licet potuisset assumere formam muliebrem, uti superius demonstravimus. Sed ex hac maiori dignitate non sequitur, dignius aliquem de viro quam de muliere pro-

[1] *Dilucid. Quaest. in hist. evang.* 3, 2 (Mign. *Curs. compl. S. S.* xxiii, 802).

[2] *De cons. Evang.* ii, 2. — *P. L.* xxxiv, 1072.

[3] Inde superius, corripuimus modum loquendi Grimm.

[4] Num. xxxvi, 6, sq. Nescio tamen qua ratione Papebrochius urgeat « legem quae « filiam unigenitam consanguineo *proximo* nubere iubebat, ne haereditates confun- « derentur » (*Act. SS.* Mens. Mart. iii, p. 15).

[5] Lege de hac quaestione dissertationem Cl. Cornely (op. cit. p. 195, sqq.).

cedere. Etenim si de ortu naturali loqueris, initium est a viro; si de ortu supernaturali, potest quaevis indecentiae apparentia removeri. Imo si ille, qui supernaturali modo de homine formatur, debet ratione missionis suae esse « filius hominis », quomodo id digne fiet, nisi de femina virgine nascatur?

Ad Textum. *1. Obi.* Confundit sexum nascentis cum sexu ortum dantis. - *2. Obi.* Confutata est in art. 1, Quaest. I. - *3. Obi.* Abstrahit a partu virgineo.

Sed contra est. Christum de femina natum negaverunt vario titulo haeretici non pauci, de quibus iam in primo volumine huius nostri tractatus egimus [1], rursusque agemus mox, ubi de maternitate Mariae discurremus [2].

Liturgia catholica hanc veritatem in Scripturis aperte contentam, abundantissime proclamat. In hymno *Te Deum* canit: « Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Vir- « ginis uterum ». In Symbolo adorat, Filium Dei, qui « incar- « natus est ex Maria Virgine ». In doxologia canit: « Gloria « tibi, Domine, qui natus es de Virgine ». In Collecta orat: « Deus qui de B. M. Virginis utero Verbum tuum, Angelo « nuntiante, carnem suscipere voluisti... » etc., etc.

E *Patrum* scriptis huc faciunt omnes textus quibus novam Evam primae Evae opponunt. Quae oppositio iam apud antiquissimos scriptores occurrit. S. Iustinus ait: « Virgo exi- « stens Eva et incorrupta, verbum a serpente prolatum con- « cipiens, inobedientiam et mortem peperit; fidem vero et « gaudium sumens Maria Virgo, evangelizanti ipsi Gabrieli « Archangelo laetum nuntium... respondit: " Fiat mihi secun- « dum verbum tuum " » [4]. - Et Irenaeus: « Sic autem et Evae « inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam « Mariae, quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, « hoc virgo Maria solvit per fidem » [5]. - Pariter Tertullianus: « Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa

[1] Cf. Tom. IV. PRAEVIA II, p. 6, sq.; Quaest. V, p. 278, sq.
[2] Art. seq.; necnon Q. XXXV, art. 3, 4.
[3] Cf. loco allata in Q. V.
[4] *Dial. c. Tryph.* 100. — *P. G.* VI, 709 D, sq.
[5] *Haeres.* III, 22; cf. V, 19. — *P. G.* VII, 959 C, sq.

« credendo deliquit, haec credendo delevit » [1]. - Concinne S. Augustinus: « Decipiendo homini propinatum est venenum per « feminam; reparando homini propinetur salus per feminam. « Compenset femina decepti per se hominis peccatum, gene- « rando Christum » [2].

In Corpore. S. Thomas duo facit. 1) Concedit possibilitatem ut Verbum carnem humanam de quacumque materia assumpsisset. Quod intellige dictum non solum de quacumque materia iam organica, sicut Eva de Adamo facta est; sed et inorganica, sicut Adam de limo terrae.

2) Triplicem convenientiae rationem assignat ut Christus de femina nasceretur.

a) Tota natura humana nobilitatur: (S. Aug.)
- *a*) vir per Christum,
- *b*) mulier per Mariam Christi Matrem.

b) Veritas Incarnationis melius monstratur: Filius hominis.

c) Completur diversitas generationis humanae: (S. Anselm.)
- α) sine viro nec femina: Adam;
- β) ex viro sine femina: Eva;
- γ) ex femina sine viro: Christus;
- δ) ex utroque: omnes reliqui.

ARTICULUS V.

UTRUM CORPUS CHRISTI EX PURISSIMIS SANGUINIBUS VIRGINIS FORMATUM SIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad huius quaesiti solutionem duplex principium aeque firmum teneatur: *a*) Beatissimam Mariam verissime *Matrem* esse Christi, et simul *b*) plenissime *Virginem*. Unde removenda quidem sunt a conceptione Christi omnia quae perfectam integritatem Mariae laederent; ponenda autem omnia sine quibus vera maternitas stare non possit. Dicimus *maternitatem,* nam quae sunt patris, ad Mariam non spectant, nisi quatenus, modo infra explicando, per virtutem Spiritus Sancti suppleta sunt.

[1] *De carn. Chr.* c. 17. — *P. L.* II, 828.

[2] Serm. 51 al. de divers. 65, c. 2. — *P. L.* XXXVIII, 335. — Hoc feminae ministerium Augustinus in morte Christi pariter agnoscit addens: « Inde et resurgentem « Deum priores feminae Apostolis nuntiarunt ».

2) Huic duplici principio stare possemus; et reverentiae causa ab hoc mysterio castissimi pudoris penitius scrutando abstinere. Qui enim modo firmo ac rationali utrumque hoc principium velut geminum scutum simul tenet, totum tenet ac tuetur. Nihilominus quum S. Thomas in hoc articulo et in Quaestione sequente ulterius progrediatur, inoffenso pede liceat tali duci adhaerere, distinguendo tamen sedulo in Angelici doctrina quid e contemplatione mysterii logice fluat, quid iuxta scientiam illius temporis procedat.

3) Itaque *a*) ob virgineam Deiparae maternitatem firmissime tenendum, omnem influxum principii virilis in Christi conceptione defuisse. Quomodo autem suppletum fuerit, in quaestione proxima penitius investigabimus. - Insuper *b*) ob perfectionem virginalem Matris removendum est quidquid, independenter etiam a virili influxu, libidinem sapit, ita ut B. Virgo in concipiendo Filio nullas nisi castissimas delicias senserit. - Demum *c*) ob integritatem materialem, quam in virginea Prolis editione iam contemplati sumus, reiicienda est quaevis laesio, per quam veluti violento modo materia corporis Christi de matris corpore subministrata esset.

Haec quoad primum principium, quod S. Thomas ita exprimit: « Femina, quae ex mare concipit, non est virgo: et « ideo ad supernaturalem modum generationis Christi per- « tinet, quod activum principium in generatione illa fuerit « virtus supernaturalis divina » [1]. Quousque autem id activum ad virile principium restringi debeat, in Quaestione sequenti investigabimus.

4) Quoad alterum principium, *a*) quidquid requiritur ad hoc, ut B. Virgo vere sit Mater, in conceptione Christi tenendum est. Nam Christus non solum carnem assumpsit *in* Maria, sed *ex* vel *de* Maria; nec qualitercumque de Maria, sed de Maria *Matre*. - *b*) Inde nequit admitti Christi corpus in Mariae sinu efformatum esse de aliqua carnis eius particula, nescio quo modo praecisa, quam deinde ipsa matrum more aluisset atque fovisset. Nam praeter rationem modo allatam 3), *c*) haec procreatio non faceret conceptionem veram, sed operationem aliquam violentam, quae nonnisi improprie

[1] Hoc loco, in *Corp.*

conceptio vocari posset. - *c*) Imo quum ex una parte B. Virgo eo magis Matris titulum mereatur, quo perfectius id praestitit quod naturae lege matres in prole concipienda et gestanda praestare solent, et ex altera parte sapientia ac potentia operum Dei postulet, ut prodigia sine ratione non multiplicentur, suadendum est, ut citra congressum explicatio mysterii conceptionis Christi quam maxime appropinquet ad modum quo reliquae matres concipiunt. Id diserte suggerit S. Thomas his verbis: « Ad naturalem modum generationis eius « (Christi) pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius « conceptum est, sit conformis materiae, quam aliae feminae « subministrant ad conceptionem prolis » [1].

5) Porro quid sit illud quod feminae matres subministrant unde matres fiant, ad scientiam physiologicam pertinet. Quare ab evolvendo hoc argumento abstinemus. Quae sufficiunt scopo nostro in articulo 4, Quaest. seq. addentur. Interim liceat cum S. Thoma id vocare purissimum sanguinem; quae locutio, saltem mediate intellecta, suam veritatem servat.

6) Unum tamen monere liceat: conceptum Scholasticorum de sanguine plus vel minus puro, non omnino esse conformem scientiae naturali. Sanguis utique purior est in uno homine quam in alio, iuxta perfectiorem constitutionem. Unde hoc sensu sanguis Beatissimae Virginis fuit absque dubio purissimus. In singulari autem homine purior quidem est sanguis qui recens a corde emittitur, quam qui ad cor dextrum instaurandus confluit. Caeterum ipse sanguis qui emittitur menstruus, non depellitur quia minus purus. Nec puritate ab alio corporis sanguine differt ille, qui ad organa conceptionis gestationisque confluit; nisi quod iste certis elementis dotatur, maxime arsenicis, quae alendo faetui inserviunt, et quae secus per pellem, capillos et lac eliminantur [2].

II. **Ad Textum.** Obiectiones procedunt duae primae in favorem productionis de carne; tertia de sanguine contra productionem de sanguine purissimo.

[1] Ibid.

[2] Cf. de hoc argumento Arm. Gautier, *L'Arsenic dans l'organisme.* Compte-rendu 5 févr. 1900. — *L'existence normale et le rôle de l'arsenic chez les animaux.*

1. Obj. Confundit carnem in sensu stricto substantiae decisae et in sensu naturae modo naturali transfundendae.

2. Obj. Non attendit ad magnum discrimen inter Adamum relate ad Evam, et Virginem Mariam relate ad Christum.

3. Obj. Procedit a falsa opinione de efficacia utriusque elementi, seminis muliebris et sanguinis menstrui, ad conceptum.

Sed contra est. Huc faciunt omnia vel Scripturarum, vel Symbolorum, vel Patrum testimonia, - superius iam allata, - quibus contra Valentinianos aliosque demonstratur, Christum non tantum *in* Maria, sed *de* Maria filiorum more carnem assumpsisse. Quare confer dicta in articulo praecedente, necnon loca ibidem assignata.

Porro qui Patres hanc veritatem tuendo, affirmant Christum de Maria carnem traxisse, intelligendi sunt iuxta secundum principium superius positum. Ita Beda noster: « Neque « audiendi sunt, qui legendum putant: Natum ex muliere, « factum sub lege; sed factum ex muliere; quia conceptus « ex utero virginali (en primum principium) carnem non de « nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne (en secun- « dum principium) » [1].

Eodem sensu intelligendus est Tertullianus contra « gram- « maticos tortuosos » arguens: « Misit Deus Filium suum fac- « tum *ex* muliere. Numquid *per* mulierem aut *in* muliere? Hoc « quidem impressius quod factum potius dicit quam natum: « simplicius enim enuntiasset natum; factum autem dicendo, « et Verbum caro factum est consignavit, et carnis verita- « tem ex Virgine factae adseveravit » [2]. Caro igitur ex Virgine assumpta, est natura nostra eo modo assumpta, quo, salva virginitate, virgo eam ministrare potest ac debet, ut sit mater vere.

« Ut ostenderet Apostolus, inquit Basilius, ex humana « massa (ἐκ τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος) carnem deiferam esse « concretam, significantiorem vocem praeelegit; nam illud « *per* mulierem posset notionem transitus in nativitate inge-

[1] In Luc. l. IV, c. 11. — *P. L.* XCII, 480 A.
[2] *De carne Christi,* c. 20. — *P. L.* II, 831 A.

« rere, hoc autem *ex* muliere satis declarat communicatio-
« nem naturae in genito relate ad genitricem » [1].

Porro principium secundum, ad mentem doctrinae a nobis expositae, egregie illustrat S. Hilarius: « Quamvis tantum ad « nativitatem carnis ex se daret (B. Virgo), quantum ex se « feminae edendorum corporum susceptis originibus impen- « derent, non tamen Iesus Christus per humanae conceptio- « nis coaluit naturam. Sed omnis causa nascendi invecta per « Spiritum, *tenuit in hominis nativitate quod matris est,* cum « tamen haberet in originis virtute quod Deus est » [2].

Eadem prorsus mente S. Athanasius contra Apollinarium disputans, loquitur de *matrice* Virginis. Quae expressio uti in Quaestione sequenti evolvemus melius veritati respondet quam Scholasticorum locutio « de purissimis sanguinibus ». Citatio integra magni momenti est, quia oeconomiam nativitatis de Virgine pulcherrime evolvit: « Verbum Deus... geni- « tus ex Maria Virgine et Spiritu Sancto in Bethlehem Iu- « daeae ex semine David et Abrahae et Adae, sicut scriptum « est, omnia accipiens ex Virgine, quaecumque ab initio Deus « ad constitutionem hominis efformaverat et condiderat, « excepto peccato...; non divinitatis mutationem subiens, at « humanitatis innovationem efficiens secundum suam volun- « tatem, ut gentes concorporales et comparticipes essent « Christi, quemadmodum scribit Apostolus....[3]; quoniam voluit « Deus Unigenitus plenitudine divinitatis suae plasmationem « archetypi hominis et novum opificium *ex matrice Virgi-* « *nis* suscitare in seipso physica generatione et indissolubili « unione, ut pro hominibus salutare negotium perficeret » [4]. - Inter Latinos Patres eamdem doctrinam lucidissime exponit S. Fulgentius: « Unus idemque de Patre sine initio Deus « semper genitus, de matre homo verus secundum carnem « temporaliter conceptus et natus. Quam carnem non con « ceptam accepit Unigenitus Deus, sed in ea est Deus ipse « altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus « est in Virgine et de Virgine secundum carnem, qui sibi de

[1] *De Spir. S.,* c. 5. — *P. G.* XXXII, 86 C.
[2] *De Trin.,* l. X, 15. — *P. L.* X, 354 A.
[3] EPH. III, 6.
[4] *Ctr. Apollinar.,* l. II, 5. — *P. G.* XXVI, 1140 A B.

« qua et in qua crearetur, creaverat genitricem. Si autem « Deus Verbum sic in Virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, « procul dubio non de carne matris idem Deus haberet sub- « stantiam carnis, essetque eius per Virginem transitus, atque « ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salu- « tem, nec humanae divinaeque plenam in se Christus Dei « Filius inconfusibiliter uniret substantiae veritatem. Hoc « ergo medicinaliter usa est bonitas divina remedio, ut ille « Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, non solum in « muliere sed etiam ex muliere fieret homo » [1]. Plura testimonia relate ad hanc veritatem lege collecta apud Petavium [2], Card. Franzelin [3], P. Stentrup [4], etc.

Refellendus hic quoque error est, de quo Cajetanus, dicentium Christi corpus fuisse formatum de purissimo sanguine B. V. in corde existente; ita ut de tribus guttulis sanguinis cordis circa cor conceptus esset Christus. - *Resp.* Sanguis quidem purissimus fuit purissimi cordis B. V. eo modo quo diximus n. 4 et 5, sed non in corde, nec immediate de corde; sed in loco naturali ad conceptionem ordinato. Secus B. V. non fuisset vera Mater Christi; sicuti Adam non fuit pater Evae quia Eva de ipso.

In Corpore. En compendium huius simplicissimi argumenti.

Christus simul natus de virgine et femina. - 1) Quia *de virgine,* nihil accepit de viro. - 2) Quia *de femina,* praestitit de se materiam quam matres futurae praestare solent.

Resp. ad 1m. Adde rationem ex maternitate adductam. Quomodo Maria esset mater Christi, si immediate de eius carne corpus Christi productum fuisset?

Resp. ad 2m. Adverte processum resp.: Negatur paritas. In Adamo praevisa fuit talis materia; inde, formata Eva, Adami corpus quoad naturam remansit integrum, licet non absolute intactum et incorruptum. In B. Virgine nihil tale nisi gratuito, quin et in detrimentum verae maternitatis affirmare potest.

[1] *Epistola* XVII, c. 2, sq. — *P. L.* LXV, 454 B C.
[2] *De Incarn.,* l. V, c. 16.
Op. cit., th. XV.
[4] Op. cit., th. VII.

Corollarium. Ex doctrina huius articuli fundamentum desumitur illius eximiae dignitatis ac proin venerationis, quae sanguini purissimo Deiparae competunt. Insuper - quum sancta impetere daemonis sit, - ratio inde quoque apparet blasphemiae, quae in sanguinem Deiparae in hac praesertim Italia non raro auditur.

ARTICULUS VI.

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT IN ANTIQUIS PATRIBUS SECUNDUM ALIQUID SIGNATUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Solutio huius quaestionis pendet a recta intellectione modi quo generationes propagatae in primo homine continentur. Absolute loquendo, posset res ita fingi, ut in primo humani generis patre fuerint totidem infinitae tenuitatis particulae, quae tempore a Conditore praeviso, in cuiuscumque hominis generatione transfunderentur; unde unusquisque homo iuxta illam particulam tenuissimam, specialiter sibi destinatam, fuisset tanquam secundum aliquid signatum in primo homine praeexistens.

2) Sed negato, utpote fabuloso et prope ridiculo, hoc modo continentiae progeniei in patre pro reliquis hominibus, posset aliquid simile concipi saltem pro Christo, ad supplendum per hoc singulare privilegium defectui principii activi virilis. Scilicet a patribus ad Christum transmissa esset specialissimo modo quaedam particula usque ad B. V., de qua tunc particula, concurrente B. V., operante Deo, conceptus esset Christus. Haec est quaestio nostra. Saltem negato principio pro generalitate hominum, remanet sub hac forma.

3) Iam vero haec fictio pariter *a*) gratuita est et sine fundamento; *b*) inutilis, et nihil mysterio conferens. *a*) *Gratuita* est, et sine fundamento; nam alias generationes non fieri secundum aliquid signatum in patribus praeexistens, ab omnibus admittitur; et nullibi indicium reperitur alicuius exceptionis pro conceptione Christi faciendae. - *b*) *Inutilis* est, quum nihil conferat ad intelligentiam modi quo Christus de Virgine ortus, quoad corpus suum fuerit in patribus. Ad hoc enim sufficit a patribus ad Mariam deductio per naturalem

viam; a Maria, per viam virginalem. Nam elementum illud, quod vidimus concipiendo corpori Christi materiam et virtutem ministrasse, erat corporis Mariae tanquam a principio: unum enim, si minus actu, saltem potentia, caro et sanguis intelliguntur.

4) Unde si quaeritur, utrum Christus fuerit in Adam secundum corpulentam substantiam, varie distinguendum est. Si intelligitur corpulenta in sensu alicuius particulae determinatae, quae ab Adam fuerit ad Christi corpus transmissa, negandum est. Si corpulenta substantia intelligitur deductio eiusdem substantiae corporum per eamdem naturam ab invicem ortorum, distinguenda est duplex via, seminalis et virginalis; et dicendum: Christum non fuisse in Adam seminali ratione immediate, sed mediate, nempe usque ad matrem suam; virginali autem ratione immediate.

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Non attendit ad varios sensus formulae *secundum seminalem substantiam.*

2. Obi. Non distinguit inter immediatam et mediatam seminalem rationem. Caeterum textus allatus corroborat doctrinam *Corporis,* quatenus Paulus non aliam ponit praeexistentiam Christi in David, quam quae in quavis descendentia naturalis ortus habetur; quin alludat ad aliquid signatum magis pro Christo praeexistens quam pro quovis alio homine.

3. Obi. Subtilius procedit. Solvitur per illum, quem diximus in n. 3) *b*) existere, affinitatis nexum inter sanguinem purissimum [1] Mariae et patres eius. Habemus igitur tria: *a*) materiam *remotam* (quae insufficiens est ad affinitatem producendam); *b*) materiam *proximam* (quae sufficit et in Christo plenissime adest); *c*) principium *activum* generans sibi simile (quod non requiritur). Atqui obiectio considerat *c*), et negligit *b*).

Sed contra est. Attende ad modum procedendi huius argumenti. Maior excludit privilegium; minor ponit viam generalem; conclusio nequit alia esse quam doctrina ipsius *Corporis.*

[1] In sensu utique quem huic voci in art. praeced. agnovimus.

In Corpore. In fine habes totum argumentum. Eatenus fuit Christus in patribus, quatenus ipse in matre, et mater in illis. Atqui *a*) *ipse fuit in matre,* non per aliquid signatum, quia de purissimis sanguinibus eius, qui sunt caro potentiâ; *b*) *mater eius fuit in patribus* secundum meram viam originis, sicuti alii homines; ergo.

Resp. ad 1m. Adverte discrimen inter has duas formulas: *ex semine David* et *per semen David.* Prima absolute vera est, quia sanguis Mariae fuit, propter nexum illum de quo supra diximus, ex patribus; altera non est vera nisi relative: sanguis enim Mariae per semen David absolute; corpus autem Christi per sanguinem Mariae.

Resp. ad 3m. « *Nec refert undecumque,* » etc. haec dicta intellige de materia remota sanguinis, quatenus iugiter in nobis alitur et augetur. Ubi adverte, quae in hoc articulo dicta sunt de nexu inter Mariae sanguinem purissimum et corpus eius, valere quoque pro principio activo virili in quavis alia generatione. Unde si nexus ille esset insufficiens ut Christus per virginem in Adamo quoad corpus praeexistere diceretur, esset insufficiens ut quivis homo per patrem et matrem in maioribus praedicaretur praeexistens [1].

Corollarium. Ex dictis in hoc articulo rursus vides quanto iure Ecclesia damnaverit sequentem propositionem 34 Rosmini: « Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, « satis erat ut incorruptum maneret minimum semen in « homine, neglectum forte ab ipso daemone, e quo incorrupto « semine de generatione in generationem transfuso, suo tem- « pore oriretur Virgo Maria » [2]. Etenim Maria fuit in Adam seminali via contenta, Christus vero virginali via in Maria. Unde Immaculata Conceptio debet explicari per praeservationem, non per fabulosam aliquam continentiam quae a praeservatione dispensaret.

[1] Cf. S. Th. III, Sent. dist. III, q. IV, art. *Sed contr.*

[2] DENZINGER (op. cit. n. 1769).

ARTICULUS VII.

UTRUM CARO CHRISTI IN PATRIBUS FUERIT PECCATO OBNOXIA.

I. **De ipsa quaestione.** - 1) Ad rectam solutionem huius quaesiti, ne per defectum nec per excessum peccetur, prae oculis habenda sunt duo ex praecedentibus articulis acquisita: corpus Christi esse *a*) ex Adamo via naturali usque ad Mariam, *b*) via supernaturali, virginali ab ipsa Maria. Igitur si simpliciter quaeris, utrum caro Christi fuerit in Adamo, respondendum est, fuisse; si quaeris, utrum secundum originem seminalem fuerit, distinguendo respondendum est: usque ad Mariam fuisse, a Maria non fuisse.

2) Si autem quaeritur amplius, utrum caro Christi in patribus praeexistens obnoxia fuerit peccato, mens haesitationem aliquam patitur, quia timet ne, hoc concesso, aliquid indecens in Christo ponatur; vel ne, hoc negato, aliquid in patribus ponatur quod in praecedenti articulo probatum fuit eis non inesse.

3) Error autum utrimque consistit in identificanda conditione carnis Christi cum conditione carnis patrum eius. Conceptio autem virgineae Matris Christi nexum huius identificationis rupit. Unde *a*) contra primam apparentiam, quae per defectum in Christo peccaret, dicendum est, fuisse quidem carnem Christi in patribus obnoxiam peccato, sed propter virginalem conceptum Mariae, illud ad carnem Christi non transisse. - *b*) Pariter contra secundum apparentiam, quae per excessum peccaret in carne patrum, dicendum est, fuisse quidem carnem Christi immunem a quovis influxu peccati originalis, sed propter virginalem ortum; nec tamen ideo in carne patrum Christi aliquid ab eodem peccato immune esse ponendum.

4) Igitur in Mariae conceptu virgineo ruptus est ille nexus inter carnem in patribus peccato obnoxiam et carnem immaculatam Christi. Quam rupturam Scholastici medii aevi, uti Lombardus (loc. cit.), cogitabant non modo per virginalem conceptionem productam negative, sed et positive per novam purificationem et sanctificationem, superveniente Spiritu Sancto,

juxta verba nuntii angelici. Nos autem profitentes Virginem immaculatam conceptam et in carne quoque, saltem natura, praevie purificatam, tenemus ab initio existentiae Matris Dei, positive praeparatam esse illam solutionem nexus inter carnem peccato obnoxiam in patribus et nulli labi obnoxiam in Prole.

II. **Ad Textum.** - Tres obiectiones, unaquaeque modo suo, vitio eodem laborant: procedunt nempe a falso dilemmate, carnem Christi esse vel non obnoxiam peccato in patribus, vel obnoxiam peccato in seipsa. Quod dilemma ex supradictis falsum apparet. Unde simul possunt stare: carnem Christi fuisse obnoxiam peccato in patribus, et tamen *nihil inquinatum incurrisse* (obi. 1), ad modum primitiarum naturae nostrae existentem (obi. 2), vere vulneris medicinam (obi. 3).

Sed contra est. Legem hanc peccati omnem carnem pervadentis, Apostolus praedicat: « Causati sumus.... omnes sub peccato esse ». - « Per unum hominem peccatum in hunc « mundum intravit, etc. ». - « Scio enim quia non habitat.. « in carne mea bonum » [1].

Quaestionem contrahit Lombardus hoc modo: « Quaeritur « etiam de carne Verbi, an prius quam conciperetur, obli- « gata fuerit peccato, et an talis assumpta fuerit a Verbo. - « Sane dici potest et credi oportet, iuxta Sanctorum attesta- « tionis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, « sicut reliqua Virginis caro; sed Spiritus Sancti operatione « ita mundatam ut ab omni peccati contagione immunis uni- « retur Verbo, ... » [2]. De qua doctrina quid sentiendum sit, ex supra dictis patet. Unum advertimus: debitum illud de quo quaerit Lombardus pro carne Christi, non huiusmodi esse ac debitum contrahendae labis, quod in B. Virgine consideravimus. In Christo debitum illud abstrahit ab ipso virginali modo ortus, et a divinitate Orientis; in Maria abstrahit a privilegio concedendo simplici creaturae modo naturali oriundae. Unde si debitum absolutum et in actu consideras, paritas est, quia negatio rei non patitur gradus. Si autem debitum in potentia, conditionale, disparitas magna apparet: in

[1] Rom. III, 9; V, 12, sqq.; VII, 18.
[2] III Sent. Dist. III, c. 1.

Christo negatur potentia, quia Deus; in Maria affirmatur, quia creatura de Adamo oriunda; pro Christo conditio cadit in modum ortus, pro Maria in gratiam.

In Corpore. En schema huius *Corporis*.

1) In principio S. Th. ponit solutionem contractam, fuisse scilicet quidem carnem Christi in patribus, sed aliam esse conditionem carnis Christi quam patrum.

2) Dein confutat duplicem errorem ex falso dilemmate fluentem.

a) Tenentes conditionem carnis patrum, eam ponunt in carne Christi:	Resp.	Christus non in patribus secundum seminalem rationem.
b) Tenentes conditionem carnis Chr., aliquid huiusmodi ponunt in carne patrum:	«	α) Christus non in patribus secundum aliquid signatum; β) si esset, hoc ipsum signatum seminali via inficeretur.

Observa hic, S. Thomae verba: « Corpus B. Virginis « totum fuit in originali peccato conceptum », non necessario ponere in B. V. peccati originalis contractionem, sed concupiscentiam in eius conceptione activa, simul cum concupiscentiae radice in conceptione passiva. Aliter tamen hic loqueretur theologus, qui tenet privilegium Immaculatae Conceptionis. Etenim si Mariam patribus connumeras, distinguendum est. *a*) In aliis patribus caro Christi fuit simpliciter obnoxia peccato. *b*) In Maria subdistinguendum: si α) per se modum originis consideras, concedendum est (in potentia, conditionaliter; unde huiusmodi debitum contrahendae labis superius admisimus); - si autem β) privilegium spectas ad ipsam conditionem carnis sese extendens, negandum est.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CHRISTUS IN LUMBIS ABRAHAE FUERIT DECIMATUS [1].

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque de continentia materiali et morali carnis Christi in patribus; iam de continentia figurativa, scilicet per decimationem. Cuius quaestionis

[1] De ratione qua aliquis possit decimari in parentibus, lege S. Bonaventuram. (III Sent. Dist. III, p. 2. art. 1. q. 1).

solutio, sicuti ipsa quaestio ab argumentatione Pauli derivatur, secundum intentionem arguentis est petenda. Iam vero quid Paulus intendat in epist. ad Hebraeos c. VII supra exposuimus [1]. Ex facto symbolico, quod Melchisedech (figura sacerdotii Christi) ab Abrahamo (et proin a sacerdotio levitico in eius lumbis contento) decimas acceperit, concludit ad superioritatem sacerdotii Christi super sacerdotium legale. Atqui pone ipsum Christum in Abrahamo fuisse decimatum, quia et ipse e lumbis Abrahami egressurus erat: habebis, Christum uti sacerdotem subesse Melchisedech, quod idem est ac dicere, figurae cedere typum, umbram praestare corpori, quo nihil absurdius.

2) Sed nonne ex hoc ipso absurdo debilitatur argumentum Pauli, utpote conducens ad absurdum? Absit; e contra inde novam accipit virtutem. Quod plane apparebit, si penitius inquirimus in symbolismum decimationis, atque in modum distinctum quo utrimque legales sacerdotes et Christus in lumbis Abrahae continentur.

Itaque: *a*) *Symbolismus decimationis* est in professione inferioritatis, vel imperfectionis relate ad perfectum, vel ad superius. A decimo quippe numero denarius, tanquam a se complente pendet. Iam vero cur se Abraham proclamabat inferiorem, nisi quia Melchisedech typum perfecti gerebat; ipse vero, utpote in peccato conceptus, et omnes de eo orituri in conceptione sua maculandi, typum gerebant imperfectorum? - *b*) Porro si haec est symbolica ratio decimationis Abrahae, *modus ipse quo Christus continebatur* in Abraham, necessario illum ab eadem decimatione exemit; continebatur quippe, sed sine contagione labis, virginali via de patribus oriundus. Ergo, nedum exceptio Christi a decimatione argumentum Pauli infirmet, idem potius confirmat, intimum nexum ostendens ex una parte inter Abrahamum et legales sacerdotes, propter communem imperfectionem; ex altera parte inter Melchisedech et Christum, propter communem perfectionem, figurativam in priore, realem in altero.

II. **Ad Textum.** - *1 obi.* Non distinguit inter modum valde diversum quo Levi et quo Christus in Abrahamo continebantur.

[1] Tom. IV, p. 745, sqq.

2. obi. Eodem vitio laborat. Vide dicenda in resp.

3. obi. Confundit obnoxium peccato in patribus, et in se.

4. obi. Confundit sacerdotium carnaliter transmissum, cum sacerdotio spiritualiter transferendo [1].

Sed contra est. Ad corroborandum argumentum theseos ingeniose adducitur auctoritas Elisaei eximentis implicite a decimationis lege oleum miraculose multiplicatum [2]. Ergo a fortiori Christo, miraculose de Virgine orto, decimari non competit.

In Corpore. Intentum S. Thomas probat:

1) *Indirecte*, ostendens argumentum Pauli ad absurdum deduci, si Christus in Abrahamo decimatus sit (Cf. n. 1).

2) *Directe*, ostendens
- *a*) symbolismum decimationis (n. 2);
- *b*) modum singularem quo Christus inerat lumbis Abrahae (n. 3).

Quaestio connexa. - Quaeres quid tenendum sit de *decimatione B. M. V.* in lumbis Abrahae. - *Resp.* Si Maria in peccato originali concepta fuisset, necessario fuisset etiam in Abrahamo decimata. - Quum autem ab originali culpa praeservata fuerit, quaestio de eius decimatione remanet solvenda. De qua haec pauca sufficiant. *a*) Factum decimationis per se non importat necessario factum contractionis labis originalis, - licet e converso ita sit; sed importat necessario debitum, et quidem tale, quod ordine praedestinationis sit consequens ad legem transfundendi peccati originalis. - *b*) E converso, a fortiori tale debitum importat necessario debitum decimationis. - *c*) Si autem tenetur, privilegium Immaculatae Conceptionis decretum fuisse ante sancitam ipsam oeconomiam transfundendae conditionis lapsae per originem naturae, tunc neque facto neque debito decimationis locus remanet.

[1] Cf. Capponi a Porrecta. (Op. cit., hoc loco).

[2] « Vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem, et filii tui vivite « de reliquo ». IV REG. IV, 7.

[3] Cf. IV REG. IV.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) *De Adam* carnem sumere debebat Ille, qui lapsum in Adamo genus ex iustitia repararet, modo tamen sanctitati suae consono (art. 1).

2) Hanc autem Adami carnem, prophetias impleturus, per *Davidem* et *Abrahamum* sumere debebat, utpote quibus Ipse fuerat specialioribus vaticiniis promissus, quorumque simul in seipso exprimebat et triplicem dignitatem (regiam, propheticam, sacerdotalem) et duplicem figuram (Iudaeorum ac Gentium) (art. 2). - Duxit autem originem vere ex Davide, quum B. V. eiusdem esset stirpis ac B. Iosephus, atque hic duplici quidem via, sed in idem recidente, Davidis filius ab Evangelistis Matthaeo et Luca, descripta *genealogia*, exhibeatur (art. 3).

3) Porro, « filius hominis » *de femina* nasci debuit, ut totum genus nobilitaret, homo verissimus appareret, et Dei potentiam novo generationis ortu aliquo modo expleret (a. 4).

4) Maria autem simul *mater et virgo* existens, formatum de purissimis suis sanguinibus [1], sine viri auxilio, verum filium Christum habuit (art. 5.). - Qui Christus, per matrem a qua fuit, *in patribus* quoque fuisse dicendus est; non secundum aliquid signatum, sed secundum modum naturalem quo filii in patribus esse dicuntur (art. 6.). - Quare licet caro eius, virginali via deducta, sine labe fuerit; nihilominus secundum quod in patribus fuit, peccato obnoxia sine iniuria praedicatur: est quippe utriusque diversa conditio (art. 7.) - Non ideo tamen in Abrahamo Christus *decimatus est*, quum ipse Melchisedech typum Christi gereret, neque Christus in Abrahamo contineretur secundum eam viam, qua legale sacerdotium in eo continebatur (art. 8).

[1] Sensu superius huic locutioni assignato.

QUAESTIO XXXII.

DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM.

Ordo Quaestionis. - Virginalis conceptio negative consistit in absentia activi concursus virilis. Sed positive quomodo completur? En quaestio solvenda iuxta fidei professionem: « *Et incarnatus est ex Maria Virgine* **de Spiritu « Sancto ».**

Ordo argumenti liquet. Quaeritur de activo principio 1) quatenus divina virtute suppletum est; 2) quatenus ipsa beata Virgo aliquid ei contulerit.

Primum autem procedit gradatione. Probato *facto* quod Spiritus Sanctus, modo determinando, sit principium activum (art. 1.), inquiritur in sensum *formulae* factum exprimentis (art. 2); et in *consequens facti* quoad titulum, qui inde pro Spiritu Sancto circa generationem Filii resultat (art. 3.).

ARTICULUS I.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS FUERIT PRINCIPIUM ACTIVUM [1] CONCEPTIONIS CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dempta hypostatica unione naturae humanae cum divina persona assumente, - quae unio, utpote operatio personalis, aliquomodo ad intra considerari potest, quatenus terminatur in ipsa subsistentia Verbi [2], -

[1] Quousque hoc principium activum intelligi possit exclusive, in articulo quarto mox investigabimus.

[2] Sententia quam de singulari existentia perfecta Christi in praecedenti nostro volumine exposuimus, parum placet cuidam viro critico, caeteroquin urbanissimo, qui in Ephemeridibus *Stimmen aus Maria-Laach* haec scribit (Parcat lector laudi critica inducenti): « Die ausgezeichnete Gründlicheit und Tiefe der Speculation, « welche der Herr Verfasser auf jeder Seite verräht, kommt in der Controverse, ob « es in Christus eine oder zwei Existenzen giebt, nicht recht zur Geltung. Uber eine

omnia quae Deus ad extra fecit, auctorem habent totam Sanctissimam Trinitatem. Atqui talis est formatio corporis Christi ex Virgine Maria; ergo nec Pater nec Filius ab ea possunt excludi.

2) Et re quidem vera angelicus Incarnationis nuntius totam Trinitatem nominavit, ubi dixit: « *Spiritus S. superveniet in* « *te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi* ». Ibi enim, praeter Spiritum Sanctum, exprimuntur *Virtus,* quae significat Verbum, et *Altissimus,* qui *Patrem* designat. Fatendum tamen hanc interpretationem quoad secundam partem minus esse manifestam, *Virtus* enim *Altissimi* potest etiam significare vel solum Filium, quem in hymno angelico « Altissimum » appellamus; vel ipsum Patrem, omnipotentem; vel in confuse totam SS. Trinitatem, vel imo Spiritum Sanctum [1].

3) Quare dubium non est, in Gabrielis oraculo Spiritum Sanctum speciali modo nominari. Inde Ecclesia, constanti traditione venerata est Spiritum tanquam activum principium supernaturalis conceptionis corporis Christi. Inde christiana ars, dum loquitur Angelus, repraesentat Spiritum S. ab Altissimi Virtute sub specie columbae in Virginem immissum, ut ita significet, Patrem quidem mittere Spiritum una cum Filio, ipsum autem Spiritum esse speciali titulo corporis Verbi Incarnati artificem.

« Hauptschwierigkeit gegen die Annahme einer einzigen Existenz geht P. Janssens « gar zu leicht hinweg. Die göttliche Existenz ist ja eine essentiale, keine notionale, « relative Vollkommenheit; so müsste denn die menschliche Natur in Christus durch « die absolute göttliche Existenz bestehen; das ist aber gewiss unmöglich. Die Aus- « rede, dass hier die göttliche Existenz zu verstehen ist, sofern sie relativ ist und « nur dem Sohne zukommt, macht den Standpunkt erst recht unhaltbar. Denn die « so gefasste Existenz ist nichts anderes als die Relation der Sohnschaft, gerade inso- « weit sie sich von der göttlichen Existenz unterscheidet; es müsste demnach die « menschliche Natur in Christus durch die Person des Wortes, insofern diese als « verschieden von der göttlichen Existenz gefasst wird, existieren; eine Konsequenz, « welche jede Lösung de Schwierigkeit einfachhin unmöglich macht ». * Equidem fateor me hoc argumentum sat compendiose tractasse. At pondus expositae doctrinae non paginarum numero perpendi velim. Obiectionem heic a critico viro strenue motam nullatenus omisi. Nec puto inefficacem esse solutionem, qua etsi brevissime eam depuli (p. 635, sq.). Quaecumque autem ratio unitatis in Deo-Homine teneatur, semper haec eadem urgeri potest difficultas. Unde qui eam insolubilem in mea sententia existimat, caveat ne ipse sibi viam fatali nexu praecludat. Sed de hoc argumento forte alibi fusius.

[1] Cf. n. 3, *e*).

* *Stimmen* CXII, 2, p. 231.

4) Porro huius singularis appropriationis, tam aperte in angelico eloquio et in catholica traditione expressae, ratio quaerenda superest. Quae ratio undenam petetur, nisi a propria Spiritus Sancti indole, collata cum opere quod ei tribuitur?

Iam vero si tum *nomina* tum figuras sive *species* quibus demonstratur Spiritus Sanctus, conferimus, cum opere formationis corporis Christi haec ratio elucet multiplex. *a*) *Spiritus* est manifestare vocali signo verbum mente conceptum; atqui corpus assumptum manifestat Verbum Patris. - Rursus spiritus, quo, utpote vitae radice, semen videtur aliquo modo donatum, attrahit ad se materiam unde corpus formetur; ergo eius activitas supplenda est per Spiritum. Hanc utramque rationem egregie exponit S. Thomas in *Sum. ctr. Gentiles* [1]. *b*) *Sanctus* Sanctorum in terra visibilis, undenam decebat ut corpus reciperet, nisi per Sanctitatem substantialem, Spiritum omnis sanctitatis? eo vel magis quod ab Incarnatione futurum esset Sanctorum genus de virginea Sponsa Ecclesiae procreatum.

c) *Amor* rursus substantialis Patris et Filii speciali titulo concipitur auctor illius operis, quo maxime Deus amorem suum erga genus humanum ostendit.

d) *Donum* pariter Patris et Filii peculiariter elucet in principio operis summe gratuiti, quum nulla gratia magis gratuita fuerit hypostatica unione.

e) Adde his, Spiritum Sanctum apparuisse sub specie *columbae* et *nubis*, quae figurae relationem congruentiae habent cum virginali conceptione Mariae. *Columba* delapsa de caelo, per candorem exprimit puritatem, per volatum desursum excludit principium activum terrenum. - *Nubes obumbrans* exprimit modestiam, humillimae Virginis decus, necnon mysterium oculis profanis velo subtrahendum.

5) Quantacumque autem sit huius appropriationis virtus, non debet ita urgeri, quasi nec in Patre nec in Filio possit approprationis ratio inveniri. Imo in utroque in promptu est. *a*) *Patri* enim formatio corporis Christi appropriari potest, tum α) quia pertinet ad opera ad extra quae omnia fundamentum habent omnipotentiam Creatoris; tum β) quia corpus

[1] Lib. IV, c. 46.

Christi pertinet ad opus Redemptionis, hoc autem opus est Patris tanquam Filium suum dantis.

b) Filio pariter potest haec formatio appropriari tum α) propter ipsam unionem hypostaticam, quae solius est Filii, tum β) propter figurationem Ecclesiae, quae Sponsa est Christi.

Sed hi appropriationis tituli cedunt titulis uberioribus atque apertioribus, quos modo in Spiritu Sancto descripsimus.

II. **Ad Textum.** *Obiectiones* hoc argumento continentur: Formatio corporis Christi non debet tribui Spiritu Sancto, si sit communis toti Trinitati (1), et si addit ratio specialis convenientiae ut tribuatur vel Patri (2), vel ipsi Filio (3).

Refelluntur autem ex hoc ipso quod agitur hic de appropriatione; quae non excludit alias personas, imo neque titulum aliquem specialem in aliis; modo iste titulus potioribus titulis Spiritus Sancti cedat, uti dictum est n. 5.

Sed contra est. Doctrina huius articuli consecratur per formulas antiquissimas Symbolorum tum Latinorum, tum Graecorum: « Qui natus est de Spiritu Sancto » (Rom., Aquil., Ravenn., Afric., Hisp., etc.), - « τὸν γεννηθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου » (Marc. Ancyr.). Inde *a*) primaevis quoque Patribus hic modus loquendi atque mysterium contemplandi sacratur. Satis sit attulisse Ignatium et Hilarium: « Domi- « nus noster Iesus Christus parturiebatur secundum dispen- « sationem Dei ex semine quidem David, Spiritu autem « Sancto » [1]. - « Omnis causa nascendi invecta per Spiri- « tum » [2].

Non autem agi hic de exclusione aliarum personarum, patet ex ipso loco Damasceni dicentis [3], in Incarnatione manifestari bonitatem, potentiam et sapientiam Dei, quae unicuique SS. Trinitatis personae appropriantur [4]. Quam trilogiam elegantissime evolvit S. Bonaventura [5].

Porro totam SS. Trinitatem Incarnationis opus esse operatam, multiplici Ecclesiae oraculo fulcitur. Ita Symb. fidei

[1] Ep. ad Ephes. n. 18. — *P. G.* v, 660 A. — Cf. et n. 7, necnon ad Smyrn. n. 1.

[2] *De Trin.*, l. x, n. 15. — *P. L.* x, 354 A. — Cf. textum integrum art. 5, Quaest. praeced.

[3] L. III, *Orthod. fidei*, cap. 1. — Cf. t. IV, Quaest. I, a. 1.

[4] Cf. III. Sent. Dist. IV, art. 1.

[5] Cf. appendicem.

Concil. Tolet. XI haec habet: « Incarnationem quoque huius « Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia insepa- « rabilia sunt opera Trinitatis [1].

In Corpore. En schema huius argumenti:

Conceptio corporis Chr. tribuitur Spiritui S., si consideratur:	I) *Causa* Incarnationis:	1) a parte Dei: summus *amor;* 2) a parte naturae assumptae:	summa *gratia.*
	II) *terminus* Incarnationis:	1) Homo sanctus 2) Filius Dei	per Spiritum *adoptionis* et *sanctitatis.*

Vides in hoc argumento haberi rationes quas supra petivimus ex vocibus: *amore, dono, sancto.*

Resp. ad 1m. Accipe schema huius responsionis.

Conceptio corporis Chr. opus SS. Trinitatis appropriatur aliquo modo:	1) Patri, ratione *auctoritatis:* 2) Filio, ratione *assumptionis:* 3) Spiritui S., ratione *actionis* quae suppletur:	Altissimi, Virtus, Spiritus Sanctus superv.

Hic habes rationem (alteram, non priorem, nisi confuse in verba *obumbrabit*), quam supra invenimus in ipsa voce *Spiritus.*

Appendix de mente S. Bonaventurae.

Placet de hoc argumento audire S. Bonaventuram, quum egregie illustret tum respectum sub quo Incarnatio Filii Dei singulis personis SS. Trinitatis appropriari potest, tum uberiores rationes ob quas Spiritui Sancto specialius tribuitur.

1) Respectum singulis personis proprium ita evolvit: « Opus « Incarnationis manifestativum est divinae *potentiae, sapien-* « *tiae* et *bonitatis,* secundum diversas conditiones in ipso re- « pertas. Contingit enim loqui de ipso *a*) quantum ad ipsa *uni-* « *bilia,* et *b*) quantum ad *unionis modum,* et *c*) quantum ad « *unionis fructum.* - *a*) In comparatione ad *unibilia,* inter « quae est infinita distantia, manifestatur divina *potentia.* - « *b*) In comparatione vero ad *unionis modum* congruentissi-

[1] Denzinger (op. cit. n. 231). — Cf. Conc. Later. IV, contra Albigenses, in quo, cap. 1, Christus dicitur « a tota Trinitate communiter incarnatus ». (Ibid. n. 356).

« mum, prout competebat ad humanum remedium, manife-
« statur Dei *sapientia*. - *c*) In comparatione vero ad *fructum*,
« sive ad effectum consequentem, quo se obtulit Deo et Patri
« in odorem suavitatis, manifestatur divina *bonitas*, miseri-
« cordia et caritas ». Et allata auctoritate Damasceni superius exposita, concludit: « Quoniam igitur in Incarnationis
« opere secundum considerationes diversas contingit inve-
« nire appropriata tribus personis valde excellenter et prae-
« cipue; hinc est, quod conceptio, cum sit opus trium persona-
« rum, appropriari potest tribus personis secundum diversas
« considerationes ».

2) Rationes autem ob quas appropriatur specialius Filio, Seraphicus ita exponit: « Scriptura tamen magis appropriat
« *Spiritui Sancto* quam alicui trium personarum, et hoc du-
« plici ratione, videlicet *a*) propter *erroris exclusionem*, et
« *b*) propter *veritatis manifestationem*. - *a*) Propter *erroris*
« *exclusionem*, quia in conceptione humana consuevit se
« immiscere foeditatis concupiscentia, ac per hoc originalis
« culpa. Ne illud ergo dicatur fuisse in conceptione Christi,
» dicitur conceptus fuisse *de Spiritu Sancto*: α) ad excluden-
« dam *carnalem* commixtionem dicitur conceptus de *Spiritu*;
« β) ad excludendam vero concupiscentiae *foeditatem*, dicitur
« non solum conceptus de Spiritu, sed de Spiritu *Sancto* ». -
b) « Alia vero ratio est propter *veritatis manifestationem*.
« Illud enim quod maxime praeparavit Virginem ad Filii Dei
« conceptionem, fuit *amor divinus* ». Et descripto nuptiali amore profano, pergit: « Sic beata Virgo propter *amoris*
« singularitatem singulariter concepit Deum ex Deo: et ideo
« concepisse dicitur *de Spiritu Sancto* ». Et citat in eam sententiam Hugonem Victorinum [1].

Commendanda quoque consideratio quam in prima solutione habet: « Una sola ratio non sufficit appropriari uni soli
« personae, ubi respectu alterius personae reperitur ratio
« maioris congruentiae ».

Nec sistit S. Bonaventura in duplici ratione modo allata. In fine solutionis obiectionum addit: « Quamvis et aliae ra-
« tiones congruentiae possint assignari, sive quia, nominato

[1] Lib. epist. *De B. Mar. Virginit.*

« Spiritu Sancto intelliguntur aliae personae, qui est ambo-
« rum *unitas et communio*, sicut Augustinus explanat in
« littera [1]; sive quia in Incarnatione fuit copiosissima *divinae*
« *bonitatis effusio*. Et sic Spiritui Sancto appropriatur con-
« ceptio tum ratione *proprii*, quia est amborum *unitas*, tum
« ratione *appropriati*, quia est amborum *bonitas* » [2].

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS DEBEAT DICI CONCEPTUS DE SPIRITU SANCTO.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Quum generans generet sibi simile, in activo principio generationis sive formationis corporis generandi habemus *a*) causalitatem, *b*) in eadem natura. Ratione utriusque dicitur filius genitus *de patre*, quia ex patre et patri consubstantialis. Inde sequitur, in SS. Trinitate Filium esse lumen *de* lumine, Deum verum *de* Deo vero.

2) Sed difficultas oritur de legitimitate huius particulae *de*, ubi agitur de operatione, qua Deus corpus Christi ex Virgine formavit. Nam si causalitatis quidem ratio adest, deesse videtur ratio consubstantialitatis. Et revera deesset, si conceptio dumtaxat caderet in corpus formatum; sed hoc non est verum. Cadit enim etiam in ipsum Christum ratione corporis formati. Unde si in Christo secundum humanam naturam deest consubstantialitas cum Deo, non deest secundum subsistentiam divinam. Utraque igitur ratio adest, ac proin praedicatio per particulam *de* est legitima.

3) Remanet tamen solvendum dubium, idque non parvum. Nonne oportet ut ratio causalitatis inveniatur in ipsa consubstantialitate? Iam vero, esto, conceptionem cadere in Christum ut subiectum divinum; num hoc subiectum divinum est de Spiritu Sancto? nonne e converso Spiritus Sanctus de Patre simul et Filio? - Fatemur ultro, hanc esse difficultatem non spernendam. Et re quidem vera, si formatio corporis Christi aeque tribueretur Patri et Spiritui Sancto, melius dici posset Christus conceptus *de* Patre; quia formalis relatio cau-

[1] III. Sent. dist. IV, cap. 1.

[2] Ibid. art. I, q. 1. — Haec ratio, quam S. Augustinus (loc. cit.) optime evolvit, differt a ratione bonitatis, quam Seraphicus in prima parte *Corporis* adducit.

salitatis reperiretur quoque in consubstantialitate. Nihilominus putamus, hoc in casu non requiri, quia ipsa natura divina non formaliter ingreditur conceptionem de qua sermo est, sed solum ratione unici suppositi. Unde quum natura divina non formaliter cadat in conceptionem, sufficit adesse consubstantialitatem, licet sine formali nexu causalitatis relate ad auctorem conceptionis corporalis. Proin stare potest locutio *Christus conceptus est de Spiritu Sancto.*

4) Sed quaeres, cur non potius dicatur Christus conceptus *de Maria Virgine ex Spiritu Sancto? - Resp.* Particula *de* significat quidem in B. Virgine consubstantialitatem et deductionem; sed deest ratio efficientiae. Inde, ad exprimendum, efficientem activam causam esse virtutem divinam, particula *de* melius exprimit actionem Spiritus Sancti. E converso particula *ex* melius congruit partibus quas B. Virgo egit, ministrando scilicet materiam ex qua consubstantialis in natura sibi nasceretur filius. Particula *de* ponit causalitatem efficientem; particula *ex,* causalitatem efficientem vel materialem, dicente Ambrosio: « Quod ex aliquo est, aut ex « substantia, aut ex potestate eius est » [1].

5) Porro causalitas agentis potest suppleri, vel per causalitatem superiorem, quae non eodem medio utatur ad effectum obtinendum; vel per causalitatem idem medium adhibentem. Priori sensu Spiritus Sanctus vices egit viri in conceptione corporis Christi; non autem altero. Unde mirum non est, si alii, prius intendentes, affirment; alii, alterum, negent.

Caeterum, uti mox dicemus, haec distinctio inter *de* et *ex* non est nimis urgenda, maxime si sermo graecus respicitur.

Ad Textum. - *1. Obj.* Non considerat conceptionem Christi nisi ratione corporis, et non ratione subiecti. - Textus Ambrosii a S. Thoma in responso allatus ostendit, duo elementa iuxta hunc Doctorem intelligi in sensu composito, dum non conveniunt nisi in sensu diviso.

2. Obj. Non considerat distinctionem n. 5 positam.

[1] *De Spir. Sanct.* l II, c. 5. — *P. L.* XVI, 783 A.

3. *Obj.* Negligit dicta n. 4.

Sed contra est. Quidquid virtutis tribuatur auctoritati hic a S. Thoma allatae, fatendum est, inter *de* et *ex* distinctionem non ita esse manifestam, ut semper agnita fuerit. Ita, si vetera Symbola Latina consulimus, « *de* Spiritu *et* Maria Virgine » habent Symb. Roman., Afric., Hisp., Gallic., (conceptum de Spiritu Sancto, natum de Maria V.); « *de* Spiritu Sancto *ex* « Maria Virgine », habent Symb. Aquil., Ravenn., sicuti et Credo Missae; - « *de* Maria Virgine *per* Spiritum Sanctum » habet Symb. Gallic., Hispan.; « ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας « τῆς παρθένου » habet Symb. Marcell. Ancyr. Caeterum in Graeco sermone vix apparet distinctio inter *de* et *ex*. Nam textus Vulgatae, qui ad corroborandam praesentem doctrinam maxime adhibentur[1], in Graeco textu habent ἐκ: « ἔχουσα ἐκ Πνεύματος ἁγίου », « ἐκ Πνεύματος ἐστιν ἁγίου ». Nec in ipso Latino sermone subsequente haec distinctio inter *de* Spiritu Sancto et *ex* Spiritu Sancto urgenda videtur.

Quod satis apparet ex duplici modo loquendi Concilii Lateranensis sub Martino I habiti, ubi can. 2 supra citato habetur « *de* Spiritu Sancto » et can. 3 « *ex* Spiritu Sancto ». - Forma quaedam mixta sacratur per orationem vulgo dictam *Angelus* « Et concepit de Spiritu Sancto ».

In Corpore. S. Th. tria facit: 1) affirmat, conceptionem non solum ratione corporis dici, sed ratione totius subiecti; - 2) duplicem habitudinem Spiritus Sancti exponit *consubstantialitatis* ad subiectum, Filium Dei; *causalitatis* ad corpus eius de Virgine formatum; - 3) applicat hanc duplicem habitudinem ad particulam *de,* quae utramque in se continet. - Observa tamen, iuxta dicta superius, duplicem hanc habitudinem nonnisi in sensu diviso applicari; aliud esset, iuxta ea quae supra exposuimus, si formatio corporis Christi tribueretur Patri.

Corollarium. Ex doctrina huius articuli collige, quo sensu Spiritus Sanctus possit dici in conceptione Christi fuisse pro semine viri. Si semen intelligis generice pro illa activitate quam elementum virile in naturali conceptione exerit, con-

[1] Matth. I, 18, 20.

cedi haec locutio potest, quia revera haec vis activa per Spiritum Sanctum suppleta est. Si autem intelligis specifice medium per quod vir hanc virtutem in generatione exercet, negari debet locutio. Hoc enim medium materiale, ut tale abfuit; et alio modo suppletum est, uti mox in art. 4 explicabimus. Ex duplici hac significatione, altera vera, altera falsa, assertiones oppositae Patrum inter se absque labore componuntur.

ARTICULUS III.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS DICI DEBEAT PATER CHRISTI SECUNDUM CARNEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus, Spiritum Sanctum principium activum esse formationis corporis Christi; vidimus imo, iuxta veram locutionem Patrum, Spiritum Sanctum in complendo mysterio conceptionis Christi, patris aliqualiter vicem egisse. Cur igitur non illius titulum acciperet, cuius activitatem et habitudinem ad filium supplet, pater Christi secundum humanam Christi nativitatem appellatus?

2) Duplex hic quaestio a Scholasticis movebatur: utrum Christus secundum humanam suam naturam dici posset filius Spiritus Sancti, utrum filius totius Trinitatis. - Negabant utrumque, sed alii aliis rationibus inducti [1]. Quidam contendebant, expressionem non esse erroneam, sed imprudentem: *a*) *de Spiritu Sancto* quidem, ne confusio oriretur in relationibus divinis propter duplicem inductam filiationem, et in ipsa generatione humana Christi, quae videretur Spiritui Sancto consubstantialis; - *b*) *de tota Trinitate,* concedebant non esse falsa haec duo: « *hic homo* » - ponendo non pro Filio Dei, sed pro supposito humano (?) - « est filius Trinitatis propter « creationem »; vel: « est filius Dei, propter gratiam habitua- « lem ». Non tamen posse dici contendebant: « Filius Dei est « filius totius Trinitatis », ne perverti viderentur relationes in Trinitate et ne errori Arii faveretur.

Sed haec soliditate carent. Etenim *a*) non potest distingui in Christo inter suppositum humanum et Filium Dei; - *b*) gratia

[1] De quibus vide fusius Angelicum disserentem III Dist. IV, a. 1, Quaest. 2.

non minus quam creatio relationem habet ad SS. Trinitatem; et reduplicatio sufficiens esset ad removenda inconvenientia, tum quoad relationes personarum SS. Trinitatis, tum quoad consubstantialitatem inter Christum, uti hominem, et Spiritum Sanctum.

3) Igitur cum Augustino omnino reiiciendae sunt locutiones: « Christus secundum carnem est filius Trinitatis », vel « filius Spiritus Sancti ». Et hoc ex duplici principio: *a*) Quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam; atqui Christus est Filius Dei perfectus; ergo. - *b*) Licet terminus generationis sit proprie natura communicata, filius dicit illam naturam subsistentem in esse completo; atqui tale esse in Christo est unum, Verbum subsistens Dei; ergo in Christo non datur nisi unus Filius Dei [1].

II. **Ad Textum.** - *1. obi.* Negligit elementum paternitatis, nempe productionem in similitudine speciei, quod de Spiritu Sancto dici nequit.

2. obi. Negligit rationem *a*) expositam in n. 3.

3. obi. Eodem vitio laborat.

Sed contra est. Optime, more suo, Augustinus problema ponit in *Enchiridion* [2]. « Numquid dicturi sumus patrem homi-
« nis Christi esse Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum
« genuerit, Spiritus Sanctus hominem, ex qua utraque sub-
« stantia Christus unus esset et Dei Patris Filius secundum
« Verbum, et Spiritus Sancti Filius secundum hominem:
« quod eum Spiritus Sanctus, tamquam pater eius, de matre
« Virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit?... Cum hoc.... ita
« sit absurdum, ut nullae fidelium aures id valeant susti-
« nere.... Procul dubio (Christus) non sic de illo (Sp. S.) ut de
« patre; sic autem de illa (M. V.) ut de matre natus est ». Quae ultima sententia solutionem comprehendit.

Corroboratur haec doctrina usu loquendi ipsius Christi, qui nunquam SS. Trinitatem, nec Spiritum Sanctum ut Patrem est allocutus.

Nec facit in contrarium invocatio Orationis Dominicae:

[1] Cf. III. sent., loc. cit.

Cap. 38 (39). — *P. L.* XL, 251, sq

« *Pater noster* ». Haec enim pro nobis composita est: « *sic vos orabitis* ». Patrem nos invocamus Deum, id est SS. Trinitatem, quia per creationem et iustificationem sumus, licet imperfecto modo, filii Dei, filii Trinitatis. Christus autem est Filius perfectus Patris; ergo, sicuti non est Filius nisi Patris, Patrem alium non invocat, quam eam personam SS. Trinitatis a qua ab aeterno est.

In Corpore. Ope duplicis principii S. Thomas argumentum solvit. Primum principium *determinat sensum* paternitatis a filiationis: scilicet haec requirunt procreationem in similitudinem generantis, sive *a*) perfectam, in eadem natura; sive *b*) imperfectam, per creationem et iustificationem. - Secundum principium *determinat usum* terminorum patris et filii: scilicet de illo cui convenit *a*) non praedicatur *b*).

Applicatio utriusque principii ad Christum patet.

Comple hoc argumentum per rationem alteram quam supra n. 3 ex loc. cit. III. Sent. adduximus.

ARTICULUS IV.

UTRUM B. V. ALIQUID ACTIVE EGERIT IN CONCEPTIONE CORPORIS CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus, Spiritum Sanctum in corporis Christi conceptione activitatem principii virilis supplevisse. Quaeritur iam utrum hoc intelligendum sit ad exclusionem cuiusvis cooperationis activae B. Virginis. Principium solutionis sit, quod superius iam haud semel posuimus: nulla in Maria defuisse quae matris sunt; quae autem sunt patris, formaliter in eius maternitate requirenda non esse. Quaestio igitur reducitur ad modum, quo in naturali conceptione mater se habet erga fructum quem gestat.

2) Hic autem distinguenda est *conceptio* ipsa, a conceptae prolis nutritione, quae vocari solet *parturitio*, distincta ab editione sive *partu*. De parturitione difficultas non est; haec enim producitur per subministrationem sanguinis cum lympha in hunc scopum specialiter formati. Subtilior autem est quaestio de conceptione. Etenim recentioribus physiologicis experimentis constat, aliquid amplius matri competere in

generatione quam quod Scholastici olim ponebant, et patris concursum activum magis pertingere in concipiendam prolem tanquam *de se* et non solum *per se* procreandam. Summa rerum ad sequentia puncta reduci potest. *a*) *Ante* conceptionem, naturae saltem prioritate, futura mater operatur active ut materiam proximam praeparet conceptui aptam. - *b*) Haec materia, si quoad essentiam remotam spectatur, *purissimus sanguis* rite vocatur; proxime tamen est ovulum a virili principio foecundandum [1]. - *c*) Suppleta actione principii virilis, ac quavis carnali delectatione prorsus remota, potest in conceptione virginali sine ulla iniuria admitti materia illa proxima [2], ratione cuius matres concipiunt. - *d*) Utrum autem in istanti conceptionis naturalis principium virile agat omne activum, et femina dumtaxat passive se habeat, quaestio disputatur. Aristoteles affirmat [3], quem sequuntur S. Thomas, Albertus M., Petrus a Tar., Aegidius Rom., Richardus a Med., etc.; negat Gallenus [4] cui adhaerent S. Bonaventura, Alexander Hal. et Scotus. Modernior scientia physiologica Galleni sententiam confirmat. - *e*) Unde qui in hac re tenet principia Aristotelis, potest pariter sentire de modo quo se B. Virgo in Filii conceptione habuit; qui autem tenet, - quod scientia hodierna evicisse videtur, - feminam in conceptionis instanti non mere passive se habere, non potest negare, Mariam aliquid activi egisse, quin simul neget, eam salva virginitate, omne id praestitisse, quod caeterae praestant feminae ut matres existant.

Et haec satis sint. Nam ut optime monent editores operum S. Bonaventurae, haec est « quaestio ad physiologiam « spectans, nec hoc loco ratione dignitatis sublimissimi my- « sterii a theologo distinctius discutienda » [5].

3) Non tamen haec reverentia nos impedire debet ab inqui-

[1] Foecundatio naturalis obtinetur per compenetrationem utriusque cellulae: spermatozoidalis et ovularis, quarum alterutra proprietates peculiares possidet. Haec compenetratio est actus vitae primarius, embryonem in sua individuatione constituens, aptumque ut per assimilationem alimenti a matre iugiter subministrati sese organice evolvat.

[2] Hanc materiam Scholastici passim, vocant *semen mulieris*, sed improprie, quum ille humor in coitu excretus, nullum vitale in se elementum contineat.

[3] Hanc sententiam Aristotelis Averroës ulterius urgens, principio femineo demit non modo activitatem, sed et necessitatem. (*Collectan.* l. II).

[4] Lib. de spermate.

[5] Dist. IV, art. 3, q. 1. Scholion.

rendo reverentialiter, quomodo id, quod pater in generatione praestat, fuerit in hac virginea conceptione suppletum. Etenim quum ille dumtaxat vere «filius hominis» dicendus sit, qui secundum totam materiam ad hominis conceptionem requisitam procedit ab homine, si hoc quod vir in generatione praestat, ita fuisset a Spiritu Sancto per aliquam creationem suppletum, Christus secundum hoc non esset «*filius* hominis». Si fuisset ab aliquo viro, licet modo extra - seminali desumptus, Christus non esset de *sola* Virgine matre. Restat igitur ut operatio Spiritus Sancti id contulerit B. Virgini, ut *tota* materia generandae prolis de ipsa *sola* formaretur. In quo prodigio, praeter omnes naturae virtutes, Maria naturaliter praestitit quod matrum est, imo - nam huic sententiae adhaeremus - active et quidem immediate cooperando; supernaturaliter autem praestitit quod a parte viri deficiebat, non quidem immediate active cooperando, sed obedientaliter tantum se habendo, nisi quod mediate materiam primam huius mirabilis transformationis, quemadmodum supra diximus, active ministraverit.

4) Nec ullo modo inde sequitur, B. Virginem esse patrem simul et matrem, quod absonum nimis; sed legitime inde inferri potest, cum mox afferendo S. Bonaventura, B. Virginem non solum esse perfecte matrem, sed filium eius longe perfectius esse ipsius, quam alii filii matrum sunt: etenim illi simul sunt patris et matris; Christus autem, uti homo, nonnisi matris filius est [1].

II. **Ad Textum.** - Quum in hoc argumento nonnihil a doctrina S. Thomae recedamus, litteram quidem ad mentem Angelici exponemus; quod autem in argumentatione minus convincit, libere dicemus.

1. Obi. Non attendit ad privilegia quae maternitati B. Virginis coniuncta fuerunt. - De primo privilegio vide dicenda in responsione. Caeterum allatus textus S. Damasceni magis videtur favere sententiae quam defendimus.

2. Obi. Confundit activitatem praeparantem materiam cum

[1] Inter recentiores theologos lege de hoc argumento SCHEEBEN (op. cit l. v, § 229); BORGIANELLI (*La maternità divina*); HEINRICH-GUTBERLET (op. cit. § 348); MORGOTT (*Mariologie* I); etc..

activitate foecundante eamdem. - Non ideo tamen neganda est activa virtus in ipsa conceptione. Haec enim distinctio quaestionem non solvit.

3. *Obi.* Gratuito supponit, dari non posse transmutationem naturalem, quin activitas ponatur in ipso transmutato. Requiritur utique principium activum, sed hoc habetur in principio transmutante, id est determinante, perficiente, foecundante. Non quasi utrumque non possit esse in eodem subiecto. Sed ubicumque natura distinxit sexus, - et illud ab initio in genere humano fuisse tenendum est, contra Rabbinorum fabulam, quae Adamum androgynum e manibus Creatoris prodiisse somniat, - oportet ut utrique officium proprium, distinctivum tribuatur. Unde, sicuti in foecundatione plantarum insertio pulveris fructificantis in cellam germinativam operatur, ita naturali via in generatione humana utriusque principii commixtio germen reddit foecundum.

At non est quaestio, utrum possit dari connubium principii passivi et activi; quaestio est, utrum in conceptione ita se revera habeant partes utriusque sexus.

Sed contra est. Intellige hoc dictum de ipsissimo instante conceptionis, non de duplici actione praeparatoria et consequente, de qua supra n. 1. diximus. Auctoritas autem S. Aug. hic allata optime componi potest cum sententia quam tuemur.

In Corpore. Quidquid sit de moderamine doctrinae huius *Corporis* adhibendo, iuxta superius exposita, en schema argumenti:

Quidam B. V. activam operationem in conceptione Christi tribuunt.	1) *naturalem*	alias quomodo stat transformatio naturalis?	Haec transmutatio fit per principium activum et passivum, uti patet ex materia informanda et ex motu.
	2) *supernaturalem*	ad supplendum defectui resoluti seminis; sive *a*) B. V. eâ potentiâ egerit; sive *b*) eâ non egerit.	Est confusio officii proprii utriusque sexus. Ne frustra sit distinctio, in uno actio, in altero passio sit oportet. *a*) si egit, pater fuit; *b*) si non egit, frustra accepit.

Conclusio { B. V. in ipsa conceptione fuit passiva; activa autem in materiae praeparatione.

Quid de hoc argumento sentiamus, ex supradictis patet. In quantum principium femineum est passivum, *recipit* principium virile; in quantum est et ipsum activum, *concipit*. Nec ideo frustra est sexuum discretio.

Resp. ad 1m. Observa, illud primum per se non absolute excludere in B. Virgine immunitatem ab originali labe; concordat tamen cum gradatione a S. Thoma supra exposita quoad fomitem ab initio legatum, et nonnisi in Christi conceptione ex toto sublatum. Quam gradationem passim recusant, quotquot B. Virginem immaculate conceptam praedicant.

Porro attende ad rationem datam: « ne cum peccato ori« ginali conciperet ». Quae ratio nihil aliud significat quam hoc: ne concipiens, id est, materiam corporis Christi ministrans, ex carne nondum totaliter liberata ab originalis peccati fomite, inquinaret aliquo modo, saltem ex natura rei, ipsam carnem Christi. Inde vides, tantopere Scholasticos transfusioni contagionis per contaminatam carnem institisse, ut de hac transfusione removenda essent adhuc solliciti, ubi agebant de conceptu virginali.

Appendix de mente S. Bonaventurae [1].

Quum in hoc argumento non idem sentiant S. Thomas et S. Bonaventura, placet Seraphicum audire.

Principium ab initio sternit, in quo omnes conveniunt: « Dicendum quod absque dubio cum Virgo Maria sit Mater « Christi et vere ipsum concepisse dicatur, vere cooperata « fuit Spiritui Sancto in Filii sui conceptione. Et hoc com« muniter et generaliter tenent doctores theologiae ». Hoc de principio fundamentali, seu de facto. Quoad modum autem S. Bonaventura adducit duas extremas sententias et dein tertiam mediam, quam ipse in fine propugnat. « Quidam enim « dicere voluerunt, quod Virgo Maria solum cooperata fuit « *ministrando principium materiale.* Alii vero, quod coope« rata fuit in *ultimae formae inductione* et in materiae *prae« paratione,* quamvis non in tota operatione. Alii vero tenent « medium inter utrumque ».

[1] Dist. IV, art. 3, q. 1.

1) Primam sententiam, quae S. Thomae videtur, Seraphicus ita depellit. « Sed haec positio nimis parum dicit ». Quod ostendit ex physiologia, ex auctoritate et ex facto. « Primum, « quia mater in generatione non solum habet potentiam pas- « sivam, sed *activam;* unde quandoque proles magis assimi- « latur matri quam patri... Et iterum dicit Damascenus, quod « Spiritus Sanctus non solum dedit Virgini potentiam *recep-* « *tivam* sed etiam *generativam.* Et sicut prius ostensum est, « propter materiam solum non est appellanda mater, sicut « patet in formatione mulieris de costa viri ». Fateor, hanc ultimam rationem mihi videri sat debilem.

2) Secundam sententiam superius expositam S. Bonaventura primo evolvens, ostendit quomodo B. Virgo in *tota* operatione cooperari non potuerit, at potuerit cooperari conceptioni « quantum ad *initium* et quantum ad *consumma-* « *tionem* ». Ecce iam quomodo illam sententiam depellit: « Sed « haec positio nimis dicit. Primum, quia eiusdem est factum « esse, cuius est fieri; quodsi conceptionem efficere non est « virtutis creatae, sed increatae, similiter nec ipsum concep- « tum esse. - Rursus, inducens ultimam formam nobilius est « quam praeparans; non igitur videtur decens, quod Spiritus « Sanctus praeparet per se, et ultimam formam inducat cum « Virgine ». Quae gemina ratio sufficeret ad hanc positionem efficaciter reiiciendam. Pergit tamen Seraphicus penitius inquirens in positionem, eamque per eius inanitatem depellens: « Difficile est nihilominus assignare, quae sit illa forma « ultima, in cuius inductione cooperatur Virginis potentia « generativa. Illa enim non potest esse *anima,* quoniam a sola « creatione habet originem; non *organizatio corporea,* ut « videtur, quia illa non inducitur subito, sed per successionem « a natura; inducitur enim *per motum,* non per mutationem; « motus enim est transmutatio successiva, mutatio instanta- « nea, ut dicit Philosophus ». Et hic putamus, ultimam rationem esse minus firmam, quatenus potest concipi organizatio corporis in instanti, quemadmodum diserte affirmat S. Thomas, qui tempus quidem exigit saltem brevissimum, ut materia praeparetur, et organizatum corpus ad debitam molem per virtutem matris deducatur, non autem ut materia disposita organizetur.

3) Porro S. Bonaventura mediam suam sententiam ita illustrat ac vindicat. « Et quoniam prima opinio parum dicit, « et secunda multum excedit, suis obliquitatibus dirigunt nos « in veritatis viam. Et propterea melius sentire videntur qui « dicunt medium, videlicet quod B. Virgo habuit virtutem « sibi divinitus datam per quam administraret materiam « illi conceptui, materiam, inquam, quae non solum habuit « rationem materiae, sive potentiae passivae, sed etiam *suf-* « *ficientiam et virtutem* ad prolis productionem. Illa tamen « virtus per se non poterat prodire ad perfectum actum, « nisi per successionem in tempore; sed quoniam non dece- « bat, carnem Christi formari successive, sicut in praeceden- « tibus ostensum est; ideo Spiritus Sanctus sua infinita virtute « produxit illam materiam ad actum completum. Et per hoc « in nullo Virgini derogatur, si Deus sua virtute acceleravit, « quod in aliis mulieribus successive producit ad esse. - Non « enim fuit minor potentia in Virgine, quam in alia muliere, « immo *multo maior,* quia potentiam naturalem et suprana- « turalem habuit, per quam subministrare poterat materiam « ipsa sola adeo, sicut mulier viro commixta; unde *tota sub-* « *stantia* Christi fuit de matre sua. Et ideo, si recte velimus « sentire et loqui, veriori modo fuit Virgo Mater Christi, « quam sit aliqua mater filii sui. Unde et per illam virtutem « ipsum in ventre per novem menses confovit ». Haec valde placent. Potuisset tamen S. Doctor nitidius argumentum contrahere ad conceptionis instans, ut manifestius appareret in quanam parte ab Angelico discrepet. Nam in hac argumentatione non pauca sunt, quae nonnisi apparenter a S. Thoma recedunt: ea scilicet quae respiciunt non ipsum instans conceptionis, sed conceptae prolis parturitionem. Quae parturitio, quantumcumque acceleretur, per se ad matrem quoque active spectat.

Quomodo autem haec doctrina influat in quaestionem de indole naturali vel supernaturali huius cooperationis, loco suo apparebit.

Inter theologos qui sententiam S. Bonaventurae fortius propugnant, eminet card. Toletus [1]. Quid autem nobis magis

[1] Hoc loco.

arrideat superius iam diximus. Excluso uno alterove argumento minus valido, Seraphici doctrinae libenter adhaeremus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Licet formatio corporis Christi ex Virgine Maria totam SS. Trinitatem auctorem habuerit, specialissima tamen appropriatione Spiritui Sancto tribuitur, quum sit ipse *amor* Patris et Filii, *donum* substantiale, *Spiritus* utriusque, auctor *sanctitatis* et *filiationis* adoptivae, et Incarnatio sit summae gratiae opus ac summi amoris, Verbum Patris manifestans verumque Dei Filium, hominem constituens sanctissimum (art. 1).

2) Porro, quum conceptio non solum corpus, sed ratione corporis ipsum subiectum respiciat, sitque Christus causaliter a Spiritu Sancto quoad corpus humanum, consubstantialis vero in quantum Verbum, utraque habitudo recte exprimitur per formulam: *conceptus de Spiritu Sancto* (art. 2).

3) Non ideo tamen Spiritus Sanctus neque SS. Trinitas Christi hominis dicendi sunt Pater: Christus quippe est unicus ac proprius Patris Filius (art. 3).

4) Porro B. Virgo, superveniente in se Spiritu, vera Mater Christi effecta, active quidem materiam praeparavit ex qua Christi corpus per virtutem Spiritus Sancti formatum est; in formali autem conceptione non minus egit quam reliquae matres, dum activum in se principium recipiunt - utrum active an mere passive, inter theologos disputatur) (art. 4).

QUAESTIO XXXIII.

DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI.

Ordo Quaestionis. - Titulus Quaestionis in evolutione invertitur. 1) Primo quaeritur de *ordine,* ubi tria distinguuntur: *a*) *formatio* (art. 1), *b*) *animatio* (art. 2), *c*) *assumptio* (art. 3).

2) Secundo quaeritur de *modo* (art. 4): utrum conceptio *naturalis* fuerit, an *miraculosa.*

De prima parte adverte nexum quem habet cum Quaestione VI. Ibi quaesivimus *de modo unionis quantum ad ordinem;* hic autem quaerimus de *ordine conceptionis.* Articulus proin tertius praesentis Quaestionis complet Quaest. VI, quatenus superaddit *quando* fuerit facta illa *unio,* cuius ordo ibi quaerebatur. Porro intimum esse nexum inter utramque Quaestionem, apparet ex ipso ordine quo articuli 1, 2 et 3 disponuntur. Quod melius ex sequentibus apparebit.

ARTICULUS I.

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT FORMATUM IN PRIMO INSTANTI CONCEPTIONIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In Quaest. VI vidimus, nullam successionem temporalem interfuisse inter assumptionem corporis et animae humanae a Verbo; ordinem tamen adfuisse logicum vel intentionis. Verbum enim assumpsit partes per totum, corpus per animam, animam per mentem. Huic doctrinae maxime constans, S. Thomas quaerit hic *a*) de formatione, *b*) de animatione, *c*) de assumptione: executionis enim ordo ordini intentionis ex inverso respondet.

2) Iam vero ad intellectionem huius primi articuli oportet ut quaestio bene circumscribatur. Sicuti enim in maternitate

distinximus materiae aptae praeparationem, ipsam conceptionem, prolis parturitionem, ita quoque hic in corporis formatione tria momenta distinguenda sunt: *a*) praeambulum, sive praeparatio materiae in loco apto; *b*) ipsa corporis ex hac materia formatio; *c*) demum consequens, augmentum scilicet corporis concepti usque ad prolis editionem.

Quaestio hic mota est *de corporis formatione,* et quidem iuxta philosophiam huius temporis, qua concipiebatur humani foetus animatio differri, usquedum corpus satis evolutum esset ad vitam principii rationalis recipiendam.

3) Ex hoc iam apparet, quomodo hic de privilegio singulari Christi quaeritur. Ex una enim parte virtus formativa corporis, quae in aliis hominibus est a principio finito, per infinitam Spiritus Sancti virtutem suppleta est. Ex alia parte dignitas prolis conceptae exigit, ut a primo instante facultatum usum habeat, quod sine corpore iam satis evoluto stare nequit. Imo ipsa assumptio requirit praesentiam animae in primo instanti. Unde vides tum connexionem huius argumenti cum Quaest. VI, tum rationem cur in huius articuli *Corpore* S. Thomas ex sequentibus aliquo modo iam arguat.

4) Si autem quaeris, qualis formatio praeexigatur ut facultatum usus possibilis sit, respondetur, de via ordinaria requiri aliquam quantitatem proportionatam sufficienti evolutioni organorum; posse autem via extraordinaria illam evolutionem in minori quantitate praesto esse, ope perfectioris membrorum subtilitatis atque aptitudinis. Unde putamus, formationem corporis Christi initialem fuisse quantitate maiorem quam aliorum hominum dum concipiuntur, minorem tamen quam est in evolutionis stadio, quo Scholastici putabant, ac multi adhuc existimant, animam infundi. Inde forte melius intelligi potest, quomodo tam cito potuerit mysterium Sancto Iosepho innotescere, quin ex hac notitia ullum B. Virgini detrimentum famae obvenerit, ex breviori spatio a conceptione Christi ad eius nativitatem elapso. Nam etsi formatio corporis Christi ab initio perfectior fuit, non ideo menses parturitionis erant diminuendi, ne *a*) cooperationi Matris, Filiique in eius sinu habitationi demeretur; neque *b*) matrimonium cum B. Ioseph, ianuâ veluti calumniis reseratâ, intento scopo frustraretur.

5) Hic autem tria monenda videntur, ne doctrina huius articuli ultra limites urgeatur, sive quoad ipsum conceptum, sive quoad certitudinem. *a*) Maior necessitas aliquid miraculosi admittendi adest pro eo, qui Scholasticorum sententiam tenet de instanti quo anima humana foetui passim infunditur, quam pro illo qui existimat, hanc infusionem fieri in conceptionis instanti. - *b*) Cavendum est ne fingatur a primo instanti corpus Christi ita evolutum, ut corpusculum infantuli perfecte efformati praesentet, sed in dimensionibus valde imminutis, quasi microscopicis. Talis utique efformatio possibilis est Deo, quod satis ostendit organismus tot bestiolarum oculo vix perceptibilium. Sed cum tali initio, quod non parvum miraculum esset, vix videtur intelligi posse influxus nutritivus qui Matri competit per gestationis tempus, et qui praecise in hoc consistit, huc tendit, ut rudimenta organismi paulatim evolvantur. - *c*) Ad unionem hypostaticam nulla evolutio corporis exigitur, modo anima adsit. Imo haec anima potest, modo veluti angelico, gaudere scientia infusa praeternaturali, supernaturali, imo visione beatifica, absque instrumento corporis perfecte organizati. - *d*) Quin per novum miraculum potest anticipari aliqualis usus corporis antequam hoc plene evolvatur; sicuti in SS. Eucharistia per novum miraculum Christus gaudet vita sensuum, licet praesens constituatur modo veluti spirituali [1]. Cum his igitur moderaminibus intelligi volumus quae n. 4 diximus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit tertium cum secundo ex tribus supra distinctis n. 2.

2. Obi. Confundit primum cum secundo.

3. Obi. Non attendit ad legem motus continui, in quo quidem datur instans quo terminus attingitur, non autem ultimum instans quo nondum est obtentus.

4. Obi. Confundit potentiam argumentativam, (quae in Christo fuit ab ipsa anima Christi ac proin finita), cum po-

[1] Haec nolim ita lector intelligat, ac si perfecta utrimque paritas adesset. In Eucharistia enim Christus habet quidem corpus perfectissimum, sed non praesens est iuxta connaturales huius corporis exigentias. Unde per miraculum huic defectui supplendum est; hic autem in hypothesi corpus nondum esset ab initio in sua perfectione constitutum.

tentia generativa, (quae in aliis quidem est a principio finito virili, in Christo a virtute divina).

Sed contra est. Intellige, iuxta haec in instanti factum esse pro Christo illud, ad quod philosophi antiqui requirebant quadraginta dies [1]; alii quadraginta quinque, iuxta hos duos versus:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant [2].

Quantopere doctrina huius articuli innitatur philosophiae scholasticae, ex proxima appendice necnon ex articulis sequentibus apparebit.

In Corpore En argumentum schemate expressum:

I. Circumscribitur status quaestionis:	1) non agitur de praeambulo seu de *praeparatione* materiae:	*requirit tempus*, quia cum motu;	
	2) neque de consequente *augmento* corporis formati:	requirit tempus:	*a*) quia cum motu; *b*) quia ab anima.
II. Solvitur quaestio de ipsa *formatione* corporis:	fuit in *instanti*:	*a*) quia a virtute divina infinita; *b*) quia conceptio Verbi.	

Appendix de mente S. Bonaventurae.

S. Bonaventura gemina quaestione sciscitatur: « Utrum « corpus Christi productum fuerit ad perfectam molem subito, « an successive » [3]; et: « Utrum in corpore dominico for- « matio et distinctio membrorum facta sit subito an succes- « sive » [4].

1) Primo quaesito respondet negative. « Dicendum, quod « corpus Christi quantum ad quantitatem molis ad perfec- « tionem deductum est per successionem temporis. Et ratio « huius est, quia perfectio quantitatis illius corporis fuit ope- « ratione naturae, cuius est operari secundum successionem « temporis ». Optima sane argumentatio, si constet Deum

[1] Pro femina nonaginta.
[2] S. Aug. lib. LXXXIII, Q. Q. q. 56. — *P. L.* XL, 39.
[3] III. Sent. III, p. II, art. 3, quaest. 1.
[4] Ibid. quaest. 2.

noluisse hanc formationem absolvere in instanti et ad eamdem usum esse activitate naturae.

Unde pergit Seraphicus in rationem huius oeconomiae investigans. « Si autem quaeratur: unde est hoc, quod Deus « corpus illud ad perfectionem voluit deduci mediante naturae « operatione? dicendum, quod hoc fecit Deus valde congrue. « Hoc enim quamvis alio modo facere posset, sic fecit ad « *confirmandam fidei veritatem,* ad *commendandam humili-* « *tatis virtutem*, ad *conservandam universitatis legem* ».

Evolutio argumenti huius triplicis est manifesta. *a*) Magis probatur corpus esse reale et non phantasticum, quod successive plenam molem attingit. - *b*) Annihilatio Verbi accipientis formam servi eloquentius apparet, si « Rex regum « et dominus dominantium » [1] factus est parvulus et per omnes indigentias infantilis aetatis transiit; eo vel magis quod « propter hoc potissime Deus de caelo descendit, ut « superbiam extirparet ». Quae sane ratio maxime elucet in stadio quod Verbum incarnatum in utero materno veluti in primo tabernaculo absconditum egit. - *b*) Tertium argumentum placet ex toto afferre « *Universitatis* etiam *lex et ordo* « *conservatur* quia Deus unicuique naturae concessit pro- « priam operationem, nec utitur miraculis, ubi natura suffi- « cienter per se potest operari. Et quia natura in Christo « satis sufficienter poterat corpus Christi ad perfectam quan- « titatem deducere, ita quod in nullo derogabatur eius digni- « tati; ideo noluit Deus tempus anticipare, ut tanquam iustus « universitatis administrator, unumquodque iuxta virtutem « sibi competentem operari sineret. Et hoc quidem conve- « niebat, quia naturam nolebat perimere, sed reparare [2].

Cuius legis virtute Deus formationem corporis Christi quoad id dumtaxat acceleravit, quod abesse non poterat ne « derogaretur eius dignitati ». Remanet ergo inquirendum utrum perfecta organizatio a primo instanti ex hac ratione requisita fuerit.

2) Respondet Seraphicus in quaestione sequenti affirmando.

[1] I. Tim. vi, 15; Apoc. xix, 16.

[2] Et eleganter addit: « Et in hoc insinuat, quod maior potestas usum inferioris « potestatis non debet absque causa privare ». Quae animadversio quanti momenti sit in hominum civitatumque regimine, facile est videre.

Hanc integram expositionem afferendam duximus, quia simul ostendit, quam strenue S. Bonaventura doctrinam horum trium articulorum tenuerit. « Absque dubio, sicut dicit Augustinus, « corpus Christi ab instanti conceptionis habuit perfectionem « organizationis. Et ratio huius sumi potest ex parte *Verbi* « *assumentis*, et ex parte *virtutis efficientis*, et ex parte « *Virginis concipientis* ». - *a*) *Evolutio* primae rationis petitur fundamentaliter a doctrina articuli tertii. « Ex parte *Verbi* « *assumentis:* quia non decebat Verbum assumere partem « humanae naturae, ut esset homo secundum quid, sed *totam* « humanam naturam, et ita carnem et animam, maxime cum « anima det carni congruentiam, ut uniatur cum natura « divina.... Et quoniam anima non est nata uniri nisi carni « formatae et organizatae, ideo in primo instanti conceptionis « necesse fuit, corpus ad perfectionem organizationis per- « duci ». Ex ista minori vides, hoc argumentum esse validius in sententia Scholasticorum de principiis vitalibus, a principio mere vegetativo ad animam rationalem, in naturali formatione corporis humani sibi gradatim subsequentibus.

b) Secunda ratio videtur esse mere suasiva. « Ratio etiam « est ex parte *virtutis operantis:* quia ibi virtus divina ope- « rabatur mirabiliter. Hoc enim est miraculum miraculorum, « quod femina concipiat Deum. Et ideo ad suae mirabilis « potentiae ostensionem subito formavit illud corpus, quod « natura non potest formare nisi successive ».

c) Tertia ratio quoad processum redit in primam. « Ratio « vero nihilominus est ex parte *Virginis concipientis,* quae « statim ut consensit, repleta fuit Spiritu Sancto, et Mater « Dei effecta, iuxta illud quod Angelus annuntiabat. Et quo- « niam Mater Dei non erat, nisi Deus unitus esset carni, « quam conceperat; et caro nec Deo nec animae congrueret « uniri, nisi haberet membrorum distinctionem convenien- « tem [1]: hinc est, quod ab instanti conceptionis corpus Christi « debuit in membrorum distinctione perfectum esse ».

Vis huius tertiae rationis necnon et primae ex mox dicendis in art. 2 et 3 plenius apparebit.

[1] De hac minori valet pariter animadversio circa primae rationis minorem facta.

ARTICULUS II.

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT ANIMATUM IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Solutio huius articuli iam in praecedenti continetur. *a*) Si enim, iuxta scholasticam philosophiam, anima nonnisi infunditur corpori satis formato, et si in conceptione Christi haec formatio per infinitam Dei virtutem in instanti facta est: quaenam posset esse ratio, cur non in instanti corpus fuisset animatum?

b) Pariter si conceptio fuit conceptio Verbi, ac proin assumptio debuit esse in ipso instanti quo Spiritus Sanctus Virginem foecundavit: quum haec assumptio ex praedictis in Quaest. VI. sit formaliter assumptio humanae naturae, haec autem non sit sine anima: quomodo per unum instans posset ista anima deesse?

c) Demum si perfectio Christi requisivit ab initio plenitudinem gratiarum, cognitionis atque volitionis: quomodo haec adesse potuissent sine anima humana, quum in anima necessario fundentur? - Ergo in primo instanti suae formationis corpus Christi fuit animatum.

2) Conclude rursus, hic agi, iuxta philosophiam tempore S. Thomae vigentem, de magno Christi privilegio; ad quod non debet recurrere ille, qui humanum foetum passim in ipsa conceptione anima rationali ditari existimat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit privilegium quoad tempus, cum naturali infusione animae in corpus satis formatum Cf. 1. *a*).

2. Obi. Haec obiectio longe subtilior est. Deficit tamen: concludit enim falso a quantitate, quam alia corpora solent in instanti infusionis animae habere, ad quantitatem corporis Christi in primo instanti suae conceptionis. Cf. dicta in art. praec. n. 4, et adiungenda in resp.

3. Obj. Procedit secundum generationem naturalem; non autem valet pro generatione miraculosa, qualis, praesertim iuxta huius philosophiae doctrinam, erat generatio Christi.

Sed contra est. Placet integrum Damasceni locum afferre « Ubi primum B. Virgo assensa est, Spiritus Sanctus super- « venit, qui et purgavit eam, vimque ei tum ad suscipiendam « Verbi Deitatem, tum ad gignendum suppeditavit. Tunc « porro in eam obumbravit subsistens vere Dei Altissimi « Sapientia et Virtus, Dei Filius, inquam, ille consubstantialis « Patri, divini seminis instar, exque castis purissimisque illius « sanguinibus carnem anima rationali et intelligente ornatam, « conspersionis scilicet nostrae primitias, ipse sibi compegit, - « non id quidem seminali procreatione, sed Creatoris more « per Spiritum Sanctum, non ut paullatim per additamenta « figura corporis absolveretur, sed uno eodemque momento « perficeretur, - ipsum Dei Verbum carni factum hypostasis « et persona; neque enim Verbum carni in propria persona « iam existenti unitum est.... Quamobrem simul caro, simul « Dei Verbi caro, simul caro animata, rationalisque et intel- « lectualis » [1].

In Corpore. Adverte vim huius argumenti. Nisi ipsum Verbum, corpore humano indutum, esset terminus operationis quae, modo superius explicato, Spiritui Sancto tribuitur, ipsa conceptio non posset per formulam istam exprimi. Cuius argumenti vis ex doctrina articuli sequentis apparebit. Pone enim assumptionem non fuisse in instanti, deesset ratio nexus, non solum pro Spiritus Sancti operatione, sed et pro maternitatis divinae concursu. Nam ille qui esset formatus de Virgine, haberet suum esse completum sine Verbo, ac proin nec illa Spiritus Sancti operatio, nec ille concursus Virginis ipsum Verbum amplius attingerent. Ad summum dici posset Mariam gestasse Verbum, corporique eius augmentum subministrasse; ipsum autem Verbum non concepisse dicenda foret, neque de Spiritu Sancto conceptum esse ex Virgine Verbum dici posset. - Comple argumentum ex rationibus *a*) et *c*) superius allatis.

Resp. ad 3m. In hac responsione S. Thomas rationes dat ob quas corpus Christi, licet formatum ab initio, non habuerit tamen a primo instanti totam suam molem; iuxta doctrinam modo expositam ex S. Bonaventura.

[1] *De Fide,* III, c. 2. — *P. G.* XCIV, 985, sq. — Cf. testimonia afferenda in art. seq.

ARTICULUS III.

UTRUM CORPUS CHRISTI IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS FUERIT A VERBO ASSUMPTUM.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Vidimus supra [1], Verbum non assumpsisse personam, neque hominem, sed humanam naturam. Cuius doctrinae consequens est, nullum temporis instans interfuisse, quo fuerit humana natura Christi, quin a Verbo iam esset assumpta. Unde quum humana natura Christi ab ipso primo instanti completa fuerit, sequitur ab hoc ipso primo instanti conceptionis corporis Christi, Verbum a Virgine conceptum esse.

2) Cave autem hic, ne in circulationem incidas, demonstrando praesentiam animae in primo instanti per unionem hypostaticam, unionem autem hypostaticam per praesentiam animae. Unio hypostatica in primo instanti conceptionis demonstratur *directe* ex ipsa analysi naturae humanae a Verbo assumptae, qualis in revelatione exhibetur. Praesentia animae demonstratur quidem *indirecte*, tum ex hac ipsa unione, tum ex aliis rationibus, quas in praecedenti articulo exposuimus. Probata autem per has rationes praesentia animae, ex hac praesentia argumentum ducitur *indirectum* ad probandam assumptionem in primo instanti. Igitur nulla ibi circulatio. Quod ex modo arguendi S. Thomae confirmatur. In praecedenti articulo argumentum ex assumptione adduxit; in praesenti autem non adducit argumentum ex animatione, sed directe probat assumptionem corporis vel carnis Christi factam esse in primo instanti, quin de anima specialiter loquatur.

3) Hic autem subtilis quaestio oritur de ordine inter haec tria: conceptionem, animationem, assumptionem, non quidem temporis (qui manifeste excluditur), sed naturae, seu logico.

Scheeben [2] putat, logice praecessisse assumptionem, atque Scholasticis in demeritum vertit, « quod ab hac profunda intel-

[1] Quaest. IV, art. 2 et 3.
[2] Op. cit., l. V, § 230.

« lectione conceptionis Verbi satis alieni remanserint »[1]. Adducit autem ad thesim suam probandam varia testimonia Patrum [2]. Fatemur quidem his in locis expressiones fortiores occurrere. Attamen putamus, quoad rei essentiam nihil magis per eas intendi, quam *a*) actionem divinam, ac proin etiam Verbi, quae Virginem Mariam foecundavit; et *b*) instantaneitatem, qua ipsa assumptio et perfectio conceptionis cum hac actione intelligenda sunt. Proin putamus, in hisce locis nihil contineri praeter id quod S. Thomas exponit in resp. ad 1., ubi similem sententiam S. Augustini ad normam suae doctrinae trahit.

4) Et re quidem vera si attentius consideras *a*) ipsam vocem *Incarnationem* iam logice ponere carnem assumendam; *b*) carnem autem non esse humanam carnem nisi per animam: quid magis naturae rei conveniens, quam ut teneatur ille logicus ordo, quem S. Thomas in Quaest. IV [3] et in praesenti docet? Ita plenius servatur illud Apostoli ad Philippenses: « *formam servi accipiens* »; logice enim praecedit *esse* quam *accipi*. Insuper, si alius ordo esset, - quomodocumque hic intelligi valeat, - fatendum esset Christum nonnisi valde improprie dici conceptum de Spiritu Sancto, quum verius *de Verbo* conceptus praedicaretur [4]. Putamus proin, doctrinam quam Scheeben concedit esse S. Thomae atque Scholasticorum, nec profunditate carere nec auctoritate.

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Confundit ordinem logicum cum ordine temporis inter concipi et conceptum esse.

2. Obj. Eodem vitio laborat quoad conceptionem et animationem.

3. Obj. Confundit *ascensum*, qui in evolutione naturali generationis occurrit, cum *descensu* quo instantanee incar-

[1] « Diese tiefsinnige Auffassung von der conceptio Verbi, die der Existenz des « angenommenen Fleisches zu Grunde liegt, ist den Scholastikern ziemlich fremd « geblieben » (Loc. cit., n. 563).

[2] Sophron., Epist. synod. a Conc. vi approb. — Hardouin, iii, p. 1267. — Fulgent., *De Inc. et grat.*, c. 3, n. 7. — Leo M., ep. *ad Iul. Coens.* — Gennad., *De cul. dogm.*, c. 18. — Ferrand, Ep. *ad Sever.* — Damasc., *De Fide*, l. iii, c. 2 et 12.

[3] Tom. iv, p. 312 sqq.

[4] Inde locutio *conceptio Verbi de Verbo*, qua ipse Scheeben utitur (Loc. cit. n. 561).

natio Verbi facta est. In quo descensu duo iam diximus esse consideranda: *a*) *operationem divinam* quae formavit corpus Christi, et *b*) *assumptionem* per unionem hypostaticam. Utrumque Patres considerant simul, quando contra logicum ordinem, quem docet S. Thomas, loqui videntur. Quod ex loco Ferrandi [1] ostendere iuvat. « Scientes, ait, « quod non hominem formatum et conceptum, neque vita « sua quadam vel in matris utero vivere iam incipientem « Deus assumpsit », quod et ipse S. Thomas expresse excludit: esset quippe haereticum, « sed omnino antequam aliquid « Maria conciperet, ante omnem formati hominis formandive « causam, Deus, volens homo fieri, virginalis palatium ven- « tris intravit » (ecce primum *a*), « et virtute divinitatis « munus largiens foecunditatis, *adsumpsit ex ea, quam ha- « bere voluit matrem, nostri generis veram carnem* » (ecce illud alterum *b*). Iam vero quaerimus, quid ex his ultimis verbis, in quibus vis argumenti esset, contra thesim S. Thomae proferri possit? Nonne e contra haec sententia eamdem confirmat, quum assumi *vera caro nostri generis* non possit, nisi sit *ex Virgine*; et, quia caro humana, nisi sit animata? Ergo habes ipsissimum ordinem logicum S. Thomae.

Sed contra est. Hic directe confutatur Photinus et quicumque hominem Christum prius hominem purum fuisse blasphemant. De quibus in primo volumine huius tractatus fusius egimus.

Doctrinam huius articuli S. Augustinus multis in locis expressit. Ita habet: « Ex quo homo esse cupit, ex illo est et « Deus, unde dictum est: "Verbum caro factum est" [2]. Pulchre S. Gregorius: « nuntiante Angelo et adveniente Spiritu, « mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro » [3]. - Egregie quoque Fulgentius: « Firmissime tene et nullatenus « dubites, non carnem Christi sine divinitate in utero Virgi- « nis conceptam, priusquam susciperetur a Verbo; sed ipsum

[1] Loc. cit.

[2] *De Trin.*, l. XIII, c. 17, n. 22. — *P. L.* XLII, 1031. Ex verbis S. Augustini vides praesentem doctrinam contineri in omnibus locis sive Scripturae, sive auctoritatum Ecclesiae quae exhibent unionem uti factam ab initio in persona. — Cf. Ibid. l. II, c. 5, n. 9; l. IV, c. 7, 8, c. 20, n. 30; — l. ctr. *Serm. Arian.*, c. 8, n. 6.

[3] *Moral.*, l. XVIII, c. 52, n. 85. — *P. L.* LXXVI, 90 A.

« Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum ipsam-
« que carnem Verbi incarnatione conceptam » [1].

Sed et Sophronius imprimis hic adducendus est: « Incarna-
« tur Verbum et Deus, non prius formatae carni se coaptans,
« vel corpori iam prius formato et in se subsistenti se con-
« nectens, vel prius subsistenti animae se componens; sed
« tunc his productis ad existentiam, quando eis verbum
« ipsum et Deus se componebat. Hinc physice simultaneum
« cum sua existentia habent, nec ante eorum ad Verbum
« verissimum conventum unquam in se exstiterunt..... sed
« ita simul concurrentem cum physico Verbi conventu ha-
« bent existentiam, ut haec ne ictu quidem oculi illam prae-
« currat. Simul enim caro, et simul Dei Verbi caro; simul
« caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata
« rationalis, quia in ipso et non in se habuit existentiam.
« Nam una cum conceptu Verbi haec adducta sunt ad con-
« sistentiam, et unita sunt illi secundum hypostasim veris-
« simam et indivisibilem.... ab ipso producta et in ipso con-
« stituta et ipsi composita » [2].

In Corpore. Sequenti ordine procedit S. Thomas.

1) Primo intentum probat, ex hoc quod nequit dici *homo factus Deus,* quod supra directe monstravit ex ipsa simultanea assumptione humanae naturae Christi cum eiusdem naturae formatione [3].

2) Idem ostendit inquirendo per dilemma de consequentibus negationem huius instantaneae assumptionis. Etenim tunc Verbum assumpsisset aliquid subsistens. Iam vero *illud subsistens* (scil. illa hypostasis): vel *a*) *remansisset in assumptione,* et tunc omne quod Christus est, non esset assumptum, quod est contra rationem Incarnationis; vel *b*) *fuisset destructum,* quod est inconveniens.

Corollarium I. - Quia primo instanti suae conceptionis corpus Christi fuit Verbo hypostatice unitum, B. Virgo vere concepit Deum. Bene S. Ioannes Damascenus: « Hinc intel-
« ligitur et est *Deipara* sancta Virgo, non modo propter

[1] *De fid. ad Petr.,* c. 18, n. 61. — *P. L* XL, 772.
[2] Loc. cit.
[3] Quaest. XVI.

« naturam Verbi, sed etiam propter deitatem humanitatis, « quorum simul et conceptio et existentia mirabiliter ef- « fecta est: conceptio Verbi, carnis vero in ipso Verbo exi- « stentia » [1].

Corollarium II. - Ex dictis vides, quo sensu intelligendae sint inversiones quibus Patres interdum utuntur. Ita Leo Magnus ait: « Natura nostra non sic assumpta est, ut primo « creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione creare- « tur » [2]. Quae sententia est quasi ad verbum deprompta ex S. Augustino [3]. Nec aliter Sophronius superius allatus. Scilicet hae locutiones ita depellunt successionem falsam, ut simultaneitatem affirment, in qua logice praecedit vis efformans, logice sequitur hypostatica coniunctio, at simul logice in medio est ipsa concepta humana natura.

Quaeres de gradu certitudinis doctrinae in his tribus articulis expositae. - *Resp.* Isti tres articuli se tenent ad modum gradationis ascendentis. Doctrina huius articuli tertii simpliciter de fide dicenda est. Doctrina articuli secundi non est quidem de fide, sed theologice certa. Doctrina articuli primi ab aliquibus uti prorsus certa exhibetur; sed ob rationes ibidem expositas, non video huic affirmationi sat solidum subesse fundamentum. Quare placet magis ut solummodo dicatur probabilissima. Et sane, si quis teneret, animam Christi ab initio quidem supernis dotibus summo gradu illustratam, non habuisse tamen plenum usum corporis, utpote nondum perfecte organice evoluti; quatenus Filius Dei noluit ab initio uti corpore organizato, quo plenius sese exinaniret; is haberet sane contra se catervam theologorum optimi nominis, at non ideo mihi damnandus videretur; praesertim si *a*) ex una parte hanc suam opinionem fulciret scientia physiologica, - quae aliena est ab imaginatione tenuissimi corpusculi, quod per solitum gestationis tempus nutriretur, non quidem ad organice se evolvendum, sed ad maiores dimensiones acquirendas; - *b*) ex altera parte concederet ab initio aliquam sufficientem

[1] Op. cit., c. 12. Vides quantopere haec ultima verba corroborent sententiam quam de formali ratione unionis hypostaticae propugnamus.

[2] Epist. XXXV, *ad Iul. Coens.* c. 3. — *P. L.* LIV, 807 C.

[3] Lib. *ctr. serm. Arian.*, loc. cit.

organizationem, ut primaria sensitivae vitae naturaliter agi possent, et reliqua prodigiose suppleri.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONCEPTIO CHRISTI FUERIT NATURALIS VEL MIRACULOSA.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Articulus praesens est veluti conclusio non huius tantum Quaestionis, sed et praecedentis. Et sane si nihil in conceptione Christi naturale esset, Matrem ex nostro genere Christus non haberet. Beata quippe Virgo Maria debuit praestare, licet miraculose, quae natura per aliam viam in se habet; secus vera Mater Christi vocari non posset.

2) Porro in his quae, quoad essentiam rei, naturalia sunt, potest adhuc supernaturalis aspectus reperiri. Inde in ipsa subministratione et praeparatione materiae, quam in Maria naturalem esse contendimus, modus fuit supernaturalis in promptitudine quasi instantanea qua obtinuit. Alia quippe virtus divina hanc operationem accelerans, alia virtus divina materiam celerrime per Virginem praeparatam foecundans. Rursus alia virtus foecundans, alia virtus in instanti corpus satis expeditum efformans, ut animam rationalem iam formae instar agentem reciperet. Unde licet S. Thomas in *Corpore* unicum prodigium ponat: virginalem conceptionem; apparet huic prodigio alia quoque portentosa consideranda circumstare.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit rem assumptam, cum modo eam assumendi.

2. Obi. Confundit in ipsa conceptione Christi miraculosum ex parte principii agentis, et naturale ex parte patientis.

3. Obi. Abstrahit a principio activo, secundum quod est etiam iudicandum, utrum transmutatio naturalis sit necne.

Sed contra est. Miraculum conceptionis Christi probatur ex Matth. I. « Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod « dictum est per prophetam dicentem: " Ecce virgo in utero « habebit et pariet filium ,, ». Neque contra hanc doctrinam afferas locum Pauli (Hebr. II): « Debuit per omnia fratribus

« assimilari ». Haec enim dicta sunt de Christo iam existente in sua natura humana, et secundum eamdem naturam humanam. Atqui virginalis ortus non impedit similitudinem nobiscum in natura humana. Ergo iste locus non est ad rem. Secus, si absolute sumeretur, quid de unione hypostatica? Nisi forte hanc unionem sibi, et cuivis homini, ex isto loco obiiciens vindicet cum Christo communem. Ergo si in maiori, in unione quippe hypostatica, Christus nobis est dissimilis; cur non in minori, scilicet in ortu de Virgine, de caetero in natura humana nobis perfecte similis?

In Corpore. En paucis huius argumenti ratio ac doctrina. Christi conceptio, 1) si materiam consideras a Matre ministratam, naturalis est; 2) si formam consideras, virtutem scilicet, qua Virgo concepit, supernaturalis est. Atqui secundum formam aliquid vocatur simpliciter; secundum materiam vero secundum quid. Ergo.

Appendix de mente S. Bonaventurae.

Sicut Seraphici doctoris sententiam de cooperatione Beatae Virginis cum sententia Angelici praeceptoris contulimus, ita in hac quaestione complementaria agendum videtur. Et sane qui plus tribuit activitati maternae, plus quoque tribuere debet elemento naturali. Audiatur igitur quomodo S. Bonaventura respondeat quaesito: « Utrum cooperatio « illa B. Virginis fuerit naturalis an miraculosa ».

« Generativa potentia in Virgine fuit *excitata* a Spiritu « Sancto, et fuit supra posse suum *elevata. Excitata* fuit, ut « posset praeparare materiam conceptui, secundum quod « competit sexui muliebri; sed supra naturam fuit *elevata,* « dum data est ei potentia praeparandi materiam, secundum « quod tam nobili ex ea perfectae conceptioni competebat. « Et ideo Virgo Maria potentiam habuit *supra* naturam et « potentiam *secundum* naturam; et potentia *supra* naturam « fuit in sanctificatione collata; et utraque erat in illa con- « ceptionis tempore in complemento suae operationis con- « stituta. Et ideo operatio sive cooperatio partim quodam « modo fuit naturalis, et quodam modo supra naturam ».

Eleganter autem S. Bonaventura rem ope comparationis

illustrat. Verba ipsa adducimus, quia validissime confirmant quae superius dicta sunt de pleniori modo quo B. Virgo Mater est Filii sui, quippe cuius carnis substantiam ipsa totam ministravit. « Si Deus daret mihi potentiam *unum* intelligere « et *multa simul* intelligere; partim esset naturale in hoc, « quod *unum* intelligerem; partim supra naturam in eo, quod « *duarum* illarum rerum intellectus non possunt *simul* per « naturam stare. Sic et in proposito intelligendum est, quia « hoc erat naturae consonum, ut Virgo ministraret humo- « rem sufficientem ad conceptum, quantum ministrat sexus « muliebris, sed quod *per se sola* ministraret quantum mi- « nistrat mulier coniuncta viro, hoc erat supra naturam, et « ideo admirabile et insolitum. Concedendum est igitur quod « et illa operatio non fuerit naturalis omnino, immo aliquid « habuit supra naturam, immo multum habuit supra naturam, « quia hoc inter omnia mirabilia fuit mirabile principium, « virginalem scilicet uterum esse simul integrum et foe- « cundum » [1].

Quum igitur in praecedentibus S. Bonaventura hanc cooperationem B. Virginis quoad partem naturalem, et in ipsa conceptione, intelligat non mere passivam, ad normam huius sententiae explicandum est quodcumque S. Doctor hic naturae tribuit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Licet materiae praeparatio et parturitio tempus exigant, quia cum motu; ipsa tamen conceptio corporis Christi, utpote a virtute divina, et conceptio Verbi, in instanti facta est (art. 1). - Imo in instanti corpus Christi animatum fuit, quum id requirat ordo assumptionis et terminus conceptionis (art. 2). - Pariter ipsa assumptio in instanti conceptionis facta est, nam Verbum totum quod est in Christo assumpsit, et nihil in ipso assumendo destruxit (art. 3).

2) Quum igitur conceptio Christi producta sit virtute divina supra legem naturae, materia autem in quam haec virtus egit naturaliter fuerit a matre ministrata, dicenda est miraculosa simpliciter, naturalis secundum quid (art. 4).

[1] Op. cit., dist. IV, art. 3, quaest.

CAPUT III.

DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTAE.

QUAESTIO XXXIV.

Ordo Quaestionis. - Perfectio prolis conceptae remanet consideranda. Non quidem quoad *ipsam essentiam humanam,* quatenus constat materia et forma: hanc iuxta duos primos articulos Quaestionis praecedentis vidimus a primo instanti completam; neque *quoad divinitatem* ratione assumptionis, de qua in tertio articulo eiusdem Quaestionis actum est. Sed perfectionem consideramus *quoad dotes,* tum gratiae, tum naturae, tum viatoris, tum comprehensoris. Inde:

Art. 1. contemplatur perfectionem prolis *quoad dotes gratiae;* - *Art. 2.* contemplatur perfectionem prolis quoad *dotes naturae,* quatenus liberum arbitrium complectitur intellectum, voluntatem et libertatem; - *Art. 3.* concludit ex utroque quoad statum *viatoris,* cuius est *mereri;* - *Art. 4.* contemplatur perfectionem status *comprehensoris.*

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS FUERIT SANCTIFICATUS PER GRATIAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum nonnisi principium rationale sit sanctificationis capax, de sanctificatione Christi ante animationem quaerere absurdum esset, nisi secundum eam praeparatoriam sanctificationem, quae in carne purificata, imo ab immaculata Virgine traducta, apta iam fuerit infundendae animae gratiae dotibus ornatae. Quam sanctificationem improprie dictam, si in B. V. admisimus, eminentiori modo in divina eius Prole venerari debemus. At non de hac in

praesenti articulo quaeritur, sed de formali sanctificatione *per gratiae supernaturalis infusionem.*

2) Porro duplex hic occurrit quaestio: *a*) facti et *b*) ordinis.

a) *Factum* dubium esse nequit, probato semel, in primo instanti conceptionis carnem Christi fuisse animatam et assumptam. Etenim argumenta allata art. 1, Quaest. VII valent et pro primo instanti. - *b*) Ordo autem facti non eadem certitudine constat. Repugnat quidem ex dictis n. 1 sanctificatio animam logice praecedens; sed utrum haec sanctificatio, admisso ordine quem in art. 3 praecedentis Quaestionis iuxta Angelicum vindicavimus, ponenda sit inter animationem et assumptionem, an post assumptionem, non eadem evidentia constat. Hanc alteram sententiam praeferendam esse supra demonstravimus, in ultimo articulo Quaest. VI et in initio Quaest. VII, etc. - Pariter ex art. 3 Quaest. VI vidimus assumptionem animae non praecessisse assumptionem corporis ex quo sequitur, neque logice sanctificationem ponendam esse inter animae Christi creationem et corporis animationem [1]. - Restat igitur ut, - collatis his cum dictis in art. 3 Quaest. praec., - sanctificatio logice quarto loco ponatur, post assumptionem, sed in instanti.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ad summum ex hoc loco Pauli ordo logicus probatur de quo n. 2; nullo modo autem ordo temporalis, quia opus Incarnationis, utpote *descensus* Dei in humanam naturam, fuit ab initio perfectum.

2. Obi. Non attendit ad tres gradus distinctos: *a*) fieri sanctum de peccatore; *b*) fieri sanctum, non quidem de peccatore, sed de naturali perfectione nondum elevata per gratiam; *c*) fieri sanctum, de non sancto secundum novam naturam, ab initio tamen sanctificatam. Tertius gradus Christo competit. Atqui iste gradus non opponitur sanctificationi in primo instanti. Ergo.

3. Obi. Confundit in Christo Verbo instrumentum non motum, seu naturam divinam unam cum Patri; et instrumentum motum, seu humanitatem a Verbo assumptam.

Sed contra est. Insinuatur doctrina huius articuli per

[1] Eo vel magis quod sanctificatio in ipsum corpus agit; Cf. argumentum *Corporis* in fine.

verba Archangeli ad Mariam: « Quod nascetur ex te Sanc- « tum, vocabitur Filius Dei » [1]; et Christi de se: « Quem Pater « sanctificavit et misit in mundum » [2]. Dicimus his locis doctrinam praesentem solum insinuari quia non satis aperte constat, sanctitatem de qua hic sermo, non esse unionis hypostaticae. Imo in hanc interpretationem vehementius inclinamur.

In Corpore. Nulla difficultas. Animadverte concordantiam perfectam ex hac argumentatione cum praecedentibus argumentis elucentem; iterumque observa, quomodo S. Thomas hic concipiat gratiam tanquam ex hypostatica unione effluentem.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS HABUERIT USUM LIBERI ARBITRII.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dubium hic primo moveri potest, cur S. Thomas de dotibus expeditis naturae quaesierit, postquam de gratia investigavit, et non e converso. At responsio est in promptu. Gratia enim primario constituit sanctum in τῷ esse superiori, secundario dat τὸ agere secundum hoc esse, si sanctificatus iam sit agendi capax. Unde probata sanctificatione quoad esse supernaturale, quaerendum remanet de operatione; quae operatio ab evolutione naturae agentis pendebit.

2) Porro nulla dubitatio esse potest, quin Christus a primo instanti usum liberi arbitrii habuerit, si *a*) ex una parte constet hoc summe decere perfectionem eius; et *b*) ex altera parte nulla in ipsa re appareat impossibilitas. Utrumque facili argumentatione obtinetur. Etenim *a*) primum per se patet, et supra iam saepius est expositum; tum quoad maiorem, quae ponit principium initialis perfectionis Christi; tum quoad minorem, quae perfectionem hanc in operatione reponit.

b) Alterum obtinetur dupliciter: α) *directe,* monstrando operationem in instanti sequi expeditum intellectum et inexpe-

[1] Luc. I, 35.
[2] Ioann. x, 36.

ditam voluntatem; β) *indirecte,* repellendo difficultates quae moveri possent, sive α') ex deliberatione, - quae excludit operationem in instanti, sed non est de essentia liberae electionis; - sive β') ex sufficienti corporis evolutione, - quae non requiritur nisi ad intellectionem per phantasmata et per ministerium sensuum, et caeteroquin, ex dictis superius, in art. 1, Quaest. XXXIII, in Christo miraculose ab initio, id est a primo instanti adfuit. -

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Confundit ordinem naturae et ordinem temporis.

2. Obj. Falso supponit, deliberationis moram esse de essentia liberi arbitrii [1].

3. Obj. Gratuito supponit, *a*) in Christo quamvis operationem liberi arbitrii requirere usum sensuum, - quod ex scientia infusa et a fortiori ex scientia beata patet esse falsum; - *b*) omnem usum sensuum Christo in initio defuisse, quod est contra probata in art. 1 Quaestionis praecedentis.

Sed contra est. Fatemur haec verba Augustini non esse stringentia. Pro philosopho tenente formationem corporis in tempore et animationem via naturali post quadraginta quinque dies, ut Augustinus sentiebat, illud « *perfectus homo* » potest significare dumtaxat privilegium de quo in art. 1 et 2, Quaest. praecedentis. Attamen suasivum inde potest argumentum duci, sicut ex verbis prophetae Ieremiae: « Femina « circumdabit virum » [2], ubi instantaneitas perfectionis prolis indicari videtur.

Validissime doctrina praesens corroboratur per verba S. Pauli: « Ingrediens mundum (Christus) dicit: " Hostiam « et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.... Ecce « venio..... ut faciam voluntatem tuam " » [3]. Iam vero Verbo incarnato ingredi mundum est ipsum incarnari; ergo a primo instanti Incarnationis Christus dixit Patri: « Ecce venio, etc. ». Iam vero per usum liberi arbitrii suam voluntatem submisit voluntati Patris. Ergo a primo Incarnationis instanti Christus non solum usum liberi arbitrii habuit, sed et libero arbitrio

[1] Cf. de hoc art. 4, Quaest. XVIII.
[2] Cap. XXXI, 22.
[3] Hebr. X, 5 sqq.

sanctissime usus est, semetipsum plenissima oblatione Patri devolvens.

In Corpore. En totam argumentationem paucis contractam: Christus fuit ab initio perfectus; perfectus non est homo sine operatione; operatio per intellectum et voluntatem, seu exercitium liberi arbitrii in instanti exerceri potest, ergo a primo instanti Christus habuit usum liberi arbitrii [1].

Reliqua patent.

Corollarium. - Vide ex his discrimen inter B. Virginem et Christum quoad usum liberi arbitrii. Christus eum habuit ab ipso initio, in instanti, secundum triplicem humanam scientiam. Maria citissime quidem, sed non ab initio, et quidem cum deliberatione, et secundum scientiam acquisitam simpliciter [2].

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI CONCEPTIONIS SUAE MERERI POTUERIT.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Quum Christus in primo instanti habuerit usum liberi arbitrii et gratiam, si potuit hoc primo actu liberi arbitrii movere se in Deum per eamdem gratiam, fatendum est, Christum in primo instanti per proprium actum fuisse sanctificatum, antequam gratia potuerit in ipso habere rationem habitus. Atqui sanctificatio per proprium actum meritoria est; ergo Christus ita a primo instanti libero arbitrio usus est, ut per illum usum mereretur.

2) Hoc quoad factum. Iam si excellentiam huius actus consideramus, dicendum est, fuisse hunc actum tantae excellentiae, quantam exigebat mensura tum gratiae actualis qua ponebatur tum perfectionis moralis illius qui illum ponebat. Atqui utraque mensura, licet diverso titulo, erat infinita. Ergo

[1] Rursus ex hoc modo arguendi S. Thomae vides, quid valeant nugaces declamationes quorumdam modernorum, quasi Scholastici perfectionem actus prae nuda essentia non agnoverint. Nihil remotius a vero.

[2] Nisi quis adhaereat sententiae quae affirmat B. Virginem habuisse etiam antequam nasceretur, scientiam infusam more angelorum. Sed ab hisce quaestionibus tutius duximus abstinere.

ille actus a plenitudine gratiae actualis cum plenitudine motionis voluntariae in Deum positus, fuit infinite meritorius.

3) Consequens proin immediatum huius actus fuit a parte gratiae habitus tam plenus, tam perfectus cum quo augmentum stare non potuerit; a parte meriti, meritum tam plenum et perfectum ut excluserit omne augmentum. Qua plenitudine tamen, sicuti non excludebantur actus subsequentes eadem voluntate perfectissime in Deum se movente ponendi, ita neque merita subsecutura, sed sine gratiae ipsius augmento.

4) Si iam quaeris quisnam fuerit iste primus actus, putamus per oblationem sui totius in adorationem et hostiam Christum hoc actu veluti synthetice expressisse totam dignitatem ac totum opus Redemptoris, iuxta illud Pauli: « Ecce me ». Ipsa immolatio Crucis fuit aliquo modo protractio huius primae immolationis; ac proin meritum mortis fuit iam contentum in hoc primo impulsu Cordis Iesu seipsum Patri sacrantis. Quare glorificatio Redemptoris per resurrectionem intime connectitur cum primo instanti vitae humanae Verbi. Inde magna lux accedit loco in quo idem Paulus applicat Christo redivivo versum psalmi: « Filius meus es tu, ego hodie « genui te » [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obj.* Supponit falso, in natura integra actum malum tam directe ex natura fluere, quam bonum; dum e contra hic est secundum naturam, ille praeter.

2. Obj. Confundit naturale ratione originis, et ratione debiti naturae.

3. Obj. Confundit non mereri, cum mereri ex nova causa.

Sed contra est. Meritum de quo hic agitur, esse ex gratia, supra diximus; insuper unionem hypostaticam non cadere sub hoc merito, pluries vidimus.

In Corpore. Paucis ita: Christus habuit a primo instanti perfectissimam sanctificationem; atqui perfectior est sanctificatio per actum liberi arbitrii [2]; hic autem actus est meritorius: ergo Christus a primo instanti conceptionis suae meruit.

« *Secundum fidem parentum vel Ecclesiae* » intellige hoc

[1] Act. xiii, 33.

[2] Hic recurrit animadversio in praeced. art. facta.

dictum de sanctificatione in utroque Testamento, sed modo diverso iuxta efficaciam diversam mediorum ad salutem infantium procurandam [1].

« *Qui secundum proprium actum iustificantur* », utique ex gratia.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT PERFECTUS COMPREHENSOR IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - *Mereri, viatoris est,* saltem in principio viae. Meritum autem augeri posse, non est de essentia conditionis viatoris, nisi quatenus aliunde istud augmentum ex ipsa plenitudine gratiae et meriti non excluditur. - *Deum autem videre per essentiam, comprehensoris est.* Sed utraque conditio per perfectionem eiusdem gratiae colligatur. Etenim si tanta fuit illa prima gratia ut augeri non potuerit, et eius meritum tantum, cui nihil potuerit superaddi, illa gratia debuit habere omnem perfectionem. Iam vero gratia comprehensoris est aliqua perfectio super gratiam viatoris. Ergo illa prima gratia habuit perfectionem gratiae comprehensoris. Atqui non potuit esse sine actu (tum ex ipsa sua perfectione, tum quia consideratur in primo instanti ante habitum); actus autem esse non potuit sine visione divinae essentiae. Mensura autem actus debuit esse ad mensuram initialis gratiae, sicut haec ad mensuram tituli. Ergo ab initio non solum Christus Deum vidit, sed clarius eum vidit quam quaevis alia creatura beata.

2) Ut recte advertit Caietanus, haec argumentatio S. Thomae supponit, gratiam comprehensorum superare mensura gratiam viatorum, ac proin plenitudinem absolutam gratiae impossibilem esse, quin adsit gratia viatorum. Non ideo tamen putamus, quemadmodum putat doctus Cardinalis, nullam gratiam viatoris superare quoad habitum, gratiam minimi comprehensoris. Sufficit ut pro quovis beando gratia comprehensoris sit evolutio gratiae viatoris, sicuti evolvitur planta ex semine; secus sequeretur gratiam B. Mariae in

[1] Cf. tractatum *de Sacramentis.*

hac vita degentis fuisse inferiorem quoad habitum, gratiâ minimi comprehensorum. Sufficit proin ad argumentum, ut pro quovis beando gratia comprehensoris superaddat gratiae viatoris. Consequens est, Christum si habuit ab initio plenitudinem omnis gratiae, habere debuisse gratiam comprehensoris perfectissimam.

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* Supponit meritum dici de Christo iuxta perfectionem comprehensoris, quod falsum est.

2. Obi. Confundit in statu comprehensoris elementum primarium et secundarium.

3. Obi. Negligit singularem dignitatem unionis hypostaticae.

Sed contra est. Corroboratur haec doctrina per verba S. Pauli: « In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae « absconditi » [1]. Locus Psalmi LXIV hic ab Angelico allati vim habet, si « *beatus* » sumitur stricte in sensu comprehensoris; et „*assumpsisti*" in sensu unionis hypostaticae: sed hoc esset demonstrandum. Ergo non est argumentum nisi a longe suasivum. Imo in rigore haec interpretatio non potest urgeri. Assumpsit quidem Deus humanam naturam, non autem *virum.*

In Corpore. Iam superius cardinem argumentationis indicavimus. Qui non teneret principium cui innititur S. Thomas, posset adhuc doctrinam huius articuli indirecte sufficienter demonstrare, ex dignitate scilicet infinita Christi et ex merito infinito primi actus ipsius. Directius tamen procedit Angelicus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum a primo instanti conceptionis suae Christus perfectus homo fuerit propter assumptionem Dei Filius, plenissimam in primo eodem instanti gratiam habuit (art. 1). - Qua gratia, id exigente eadem plenissima perfectione, in primo instanti per operationem, nempe per usum liberi arbitrii usus est (art. 2). - Porro ita ea usus est, ut per eam a

[1] COLOSS. II, 3.

primo instanti meruerit, quum perfectior sit sanctificatio per proprium actum (art. 3). - Demum haec eadem gratiae perfectio a qua fuit iste actus concurrente libero arbitrio, exigit ut agens iam fuerit actu comprehensor, et quidem comprehensorum summus (art. 4).

Nota. - Sic absolvitur Membrum primum, cui nomen Mariologiae imposuimus, licet et de aliis argumentis ibi interdum sermo fuerit. Supersunt nihilominus non pauca dicenda de maternitate divina, de B. Virginis morte ac gloriosa assumptione. De maternitate quidem in Quaestione sequenti agemus, quae proin magna ex parte ad Mariologiam adhuc pertinere dicenda est; de aliis tractabimus ubi de morte ac resurrectione ipsius Salvatoris.

MEMBRUM II.

DE CHRISTI NATIVITATE ET MANIFESTATIONE.

Ab hoc Membro altera pars *Soteriologia* proprius dicta incipere dicenda est, quum natus sit Redemptor « ad opus « suum exiens ».

Ordo Membri est manifestus. Intime inter se connectuntur *Nativitas* et *Epiphania* Christi; unde cultu publico simul ab initio colebantur. Quum porro Nativitas Christi respectum ad Matrem secum ferat, completur in prima quaestione huius capitis dignitas materna Deiparae. Unde, sicut vidimus Quaestionem XXVI tum primo tum secundo membro adscribendam esse; ita haec Quaestio simul ad Membrum I et II spectat.

CAPUT I.

DE NATIVITATE CHRISTI.

QUAESTIO XXXV.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duas partes complectitur haec Quaestio: 1) prima agit de *nativitate* Christi *in se* considerata; 2) secunda agit de eiusdem *circumstantiis*.

1) In prima parte S. Thomas ita procedit. *a*) Prima ponit *principium fundamentale* (art. 1). *b*) Dein hoc principium sub pluribus respectibus applicat, scilicet: α) ad *nativitatem humanam* Christi (art. 2); β) ad *maternitatem* B. Virginis (art. 3 et 4); γ) ad *filiationem* in Christo (art. 5).

2) *Altera pars* considerat in hac nativitate *a*) *modum* ortus a Virgine matre (art. 6); *b*) *locum* ortus in Bethlehem (art. 7), *c*) *tempus* ortus iuxta prophetias (art. 8).

ARTICULUS I.

UTRUM NATIVITAS SIT NATURAE VEL PERSONAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - Uti vidimus supra in Quaest. IV, ubi de *modo unionis,* si Verbum assumpsisset personam vel hominem, non autem mere naturam humanam, salvari non posset in Maria titulus Matris Dei. Ad summum, admissa assumptione hominis ante eius ortum, vocari posset *Deipara,* sed non *Dei Genitrix*; neque proprie Deipara esset.

Quare penitius inquirendum est in nativitatis conceptum. Etenim pone nativitatem esse solummodo naturae et non personae; distinctio superius facta non sufficeret ad veram maternitatem divinam in matre Christi salvandam.

2) Porro *a priori* apparet, nativitatem limitari non posse ad naturam; etenim usus universalis in humano genere receptus est, ut colantur tum filii propter parentes, tum parentes propter filios. Utrumque autem fundamento careret, nisi nexus inter parentes et filios rationem personae in se includeret.

Imo ulterius progrediendum est. Etenim si excludi debeat a nativitate ratio personalitatis, debebit etiam a nexu inter parentem et filios excludi ipsa anima rationalis, quum haec nisi in conditione creationis eiusdem, neque a patre neque a matre sit, at immediate a Deo; dum in brutorum generatione totum animal causaliter a generante generatur [1]. Atqui quis ita de nativitate humana iudicat? Ergo nativitas extendenda est ad totum, nempe ad genitam personam.

3) Quod ut melius pateat, distingue in nativitate *subiectum* et *terminum*, sive *esse* et *fieri*. Subiectum est illud quod est, scilicet persona, hypostasis; terminus est illud quod fit, nempe forma quae transfunditur et *qua* est subiectum, id *quod* est. Proinde in Christo nativitas humana dicit communicationem humanae naturae a Matre in Filium; sed ille qui nascitur est ipse Christus, persona Christi, Verbum, Filius Dei.

[1] Neque tamen hic forma generat per se formam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit; in Verbo idem esse naturam et personam; neque considerat rationem propter quam Augustinus posuit naturam et non personam. Natura quippe nequit in Christo esse principium unionis; persona autem potest, modo secundum aliam naturam nascatur.

3. Obi. Procedit secundum *terminum* nativitatis, propter motum quo fit; et inde falso excludit *subiectum.*

4. Obi. Negligit discrimen inter principium *quo* et principium *quod.* Novum esse respicit principium *quo;* habere illud, respicit principium *quod.*

Sed contra est. Veritas huius articuli demonstratur passim ex usu Scripturarum. Ita in Evangelio dicitur: « Quum « natus esset Iesus,.. qui natus est Rex Iudaeorum » [1]. « Natus « est vobis hodie Salvator » [2]. « In peccatis natus es totus » [3]. « Natus est homo in mundum » [4]. « In hoc natus sum » [5]. - Ita quoque ex Symbolo fidei: « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, « natus ex Maria Virgine, passus et sepultus, etc. ». Atqui ipse Christus, utique secundum naturam humanam, passus est; ergo ipse Christus natus est, non solum natura Christi.

In Corpore. Rursus habes ex hoc articulo, quanti momenti sit distinctio inter *quod* et *quo*; non quidem quasi unum sit sine altero, sed utpote respectus diversus relate ad principium.

Quod autem dicitur de naturae forma uti termino transmutationis, non includit transfusionem animae ab anima, sed praeparationem materiae ad receptionem animae; quae esset quidem a forma agentis, nisi obstaret aliunde spiritualitas principii rationalis.

ARTICULUS II.

UTRUM ATTRIBUENDA SIT CHRISTO ALIQUA NATIVITAS TEMPORALIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si nativitas solummodo de natura per generationem communicata diceretur, nulla difficultas

[1] Matth. ii, 1, sq.
[2] Luc. ii, 11.
[3] Ioann. ix, 34.
[4] Ibid., xvi, 21.
[5] Ibid., xviii, 37.

esset admittendi in Christo nativitatem temporalem; haec enim non respiceret in Christo nisi naturam humanam, quam a B. Virgine, operante Spiritu Sancto, in tempore accepit. Sed quum ex dictis nativitas dicatur de subiecto quod est, nonne videtur duplex nativitas de Christo praedicari non posse, quia in eo non est nisi unum esse, secundum quod ab aeterno et quidem sine interruptione de Patre nascitur?

2) Penitius autem rem perpendenti apparet, relationem Verbi ad Patrem secundum naturam subsistentem, non impedire quominus, ex assumpta humana natura, nova relatio oriatur, - realissima a parte assumptae naturae, rationis ex parte assumentis, - inter personam Christi-hominis et Matrem a qua humanam naturam recepit. Duplex quippe nativitas, secundum principia tam differentia, uti sunt ab invicem divina et humana natura, aeternitas ac tempus, nullo modo contradicit. Posita distinctione inter *quod est* et *quo est,* non repugnat, propter duplex τὸ *quo est*, haberi duplicem respectum in τῷ *quod est* ad duplex *quod est*, unde derivat duplex *quo est*: nempe respectum ad Patrem propter receptam ab aeterno naturam divinam, et respectum ad Matrem propter receptam in tempore naturam humanam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit rationem *termini* propter motum transmutationis, et non considerat in Christo - homine non haberi nisi unum esse, aeternum scilicet esse quod Verbum recipit a Patre. Cf. Quaest. XVII et exempla efficacissima ibi adducta.

2. Obi. Supponit falso, Verbum carnem assumpsisse propter indigentiam, et per carnis assumptionem perfectius esse factum. Tota perfectio est a parte assumptae naturae, non assumentis; sicuti tota indigentia erat a parte generis nostri reparandi.

3. Obi. Negligit distinctionem inter terminum et subiectum. Insuper non attendit, rationem unius *esse* subsistentis in Christo trahere subiectum ipsum ad nativitatem ratione termini.

4. Obi. Falso supponit, *bis* non posse dici propter novum modum accedentem in tempore ad modum existentem ab aeterno. Hoc autem praecise esset demonstrandum.

Sed contra est. Doctrinam huius articuli de duplici nativitate negare debebant Proclianitae, unam divinam, Ariani, unam humanam in Christo ponentes naturam.

At temporalis nativitas Christi abundantissime demonstratur ex Sscripturi, ex Ecclesiae declarationibus, ex Liturgia et ex Patribus.

1) Ex *Scripturis* habemus textus omnes in quibus Incarnatio per nativitatem declaratur. « Quod nascetur ex te « Sanctum ». - « Natus est vobis Salvator » etc., etc. Quae sane nequeunt intelligi de aeterna Verbi nativitate.

2) E declarationibus *Ecclesiae* huc maxime spectat can. 2 Concil. Constantinop. II. - « Si quis non confitetur, Dei Verbi « esse *duas nativitates:* unam quidem ante saecula ex Patre « sine tempore et incorporaliter; aliam vero in ultimis diebus « eiusdem qui descendit de caelis, et incarnatus ex sancta « gloriosa Dei Genitrice, semperque Virgine Maria, natus « est ex ea: talis anathema sit ». - Pariter can. 4 Concil. Lateran. sub Martino I: « Si quis... non confitetur proprie « et vere... ipsius et unius Domini Nostri et Dei Iesu Christi « duas nativitates, tam ante saecula ex Deo et Patre incor- « poraliter et sempiternaliter, quamque de Sancta Virgine « semper Dei Genitrice Maria corporaliter in ultimis saecu- « lorum.... condemnatus sit » [1].

3) Eadem doctrina per *Liturgiam* multifariam proclamatur. In symbolo Missae, Ille qui dicitur « ex Patre natus », dicitur incarnatus « ex Maria Virgine ». Quomodo nisi per alteram nativitatem?. Et in Symbolo Athanasiano disertius: « Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo « est ex substantia matris in saeculo natus ».

4) Concordat antiquissima doctrina *Patrum.* S. Ignatius Martyr ait: « Medicus unus est, carnalis et spiritualis, factus et « non factus... et ex Maria et ex Deo » [2]. Nec aliter Hippolytus [3], Irenaeus [4], Tertullianus [5]. - Pulchre S. Chrysostomus: « Factus « est filius hominis, qui est verus Dei Filius, ut homines

[1] Denzinger (Op. cit., n. 173, 205).
[2] Epist. ad Ephesios. — *P. G.* v, 649, sq.
[3] *Ctr. Noët.* n. 17.
[4] *Ctr. Haer.* l. III, c. 21.
[5] *Apol.* c. 21.

« Dei filios efficeret »[1]; et: « Duplex generatio facta est, « tum nostrae similis, tum nostra praestantior »[2]. Et magnus Athanasius dixerat: « Itaque divinae Scripturae scopus iste « est, et formula propria, sicut saepe dixi, ut duplicem agno- « scamus in ea de Salvatore loquendi rationem; nimirum « tum Filium fuisse semper, et esse Deum, qui sit Verbum « et splendor ac sapientia Patris; tum postea propter nos « eumdem illum assumpta carne de Virgine Dei Genitrice « Maria hominem esse factum (ὅτι ὕστερον δι' ἡμᾶς σάρκα « λαβὼν ἐκ Παρθένου τῆς Θεοτόκου Μαρίας ἄνθρωπος γέγονε) »[3]. Disertissime idem praedicat Vitalis a S. Cyrillo allatus[4].

Caeterum praesentem doctrinam negare nequit, nisi qui Doketismo qualitercumque adhaeret, aut distinguit inter Christum et Iesum.

In Corpore. Processus limpidissimus. S. Thomas nexum necessarium demonstrat inter naturam receptam et nativitatem iuxta eamdem receptam naturam. Unum discrimen est, quod natura praedicat per modum termini, nativitas vero per modum motus. Vides ex hoc argumento quomodo negare nativitatem Christi temporalem, idem sit ac negare veritatem assumptae ab eo humanae naturae.

Resp. ad 1m. Hic locus Augustini efficacissimus est ad corroborandam sententiam quam de formali constitutivo personae in Deo-homine exposuimus.

ARTICULUS III.

UTRUM SECUNDUM TEMPORALEM CHRISTI NATIVITATEM B. V. POSSIT DICI MATER EIUS.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Iam transimus ad consequentia summi momenti ex praecedentibus articulis deducenda quoad maternitatem B. Mariae Virginis. Et primo quidem demonstrandum est B. Virginem mereri vere titulum matris; dein profundius amplitudo huius tituli investigabitur.

[1] Homil. XI in Ioann. — *P. G.* LIX, 79.
[2] Homil. II in Matth. — *P. G.* LVII, 26.
[3] Orat. 3, ctra. Arianos, n. 29. — *P. G.* XXVI, 385.
[4] *De rect. fide.*

2) Ubi adverte gradationem, saltem apparentem, triplicis formulae: Maria Mater Iesu vel Christi, Maria Mater Verbi, Maria Mater Dei. Primae formulae legitimitas in hoc articulo directe stabilitur; de aliis in sequenti investigabitur.

3) Iam vero, iuxta principium in art. 1 demonstratum, ad hoc ut prima formula vera sit, sufficit B. Virginem Christo veram humanam naturam contulisse, partes agendo quae vere matris sunt, in eius nativitate temporali. Atqui ex supra demonstratis hoc elucet; ergo. Quod enim in hac nativitate a Spiritu Sancto suppletum est, non impedit quominus Virgo se matrum more habuerit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso supponit, Mariam secundum agentis rationem minus praestitisse in nativitate Christi, quam reliquas matres. Unde si valeret obiectio, contra quamvis matrem valeret [1].

2. Obi. Procedit ac si ratio miraculosa in Christi temporali nativitate esset tam a parte matris quam patris, quod falsissimum est. Miraculum fuit praecipue in hoc, quod immediate per divinam virtutem vices patris humani supplerentur; quod quidem miraculum in Maria sane nonnihil operatum est; at non tale quid quo titulus maternitatis minueretur.

3. Obi. Cf. hic quae diximus in art. 1, Q. XXXIII.

Sed contra est. De erroribus circa maternitatem B. V. supra disseruimus [2] - Liceat ergo lectorem ad ibidem exposita remittere.

In Corpore. S. Th. supponit, quin directe illud exprimat, nativitatem dici de termino et de subiecto. Accentus ponendus est in verbum *mater* potius quam in verbum *Christi*. Cf. dicta in art. 1, n. 2.

Resp. ad 2m. Confer dicta in art. 4, Q. XXVIII.

Resp. ad 3m. Vide exposita superius ubi de art. 4, Quaestion. XXXII.

[1] Recole dicta superius de principio a S. Thoma hic allato.

[2] Consule indicem alphabeticum voluminis IV.

ARTICULUS IV.

UTRUM BEATA VIRGO DEBEAT DICI MATER DEI [1].

Status Quaestionis. 1) Doctrina iam pressius stabilienda fluit tam directe ex praecedentibus, ut nonnisi ex haeretico praeiudicio possit recusari.

Iam vero non pauci Protestantes abhorrent ab hac expressione: « B. V. Dei Genitrix », sicut olim Photinus et Nestorius. Ratione tamen diversa. Photinus hunc titulum recusabat, quia negabat unionem hypostaticam ab initio; Nestorius, quia tenebat in Christo duplicem personam; Protestantes autem, nescio quo instinctu aversionis ab omni laude Beatissimae Virginis. Inanitas autem scrupuli vere Pharisaici, ac si haec praedicatio idololatriam involveret, hic ostendenda est, necnon vitium duplicis haereseos Photinianae et Nestorianae [2]. Breviter argumentum conficiemus, quippe quod in primo volumine huius tractatus, varia oblata opportunitate, iam non semel tetigimus.

2) Redeamus ad triplicem formulam: « Maria Mater *Christi*, « Mater *Verbi*, Mater *Dei* ». Veritatem primae formulae vidimus, *a*) quia Beata Virgo ratione termini egit ea quae matris sunt; *b*) quia nativitas dicitur de subiecto. Est proin vera *mater*, et mater illius Filii, qui est Christus.

Iam vero mater *Christi* erit mater *Verbi*, si *a*) natura humana Christi fuit ab initio unita Verbo, et quidem *b*) tam arcta unione, ut Christus et Verbum non sint nisi unum ac idem subiectum, id est una hypostasis vel persona. Atqui

[1] Lege de hoc argumento praeter Patrum tractatus (Cf. indicem. MIGNE) magnosque Scholasticos, B. CANISIUM (op. cit., l. III); PETAVIUM (op. cit., l. V, c. 15, sqq. etc.); SUAREZ (op. cit., disp. I, 12); BOSSUET *(Sermons sur la S. V.)*; PETITALOT *(La Vierge Mère d'après la théologie)*; MELIA *(Mary the object of veneration, confidence and imitation to all Christians* c. 8); Card. FRANZELIN (op. cit., th. XXXIX); STENTRUP (op. cit., th. XLII); SCHEEBEN (op. cit., § 276); HEINRICH-GUTBERLET (op. cit., § 372). MORGOTT (*Mariologie* I, B.); SCHWETZ (op. cit., § 60); PAQUET (op. cit., Q. IV, 3); LÉPICIER (op. cit., P. I, c. 2, sq.); TANQUEREY (op. cit., *De Verb. incarn. et Redempt.* c. 4); HURTER (op. cit., Tract. VII, th. 160); BILLOT (op. cit., th. XLIV); KATSCHTHALER (op. cit., II, p. 92 sq.); CHR. PESCH (op. cit., pr. XLVII); EINIG (op. cit., th. XIII); TERRIEN (op. cit., t. I, l. I et II) etc., etc..

[2] Idem dic de Adoptianis, imo de multis Monophysitis.

utrumque supra probavimus: *b*) in Quaest. II directe contra Nestorium; *a*) in Quaest. IV: art. 2 et 3 directe contra Photinum; necnon in art. 3, Quaest. XXXIII. Ergo B. Virgo est mater *Verbi.*

3) Porro si est mater *Verbi,* est mater *Dei.* Verbum enim est *Deus.* Nam vox *Deus* in concreto supponit pro quavis persona divina. Neque licet pergere in deductione hoc modo: B. Virgo est mater Dei, atqui Deus est Pater, ergo B. V. est mater Patris. Nam vox *Deus* supponit prima vice pro Verbo, et altera vice pro Patre; ac proin offenditur lex fundamentalis, nimirum identitas suppositi vel subiecti, propter quam a titulo Matris Christi licet concludere ad titulum Matris Dei.

4) Vides proin quam centralis sit ac profunde dogmatica appellatio θεοτόκος in qua tota veluti in nucleo controversia Nestoriana olim contrahebatur [1]. Continet enim *a*) professionem humanae naturae Christi: secus enim quaenam maternitas Mariae competere posset? - *b*) professionem divinae naturae Christi: secus enim quo iure filius Mariae posset dici Deus? - *c*) professionem unionis hypostaticae utriusque naturae in unitate personae: secus enim quomodo ille idem Filius posset esse filius Patris et filius mulieris? - *d*) professionem huius unionis ab initio ipsius conceptionis: secus qui posset revera mater huius hominis praedicari mater Dei.

Rectissime proin ait S. Ioannes Damascenus: « Hoc nomen « totum Incarnationis commendat mysterium. Nam si Dei « Genitrix est ea, quae genuit, prorsus Deus est, quem illa « genuit. Sed idem homo est omnino. Qui enim ex muliere « generetur Deus, qui ante saecula exstitit, nisi homo fiat? « Siquidem filius hominis utique est homo. Quod si idem ex « muliere natus, Deus est: unus erit nimirum, ex Deo Patre « genitus secundum divinam absque initio carentem substan- « tiam, quae initium habuit et est subiecta tempori, vide- « licet humana. Hoc autem unam hypostasim et naturas « duas totidemque generationes exprimit Domini nostri Iesu « Christi » [2].

Convellit igitur vox θεοτόκος simul Ebionitas, Nestorium,

[1] Cf. dicta t. IV, pp. 94, 96, 170, sq.

[2] *De fid. orth.* l. III, c. 12. - P. C. XCIV, 1029, 19.

Eutycheten [1], et Photinum. Unde pressius ait Ephraemius Antiochenus Patriarcha: « Ad certam catholicae pietatis « suae faciendam fidem sufficere, Dei Genitricem sentire esse « profiterique sanctissimam Virginem ». Unde ipse Nestorius in hanc maxime appellationem invehebat. « Primum inno- « vandi conatum in hoc adhibuit, ut assereret B. Virginem, « quae Dei Verbum carnem assumens in se genuit, non esse « Dei Genitricem confitendam, sed solum Christi Genitri- « cem » [2]. Ita de haeresiarcha Theodoretus. Praecursor Nestorii in hoc odio exstitit Iulianus Apostata [3].

5) Monet autem recte Petavius [4] non idem omnino sonare θεοτόκον Graecorum et *Deiparam* Latinorum, quatenus τὸ τίκτειν dicit *gignere; parere* autem potius dicit genitum fructum in lucem edere. Unde et τίκτειν de patre quoque dici potest [5]. Ad plenitudinem igitur significationis utramque obtinendam, oportet θεοτόκον intelligere in sensu qui editionem complectitur, et Deiparam in sensu qui τό gignere involvit.

6) Vis autem huius locutionis non est in qualicumque significatione, sed in significatione omnino pressa. Quum enim haeretici per auctoritatum catervam nimis se premi sentirent, vocem θεοτόκος fraudulenter admittere coeperunt sed in sensu improprio ac proin spurio.

Ita apud Maxentium Nestorianus fatetur: « Quamvis θεο- « τόκον beatam Virginem confiteri, nec ego refugiam: non « tamen quod Deum, sed quia hominem genuerit Deo uni- « tum, idcirco eam confiteor θεοτόκον ». Quam concessionem uti absonam depellit Catholicus [6].

Et Vincentius Lirinensis Photinianam interpretationem ita recusat: « Est singulari quodam Domini ac Dei nostri,

[1] Etenim, uti diserte inter alios affirmant Fulgentius * et Gennadius **, Eutyches non admittebat carnem Christi natam de Virgine ***.

[2] *De haeret. fab.* l. IV, c. 12.

[3] Cf. S. CYRILLUM ALEX. (*Ctr. Iul.* l. 8).

[4] Op. cit., l. V, c. 15, n. 1, sqq.

[5] Per se igitur plus dicit θεοτόκος quam Deipara; unde Eutychianus Mariam Deiparam facilius concederet, quam θεοτόκον.

[6] Dialog. I.

* Resp. 4 ad Ferrand. diac.

** *De dogm.* c. 2.

*** Cf. PETAVIUM (Op. cit., l. I, c. 14, n. 3).

« Filii autem sui munere verissime ac beatissime θεοτόκος
« confitenda. Sed non eo modo θεοτόκος, quo impia quaedam
« haeresis suspicatur, quae adserit eam Dei matrem sola ap-
« pellatione dicendam, quod eum scilicet pepererit hominem,
« qui postea factus est Deus: sicut dicimus presbyteri ma-
« trem, aut episcopi matrem, non iam presbyterum aut epi-
« scopum pariendo, sed eum generando hominem qui postea
« presbyter vel episcopus factus est » [1].

Ad Textum. - *1. Obi.* Procedit ac si contra Scripturam esset quidquid non materialiter eisdem verbis in ea continetur, quod falsum est. Imo retorquetur argumentum: Contra Scripturam est quidquid offendit principia in ea exposita. Atqui negare B. Virginem esse matrem Christi, est vel negare eam esse matrem Iesu, vel negare Iesum esse Deum, quod utrumque expresse in Scriptura continetur. Ergo.

2. Obi. Confundit in nativitate terminum et subiectum. B. Virgo dicitur Mater Dei non ratione termini sed subiecti; dicitur autem mater Christi [2] ratione utriusque. Neque in hoc inconveniens est, sicuti apparet in locutionibus: « Christus « passus est », quod est verum de natura et de subiecto; et « Verbum passum est » vel « Deus passus est », quod est verum tantum de subiecto. Unitas subiecti sufficit ut mutatio veritatem servet [3].

3. Obi. Procedit ac si in utraque parte huius syllogismi *Deus* supponeret pro eodem subiecto habente divinitatem; quod aperte falsum est.

Sed contra est. De haeresibus quae praesentem doctrinam impugnant, abunde supra diximus, ubi errores Ibae, Theodori, Theodoti, Nestorii, etc., dicentium: Mariam non esse Dei genitricem nec dicendam vere matrem, depulimus, utpote dogmati Incarnationis oppositos, ac iure ab Ecclesia damnatos [4].

Et sane B. Virginem esse vere Genitricem Dei, probatur abunde 1) ex Scripturis, 2) ex Ecclesiae declarationibus,

[1] *Commonitorium Primum,* n. 15. — *P. L.* L, 658. — Cf. PETAV., loc. cit., n. 5.
[2] Sumendo vocem *Christus* in sensu presso *Iesu* filii hominis.
[3] Cf. Quaest. XVI, art. 1.
[4] Cf. Indicem alphabeticum voluminis praecedentis.

3) ex Liturgia, 4) ex Patribus, 5) ex arte sacra. De quibus singulis breviter.

1) Ex *Scripturis* B. Virgo probatur θεοτόκος directe et indirecte. *a*) *Directe* per verba Elisabeth: « Et unde hoc mihi, « ut veniat *mater Domini mei* ad me? » [1]. Iam vero Mater Domini, idem est ac Mater Dei; nam Elisabet per *Dominum* nihil aliud intendit quam *Deum* [2]. - *b*) *Indirecte* demonstratur per omnia elementa quibus constituitur veritas huius praedicationis; quae sunt: vera maternitas B. Mariae; vera divinitas Christi; unio hypostatica ab ipso exordio conceptionis Christi. Imo per omnia loca in quibus Maria vocatur Mater Iesu.

Veluti media inter directum et indirectum argumentum dicenda est prophetia Isaiae: « Ecce Virgo concipiet, etc. ». - Nam, si filius Virginis pariturae est *Emmanuel,* - non in illo Nestoriano sensu vocis, sed in sensu catholico, - Virgo haec est Mater Dei incarnati. - Pariter argumentum efficacissimum deduci potest ex verbis Gabrielis Archangeli. Etenim si quod de Virgine nascetur Sanctum « vocabitur *Filius Dei* », Maria iure et ipsa vocabitur Mater huius Filii Dei, ac proin Dei Genitrix. - Adde locum S. Pauli: « Ex quibus est Christus « secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus « in saecula » [3]. Ergo Christus Deus est ex Maria; ergo Maria est Mater Dei.

2) Ex *Ecclesiae auctoritate* idem titulus multifariam demonstratur legitimus. Praeter documenta iam superius allata [4], Concilium Constantinop. II: « Si quis abusive et non « vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Vir- « ginem Mariam; aut per relationem, tanquam homine puro « nato, non autem Deo Verbo ex ea incarnato; sed relata, « secundum illos hominis nativitate in Deum Verbum tam-

[1] Luc. I, 43.

[2] Inde tanta vis dogmatica huic exclamationi accedit, ut sufficiat plane ad rationem exhibendam cur S. Lucas Elisabeth afflante Spiritu Sancto locutam esse dixerit. Cf. dicta superius ubi de hymno *Magnificat.*

[3] Rom. IX, 5.

[4] Cfr. can. 1 Conc. Ephesini; sententia Hormisdae et Ioannis II; can. 6 Conc. Constantinop. II; can. 3, Conc. Lateran., sub Martino I; definitio Conc. Constantinopol. III; professio fidei pro Orient. Urbani VIII; Constit. « *Cum quorumdam* » Pauli IV contra Socinianos. (Denzinger, op. cit., nn. 73, 143, 204, 237, 873, 880).

« quam cohaerens nascenti homini; et criminatur sanctam « Chalcedonensem Synodum, tanquam secundum eumdem im- « pium intellectum a Theodoro commentatum Dei genitricem « Virginem asserentem; aut si quis hominis genitricem vocat « eam, aut Christi genitricem [1], utpote Christo non existente « Deo; et non specialiter et secundum veritatem Dei geni- « tricem eamdem confitetur, ob id quod ante saecula a Pa- « tre genitus Deus Verbum, in ultimis diebus ex ea incar- « natus et natus est, atque ita pie sanctam Chalcedonensem « Synodum Dei genitricem eam confiteri: talis anathema sit » [2]. Qua in declaratione adverte, Concilium legitimitatem huius tituli Θεοτόκου probare *directe* ex identitate subiecti Verbi et Christi; *indirecte* ex duplici errore ex hac negatione sequente. - Idem declaratur in epistola S. Cyrilli ad Nestorium, a Conciliis Ephesino et Chalcedonensi recepta. Quae ita incipit: « Ait magna et sancta Synodus: Sancti Patres non dubi- « taverunt S. Virginem dicere θεοτόκον: non quia Verbi natura « Deitasque in sancta Virgine sumpsit exordium; sed quod ex « ea natum sit illud corpus animatum anima rationali, cui « substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum « esse dicitur ». Quot veritates in hac pulcherrima sententia contractae eluceant, satis apparet [3].

3) Porro *Patrum* testimonia de hac quaestione colligere, res esset immensae molis. Pauca proin e testibus utriusque Ecclesiae sufficiant, et quidem tales textus, quibus titulus Deiparae non solum affirmatur, sed illustratur disertius, atque contra obiectiones adversariorum vindicatur. Dogmaticum fundamentum egregie evolvit e Latinis breviter S. Fulgentius: « Ita Deum Verbum, secundum quod caro « factum est, Virgo sancta concepit, angelorum hominum- « que Factorem, eumdemque nihilominus Virgo peperit ho- « minum Redemptorem. Neque enim sancta Virgo Maria « Deum sine carnis assumptione, aut carnem sine Dei unitione

[1] Appellationes ἀνθρωποτόκος et χριστοτόκος a Nestorianis commendabantur. Quas utique appellationes fides catholica recipit, sed non in sensu quo excludatur θεοτόκος. Cf. de his appellationibus Petavium (op. cit., hoc. loc., c. 18).

[2] Denzinger (op. cit., n. 177).

[3] Putamus per eam egregie confirmari, quam superius tum de formali unionis hypostaticae in Christo, tum de ordine Incarnationis Angelico duce sententiam exposuimus.

« concepit; quia ille conceptus Virginis Deo fuit carnique « communis » [1].

E Graecis S. Ioannes Damascenus: « Dei Genitricem pro- « prie vereque sanctam Virginem praedicamus. Ut enim Deus « verus est, qui ex illa genitus est, ita vere est Dei Genitrix, « quae verum Deum ex se ipsa incarnatum genuit..... Non « enim merum genuit hominem Virgo sancta, sed Deum « verum; nec ipsum nudum, sed carne vestitum, qui non « e caelo corpus detulit, ac per illam, velut per canalem, « transiit [2], sed ex ipsa consubstantialem nobis carnem as- « sumpsit et in se ipso fecit subsistere. Nam si corpus e « caelo attulit idque non ex natura nostrae simili sumptum « est, quae utilitas fuit hominis suscepti? Siquidem inhuma- « natio Dei Verbi propterea facta est, ut eadem, quae pec- « caverat et ceciderat et corrupta erat, natura tyrannum « sibi occurrentem vinceret atque hoc modo a corruptela « liberaretur » [3].

Quod si quis vellet Nestorii quidem errorem abiicere quin tamen appellationem Deiparae admittat uti Eutychianam, audiat quomodo Facundus Herminianensis hanc contradictionem impugnet: « Hoc enim, subdit, et ad credendum difficile, « et dignum controversia videbatur, utrum Deum illa Virgo « genuerit,... quidquid est ille, quem genuit, nulli dignum « disceptationis apparet. Qui ergo concedunt, quia Deum « Virgo genuit, quod incapabile est, et unius singulariter « matris, cur eam negant vere et proprie genuisse, quod « commune omnibus matribus, et nullius dignum est quae- « stionis? Et audent insuper hoc, quod dicimus beatam Ma- « riam vere et proprie Matrem Dei, Eutychiano dogmati « deputare, non intelligentes neque quae loquuntur, sicut « dicit Apostolus I. Tim. I, 7, neque de quibus affirmant; « quum sancta Chalcedonensis Synodus, a qua ipse damna- « tus est Eutyches, sicut memoravimus, dicat: Quomodo Dei « Genitrix sit Virgo vocitata propter eum, qui virginitatem « eius dignatus est etiam sacrare post partum, vulvamque

[1] Epistola XVII, n. 12. — *P. L.* LXV, 458 A B.
[2] Cf. t. IV, p. 6, sq.
[3] *De Fide Orth.*, l. III, c. 12. — *P. G.* XCIV, 1028, sq.

« ut decebat Deum, integritate signare, quomodo secundum « veritatem Mater dicta sit propter carnem, quam ex se « omnium Domino ministravit. Quum igitur, ut isti Patres « docuerunt, propterea secundum veritatem Mater dicta sit, « quia carnem ex se omnium Domino ministravit, quod Eu- « tyches negat, quomodo putatur Eutychiano dogmati depu- « tandum, cui magis invenitur esse contrarium? Non enim « potest beatam Virginem vere et proprie dicere Matrem « Dei, sed nuncupative potius ac perfunctorie, quam non « credit carnem ex se omnium Domino ministrasse. Non « ergo Nestorianam tantum, verum etiam Eutychianam hae- « resim destruit ista confessio, qua dicitur beata Maria vere « et proprie Mater Dei » [1].

Porro difficultatem a Nestorianis moveri solitam [2], quasi B. Virgo Deipara vocari non posset, quia Filio suo divinam naturam non contulit, disertissime depellit S. Cyrillus. Cuius expositio tam lucida est, ut integrum textum, etsi longiorem, afferre non taedeat: « Sed percunctaberis hic forsan: Num- « quid, dic age, divinitatis Mater Virgo exstitit? - Ad hoc « dicimus, vivum illud et subsistens Dei Verbum vere citra « ullam controversiam ex ipsa Dei et Patris essentia genitum « esse, substantiamque temporis initio carentem sortitum ad « hoc dicimus, ut in ipso et cum ipso nunquam non sit esse- « que intelligatur; verum novissimis aevi huius temporibus « incarnatum, hoc est, corpori anima intelligenti informato « unitum secundum carnem quoque ex muliere natum esse. « Habet autem hoc incarnati Verbi mysterium quandam cum « humano partu cognationem. Quandoquidem terrenorum « hominum matres naturae ad generandum subservientes, in « utero quidem carnem gestant, quae sensim per temporum « intervalla concrescens, arcanisque quibusdam Conditoris « operationibus, incrementa paullatim sumens, ad perfectio- « nem adducta formam tandem attingit humanam. Deus « vero corpusculo, modo quem ipse novit, spiritum infundit... « Iam alia est carnis, alia animae ratio. Atqui, licet illae « terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram

[1] *Pro defens. trium capit.*, cap. 4. — *P. L.* LXVII, 541.

[2] Alias difficultates a Patribus solutas lege v. gr. apud STENTRUP (op. cit., th. XLII).

« tamen partem, sed totum, quod ex anima et corpore con-
« flatur, parere dicuntur. Nemo enim, exempli gratia, Elisa-
« beth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse
« dixerit; siquidem peperit Baptistam animatum et hominem,
« ut unum ex duobus, carne inquam et anima. Ita et in Em-
« manuelis quoque ortu accidisse cogitemus [1]. Nam ex Dei
« Patris substantia natum est, ut dixi, unigenitum illius Ver-
« bum. Hoc autem posteaquam carne, quam propriam sibi
« fecit, assumpta nostram naturam induit et Filius hominis
« factum est, citra omnem absurditatem, imo vero necessa-
« ria convenientique ratione secundum carnem ex muliere
« natum creditur et praedicatur; quemadmodum et ipsa quo-
« que hominis anima, licet natura a corpore, quod informat,
« diversa intelligatur et sit sua propria ratione, una tamen
« cum suo corpore oritur et velut unum quidpiam cum ipso
« censetur » [2].

Quodsi quaeras ubinam vox θεοτόκος sive Deipara primo occurrat, - licet Ephraemius Patriarcha Antiochenus affirmarit [3], apud S. Leonem Magnum [4] hunc titulum primo diserte reperiri, - dicendum est, hanc appellationem esse longe antiquiorem. Etenim omnes e Nestoriano tempore scriptores diserte atque constanter affirmant, hoc nomen esse « a permultis « Patribus compositum, scriptum et pronuntiatum » [5]; « anti-
« quissimos scilicet catholicae fidei praecones ex Apostolica
« traditione docuisse, matrem Domini nominandam creden-
« damque esse Dei Genitricem » [6]; hanc « vocem anterioris
« aetatis Patribus, qui rectae fidei nomine celebrantur, usi-
« tatam fuisse » [7]. Et sane quotiescumque praecedentes Patres praedicabant veram divinitatem Christi, cuius Mariam matrem profitebantur, Virginem salutabant Deiparam. Lege plura huiusmodi testimonia apud Petavium [8].

[1] Nemo non videt, hoc exemplum adductum peccare non quidem per excessum, sed per defectum, praesertim in sententia antiquorum de tempore infusionis animae.

[2] Epist. *ad monach. Ægypt.* — *P. G.* LXXVII, 21.

[3] Ap. Photium, cod. 228, p. 464. — Cf. PETAV. loc. cit., n. 6.

[4] Epist. *ad Leonem Imper.*

[5] Ita IOANNES ANTIOCHENUS epist. *ad Nestor.*

[6] THEODORETUS, *Libellus contra Nestorium.* — *P. G.* LXXXIII, 1156.

[7] Ita CYRILLUS, l. *de Rect. Fide ad Reginas*, n. 9 — *P. G.* LXXVI, 1209.

[8] Loc. cit., n. 5 sqq.

Ita S. Ignatius scribit: « Deus parturiebatur a Maria » [1]. Hippolytus: « Verbum e caelis descendit in S. Virginem « Mariam, ut ex ea incarnatum.... salvaret Adam qui cecide- « rat » [2]. Imo iam a III saec. nomen θεοτόκος expresse occurrit: « Quoniam tu dicis hominem eximium [3] Christum, et « non verum Deum... incarnatum e Sancta Virgine et Dei « Genitrice Maria ». Ita S. Dionysius Alex. ad Paulum Samosatenum. Presse pariter S. Athanasius declarat « propter nos « assumpta carne de Virgine Dei Genitrice Maria hominem « esse factum » [4].

Caeterum quantopere nomen θεοτόκος ab antiquo receptum fuerit atque vulgatum, docet historia Nestorianismi. Cur in populo Constantinopolitano tanta commotio exorta est, Anastasio primum in publica concione titulum Matris Dei impugnante, nisi quia nihil sacratius auribus piis sonabat? Inde Proclus in homilia vindice, quam mox ad eumdem populum habuit, ab ipso orationis exordio, plaudente corona, Deiparam salutavit [5]. Nec si antiquus fuisset hic titulus, Patres Ephesini potuissent anathematizare haeresim nascentem in ecclesia Dei Genitrici dicata: ἥτις καλεῖται Μαρία Θεοτόκος [6].

Caeterum tam patens erat usus huius tituli, ut Nestorius eum non negaverit; sed, vir astutus, nomen ad sensum remissiorem trahere conatus est, quia, uti insinuabat, Patres aliis controversiis detenti, populum de vera significatione huius tituli nondum edocere potuerant [7].

Et haec de Patrum traditione satis.

4) *Liturgia* istam Patrum doctrinam tam abunde corroborat, ut huic argumento insistere, vix operae pretium sit [8]. Quid aliud canit illud Sedulii: « Salve sancta Parens » nisi, sub poëtica formula titulum Genitricis Dei? Quo tendit

[1] Ad Smyrn.

[2] *Ctr. Noët* n. 17. — *P. G.* x, 825, sq. — Cf. S. Irenaeum (*Adv. Haer.* l. iii, c. 21).

[3] Vides, non a Rénan invectas esse blasphemias sub specie laudis.

[4] *Ctr. Arian.* orat. 4.

[5] *P. G.* lxv, 680, sqq.

[6] S. Cyrill. Alex. ep. 24. — *P. G.* lxxvii, 137.

[7] Serm. 2, ab initio. — *P. G.* xlviii. De historia Nestorianismi lege praefationem P. Garnier in 2. partem opp. Marii Mercatoris (Ibidem).

[8] Sane quotiescumque Liturgia, sive in Symbolo, sive in Hymnis celebrat eumdem de Patre ab aeterno et de Virgine in tempore natum, toties Mariam praedicat Matrem eiusdem, id est Dei.

doxologia illa « Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine », nisi ut Filium Mariae Trinitati adnumeret, ac per consequens B. Virginem colat Matrem Verbi? Idem directe proclamat Praefatio Missae de Beata: « Quae et Unigenitum tuum Sancti « Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria per- « manente, lumen aeternum mundo effudit, Iesum Christum « Dominum nostrum ». Quae verba rursus titulum θεοτόκος sub formula latiori praedicant. Inde in Hymnis, in Antiphonis et in Orationibus Beatae Virginis titulus Deiparae multifariam celebratur [1]. Inde intonatio; « Ave maris stella, Dei « Mater alma »; tritus versus: « Ora pro nobis, sancta Dei « Genitrix »; invocationes Salutationis Angelicae: « Sancta « Maria, Mater Dei, ora pro nobis » [2], necnon Litaniarum: « Sancta Dei Genitrix, Mater divinae gratiae ». Imo profundiorem excellentiam divinae maternitatis excolit antiphona « O admirabile commercium » sicuti in proxima dissertatione fusius exponemus.

Porro in hac laude Deiparae consonare Liturgias Orientales, - si Nestorianas, ac partim Eutychianas demis, - res est nota nimis, ut demonstratione indigeat.

5) *Ars christiana* ab antiquo consonat. Ita, ut paucis exemplis argumentum contraham, in catacumbis vulgo dictis *della Stella* in pago Albanensi reperitur imago B. Virginis insignita inscriptione MITER TEV. In catacumbis S. Valentini cernitur imago decorata litteris SCA DIGENETRIX. Frequentissima est similis inscriptio imaginibus antiquis superposita. Nec imagines tantum, sed et numismata Byzantina ferre solebant figuram Orantis cum Puerulo divino, una cum inscriptione M-P Θ Y [3].

Vides ex dictis hucusque, quam profunda sit antiquisque documentis consona appellatio illa qua Dante Aligherius celebrem suam ad B. Virginem invocationem exorditur: « *Vergine Madre, figlia del tuo Figlio* » [4]. Et haec, licet bre-

[1] Cf. « Mater misericordiae », « tu quae genuisti tuum sanctum Genitorem »... « salve radix, salve porta ex qua mundo Lux est orta », etc., etc.

[2] Notum est, hanc partem Salutationis Angelicae esse recentius inductam.

[3] Cf. SABATIER, *Description générale des monnaies byzantines*, t. II, pl. 51, 27, etc. — Cf. LIELL, op. cit., p. 171, 339, 336, aliaque archeologica opera passim.

[4] *Parad.*, cant. 33, v. 1. — Cf. illud Adami Victorini: « *O Maria, Redemptoris — Creatura, Creatoris — Genitrix magnifica* ». (Rhythm in *Assumpt. B. M. V.*).

viora, satis sint. Qui plura quaerit, adeat imprimis Petavium [1], et e recentissimis Cl. Terrien [2].

Accipe huius argumenti schema:

Titulus *Matris Dei* legitimus probatur:	1) *Directe:*	est consequens *identitatis suppositi* Christi et Dei concrete sumpti;	
	2) *Indirecte:*	qui negat hunc titulum, cadit in errorem	*a*) vel *Photini*, differentis assumptionem; *b*) vel *Nestorii*, negantis unitatem hypostaticam [3].

Quaeres. - Potestne B. Virgo, quemadmodum Genitrix Dei, ita vocari *Genitrix Deitatis?*

Resp. Hoc quidem opponebant Nestoriani, ut vocem θεοτόκον depellerent. « Si Deum natura genuit beata Virgo « Maria, iam non carnis, sed divinitatis est Genitrix ». Ita Nestorianum obiicientem inducit Maxentius. Ad quae optime reponit Catholicus: « Non est divinitatis Genitrix, quia non « divinitatem Dei Verbi, sed Deum Verbum ex se hominem « factum genuit » [4]. Et sane si haec Nestorianorum argumentatio valeret, non posset Verbum incarnari, quin simul incarnarentur simul Pater et Spiritus Sanctus. Nam si deitatem ut talem genuit Maria, quia genuit Verbum carne indutum, genuit quoque deitatem Patris et Spiritus Sancti, quippe qui non minus idem sunt cum deitate, quam Verbum. Est scilicet haec argumentatio confusio pessima inter ea quae in SS. Trinitate sunt relativa et absoluta.

Quare sicuti pressiori sermone theologico dici non potest divinitatem genuisse Verbum; a fortiori dici nequit in rigore sermonis Maria Genitrix deitatis; nisi cum aliquo addito, quemadmodum Ferrandus ait: « Ita proprie sicut veraciter « Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam » [5]. Etenim *divinitas Filii* hic sumitur pro Deo Filio. Cautior tamen scribit Anonymus quidam apud Euthymium. « Deum inhuma- « natum et Deum carne passum dicimus: divinitatem vero

[1] Op. cit., l. v, c. 15, 16, sqq.

[2] Op. cit., loc. cit.

[3] Adde vel Eutychetis impugnantis ipsam Mariae maternitatem non quidem in partu, sed in conceptione.

[4] Op. cit.

[5] Epist. *Ad Anat.*, n. 17. — *P. L.* LXVII, 906.

« inhumanatam, aut carne passam non dicimus, si proprie « loquimur, quandoquidem Virgo Deum quidem genuit, divi- « nitatem vero non genuit; sed divinitatis hypostasim unam « incarnatam, quae est Filius.... Etenim gigni naturae non « est sed hypostasis. Si enim naturae esset, non in eadem « natura ambo illa spectarentur, genitum et ingenitum ».

Corollarium. Ex dictis apparet inanitas calumniae Nestorianae, ac si dicere B. Virginem Genitricem Dei, esset dicere Verbum initium habere a Maria. Optime Theodotus Ancyranus: « Non quod Verbum initium existendi ex partu cepe- « rit; sed quod eius, quod homo est, initium ex illo eôdem « habuerit partu. Erat enim iam ante saecula Deus Verbum « Patri suo coaeternum: postquam autem homo fieri propter « homines voluit, non mutatione divinae naturae, sed mira- « culo et voluntate Dei, tanquam initium sese hominis faciendi, « partum elegit » [1].

Hoc sensu, quatenus ipsa caro Christi est veluti complasmata Verbo Dei, explicari possunt verba S. Hilarii: « Non « enim ex se corpori Maria originem dedit: licet ad incre- « menta partumque corporis omne quod sexus sui naturale « est, contulerit. Quod vero hominis filius est, susceptae in « Virgine carnis est partus ». De quibus verbis, olim Athanasio tributis, celeberrima exstitit controversia inter Philippum, Abbatem Bonae Spei, et Ioannem Praepositum; isto textum ut haereticum depellente, illo eumdem minus ad rem explicante, litem tandem Hunaldo arbitro aequius componente. Et sane, praeter rationem originis plenae quatenus in Verbum redundat, si vis magis ponitur in verbis non *ex se*, potest, - salva vera maternitate Mariae, quae utique concepit de sua substantia, - haec sententia explicari recurrendo ad virtutem supernam quae in hac miraculosa conceptione illud supplevit ipsum a quo naturalis conceptio initium ducit.

[1] Homil. *de Nativ. Dom.* in Ephes. syn. lecta, n. 2. — *P. G.* LXXVII, 1349.

APPENDIX.

Dissertatio de excellentia divinae maternitatis [1].

Quam pluries veluti per transennam commendavimus, divinae maternitatis excellentia hoc loco parum sedulius evolvenda est. Sublime sane disserendi argumentum, quod devotis S. Bernardi verbis inducere lubet.

« Gloriosa dicta sunt de te, Dei Genitrix. Sed adhuc « locus est tuae laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis « lingua balbutit. Non enim sunt loquelae, neque sermones « in omni natione quae sub caelo est, quibus amplitudo glo- « riae tuae ad plenum valeat explicari. O magna, o pia, o « multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, « quin accendas: nec cogitari quin recrees affectus diligen- « tium te: tu numquam sine dulcedine divinitus tibi insita « piae memoriae portas ingrederis. Et nunc sequimur te, o « Domina, ex totis praecordiis vociferantes ad te: adiuva « imbecillitatem nostram, aufer opprobium nostrum » [2].

Iam vero excellentia divinae maternitatis est tanta, ut sit veluti centrum ac medulla in qua tota Mariae sublimitas consistat. Bene P. Terrien, qui e recentissimis scriptoribus disertius hoc argumentum pertractat: « Quand on pense « à Marie, quand on parle de Marie, jamais on ne doit la « séparer de son Fils, le Dieu fait homme pour nous. A quel- « que point de la durée qu'elle se montre, dans le temps et « dans l'éternité, elle est, ou par destination ou de fait, ce « grand prodige de l'Apocalypse, " la femme revêtue du so- « leil " [3], c'est à dire de Celui qui est l'ineffable splendeur « du Père. Voilà pourquoi nous ne pouvons la considérer « ni comme Vierge, ni même comme Sainte, sans voir plus « ou moins explicitement en elle, la Mère et la Mère de « Dieu, car sa maternité l'enserre tout entière et donne le

[1] Praeter auctores superius allatos, cf. Litteras encyclicas SS. D. N. Leonis XIII de SS. Rosario, et pulcherrimum opusculum S. Alphonsi: *Le glorie di Maria.*

[2] Sermo panegyr. n. 6. — *P. L.* CLXXXIV, 1013, sq. Similia reperies apud S. Epiphanium (hom. 5 *in laudes B. M. V.* — *P. G.* XLIII, 488), apud S. Ioannem Damascenum (hom. 1 *in Dormit. Deip. V. M.* n. 1, 2. — *P. G.* XCVI, 700, sq.).

[3] APOC. XII, 1.

« dernier mot de tout, même de son existence. Dieu ne l'a pas « autrement faite; il ne l'a pas autrement pensée » [1].

Sit igitur ordo huius dissertatiunculae ostendere magnitudinem divinae maternitatis: I) ex modo quo Maria ad eam est a Deo praeparata; II) ex analysi huius privilegii in seipso; III) ex consequentibus. Breviter quidem haec singula perpendemus.

I) Protestantes solent abuti narratione evangelica, quasi ex ea sequatur ipsum Christum dignitatem suae Matris non agnovisse. Id enim, sed perperam, deducere conantur ex modo quo Iesus respondit exclamationi mulieris de turba; « Beatus « venter qui te portavit, et ubera quae suxisti » [2]; nec non nuntio sibi facto de adventu matris ac fratrum. [3] Imo id insinuari putant ex verbis Christi: « Caro non prodest quid- « quam » [4]. Unde ita arguunt. Carnem Verbo incarnato ministrare, est aliquid physicum; ergo hoc non involvit tam eximiam dignitatem. Inde Christus ipse ab hac nimis carnali aestimatione turbas avertit, ut ad gratiae, i. e. ad ordinis spiritualis dona mentes attolleret. Porro, aiunt, vitium Ecclesiae catholicae est, sensibilia nimis urgere; meritum Evangelii puri, spiritum unice excolere. Depressio ergo cultus nimis sensibilis qui a catholicis Christi Matri tribuitur, cedit in laudem divinitatis Christi [5].

Utinam in Christi laudem iste error, licet error, cederet! Sed oppositum prorsus accidit. Unde scriptor Anglus, mystico ingenio iure celebratus, P. Faber, dicere potuit, Christum ipsum in umbra latere, ubi claritas eius Matris offuscatur [6].

Vitium istius argumentationis est in non perceptis nexu arctissimo quo Mater cum Filio colligatur, et decentia summa quae exigit ut Proli dignitatis divinae praeparetur Mater a Deo infinitae aliqualiter bonitatis. Bene id exprimit S. Thomas: « B. Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habet quam- « dam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus ».

[1] Op. cit., l. II, c. 2, p. 149. Lege hoc integrum caput; necnon Petavium (op. cit., l. XIV).

[2] Luc. XI, 27.

[3] Luc. VIII, 21.

[4] Ioann. VI, 64.

[5] Veritatem huius asserti contra Pusey ostendit Newman (op. cit.).

[6] I, Q. XXIV, a. 6.

Et B. Albertus Magnus applicans divinae maternitati proverbium de arbore et fructibus, ait: « Filius infinitat matris « bonitatem; infinita bonitas in fructu infinitam quamdam « adhuc ostendit in arbore bonitatem » [1]. Nec aliter S. Bonaventura: « Quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari « potest, sic tantam habuit bonitatis dignitatem, quod nulla « mulier capere potuit. Si enim omnes creaturae quantumque « ascenderent in gradus nobilitatis, essent praesentes, omnes « deberent reverentiam Matri Dei » [2].

Ergo *a priori,* ex lege divinae sapientiae manifestissimum est, B. Virginem debuisse esse Christi matrem non qualemcumque, sed tanta Prole dignam, ergo undequaque dignissimam.

Idem *a posteriori* elucet, si contemplamur quomodo Deus hanc Matrem specialissimis dotibus exornaverit, ut Sponso Regi adstare posset « in vestitu deaurato circumdata varie« tate » [3]. Et sane 1) quo spectat *Immaculata Conceptio,* nisi ut ab ipso primo exordio existentiae Mariae dignitati Deiparae praeludatur [4]? Inde Ecclesia, in die qua hoc insigne privilegium recolit, orat his verbis: « Deus qui per Immacula« tam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum « praeparasti, etc. »; et inter rationes praecipuas quibus solent theologi hoc dogma illustrare, praecipuum locum tenet Sapientia filialis Verbi incarnandi [5]. Imo in primo Scripturae textue quo hoc privilegium eruitur, apparet nobis mulier, una cum suo Filio, Maria per Christum caput serpentis conterens. Porro quo spectaret hoc privilegium a lege universalis contagionis eximens, nisi haec Immaculata esset ad altissimam personalem sanctitatem destinata?

2) In idem redundat *virginea foecunditas* [6], quae licet constet per se in re quadam physica, et producta sit per operationem Spiritus Sancti, est tamen in Maria symbolum altis-

[1] *Mariale* q. 197.

[2] I, Dist. XLIV, expos. text. dub. 3.

[3] Ps. XLIV, 10.

[4] Confer exordium Bullae *Ineffabilis Deus.*

[5] Cf. quae fuse superius diximus, ubi de rationibus Immaculatae Conceptionis disserebamus.

[6] Hanc praerogativam hic consideramus in sua praedestinatione et in suo symbolismo.

simae puritatis. Unde in alma Virgine Patres atque scriptores sacri synthesim omnium virtutum salutant; et Ecclesia titulos multiplicat: « Virgo prudentissima, veneranda, praedicanda, « potens, clemens, fidelis, pia, dulcis » [1].

3) Et revera *plenitudo gratiarum* Mariam adornabat. Inde - quod ad Protestantes confutandos sufficeret - caelestis nuntius Incarnationis, exorditur verbis quae excellentiam spiritualem B. Virginis describunt: « Ave, gratia plena »; significans per hanc brevissimam, sed uberrimam laudem, tam harmoniosam proportionem exstitisse inter sanctitatem Virginis et dignitatem cui destinabatur, ut, nisi haec esset super omne meritum stricte dictum, Maria per ipsam virtutum suarum fragantiam Filium Dei in se attraxisset. Pulchre Eadmerus de B. Virgine ait: « Pura sanctitas, et sanc- « tissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturae « puritatem, sive sanctitatem transcendens, incomparabili su- « blimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis di- « gnissime fieret. Unde quid laudis pro tam ineffabili bono « ipse per eam reparatus mundus ei iure debeat, cor ali- « cuius sub mortali carne viventis aestimare nullatenus suf- « ficit » [2].

Hinc tam aperte Ecclesia praedicat in Maria dignitatem, imo meritum ut Christi Mater efficeretur: « Omnipotens sem- « piterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus « et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici merere- « tur, Spiritu Sancto cooperante praeparasti,.. etc. » [3]. « Re- « gina caeli laetare, alleluia, quia quem meruisti portare, « alleluia, resurrexit, etc. ». Vides proin quo sensu et quam profunde S. Augustinus dixerit: « Talis eligitur virgo, de « toto scilicet mundo, quae tantum haberet meritum, ut Dei « Filium in semetipsa susciperet » [4]. Vides quam eloquenter nexum inter dignitatem Virginis Mariae et eius munus exhibuerit Basilius Seleuciensis, Angeli laudem ita commentans: « Ave, inquit, gratia plena, incorruptae castitatis

[1] *Litan. Lauret.*, Antiph. *Salve Regina*. Cf. quae superius diximus ubi de virginea foecunditate B. Mariae.

[2] *De excell. B. V. Mar.*, c. IX. — *P. L.* CLIX, 573, sq.

[3] Orat. antiph. *Salve Regina*.

[4] Serm. 193. *De Annuntiatione Dominica*, n. 2. — *P. L.* XXXIX, 2104.

« paradise, in quo arbor vitae consita, vitae fructus omnibus « germinabit, unde quattuor ora pandens Evangeliorum fons « miserationum flumina credentibus scaturiet. Ave, gratia « plena, mediatrix Deo et hominibus: ut inimicitiae maceria « diruatur, ut caelestibus terrena iungantur » [1].

4) Iam vero haec triplex praeparatio inde suum culmen accepit, quod B. Virgo per suum consensum divinae maternitati modo summe meritorio cooperata est. Inde Elisabeth dixit Mariae: « Beata quae credidisti, perficientur enim in te « quae dicta sunt tibi ». Et Augustinus de Maria: « Prius con- « cepit mente quam corpore » [2]. Praeclare Bossuetius: « Ne « vous persuadez pas qu'elle (cette alliance) unisse seule- « ment Marie au Sauveur par une union corporelle, l'on « pourrait d'abord se l'imaginer, parce qu'elle n'est sa mère « que par la chair » ; (ita Protestantes illi, qui B. Virgini specialissimum cultum denegant;) « mais vous prendrez bientôt « une autre pensée, si vous remarquez, chrétiens, une dif- « férence notable entre Marie et les autres mères. Elle a « donc ceci de particulier, qui la distingue de toutes les « autres, qu'elle a conçu son Fils par l'esprit, avant de le « concevoir dans ses entrailles ». Et mox ex hac spirituali conceptione eloquenter ad gratiae plenitudinem ita concludit: « S'il en est ainsi, ô divine [3] Vierge, je conçois quelque « chose de si grand de vous, que non seulement je ne le « puis dire, mais encore mon esprit travaille à se l'expliquer « à lui-même: car telle est votre union au corps de Jésus, « lorsque vous l'avez conçu dans vos entrailles, qu'on ne « peut s'en imaginer de plus étroite. Que si l'union de l'esprit « n'y répondait pas, l'amour de Jésus serait frustré de ce « qu'il prétend; il souffrirait violence en vous. Il faut donc « pour le contenter, que vous lui soyez unie en esprit, au- « tant que vous le touchez de près par les liens de la na- « ture et du sang. Et puisque cette union se fait pour la « grâce, que peut-on penser, et que peut-on dire? Où doi- « vent s'élever nos conceptions pour ne point faire tort à « votre grandeur? Et quand nous aurions ramassé tout ce

[1] Orat. *in Annunt.* — *P. G.* LXXXV, 444.

[2] Serm. 215, n. 4. — *P. L.* XXXVIII, 1074; cf. S. LEO, *in Nativ. Dom.*, serm. 1, c. 1.

[3] Haec appellatio in sensu latiori frequentissima est in sermone sacro.

« qu'il y a de dons dans les créatures, tout cela réuni ensem-
« ble pourrait-il égaler votre plénitude? » [1].

Hanc spiritualem unionem laudavit Christus quando mulieri Mariam de corporali maternitate divina extollenti, respondit, non contradicendo laudi, sed eam corroborando simul ac illustrando: « Quinimo beati, qui audiunt Verbum « Dei et custodiunt illud ». Quod breviter exponit S. Beda: « Dei Genitrix inde beata, quia Verbi incarnandi ministra « facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia eiusdem « semper amandi custos manebat aeterna » [2]; imo quia perfectissimo amore in sua viscera Verbum materna unione attraxit.

II. Si iam divinam maternitatem in se consideramus, verba ex una parte deficiunt, ex altera redundare videntur. Deficiunt, quum nullus sermo humanus nec angelicus valeat ad dignitatem prope divinam illustrandam; redundant, quia in simplici titulo θεοτόκος totum ita continetur, ut vix aliquid eidem adiici debeat menti cui res divinae parumper sapiunt; nihil possit, menti hoc pio sensu orbatae. Placet hic audire Lutherum, qui de titulo Matris Dei haec ait: « Quare « tam praeclara et ingentia bona ei data sunt, ut supe- « rent captum cuiuscumque; hinc enim omnis honos ac bea- « titudo provenit, ut in universo genere humano unica sit « persona superior cunctis, cui nemo sit par, quod cum « caelesti Patre Filium tantum habeat communem.... Ergo « propterea unico verbo totus eius honos concluditur, si « *Parentis Dei* insigniatur nomenclatura, quandoquidem « nemo maiora vel de illa praedicare vel illi nunciare possit, « etiamsi tot linguas habeat, quot terra flores herbulasque, « caelum stellas, ac mare sustinet arenas » [3].

Et sane quum omnis dignitas creaturae consistat in approximatione ad Creatorem, videamus breviter quam sublimes ex divina maternitate oriantur in Maria relationes ad Deum, scilicet ad SS. Trinitatem: ad Patrem, ad Filium, ad Spiritum Sanctum [4].

[1] Serm. 1, *pour la Nativ. de la S. V.*, p. 2.
[2] In Luc. l. iv, c. 11. — *P. L.* xcii, 480.
[3] *Comment. ad B. M. V. Cant.*, op. ix, 85, ed. 1554.
[4] Haec relatio specialis recoli solet in exordio devotionis quae Rosarium dicitur.

1) Arctissimam relationem Mariae cum **prima persona** SS. Trinitatis Bossuetius his verbis affirmat: « Marie étant la « Mère de notre Sauveur, sa qualité l'élève bien haut auprès « du Père éternel » [1]. Duo autem tituli huic dignitati respondent, sive hanc excellentiam illustrant. Maria est *a*) *generationi Verbi consociata, b*) *Dei filia primogenita.* De utroque titulo nonnulla breviter dicenda sunt.

a) Dogma SS. Trinitatis nos docet, Filium iugiter aeterna, immutabili generatione a Patre gigni, ita ut semper vera sint in sensu plenissimo activo, imo de praesenti, verba Psalmistae: « Filius meus es tu, ego *hodie* genui te ». Porro dogma Incarnationis Verbi nos pariter docet, in Christo non dari duos filios, sicuti duplex est nativitas, sed eumdem unicum Filium esse simul Patris et Mariae, Patris secundum naturam divinam, Mariae secundum naturam humanam. Quare quo tempore Maria Filium concepit, Pater eumdem Filium iugiter generabat. Unde salva utrimque distinctione geminae naturae infinite inconfusae, ob singularitatem personae inter Patrem generantem iuxta divinam naturam et Mariam generantem secundum naturam divinam eumdem unicum Filium, datur quoddam consortium ineffabile quod Mariam evehit ad dignitatem omni laude maiorem. Praeclare rursus Bossuetius, cuius auctoritati hanc gravem doctrinam fulcire lubet: « Dieu par un conseil admirable, ayant « jugé à propos que la Vierge engendrât dans le temps celui « qu'il engendre perpétuellement dans l'éternité, il l'a par ce « moyen associée en quelque façon à sa génération éter- « nelle. C'est l'associer à sa génération que de la faire Mère « d'un même Fils avec lui » [2].

Porro quis non videat, inde pro Maria consequi arctissimum vinculum cum Patre Illius, quem una cum Eo Filium gignit? Unde belle Bossuetius paucis interiectis exclamat: « O prodige, ô abîme de charité, quel esprit ne se perdrait « pas dans la considération de ces complaisances incompré- « hensibles qu'il a eues pour vous, depuis que vous lui tou- « chez de si près, par ce commun Fils, le nœud inviolable « de votre sainte alliance, le gage de ses affections mutuel-

[1] Serm. 2, *pour la Nativ. de la S. V.*, exord.
[2] Ibid.

« les, que vous vous êtes donné amoureusement l'un à « l'autre » [1].

Cave tamen, ne hunc aspectum maternitatis Mariae ultra limites urgeas. Eatenus enim B. Virgo hanc relationem specialissimam ad Patrem habet, quatenus θεοτόκος iure appellatur. Unde sicut titulus θεοτόκος nullomodo exprimit influxum Mariae in generationem naturae divinae, ita quoque hoc veluti connubium Patrem inter et Mariam ratione communis unius eiusdemque Filii, limitatur ad hanc singularem personam et non ingreditur formaliter naturam divinam, quam Verbum habet a Patre et unice a Patre [2]. - De altera cautela adhibenda quoad auctoritatem Patris in Filium natura humana indutum, mox dicemus.

b) Age iam, si penitius hunc aspectum scrutaris, fundamentum in eo invenis singularissimae rationis ob quam B. Virgo a Patribus, maxime Graecis, vocatur *Filia Dei* θεόπαις κατ' ἐξοχήν, filia primogenita, unigenita [3]. Scilicet quia Maria destinabatur ad hoc, ut cum Patre eumdem Filium haberet, debebat modo specialissimo ut ita dicam per gratiam deificari. Et sane si iam inter homines nemo connubio principum dignus censetur, nisi qui sanguine, uti dicunt, nobilitetur, - licet omnes homines eiusdem sint in primo parente sanguinis eiusque antiquissimae nobilitatis, - quanto magis Deus debet ad suam naturam per gratiam evehere creaturam quam praedestinat ad divinam maternitatem. Quare si per hypothesim opus Christi non eo tenderet ut omnes homines in adoptionem filialem redintegrarentur, Maria ob praecelsum divinae maternitatis munus haberet, unde sola cum Filio per gratiam supernaturalem consors redderetur naturae divinae. Est proin *primogenita*, quia post Christum prima venit ordine in hac generatione gratiae; est *unigenita*, quia hanc gratiam possidet titulo singulari; est παναγία, quia a primo instanti suae existentiae, sicuti habebat hanc praedestinationem, ita habuit hanc gratiam. Vides proin rursus, quam arcto nexu Immaculata Conceptio et

[1] Serm. 2, *pour le Vendr. de la Sem. de la Pass. sur la compass. de la S. V.*, 1. point.

[2] Lege prudens monitum P. Terrien de hoc argumento (Op. cit., p. 192, sqq.).

[3] Cf. textus plurimos apud laudatum Terrien (ibid. p. 194, sqq.).

divina Maternitas coniungantur; et quanto iure ex istis Patrum locutionibus argumentum theologi deducant ad vindicandam traditionem patristicam de singulari privilegio quo θεόπαις ne per instans quidem, irae filia esse potuit.

Haec appellatio θεόπαις habet quidem relationem specialem ad Patrem, non ita tamen ut non occurrat de Filio. Unde canitur in quodam hymno: « Tu virga Iesse, - Mater « esse - meruisti Regis et Filia » [1], quemadmodum Mariam invocat Dante: « figlia del tuo Figlio » [2] et Ecclesia Christum: « Virginis Proles opifexque Matris » [3]. Nec aliquid mirum in hoc, quum omnis filiatio per gratiam respectum habeat ad totam SS. Trinitatem.

Simile quid occurrit de titulo *Sponsae*. B. Virgo potest vocari Sponsa Patris, Sponsa Filii et Sponsa Spiritus Sancti. Sed sub diverso respectu. α) Patris quidem, quia cum Patre unum eumdemque habet Filium. β) Filii, quia Incarnatio est veluti mysticum connubium quod Verbum cum humana natura inivit, ac proin hoc vinculum existit arctissimum cum Matre; insuper Mariae anima erat sponsali nexu cum anima Filii veluti conglutinata, unde unio Christi cum Maria est symbolum unionis Christi cum Ecclesia et cum omnibus electis, uti mox fusius illustrabimus. γ) Spiritus Sancti Sponsa est, quia operante Spiritu Sancto Virgo concepit.

Antequam ad relationem Mariae cum Verbo transeamus, iuvat adhuc animadvertere, quam sublime sit istud commercium inter Deum et hominem in Virgine Maria et per Virginem Mariam. Deus dat homini suam deitatem, et homo dat Deo suam humanitatem. Maria proin est vinculum huius ineffabilis oeconomiae, ac proin occupat in universo locum medium inter creaturam et Deum incarnatum: non quod ipsa non sit simpliciter creaturis adnumeranda; sed quia dignitas propemodum infinita ad quam est evecta, tenet veluti medium inter creaturam et Deum. Huc spectat celeberrima antiph.: « O admirabile commercium! Creator generis humani, ani- « matum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, etc. » [4].

[1] Mone, *Hymni latini medii aevi*, II, n. 365. *de B. M. V.*
[2] Loc. cit.
[3] Hymnus Matut. Commun. Virgin.
[4] Cf. S. Aug. (*Enarr.* in ps. CXLVIII, n. 8).

2) Sed ecce haec ipsa antiphona nos conducit ad relationes contemplandas, quae ex divina maternitate exsurgunt inter Mariam et **Verbum**. Hae autem ad tres titulos potiores reduci possunt: est enim Maria Verbi *Mater, Domina* ac *Sponsa* [1].

a) *Mater* est, et quidem non solum uti sunt reliquae matres, sed plus quam reliquae matres. Inde tum α) maior unio Mariae cum Filio suo divino, tum β) maius amoris vinculum inter Filium et Matrem.

α) Et sane Maria, uti modo diximus, prius Verbum concepit mente quam corpore; unde perfectissima illa unio quam natura producit inter matrem et prolem, in Maria habebat respectum specialem ob unionem sublimem mentis et cordis, cuius ipsa corporalis unio erat veluti consequens. Insuper ipsa sola praestitit totam materiam sacratissimi corporis Christi, et per virtutem superne adauctam acceleravit conformationem eiusdem. Quare nulla unquam tantopere mater exstitit quam Maria.

Iam vero si in naturae ordine proles est veluti continuatio matris, - quippe quacum ut aliquid unum vitali vinculo colligatur, et a qua effusionem eiusdem naturae vitaliter accipit, - quid dicendum erit de unione inter Mariam et eius Filium? Porro si sanctitas creaturae mensuratur iuxta eius unionem cum Deo, nonne ex ista tam arcta coniunctione exsurgit pro Maria sanctitas prope infinita? Ecce illam gloriam Matris, quam Ecclesia in B. Virgine tam late celebrat; ecce illam irradiationem et veluti mutuam compenetrationem, quam figurat signum magnum Ioanni ostensum. Bene S. Bernardus: « Plane amicta sole tanquam « vestimento.... Quam familiaris ei facta es, Domina! Quam « proxima, imo quam intima fieri meruisti; quantam invenisti « gratiam apud eum! In te manet, et tu in eo; et vestis eum, « et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit « ille te gloria suae maiestatis. Vestis solem nube et sole « ipsa vestiris » [2].

β) Sed haec ipsa verba nos conducunt ut amorem spe-

[1] Cf. Terrien, (op. cit., loc. cit.).

[2] Serm. *de 12 praerog. B. M. V.*, n. 6. — *P. L.* CLXXXIII, 432.

cialissimum penitius consideremus tum Mariae in hanc divinam Prolem, tum Prolis erga Mariam.

Et sane dum matres utero gestant prolem, filium aut filiam, - ipsae nesciunt, - prorsus inconsciam; tum Maria quem gerebat, plenissime sciebat Dei Filium, tum Christus, Matrem summo fovebat amore.

Inde ineffabile rursus commercium inter Verbum et Mariam oriebatur, iugiterque nutriebatur. Quo magis Mater Filium diligebat, eo magis effectus divini eius amoris in se operabatur. Amor enim Filii redundabat in amorem Dei; ipseque Filius pietatem in Matrem eo excolebat ardentius, quo plenius eam videbat respondere praedestinationi illi, qua ab aeterno uti Deus eam intuebatur atque amplectebatur. Christus enim, ut Deus, Matrem suam non tantum agnovit, sed et elegit. Quod si singularis perfectio est in tanto Filio, singularem quoque confert dignitatem tantae Matri.

Imo novus titulus inde accrescit amori quo Pater Filium diligit, nec Filium modo, sed quotquot electos uti Filii fratres aeterno praedestinationis amore complectitur. Inde divisio pulcherrimae cuiusdam concionis quam Bossuetius de hoc argumento habuit: « Je dis, ô aimable Marie, que vous serez « à jamais bienheureuse d'être mère de mon Sauveur, car « étant mère de Jésus-Christ, vous aurez pour lui une affec- « tions sans égale: ce sera votre premier avantage. Aussi « vous aimera-t-il d'un amour qui ne souffrira point de com- « paraison; c'est votre seconde prérogative. Cette sainte « société que vous aurez avec lui, vous unira pour jamais « très étroitement à son Père: voilà votre troisième excel- « lence. Enfin dans cette union avec le Père éternel, vous « deviendrez la mère des fidèles qui sont ses enfants et les « frères de votre Fils: c'est par ce dernier privilège que « j'achèverai ce discours » [1].

Haec relatio *Matris* non ad solos menses coarctanda est, per quos Maria Christum in utero gestavit. Exprimitur etiam modo tenerrimo simul ac efficacissimo per tempus quo virgineo pectore beata Mater Prolem pro nobis egentem aluit. Inde Liturgia et ars christiana primitiva celebrant my-

[1] Sermon 3 *pour la Nativ. de la S. V.* — Lege hanc integram concionem doctrina simul ac pietate praecellentem.

sterium, quo « parvo lacte pastus est, per quem nec ales esu- « rit » [1]. Quod si Ecclesia ait, Mariam Filium aluisse « ubere « de caelo pleno », hoc non ita intelligendum est, ac si novo miraculo Virgo fuerit capax eum alendi. Esset quidem miraculum magnum in mera virgine alente prolem alterius; at in virgine, si per prodigium effecta est mater, pectoris ubertas est connaturalis maternitati. Nec laedit ullo modo virginitatem per se, secus B. Virgo Filium ipsa alendo, iam non fuisset virgo perfecta.

Et haec satis sint de relatione *Matris*.

b) *Domina* insuper est B. Virgo relate ad Verbum. Est enim habitudo matris ad prolem huiusmodi, ut superioritas quaedam a materna dignitate separari nequeat. Inde nomen apud omnes populos agnitum, quo B. Virgo Domina vocatur, non debet tantummodo intelligi de praeeminentia Mariae super omnia qua ei subsunt, id est, super universum praeter SS. Trinitatem et Christum; sed et complectitur ipsam relationem quae existit inter Mariam et Christum. Porro, quis non videat sublimem inde Mariae accedere dignitatem? Si B. Virgo stat, ut ita dicam, in aliquali paritate cum Patre, quatenus eumdem habet ac ipse Filium; heic in Verbo, utique homine, datur quaedam subordinatio ad Matrem.

Eloquenter exclamat S. Bernardus: « Deus, cui Angeli « subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subdi- « tus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed etiam Ioseph « propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid « amplius mireris: sive Filii benignissimam dignationem, « sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrimque stupor, « utrimque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, « humilitas absque exemplo; et quod Deo femina princi- « petur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singula- « riter canitur, quod " sequuntur Agnum quocumque ierit " [2]. « Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae etiam praeit? » [3]. Similia habet inter alios Dionysius Carthusianus [4].

[1] Hymn. Natal.
[2] Apoc. xiv, 4.
[3] Homil. i, super *Missus est*, n. 7. — *P. L.* clxxxiii, 60.
[4] *De laud. vitae solitar.*, a. 29.

Nec obiicias contra hanc Dominae relationem verba Christi ad parentes: « Nesciebatis, quia in his quae Patris mei « sunt, oportet me esse? » Etenim indirecte demonstratur, ibi nihil haberi quod huic filiali subiectioni obsit; nam paucis interiectis, additur: « Et erat subditus illis » [1]. - Directe autem difficultas ita solvitur. Christus, ut homo, erat utique subditus Mariae atque Ioseph; sed altiori titulo subditus Patri [2]. Unde quando Pater iubebat aliquid, quod Maria aut Ioseph ignorabant, Iesus in his quae Patris erant, potius esse debebat.

Nec maiorem difficultatem movent verba: « Quid mihi et « tibi est, mulier », in nuptiis Canae a Christo ad Matrem prolata. Quae rursus indirecte demonstrantur nullo modo maternae dignitati contraria fuisse. Nam Maria tam parum his verbis offensa est, ut servis dixerit: « Quodcumque dixerit « vobis, facite » [3]. - Et re vera prodigium, quod prius declinare videbatur, saltem publice faciendum, quia nondum venerat hora eius, Iesus operatus est in abscondito, ne Matri roganti quidquam recusasse videretur. Unde ex hac narratione recte intellecta splendidum exsurgit argumentum in favorem relationis Dominae quam Maria iugiter ad Filium suum divinum habet; quae relatio fundamentum est illius mediationis potentissimae, de qua in tertia parte huius dissertationis pauca dicemus.

At in exordio vitae publicae oportebat ut Iesus incederet ut Filius Dei, ac proin ut Maria sese veluti absconderet. Unde quemadmodum in templo Christus dixit sibi instandum esse operibus a Patre iniunctis; ita in nuptiis Cana dixit, se non debere miracula publice patrare, nisi quando hora sibi a Patre praestatuta advenisset. Unde sive dicatur, Mariam sua prece hanc horam veluti anticipasse, sive Christum ideo

[1] Luc. II, 49, 51.

[2] Ex hac relatione dependentiae quam natura humana Verbo relate ad Patrem dedit, aliqui theologi dicunt « Mariam contulisse Patri auctoritatem in Filium aliunde sibi coaequalem ». Ita v. gr. Lépicier (op. cit., p. 77), qui hanc considerationem fortius evolvit post Card. de Bérulle (*De l'état et des grandeurs de Jésus*). Sed iste modus loquendi non omnino placet. Fuit quidem Maria instrumentum per quod Verbum ex humana sua natura habuit, unde Deus sibi imperaret. Non autem Maria Patri hanc auctoritatem contulit. Sed de hoc argumento mox sermo redibit.

[3] Ioann. II, 4, 5.

miraculum fecisse in abscondito, quia nondum venerat hora operandi prodigia in aperto, gratia materna Mariae apud Filium ex hac narratione elucet [1].

Priorem explicationem superius breviter tetigimus; altera solutio forte facilior. - Quidquid sit de variis interpretationibus quae a theologis et exegetis dantur verbis: « Quid mihi « et tibi est, mulier? » Certum est, nullam bonam interpretationem huius loci dari posse, nisi quae explicet simul duas sententias sequentes: « Nondum venit hora mea », et « Quod- « cumque dixerit vobis, facite ». Iam vero haec tria putamus in nostra gemina interpretatione congruentissime constare. - Alia sat facilis solutio inde obvenit, si sententia: « Nondum « venit, etc. » cum Knabenbauer in forma interrogativa intelligatur, scilicet: « Non est opus ut me moneas, Domina Mater « (id enim sonat *mulier*), nonne hora mea venit agendi? ». - Alii cum Toleto intelligunt: « Quid hoc spectat ad nos? » Sed haec solutio displicet: esset parum urbana erga convivas; et vix cum sequentibus concordat. - Alii cum Natali Alexandro vertunt: « Hoc spectat ad me, non ad te ». Sed rursus displicet. Nam ideo praecise Maria Filium rogat, ut ostendat hoc spectare ad ipsum. - Alii intelligunt verba in sensu adhuc apud Orientales noto: « Quid interest inter nos? Nihil ». Hoc est: « Plane tibi assentior ». Tunc supplenda est particula: *Sed* « nondum venit etc. ». - Nuper pius scriptor [2] propugnavit: « Quid habemus nos, ego et tu, unde subveniamus? » Sed hoc Maria iam optime sciebat; nec eo spectare poterat quaestio, num forsan Iesus aliquid vini secum attulisset. Insuper habemus hic locutionem hebraicam, et ista interpretatio sapit linguam graecam. Nec sufficit ad hebraicam indolem locutionis in hac traductione vindicandam, quod ostendatur, *habere* in hebraico sermone exprimi per dativum, uti לִי = est mihi, habeo; agitur hic de formula propria « quid mihi et tibi »,

[1] Id admittunt passim tam theologi quam concionatores aut ascetici scriptores catholici. Aliter tamen P. Odiloni Rottmanner O. S. B. visum est, scilicet ex hoc facto nullum scientificum argumentum suppeditari ad virtutem intercessionis Mariae illustrandam (*Tübing. Quartalschr.* 1892, p. 213-245). Contra quam opinionem P. Nisius S. I. traditionem catholicam hac in re uti valde scientificam vindicavit (*Zeitschr. für Kath. Theol.*, 1893, p. 548-561).

[2] Rm̃us Abbas Afflig. Gothardus Heigl (*Studien und Mittheilungen* « Quid mihi et tibi est, mulier? » 1901, p. 218-236; 621-632).

quae constituit aliquid completum, cum significatione speciali, quemadmodum multa loca similia demonstrant. Insuper haec interpretatio, sat vulgaris, cum sequenti narratione parum concordat. - L. Bourlier [1] suggerit: « Sine, Mater: quod « petis, praestabo; sed res nondum urget: agendi instans « ipse discernam ». Quae ex omnibus explicationibus quas prosaicas dixerim, magis placet.

Caeterum, uti optime monent Holzhammer, Bourlier et Nisius, verba « quid mihi et tibi » intellecta in sensu hebraico huic locutioni proprio nullam duritiem in se involvunt. Circumstantiae demonstrare debent quemnam colorem determinatum habeat. In casu igitur Christus hoc dixit accentu mitissimo, docendo non commovendo, vultusque amoenitate Matri ostendendo, nihil in his verbis contineri quod tenerrimam etiam pietatem offendat. Hoc non satis advertit Calmet, et illi qui durius hanc sententiam vertunt, uti Grimm: « Was hast du mit mir zu schaffen? Was fällt « dir ein, dich an mich zu wenden, eine solche Bitte zu « stellen? » Potius hanc paraphrasim suggererem: « Domina « Mater, non est tanta inter nos relatio, ut in miraculis « publice patrandis tibi roganti subsim. Altior mihi depen- « dentia est: praedestinata hora a Patre, quae nondum venit ». Unde, uti diximus, vel Maria intercessione horam acceleravit; vel Christus, quia nondum venerat hora publice agendi, absconse portentum operatus est. - Quaeres, quomodo potuerit Maria, his auditis verbis, dicere ad servos: « Quodcumque « dixerit vobis, facite ». - Responsio est in promptu. Vel hoc dumtaxat dixit ad indicandum se nondum amisisse spem; - vel Iesus gestu quodam Matri insinuavit, se nolle quidem miraculum agere publice, promptum tamen esse ad inopiae hospitum occulte subveniendum. - Nisi magis arrideat familiaris solutio Bourlier.

Placuit huic argumento parumper immorari, tum ad depellendam calumniam a Protestantibus ex hoc loco contra Mariae cultum moveri solitam; tum ad ostendendum scriptoribus catholicis, qui ex impulsu pietatis longius excurrunt, posse sententiam: « Quid mihi et tibi » teneri in sensu indoli linguae hebraicae usuique Scripturarum magis conformi,

[1] *Les paroles de Jésus à Cana.* (*Revue biblique* 1897, p. 404-422).

quin inde tenerrima in B. Virginem devotio ullam offensionem accipiat. - Equidem si duriuscula dici possint verba a Christo in utroque adiuncto Matri dicta, maiorem difficultatem mihi movet responsum Pueri duodennis ad parentes, qui tanta cura, tantoque gemitu per tres dies « dolentes » circumquaesierant, quam verba a Iesu vitam publicam inchoaturo in nuptiis Canae prolata.

Et haec satis de relatione Mariae ad Verbum ut *Dominae*.

c) Sed et *Sponsa* Verbi est Maria, uti iam superius diximus. Ratio proxima iacet: petitur enim ex intensissimo illo sanctissimoque amore quem Matrem erga Filium et Filium erga Matrem nutrire vidimus. Si S. Bernardus optime dixit: « Sponsae nomine censetur anima quae amat » [1], quanta unio sponsalis coniungere debebat duo corda tam arcto dilectionis vinculo conglutinata! Inde in ritu consecrationis Virginum, Ecclesia Christum vocat sponsum et filium perpetuae virginitatis. Et rectissime. Qui enim fieri posset, virgines Christo devotas gloriari titulo, qui non ementiori modo Virginum Reginam decoraret?

Sed directius in hoc argumentum penetrandum est. Opus Incarnationis erat sponsale connubium inter Verbum et humanitatem. *Sponsa* igitur κατ' ἐξοχήν, imo *unica Verbi*, - quemadmodum est unigenita Filia Patris, - debet esse illa ipsa creatura, in qua hoc connubium celebratum est. Inde Patres Incarnationem Verbi certatim repraesentant sub figura nuptiarum et Mariam sponsae nomine condecorant [2]. Quin et Spiritus Sanctus in sublimi Cantico canticorum sub eodem symbolo hoc mysterium celebrat.

Porro quid pulchrius et usu liturgico frequentius, quam

[1] *In Cant.*, Serm. 7, n. 2. — *P. L.* CLXXXIII, 807.

[2] Lege plures huiusmodi citationes apud TERRIEN (Op. cit., p. 179, sqq.). Praeclare S. Petrus Chrysologus: « Pervolat ad sponsam festinus interpres (Gabriel) ut « a Dei sponsa humanae desponsationis arceat et suspendat affectum, nec auferat a « Ioseph virginem, sed reddat Christo, cui est in utero oppignorata cum fieret ». (Serm. 140; - cf. Serm. 116 in MATTH. I. 18). Ex hac doctrina recte perpensa vides rursus quo spectarit virginitatis votum primo a B. Virgine emissum; et quam extraneam praedestinationi divinae sit ista disiunctiva electio, quam B. Virgini fictitie nonnulli obiiciunt: aut servanda virginitas, aut divina maternitas; quum ipsa virginitatis ratio sit maternitas divina, quatenus sponsale vinculum quod cum Deo involvit, in divinam maternitatem ordinabatur. Inde christiana virginitas, utpote per quam electae animae fiunt sponsae Verbi, est altiori sensu participatio maternitatis divinae.

applicatio huius Cantici iuxta varia mysteria quae de Maria cogitantur vel celebrantur? In Immaculata Conceptione en verba: « Tota pulchra es, Maria, et macula non est in te » [1]. De nativitate Mariae sonant: « Quae est ista quae progre- « ditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut « sol? » [2]. De intemerata Virgine: « Hortus conclusus, soror « mea sponsa » [3]; et: « Ego dilecto meo et dilectus meus « mihi, qui pascitur inter lilia » [4]. - De Incarnatione: « Vulne « rasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum » [5]. De Visitatione: « Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in « montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus ca- « preae hinnuloque cervorum » [6]. - De sanctificatione Praecursoris: « En ipse stat post parietem nostrum, respiciens « per fenestras, prospiciens per cancellos » [7]. - In Nativitate Domini videmur audire mysticum colloquium: « Ecce tu « pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es, oculi tui colum- « barum. - Ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus » [8]. Et: « Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua « vino, fragrantia unguentis optimis » [9]. - In Circumcisione: « Oleum effusum nomen tuum » [10]. - In fuga in Ægyptum resonat: « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae, hinnu- « loque cervorum super montes aromatum » [11]. - In amissione Iesu: « Adiuro vos, filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum « meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.... Quo abiit « dilectus tuus, o pulcherrima mulierum quo declinavit dile- « ctus tuus, et quaeremus eum tecum? » [12]. De Passionis tempore resonant: « Dilectus meus candidus et rubicundus » [13]. - De Iesu sub cruce deposito: « Fasciculus myrrhae dilectus

[1] Cant. IV, 7.
[2] Ibid. VI, 9.
[3] Ibid. IV, 12.
[4] Ibid. VI, 2. — Cf. II, 1
[5] Cap. IV, 9.
[6] Cap. II, 8, 9.
[7] Ibid.
[8] Cap. I, 14 sqq.
[9] Cap. I, 1, sq.
[10] Cap. I, 2.
[11] Cap. VIII, 14.
[12] Cap. V, 8, 17.
[13] Cap. V, 10.

« meus mihi, inter ubera mea commorabitur » [1]. - De Maria in coelum assumpta: « Veni de Libano, sponsa mea, veni de « Libano, veni, coronaberis [2] ». « Quae est ista, quae ascendit « de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum [3]. » « Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabi- « tur me » [4]. - De Maria caelorum Regina suavissima virginum: « Una est columba mea, perfecta mea;... viderunt eam « filiae et beatissimam praedicaverunt; reginae et concu- « binae et laudaverunt eam » [5]. De Maria Christianorum auxilio, errorumque debellatrice: « Sicut turris David collum « tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei « pendent ex ea, omnis armatura fortium.... » [6] « Quae est ista, « quae progreditur quasi aurora consurgens, ... terribilis ut « castrorum acies ordinata? » [7]. Sed de ultimis his aspectibus mox sermo redibit.

Quae diximus, ostendunt quanti momenti sit ista relatio sponsalis inter Christum et Mariam. Imo Scheeben in hoc *matrimonio divino* seu *connubio Verbi* formaliter reponit id quod vocat « *Personalcharakter* » Mariae, sive « *die Gnade* « *der göttlichen Mutterschaft* », scilicet: « eine durch den Wil- « len und die Macht *Gottes bewirkte übernatürliche, geistige* « *Vereinigung der Person Mariens mit der göttlichen Per-* « *son ihres Sohnes* » [8]; quatenus, sicuti nulla digna maternitas quam non matrimonium praecedat in ipsam maternitatem ordinatum, ita in divina maternitate Mariae hoc connubium fuit veluti ipsius maternitatis principium. Haec sententia eumdem theologum conduxit ad invertendum logicum ordinem quem S. Thomas in ipsa assumptione naturae humanae admittit; quam sententiam superius tetigimus et confutavimus. Nec heic doctrina Scheeben excessu quodam carere videtur. Verum quidem est, inter Verbum et Mariam esse admittendam relationem Sponsi ad Sponsam. Verum etiam

[1] Cap. I, 12.
[2] Cap. IV, 8.
[3] Cap. VIII, 5.
[4] Cap. II, 6.
[5] Cap. VI, 8.
[6] Cap. IV, 4.
[7] Cap. VI, 9.
[8] Op. cit., § 276, II.

est hanc relationem fuisse praeordinatam in divinam maternitatem. Verum est imo divinam maternitatem esse huius mysticae unionis veluti fructum. At non ideo ipsa divina maternitas non habet formale constitutivum speciale ab hac sponsali relatione distinctum. Contulit autem potentissime ad augendum vinculum mysticum quo Verbum Mariae iungebatur, quemadmodum in connubio naturali prolis est mutui amoris pignus simul ac novum arctiusque ligamen.

3) Iam de relatione speciali Dei Genitricis ad **Spiritum Sanctum**. Quae relatio rursus varios inducit aspectus.

a) Primus veluti materialiter respondet primo aspectui relationis Mariae ad Patrem. Quemadmodum enim ille idem Filius Mariae, Filius est Patris; ita quoque ille idem Filius una cum Patre spirat Spiritum Sanctum. At caute pariter iste respectus est exponendus. Etenim, sicut ille respectus ad Patrem, uti supra diximus, nullam involvit participationem in aeterna iugi generatione divina Filii; ita respectus ad Spiritum Sanctum nullam ponit in Maria associationem cum Filio quoad spirationem aeternam divini Spiritus.

At, quum omnis effusio gratiae Spiritui Sancto tribuatur et sit eiusdem Spiritus missio, potestas intercessionis qua Maria apud Filium uti Mater et Sponsa gaudet, redundat in ipsam effusionem Sancti Spiritus, ac proin relationem habet ad eiusdem Spiritus processionem, utpote cui processioni haec lex appropriationis innititur. Inde in mediis Apostolis et discipulis in coenaculo congregatis tanti momenti fuit praesentia Mariae prece sua potentissima Spiritum a Filio superne promissum implorantis.

b) Iam vero si quaevis charitatis effusio Spiritui Sancto tribuitur, nonne specialissima fuit eiusdem Spiritus inhabitatio, plenitudo illa omnium gratiarum quae animam Virginis Immaculatae a primo instanti eius existentiae decoravit? Inde iure ab Ecclesia salutatur: « *sacrarium Spiritus Sancti* » [1]. Tantam enim gratiarum ubertatem in se Maria recepit, ut ad imaginem sui Filii ac Sponsi *Uncta* iure vocari possit.

c) Sed ecce tertius relationum aspectus inter Deiparam

[1] Cf. S. Cyrill. Alex. in Luc. xxii. — *P. G.* lxxii, 904 sqq.; cf. I. Cor. iv, 19.

et Spiritum Sanctum. Concepit enim Maria de Spiritu Sancto. Quem titulum breviter liceat hic afferre, quum fusior de eo iam superius sermo sit habitus. Unum tamen hic monemus: aspectum hunc, ratione cuius Maria dici solet *Sponsa Spiritus Sancti,* non esse ita stricte intelligendum, ac si non pertineret ad sermonem appropriationis. Unde, uti optime animadvertit P. Terrien [1], hic titulus apud moderniores frequentior [2], apud antiquos scriptores rarior occurrit. Et sane, uti vidimus, Filius modo specialissimo Mariae sponsali vinculo colligatur; et ordo SS. Trinitatis veluti confunderetur si Filius ob nativitatem humanam de Spiritu, eiusdem Spiritus vocaretur Filius, quia Mater eius est eiusdem Sponsa.

Quum igitur operatio humanitatis Christi sit opus totius SS. Trinitatis et nonnisi per appropriationem tribuatur Spiritui Sancto, minus placet modus loquendi aliquorum, qui dicunt, v. gr., B. Virgo « per divinam maternitatem contulit « Spiritui Sancto ut foecundus fieret generatione temporali « Christi Domini » [3]. Nam *a*) haec foecunditas est opus totius Trinitatis; *b*) haec foecunditas non fuit collata Deo per Mariam, sed Maria fuit huius foecunditatis instrumentum.

Mirare ex dictis plenitudinem relationum quae in Maria ad Trinitatem habentur. Quidquid apud homines vehementiam amoris in suis variis aspectibus exprimit continetur nominibus: *filiae, sponsae* et *matris*. In filia amor habet reverentialem quamdam cum grato sensu dependentiam; in Sponsa peculiarem ardorem, libertatem ac intimitatem; in Matre exquisitam virtutem, dulcedinem ac maiestatem. Haec omnia simul in Maria continentur; nec modo simul, sed cum peculiari habitudine, tum ad totam Trinitatem, tum ad personam Filii. Imo fortitudo quam *patris* titulus involvit, non deesse Mariae dicenda est, quum sit κατ' ἐξοχήν « mulier fortis », et ipsa sola, opitulante Deo, totam substantiam humani corporis Filio contulerit.

Propter sublimes rationes quae B. Virginem ita SS. Trinitati coniunguntur, potest quidem dici Maria in se veluti

[1] Op. cit., p. 202.

[2] Inde Leo XIII Mariam vocat Sponsam immaculatam Spiritus Sancti (Enc. *Divinum illud,* 9 Maii 1897).

[3] Ita v. gr. Cl. Lépicier (Op. cit., p. 78).

in arca sanctissima habuisse: « *universum Trinitatis com-* « *plementum*; quandoquidem et Spiritus Sanctus adveniebat « atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero « gestatus inhabitabat: "Spiritus enim Sanctus, ait Gabriel, « superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi" » Ita Hesichius Patriarcha Hierosolymitanus [1].

Dubito autem utrum prudenter vocetur Maria « comple- « mentum totius Trinitatis, non quidem essentiale et intrin- « secum, sed accidentale et ad extra » [2]; quia scilicet « per « divinam maternitatem contulit Patri auctoritatem in Fi- « lium...., Filio generationem temporalem...., Spiritui Sancto « ut foecundus fieret generatione temporali ». Nam praeterquam quod haec trilogia permiscet proprium (de Filio) cum appropriatis, confundit, uti diximus, causam efficientem cum causalitate instrumentali.

Cautius sane S. Bernardus: « (Maria) omnibus facta est.... « ut de plenitude eius accipiant universi: captivus redemp- « tionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator « veniam, iustus gratiam, angelus laetitiam; denique *tota* « *Trinitas gloriam,* Filii persona carnis humanae substan- « tiam, ut non sit qui se abscondat a calore eius » [3].

Optime pariter Adamus Victorinus, proprium et commune distinguens cecinit:

Salve, Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile Triclinium!

Verbi tamen incarnati
Speciale maiestati
Praeparans hospitium [4].

Nec mirum si ob tantam eminentiam B. Virgo, uti extra ordinem universi, augustissimae Trinitati proxima celebretur. *a*) Ita a S. Ioanne Damasceno vocatur « proxima Deo » [5]; *b*) a S. Ephrem salutatur: « Plenitudo gratiarum augustae

[1] Serm. 5. — *P. G.* XCIII, 1461.

[2] LÉPICIER, op. cit., p. 771.

[3] Serm. *de duodecim praerogativis B. V. M.* — *P. L.* CLXXXIII, 430.

[4] Carm. *in Assumpt. B. M. V.* stroph. 19, sq. — *P. L.* CXCVI, 1504. — Ferunt pium poetam, dum hac stropha B. Virginem salutabat, a Deipara vicissim fuisse benigne resalutatum.

[5] Hom. 1, in *Nativ. B. M. V.*, n. 9. — *P. G.* XCVII, 676. — Plura testimonia huiusmodi lege apud TERRIEN (Op. cit., p 156, sqq.).

« Trinitatis, utpote quae secundas post divinitatem partes « teneat ». S. Ioannes Geometra eam alloquitur « alteram a « SS. Trinitate », « alteram post regiam augustamque Trinitatem »; et in hymno latino canitur:

Gaude Virgo, Mater Christi,
Quia sola meruisti,
O virgo piissima,
Esse tantae dignitatis,
Quod sis sanctae Trinitatis
Sessione proxima [1].

A Petro Cellensi vocatur: « una et prima post Unitatem et « Trinitatem »; a S. Bernardino Senensi appellatur: « vici- « nissima Christo » [2]. Et sane ut loquitur Caietanus: « Ad « fines divinitatis propria operatione attigit, dum Deum con- « cepit, peperit, genuit et lacte proprio pavit » [3].

Concludamus hanc partem dissertationis nostrae, hac pia effusione S. Anselmi: « Nihil est aequale Mariae; nihil, nisi « Deus, maius Maria. Deus Filium suum, quem solum de « corde suo aequalem sibi genitum, tanquam seipsum dili- « gebat, ipsum dedit Mariae: et ex Maria fecit sibi Filium, « non alium, sed eumdem; ut naturaliter esset unus idemque « communis Filius Dei et Mariae. Omnis natura a Deo est « creata, et Deus ex Maria est natus. Deus omnia creavit, « et Maria Deum genuit. Deus qui omnia fecit, ipse se ex « Maria fecit; et sic omnia quae fecerat, refecit. Qui potuit « omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. « Deus igitur est pater rerum creatarum, et Maria mater « rerum recreatarum. Deus est pater constitutionis omnium, « et Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit « illum, per quem omnia sunt facta; et Maria peperit illum, « per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum, sine quo « penitus nihil est; et Maria peperit illum, sine quo omnino

[1] Passaglia, op. cit., t. I, p. 36 sqq.

[2] *De Glor. nomin. Mar.*, serm. 1, a. 2, c. 1.

[3] In II-II, Q. CIII, a. 4, ad 2. Viro cuidam critico visum est, Caietanum rarius aequo a nobis citari. At, quaeso, nonne quotquot Angelico student, scripta docti Cardinalis manibus volvunt? Si maiores commentatores S. Thomae, e Schola Ord. Praed. Petrus a Tarent., Ferrariensis, Caietanus, etc., e Schola S. Aug. Ægidius Rom., e Schola Ord. Carm. Salmanticenses, e nostra Salisburgenses, frequentius essent addicendi, vix caperet expositio finem. Caeterum non hunc nobis scopum praestatuimus. *Summa* enim nostra non est tam ex professo S. Thomae commentarium, quam theologica expositio Angelico Magistro suffulta, uti titulus ipse monet.

« nihil bene est. O vere Dominus tecum, cui dedit Dominus, « ut omnis natura tantum tibi deberet secum » [1].

Sed ecce haec ultima verba tertiam partem huius dissertationis inducunt.

III. Consequentia divinae maternitatis extra relationes immediatas ad ipsum Deum consideranda supersunt, id est tituli ac munera quae in B. Virgine a titulo ac munere Deiparae effluunt relate ad Incarnationis opus. Haec autem hisce quatuor nominibus comprehendi posse videntur: Maria est *nova Eva, figura Ecclesiae, Mater Christianorum, Regina ac Domina*. De singulis breviter.

1) Iam non semel in Maria *novam Evam* salutavimus. Hic locus est ut istum titulum parumper evolvamus, adducamusque e tot scriptoribus qui de illo locuti sunt, nonnulla praeclariora testimonia. S. Paulus diserte affirmat Christum esse Adamum novum. Consequens est, Mariam esse alteram Evam; idque non mere ob analogiam oppositionis, sed ob connubium cum Christo. Sponsa enim Christi, consociata operi eius, materque sub cruce omnium Christi fidelium, quomodo non participaret titulum sociae prioris Adami? Hinc iam vides hunc titulum penitius investigatum, et reliquos veluti in germine continere.

Iam superius Irenaeum et Tertullianum audivimus hunc titulum novae Evae in Maria extollentes. Placet addere nonnulla ex S. Epiphanio, S. Augustino et S. Bernardo. « Haec « est, inquit primus, quam obumbravit Eva; quae ut viven- « tium mater figurate nominaretur, accepit. Nam illa mater « viventium appellata est, etiam posteaquam illud audiit: « " Terra es, et in terram reverteris " [2] post praevaricationem. « Quod sane mirandum fuit, illam post peccatum magnum « tam praeclarum cognomen adeptam fuisse. Ac si spectetur « illud, quod subiectum est sensibus, a priore illa Eva totius « est in terris humani generis origo deducta. Sic autem « revera a Maria vita ipsamet in hunc mundum est invecta, « ut viventem pariat, efficiaturque Maria viventium mater.

[1] Orat. 52. — *P. L.* CLVIII, 956 B. — Liceat cuivis de rebus divinis pie sapienti iterum iterumque commendare orat. huius piissimi simul atque doctissimi scriptoris.

[2] GEN. III, 19.

« Itaque per figuram Maria mater viventium dicitur.... Etenim « Eva, causa mortis hominibus est facta. Nam per ipsam « mors in mundum est ingressa. Maria vero causa vitae « facta est, per quam vita nobis est exorta » [1].

Eamdem correlationem S. Augustinus ita describit: « Iis- « dem gradibus, inquit, quibus perierat humana natura, a « Domino Iesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis « Christus; per feminam mors, per feminam vita; per Evam « interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seduc- « torem: haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a « serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex « quo simul mererentur occidi; haec gratia caelesti desuper « infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resu- « scitari » [2].

Nec omittere possumus hic celeberrima verba S. Bernardi: « Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus « et mulier una nocuere. Sed gratias Deo, per unum nihilo- « minus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec « sine magno fenore gratiarum..... Et quidem sufficere poterat « Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo « est; sed nobis bonum non erat esse hominem solum: con- « gruum magis ut adesset nostrae reparationi sexus uterque, « quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane et prae- « potens mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, sed « divinam in eo reverentur homines maiestatem..... Itaque « opus est, inquit, mediatore ad mediatorem [3] istum; nec « alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimium mediatrix « Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro « virus infudit. Sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et « viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductio- « nis, haec propitiationis: illa suggessit praevaricationem, » haec ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere tre- « pidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: « tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam, etc. » [4].

[1] *Haeres.* 78, n. 18. — *P. G.* XLII, 728, sq.

[2] *De Symb. ad catech.* Sermo alius, c. 4. — *P. L.* XL, 655, sq.

[3] Observa cautam expressionem: Maria non est mediatrix simpliciter, sed mediatrix ad mediatorem.

[4] Serm. *Dominic. Infr. Octav. Assumpt. B. M. V.*, c. 1. — *P. L.* CLXXXIII, 429, sq.

Nec tacenda hic splendida stropha Adami Victorini:

Eva mater per reatum
Stola vitae spoliatum
Morti dedit hominem;

Culpa perit, mors recedit;
Data salus, vita redit
Per Mariam virginem [1].

2) Porro si Maria est nova Eva, oportet ut sit *figura Ecclesiae;* Ecclesia enim haud secus ac Maria est Christi Sponsa; imo omnes fideles quibus Ecclesia constituitur, efformant veluti unam sponsam Christi, dicente Apostolo: « Desponsi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo » [2]. Huc faciunt pulcherrima verba S. Augustini: « Cum ipsa « universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, « sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra « eius quae hoc custodiunt, etiam in ipsa carne, quod tota « custodit in fide, quae imitatur matrem viri sui et domini sui? « Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cuius enim « integritati consulimus, si virgo non est? Aut cuius prolem « alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput « huius corporis peperit; Ecclesia spiritualiter membra illius « capitis parit. In utraque virginitas foecunditatem non im- « pedit, in utraque foecunditas virginitatem non adimit » [3].

3) Iam vero Maria figura Ecclesiae esse non posset, nisi esset et ipsa *Christianorum Mater*. Inde Christus ex ipsa cruce, unde erat mox creationis Evae primae mysterium completurus, - e dormientis latere eductis aqua et sanguine, baptismatis et Eucharistiae symbolis, - Matrem suam omnibus fidelibus in Ioanne figuratis in Matrem tradidit dicens: « Mulier, ecce filius tuus ». Quam bene hoc instans, in quo Maria doloribus Filii materno corde summopere compatiebatur, Christus elegerit, ut in eodem corde maternum in nos affectum excitaret, praeclare illustrat Bossuetius haec Iesu verba ita exponens: « O femme affligée, à qui un amour infor- « tuné fait éprouver maintenant jusqu'où peut aller la ten- « dresse et la compassion d'une mère, cette même affection

[1] Carmen *de Assumpt. B. M. V.* stroph. 8.
[2] II. Cor. xi, 2.
[3] *De sanct. virginit.*, cap. 2. — *P. L.* xl, 397.

« maternelle, qui se réveille si vivement en votre âme pour « moi, ayez-la pour Jean, mon disciple et mon bien-aimé; « ayez-la pour tous mes fidèles, que je vous recommande « en sa personne, parce qu'ils sont tous mes disciples et « mes bien-aimés » [1]. Inde Iesus Matrem suam alloquitur titulo mulieris, id est, ait idem Bossuetius: « Femme par « excellence, femme choisie singulièrement pour être la « mère du peuple élu. O femme, ô nouvelle Eve, voilà vo- « tre Fils » [2]. Et sane quo spectabat symbolum Evae *matris viventium*, nisi ut hanc Mariae maternitatem praefiguraret?

Iam vero quo magis haec nostra conditio, utpote periculis plena, commiserationem provocat, eo magis haec maternitas Mariae erga peccatores exercetur. Inde ab Ecclesia salutatur: « *Mater misericordiae* ». Inde haec potentia intercessionis qua B. Virgo pollet, cuiusque providam virtutem quotidie tot peccatores experiuntur. Imo si peccatis immersi per Mariam a peccato liberantur, innocentes per Mariam a peccatis praeservantur. Placet de hac suavi veritate audire S. Germanum Constantinopolitanum: « Maternam vim apud « Deum obtinens, iis qui supra modum peccant, supra mo- « dum veniam conficis. Nec enim fieri potest, ut non exau- « diaris: quoniam tibi ad omnia, et per omnia, et in omnibus « Deus, tanquam verae et immaculatae Matri suae obedit. « Unde et afflictus merito ad te confugit: infirmus tibi « adhaeret: qui bello petitur, te hostibus opponit. Indigna- « tionem, iram et afflictionem, immissionem per angelos « malos tu commutas: tu iustam comminationem, et senten- « tiam aequae condemnationis convertis, magnopere amans « populum illum, qui nomine Filii tui vocatur » [3].- Huc facit devotissima oratio S. Augustini: « Admitte nostras pre- « ces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis anti- « dotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te « ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. « Accipe quod offerimus: redona quod rogamus...: quia tu es « spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum;

[1] Serm. 2, *pour la Nativ. de la S. V.*, 2.e point.

[2] In alia versione ibidem.

[3] Orat 2. *de dormit. B. M. V.* — *P. G.* XCVIII, 352.

« et in te, Beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. « Sancta Maria sucurre miseris, iuva pusillanimes, etc. » [1].

Nec aliter S. Bernardus in oratione quae *Memorare* audit; et S. Anselmus passim in suis orationibus ad B. Virginem: e quibus pauca saltem depromere lubet: « Omnipotenti Deo « gratias, qui me tenuit tuis sanctis orationibus. Ad hoc te « Deus fecit, ut speramus, sui matrem; ut mater fieri debe- « res omnium in eum credentium, quo se patrem nos iussit « vocitare. Quid unquam potest dignius aestimari, quam ut « sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater? « Ipse namque, propter suam insolitam bonitatem, omnibus « paternos praebebit profectus, si te, Domina, senserit mater- « nos non denegare affectus. Quo namque modo mihi non « miserearis, mater misericordiae? Ubi est, nisi in Deo et « in te, spes mea? Ergo sine te nihil pietatis est, nihilque « bonitatis, quia mater virtutis et virtutum es omnium. Qua- « propter adiuva me, Domina, quaeso; quia nihil sum et ad « nihilum me venturum scio, nisi digneris me adiuvare. « Adiuva me ergo, nec uni deneges beneficium, quod omni- « bus confers, etiam non rogata » [2].

Idem Ecclesia concinne exprimit per stropham:

Monstra te esse Matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Nec aliud sonant pulcherrimae antiphonae: *Sub tuum praesidium, Salve Regina, Alma Redemptoris Mater,* etc.

Adamus Victorinus idem eloquenter exprimit:

Poenitentes confitemur
Mala quibus promeremur
Iram Dei vindicem:

Tu, miserta tui gregis,
O Regina, Mater Regis,
Placa nobis Iudicem [3].

Iam vero hic maternus affectus non in filios tantum, sed et in inimicos Christi eiusque fratrum exercetur. Quum autem

[1] Serm. 194. *De Annunt. Dom.*, c. 5. — *P. L.* XXXIX, 2106, sq.
[2] Orat. 47. — *P. L.* CLVIII, 945.
[3] Carm. 2. *De Assumpt. B. M. V.* stroph. 10.

duplex praecipue sit hostilis conatus, alius qui tendit in pervertendam doctrinam, alius in adimendam Ecclesiae libertatem, Maria, utpote mulier promissa, caput serpentis contritura, tum haereses debellat, tum oppressores Ecclesiae pede virgineo calcat. Inde vocatur in Cantico canticorum: « terribilis ut castrorum acies ordinata ». Inde ipsa in Cantico *Magnificat* veluti bellicose intonat: « Deposuit potentes de « sede ». Hinc Mariae Ecclesia tribuit triumphum de omnibus haeresibus in universo mundo. Et in officio « Auxilii Christianorum » haec Matris Dei praerogativa eloquentissime celebratur ».

Saepe dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adiutrix pia Virgo caelo
Lapsa sereno [1].

Placet rursus audire S. Bernardum: « Unicus ille stultus « et totius stultitiae princeps.... sub Mariae pedibus conculcatus et contritus, miseram patitur servitutem. Nimirum « ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui « caput virtutis pede contritura: cuius plane calcaneo in « multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim « contrivit universam haereticam pravitatem. Alius non de « substantia carnis suae Christum edidisse dogmatizabat; « alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat; alius « vel post partum, viro cognitam blasphemabat; alius Dei « Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique et continuo « per Herodem insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens « filium devoraret, quod inimicitiae essent inter semen mulieris et draconis » [2].

Eleganter rursus Adamus Victorinus:

O Maria, stella maris,
Post Deum spes singularis
Naufragantis saeculi,

[1] Hymn. *ad Vesp.* — Lege lectiones S. Bernardi de hoc festo.
[2] *Serm. de duodecim. praerogat. B. M. V.*, n. 4. — *P. L.* CLXXXIII, 431.

Vide, quam nos fraudulenter,
Quam nos vexant violenter
Tot et tales aemuli!

Per te virtus nobis detur;
Per te, Mater, exturbetur.
Daemonum superbia;

Tuae Proli nos commenda,
Ne nos brevi, sed tremenda
Feriat sententia [1].

4) *Domina* ac *Regina* Maria quoque ob divinam maternitatem iure vocatur. Quem utrumque titulum veluti unum, duce Ecclesia, scriptores sacri certatim proclamant. « Salve « Regina, Ave Regina coelorum, Regina caeli, laetare ». - « O gloriosa Domina, excelsa super sidera, etc., etc. ». - Bene Eadmerus: « Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, « Pater et Deus omnium: ita beata Maria suis meritis cuncta « reparando, mater est, et Domina rerum. Deus enim est « Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione « constituendo: et Maria est Domina rerum, singula congeni- « tae dignitati per illam, quam meruit gratiam, restituendo » [2].

Caeterum qui Maria Domina non esset et Regina, quum Christi Domini nostri sit Mater ac Sponsa? Inde in messianico psalmo « *Eructavit* » de B. Virgine canitur: « Astitit Re- « gina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varie- « tate » [3]; et in Apocalypsi apparet maiestate circumfulgens: « mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius » [4].

Sistamus iam, etsi de tanta celsitudine vix aliquid balbutiendo protulerimus. Sed quis finis esset dicendi, nisi laudis voluptati modum necessitas ipsa imponeret? De Maria enim, uti pie monet P. Terrien, fas est canere illud hymni eucharistici:

Quantum potes, tantum aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficit.

Ex dictis apparet quanto iure B. Virginis cultus locum

[1] Pros. *in Natal. Domini.* — Cf. Carm. de Assumpt. B. M. V. — De merito poëtico Adami Victorini lege Cl. Guillaume (*Collection de classiques latins comparés* — II. série. Introduction).

[2] *De Excell. B. Mariae,* c. 11. — *P. L.* clix, 578.

[3] Ps. xliv, 10.

[4] Apoc. xii, 1.

specialissimum sibi vindicet. Est quidem cultus duliae, nec ullo modo confundendus cum cultu latriae, quemadmodum olim fecerunt illi Collyridiani in Thracia et Arabia degentes, qui Mariam ut deam habebant, quosque damnavit Ecclesia [1]. Unde pessima est Protestantium calumnia Catholicos idololatriae ob cultum Mariae insimulantium [2].

Sed cultus iste duliae ob singularem suam excellentiam *hyperduliae* nomen accepit [3]. Et recte quidem: nam, uti ait Pius IX, in Bulla *Ineffabilis*, Deus Mariam « longe ante « omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos, caelestium « omnium charismatum copia de thesauro divinitatis de« prompto, mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus pec« cati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam « innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua « maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam, praeter « Deum, nemo assequi cogitando potest » [4].

Hanc celsitudinem belle descripsit Dante Aligherius celeberrima invocatione, quam veluti totius huius dissertationis tesseram afferre delectat. Quis enim, nisi levissimae mentis, cultum despicere audeat, quem altissimi ingenii poeta tam splendido carmine collustrat [5]?

Vergine Madre, Figlia del tuo Figlio,
Umile ed alta più che creatura,
Termine fisso d'eterno consiglio:

Tu se' colei che l'umana natura
Nobilitasti sì, che il suo Fattore
Non disdegnò di farsi sua fattura.

[1] Cf. de hac haeresi S. Epiphanium (*Haeres.* 78, n. 23, sqq.; *haer.* 79, n. 1, sqq. — *P. G.* XLII, 736, 740, etc.).

[2] Et tamen haec calumnia etiam hodie et in coetu cultiori accipitur, uti nuper demonstravit discussio in Curia maiori Londini habita de iuramento in cultum B. Virginis blasphemio, a capite Britannici imperii, *Defensore Fidei*, impia lege praestando.

[3] Hunc specialem cultum Ignatius a Loyola ingenue expressit, dum in castello paterno sacrae lectioni scriptionique vacans, rubeis quae ad Christum, caeruleis quae ad B. Virginem, nigris quae ad alios spectabant Sanctos, litteris signabat.

[4] Init.

[5] Mos invaluit apud Italicos sectae pessimae devotos, auctoritate Aligherii in civilem Romani Pontificis principatum invehendi. At si Dante politicis partibus et odiis non semel nimis indulsit, Petrum, imo Christum in Papa viventem summa reverentia colebat. Quam vibrans carmen in hosce hypocritas, gloriam patriae atque suam deturpantes, fulguraret redivivus!

Nel ventre tuo si raccese l'amore,
Per lo cui caldo nell'eterna pace
Così è germinato questo fiore.

Qui se' a noi meridiana face
Di caritade, e giuso intra i mortali
Se' di speranza fontana vivace.

Donna, se' tanto grande, e tanto vali,
Che qual vuol grazia, ed a te non ricorre,
Sua disïanza vuol volar senz' ali.

La tua benignità non pur soccorre
A chi dimanda, ma molte fiate
Liberamente al dimandar precorre.

In te misericordia, in te pietate,
In te magnificenza, in te s'aduna
Quantunque in creatura è di bontate [1].

Quaeres de indole gratiae divinae maternitatis: utrum sit gratis data, an gratum faciens, et quo sensu.

Resp. Aliter alii huic quaesito respondent. Uno verbo liceat complecti totum. Gratia divinae maternitatis est gratiarum plenitudo: unde quidquid gratiae nomine accipitur, eminenti gradu in illa gratia continetur.

Est proin *a*) *gratis data:* α) quatenus ipsa Incarnatio ad quam contulit, est κατ' ἐξοχήν donum Dei aliis destinatum; - β) quatenus physica maternitas, etiam Filii Dei, per se ad hunc ordinem spectat. — Sed *b*) est *gratum faciens,* imo reddens Mariam Deo gratissimam: α) propter gratiae ubertatem, per quam Deus Matrem suam ad tantum munus praedestinavit; - β) propter unionem singularissimam, quam cum SS. Trinitate involvit; - γ) propter officia celsissimae charitatis, quae ex hoc munere sequuntur. — *c*) Est autem divina maternitas, *gratia sacramentalis* in altissimo sensu huius vocis. Quid enim altius vivorum sacramentum quam Incarnatio Verbi Dei? Est proin divina maternitas velut sublimis *Communio,* ad quam Maria fuit a primo instanti suae immaculatae conceptionis dignissime praeparata; quam Dei praesentia corporalis per novem menses protraxit; cuius irradiatio usque in aeterna gloriae saecula perdurat. - *d*) Unde *characterem* impressit animae Virginis, sigillum scilicet totius Trinitatis, osculum sponsale Christi. - *e*) Demum est *aureola*

[1] *Parad.,* c. XXXIII, 1 sqq.

splendidissima. Si martyres, si virgines, si doctores fulgor specialis in caelis coronat, quidni eminentior gloria singulari post Christum nitore rutilans, Reginam Martyrum, Virginum, Doctorumque decoraret.

Vides ergo, quam profunde Angelus Mariam salutarit: « Ave, gratia plena! Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus! » Video, quam provide Christus emoriens hanc Mulierem nobis Matrem dederit: « Ecce Mater tua ». Quam Angelus ergo tam verecunde salutat, quam ipse Christus tam pie Matrem nobis commendat, sicut gloria est ac meritum Ecclesiae Catholicae laudare iugiter ac invocare; ita dissidentium sectarum est ignominia simul et damnatio, impugnare conviciis, aut saltem despiciendo praeterire [1].

Corollarium. Ex dictis patet, quo sensu B. Virgo Deipara possit vocari *Coredemptrix* atque *Comediatrix*. - In presso vocis sensu hic titulus soli Christo competit, quia solus Christus Homo-Deus. Unde Scriptura de Christo in sensu presso loquitur per exclusionem: « Unus et mediator Dei « et hominum homo Christus Iesus » [2]; « Non est in alio « aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum « hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » [3].

Sed in sensu latiori utraque appellatio legitima est valde. 1) *Coredemptrix* enim Maria est triplici ex fonte: *a*) Quia per liberum consensum Incarnationi Verbi cooperata est; - *b*) quia magnanimo corde Filium suum obtulit, coniungendo voluntatem suam cum mandato Patris et cum voluntate Filii mandatum Patris heroice adimplentis; - *c*) quia modo superius exposito est veluti canalis, per quem Redemptionis fructus Ecclesiae universae singulisque animis applicatur.

2) *Comediatrix* pariter voçari meretur triplici de causa:

[1] Bene id exprimit Dietlein, parum sane praeiudicio catholico captus: « Es ist « ein Verhältiniss beständiger Flucht vor der Mutter Gottes, steter Angst davor, « ihr auch nur ein Wort des Grusses zu gönnen, welches ihr doch der Vater durch « Engelsmund zusandte, um damit den ersten Riss in den alten Fluch zu reissen, « der uns von ihm und seiner Liebe trennte. Iedem andern Menschenkinde, wenn « es in die ewige Heimat vorausgegangen ist, dürfen wir ein Ave pia anima! zuru- « fen, so oft wir wollen; — nur der Mutter nicht, denn das wäre — katholisch ». (*Evang. Ave Maria.* VII, Halb. 1863).

[2] I. Tim. II, 5.

[3] Act. IV, 12.

a) quia ad coniungendum Verbum cum humana natura medias partes egit inter Christum et nos; - *b*) quia per Mariam, utpote in qua, uti dicit S. Bernardus, nihil austeri est quod deterreat, spes nostra facilius assurgit usque ad Christum; - *c*) quia Christus per Matrem in nos Cordis dona effundit.

Tertia ratio utrobique convenit; secunda ordine inverso incedit; prima in idem materialiter incidit, sed formaliter distinguitur [1].

ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE FILIATIONES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) *Filiatio* est relatio geniti ad gignentem vel ad gignentes. Quare quaestio subtilis de numero filiationum in Christo, solvenda est secundum principia quae regunt multiplicationem relationum. Iam vero in relatione tria occurrunt consideranda: *causa, subiectum, termini.* Quaestio proin pendet ab hoc, utrum relationes multiplicentur secundum terminos, an secundum causam vel subiectum. Respondetur, relationes non multiplicari secundum terminos, sed secundum alia duo.

1) *Non secundum terminos* relationes multiplicari, demonstratur exemplis: una est filiatio filii ad patrem et ad matrem (licet alia sit relatio paternitatis et maternitatis); una relatio magistri ad multos discipulos, domini ad servos, regis ad cives, etc. Proinde ex hoc quod Pater et B. Virgo sint duo termini distincti, non sequitur in Christo duplicem esse filiationem.

2) *Secundum causam* autem multiplicatur relatio, non quidem semper, sed *quando causae sunt specie diversae.* V. gr. magister docens eosdem discipulos duplicem disciplinam, duplici relatione distincta refertur ad illos. E contra pater generans sibi multos filios, eadem paternitatis relatione ad quemvis refertur, quum nequeat eadem forma multiplicari in eodem [2]. Si autem alterum filium generaret, alterum adoptaret, duplex in eo paternitatis relatio esset.

[1] Plures textus de hoc argumento ex Leone XIII depromptos lege apud Cl. Paquet (loc. cit.).

[2] Ita saltem Scholastici passim.

Vi huius principii haberemus in Christo duplicem filiationem, quum causalitas duplicis generis, maxime distantis, habeatur in gemina generatione aeterna a Patre et temporali a Matre, in illa secundum naturam divinam, in hac secundum humanam. Sed remanet consideranda

3) *Unitas subiecti.* Etenim, sicut filius ponit personam, non solum naturam; ita filiatio dicitur non de natura, sed de persona vel subiecto. Atqui vidimus in Christo esse unum et idem subiectum, quod de Patre ab aeterno et quod de matre in tempore natum est. Porro istud unum subiectum tantae perfectionis est, ut nequeat illi aliquid reale accedere. Proin relatio nova quae, iuxta dicta n. 2, ex nova nativitate oritur, est quidem realissima a parte Matris Christi, rationis autem tantum a parte Filii ad Matrem, non ex defectu causae, sed ex perfectione subiecti. Illustratur haec doctrina per relationem quae oritur inter Deum Creatorem et creaturam, quae relatio pariter realissima est, tota realitate entis participati, a parte creaturae; rationis vero dumtaxat a parte Creatoris, propter infinitum eiusdem esse, cui nihil reale accedere in tempore potest.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat nisi causam, et abstrahit a subiecto.

2. Obi. Pariter abstrahit a subiecto. Relatio maternitatis in B. Virgine ponit causam, quae causaret in subiecto novam relationem respondentem maternitati, nisi perfectio absoluta subiecti obesset. Igitur quod pendet a matre, est novus respectus temporalis aeternae filiationis.

3. Obi. Supponit, relativa necessario sibi quoad realitatem respondere, quod falsum esse demonstratur non solum ex creatione, iuxta dicta n. 3, sed etiam ex relatione reali una, ratione duplici, qua filius refertur ad patrem et ad matrem, etsi hi distincta gemina relatione reali ad filium referuntur.

Sed contra est. Corroboratur praesens doctrina per omnia loca ex quibus identitas unius subiecti divini, Verbi et Christi demonstratur. Adverte sedulo ex hoc argumento nexum intimum inter praesentem quaestionem et quaestionem quam supra contra Adoptianismum movimus de Christo filio adop-

tivo [1]. Sicuti hic dicimus, filiationem dici de persona; ita ibi diximus, adoptionem respicere personam; utique quia τὸ *secundum quid,* sequitur rationem τοῦ *simpliciter.*

In Corpore. Praemissa duplici solutione quaestionis, S. Thomas ita discurrit. Filiatio est relatio; atqui:

- Unitas vel singularitas relationis attenditur
  - 1) *non secundum terminos:* demonstr.: *a*) ex relatione una filii ad parentes, *b*) ex relatione una magistri ad discipulos;
  - 2) sed secundum *causam:*
    - *a*) si quidem sint *diversae speciei:* (ita in Incarn.)
      - v. gr. α) magister diversa docens;
      - β) pater generans et adoptans;
    - *b*) non autem si *eiusdem speciei:* v. gr. pater plures filios generans.
  - 3) eo tamen modo, quo *subiectum* id sinit. Ita in Incarnatione:
    - *a*) unum est subiectum, de quo filiatio praedicatur;
    - *b*) et quidem tam perfectum, ut non patiatur ex nativ. tempor. novam
      - α) *realem* rationem (uti in matre); sed
      - β) *rationis* tantum (uti in Creatore ad creaturam).

Solutio. Sicuti unus est Filius Verbi et Mariae, ita una filiatio ratione subiecti; sicuti autem duplex nativitas Christi, ita duplex filiatio ratione duplicis causae diversae speciei. Componitur utrumque ponendo in Christo relationem realem Filii ad Patrem, relationem rationis ad Matrem; realem autem in Patre et in Matre ad Filium.

ARTICULUS VI.

UTRUM CHRISTUS FUERIT NATUS SINE DOLORE MATRIS [2].

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque de nativitate Christi in se considerata, id est, de conceptu nativitatis, de numero nativitatum, de principio nativitatis temporalis à parte matris, de numero filiationum consequente geminam nativitatem.

Nunc de *circumstantiis* nativitatis temporalis.

Prima autem circumstantia consideranda est a parte virginei partus. Quem partum virgineum supra consideravimus

[1] Quaest. XXIII, art. 4.

[2] Lege de hoc argumento PETAVIUM (op. cit. l. XIV, c. 5, 6); necnon dicta superius p. 276, sqq.

in sua qualitate essentiali; nimirum in integritate perfecta illaesi corporis B. Virginis dum Filium edebat. Superest ut consideremus consequens huius integritatis, nempe absentiam doloris in pariente.

2) Huius absentiae rationes redduntur: *a*) effatum commune: *sublata causa, tollitur effectus*; atqui dolorem matrum in partu causat corporis laesio; - *b*) *integritas B. Virginis a lege originalis* culpae, qua fit ut a poenis eiusdem peccati convenienter exempta fuerit. Porro poena fuit illud: « In « dolore paries »; - *c*) *Christi pietas,* qua dolorem Matris ubi potuit, auferre debuit; - *d*) *narratio Scripturae,* quae B. Virginem id per se praestitisse exhibet, quod matres, propter dolorem partus, nonnisi aliarum foeminarum auxilio suffultae praestare solent. Quarum rationum prima cogens magis; reliquae aliquid mere suasivi habent; etiam secunda, uti ex morte B. Virginis constat.

3) Nec primam omnino cogentem dixeris, quatenus potuisset B. Virgo reserato virginitatis sigillo edere Filium, quin tamen, ex prodigio utique, dolorem passa esset. Forte ita rem sibi finxit Tertullianus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter peccat: *a*) confundit mortem susceptam a Filio cum dolore partus in Matre; - *b*) supponit mortem Christi fuisse ex poena.

2. Obi. Primum vitium praecedentis obiectionis et hic recurrit.

Sed contra est. Cf. Conc. VI (Constantinop. III) can. 79, ubi severe interdicitur usus alludens ad partum Virginis cum dolore [1]. - Huc reducenda sunt argumenta auctoritatis fuse exposita superius, ubi de virginitate Mariae in partu agebamus [2].

Hanc veritatem inter alios disertissime proclamat Sanctus Ephrem in celebri oratione de margarita pretiosa; ubi inter alia virginitatem Mariae in partu eloquenter vindicantia, haec habet: « Christus sine dolore genitus est; quoniam et sine « corruptione fuerat conceptus »; et: « Quemadmodum solus « ex Virgine natus est Christus; ita etiam Mariam in partu

[1] Cf. supra q. 28, art. 2.
[2] Quaest. XXVIII, art. 2.

« virginem permanere conveniebat, matremque absque dolore « fieri ».

In Corpore. Non solum S. Thomas excludit dolorem ex ratione prima superius adducta, sed et sanctam iucunditatem docet B. Virginem in partu esse expertam. Quo nihil magis consonum pietati nascentis et excellentiae privilegii Matris; imo verbis Christi. Remoto enim dolore « pressurae », quantum non fuerit « gaudium » Deiparae « quia natus erat Homo » Deus « in mundum! » [1].

Corollarium. Vi huius doctrinae non modo dolor acutior in partu, sed et molestia in gestatione a B. V. Maria excludenda est, iuxta verba S. Ephraem: « neque Virgo *laborem* « ac dolorem in partu sensit » [2]. Pulchre S. Bernardus: « Iure « etiam illud molestissimum taedium, quo reliquae omnes « gravidae mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, « quae sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in « ipso suae conceptionis initio, quando potissimum caeterae « mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate mon- « tana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit « Bethlehem, imminente iam partu, portans pretiosissimum « illud depositum, portans onus leve [3]; portans a quo por- « tabatur. Sic et in partu quam lucidum est, quod nova « exultatione novam edidit Prolem, sola inter mulieres a « communi maledicto et dolore parturientium aliena? » [4].

ARTICULUS VII.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IN BETHLEHEM NASCI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Titulus huius articuli atque articulorum similium dupliciter intelligi debet. *a*) Utrum iuxta prophetias id fieri debuerit; *b*) utrum talis prophetia fieri

[1] Cf. Ioann. xvi, 21.

[2] Loc. cit.

[3] Iucundissime alludens ad verba ipsius Domini: « Iugum meum suave est et « onus meum leve » *. Quae verba non sat pie intelligerentur, si ab eis Mater tantum gestans Filium, exciperetur.

[4] In serm. « *Signum magnum* ». — *P. L.* clxxxiii, 434.

* Matth. xi, 30.

debuerit; id est, utrum conveniens fuerit. Sensus *a*) est de necessitate consequente; sensus *b*) de convenientia antecedente. Unde S. Thomas in *Sed contra est* respondet in sensu *a*); in *Corpore* iuxta sensum *b*).

2) Porro, quando quaeritur de relatione convenientiae inter Bethlehem et ortum Christi, oportet considerare *a*) significationem ipsius nominis, *b*) originem historicam, *c*) statum praesentem. - Sub respectu *a*) « *domus panis* », praesignificat Illum, qui futurus esset panis vivus de caelo descendens [1]. - Sub respectu *b*) Bethlehem est civitas David, in qua magnum David filium, sicut patrem eius nasci decebat. - Sub respectu *c*) modestia ipsa huius civitatis optime humilitati convenit Illius qui, in stabulo natus, in patibulo moreretur.

3) Haec de ratione convenientiae antecedentis. Si iam necessitatem consequentem consideramus, pone simul loca Michaeae: « Et tu Bethlehem, etc. [2] »; Oseae: « Ex Aegypto « vocavi filium meum [3] »; Isaiae: « Flos de radice eius ascen- « det » [4]; et « De Sion exibit lex et verbum Domini de Ieru- « salem » [5]. Quam mire his praedicetur Christi nativitas in Bethlehem, exilium in Ægypto, vita abscondita Nazareth, vita publica in Ierusalem, mox ex professo dicemus, ubi de Christi messianitate.

4) Sed et convenientiam antecedentem horum omnium vaticiniorum haud aegre monstrabis. *a*) De primo egimus n. 2. - *b*) Exilium *in Ægypto* optime conveniebat in altero Moyse, qui de Ægypto liberaret populum suum, collectum quidem ex Iudaeis ac Gentibus. - *c*) Crescere illum oportebat in *Nazareth,* non solum humilitatis causa propter despectum in quo haec civitas habebatur, iuxta illud: « A Nazareth « potest aliquid boni esse? » [6]; sed quia « flos ascendens », erat virtus, qua Christus ibi coram Deo et hominibus proficiebat. - *d*) Porro in *Ierusalem* oportebat Dei Sapientiam constituere sedem « suae potestatis » [7], tum α) quia erat civitas

[1] Ioann. vi, 51.
[2] Mich. v, 2.
[3] Os. xi, 1.
[4] Is. xi. 1.
[5] Is. ii. 3.
[6] Ioann. i, 46.
[7] Eccli. xxiv, 75.

a Davide electa in regiam et sacerdotalem; tum β) quia Christus erat Princeps pacis a Melchisedech rege Salem figuratus; tum γ) quia id requirebat opprobrium crucis.

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* non considerant dicta n. 3, et 4. Procedunt ac si ista vaticinia requirerent Christum ibi nasci, quod est gratuitum.

3. Obi. Valet quidem ad demonstrandum quam sapienter Christus tempore Augusti natus sit, et Romam in sedem Petri elegerit; sed nullam habet vim contra convenientiam nativitatis Christi in Iudaea.

Sed contra est. Tam diserta est prophetia Michaeae hic allata, ut Scribae, a quibus, Magorum adventu permotus, Herodes locum ortus Messiae petiit, ex hoc vaticinio Bethlehem incunctanter indigitarint. - Ephrata erat prius nomen huius civitatis; quod nomen postea est in Bethlehem mutatum, propter panis abundantiam, quae ibi reperta est post longam carentiam [1]. Quia autem ibi ortus erat David, vocabatur Bethlehem, civitas David [2].

In Corpore. S. Thomas duplicem rationem convenientiae adducit: 1) aliam petitam ab *ortu David*, 2) aliam ab etymologia « *domus panis* ».

ARTICULUS VIII.

UTRUM CHRISTUS FUERIT TEMPORE CONGRUO NATUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) De maioribus viris solent inquirere historici, utrum felici tempore nati sint ad ingenium suum vel alias qualitates evolvenda ac ita ad sibi destinatum munus efficaciter complendum. De Christo quoque talis quaestio movetur; sed alio prorsus sensu. Tempus enim suum reliqui omnes acceperunt a Providentia; Christus, ut est homo quidem, accepit a Patre; at ut Deus elegit cum Patre. Ergo a priori constat, convenientissimum fuisse tempus quo Christus natus est.

2) Si autem rationes huius convenientiae investigare lubet,

[1] Ruth, c. i.
[2] Luc. ii, 4.

tempus ortus Christi considerandum est relate *a*) ad anni cursum, *b*) ad populum Iudaicum, *c*) ad statum orbis. Ex qua consideratione triplex elucet eaque summa convenientia.

a) Christus de *nocte* in *media hyeme* nascitur. Quid magis decens illum, qui veniebat α) illuminare sedentes in tenebris, et β) *ignem* sui amoris frigescenti mundo immittere? Insuper γ) ipsum oportebat crescere, Ioannem autem minui. Unde Christus nascitur quando sol rursus ascendit, ille quando rursus descendit.

b) Christus nascitur *regnante in Iudaea principe extraneo,* ut ostendat, - caeteroquin magnam per hoc prophetiam Iacob complens, - agi de condendo regno spirituali, nec ullam prorsus populo electo superesse spem, nisi desursum veniat Redemptor.

c) Neque minor elucet convenientia, si respicis *statum orbis sub Augusto.* Tempus enim ortus Christi decebat esse, - unde et ita praedictum erat, - perfectae *pacis.* Ipsum *imperium Romanum,* orbem universum aliquo modo sub unum sceptrum colligens, figurabat imperium universum Christo in psalmis Davidicis promissum. Nec satis: erat aliquo modo praecursor Domini, parans ipsi viam et rectas faciens semitas praedicationis, propter vinculum eiusdem culturae et linguae, quo omnes populi inter se coniungebantur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Collige dicta superius de symbolismo servitutis per ipsam oppositionem speratum Liberatorem figurantis.

2. Obi. Retorquetur per prophetiam maxime patentem.

3. Obi. Retorquetur per illuminandi munus, quod Christo competebat, et quod efficacius exprimitur, si in hyeme nascatur ac nocte; utpote quo tempore indigentia lucis magis sentitur.

Sed contra est. Ex hoc loco Pauli habes, ortum Christi esse cardinem historiae. Evolutio mysteriosa saeculorum, necnon augmentum imperii Romani, tendebant in tempora Christo paranda. Ipseque Augustus destinatus erat, ut pace in orbe composita, edicto census emisso, filium David in regiam civitatem Bethlehem adduceret, ibidem iuxta prophetias oriturum.

In Corpore. Est simplex syllogismus: Christus quum sit Deus, sibi ipse elegit tempus nascendi; atqui opera Dei sunt ordinatissima; ergo.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Nativitas simul attribuitur naturae, sicuti termino, et *personae* vel hypostasi, sicuti subiecto (art. 1).

2) Ratione prioris, quum in Christo sit duplex terminus, quia duplex natura, *duplex* quoque est *nativitas;* aeterna et temporalis (art. 2).

3) Porro, quum ex una parte B. V. Maria partes matris vere egerit, quia veram naturam humanam Christus ab ea accepit, et ex alia parte nativitas sit subiecti, B. Maria vere est *Christi mater* (art. 3). - Ex quo sequitur, eam esse *Matrem Dei,* nam Deus supponit pro persona divina, in Christo autem non est ab initio nisi unum subiectum, scilicet Verbum, Filius Dei, ipse Deus (art. 4).

4) Licet duplex sit in Christo nativitas, *non* ideo tamen *duplex est filiatio*; non quasi defecerit duplex causa specie distincta, sed quia summa perfectio unius subiecti duplicis nativitatis non sinit novam sibi accedere realem relationem in tempore. Nativitas tamen temporalis ponit in Christo novam relationem, rationis quidem, ad matrem suam, in Matre vero relationem realissimam maternitatis ad Filium (art. 5).

5) B. Mariam sine dolore peperisse Filium, consequens est partus virginei (art. 6).

6) Ordine convenientissimo Christus ortus est Bethlehem, civitate David, domo panis, potius quam Nazareth vel Ierusalem (art. 7). – Pariter maxime decuit ipsum oriri media hyeme, sub Herode ac Augusto (art. 8).

QUAESTIO XXXVI.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI [1].

Ordo Quaestionis. Articuli huius Quaestionis possunt ad tria reduci: 1) *an debuerit* Christus manifestari: *a*) *omnibus* (art. 1); *b*) *aliquibus* (art. 2); *c*) *quibusnam* (art. 3).

2) *Per quemnam* debuerit manifestari utrum *a*) per *se*, an *b*) per *alios* (art. 5).

3) Quo *ordine* manifestari debuerit (art. 6).

Hanc rursus Quaestionem, utpote potius ad pietatem spectantem, liceat paucis absolvere.

ARTICULUS I.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI DEBUERIT ESSE OMNIBUS MANIFESTA.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Non unicum esse Christi adventum in Scripturis praenuntiatum, multipliciter constat. Ne de mystico Christi in corda adventu per gratiam loquamur, scimus historicum externum eius duplicem esse adventum: priorem impletum per nativitatem Christi uti Redemptoris; alterum implendum in fine temporum, Christi ut Iudicis de caelis descensuri. Cavendum igitur ne, quae Scriptura vaticinatur de uno adventu, ad alterum adventum transferamus.

2) Porro duplex est inter utrumque adventum discrimen: *a*) Adventus per nativitatem est operis *initium*, unde excludit omne id, quo profectio ipsius operis impediretur; adventus per maiestatem Iudicis est operis *complementum*, unde non debet sequentibus operibus accommodari.

b) Adventus per nativitatem ordinabatur ad *gignendam*

[1] Lege praecipuos sermones Patrum de Epiphania Domini.

fidem, unde requirebat admixtam velamine lucem, et parvum in humana statura principium, illud ad meritum, hoc ad facilitandam fidem in Deum verum hominem. Adventus autem Iudicis ordinabitur ad *remunerandam fidem,* quod exigit maiestatem fideles exaltantem, impios autem obruentem.

II. **Ad Textum.** - *1 Obj.* Applicat ad primum adventum prophetiam de secundo.

2 Obj. Non considerat, adventum per nativitatem non esse nisi principium operum Redemptionis. Ut autem apostolicum dictum verificetur, sufficit [1] eum aliquibus indubitantibus signis apparuisse. Secus quid de iis qui saeculis posterioribus adventui Christi visibili victuri sunt? Quomodo enim hisce apparere potuisset, si sola vera apparitio esset directa eiusdem personalis manifestatio?

3 Obj. Non attendit ad discrimina exposita n. 2.

Sed contra est. Duplex adventus Christi absconditus et manifestus exhibetur nobis in psalmis. *a*) *Absconditus,* in verbis: « Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stilli- « cidia stillantia super terram » [2]; - *b*) *manifestus,* uti Iudicis, in verbis: « Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in « circuitu inimicos eius » [3]; necnon: « Flumina plaudent manu; « simul montes exsultabunt a conspectu Domini, quoniam ve- « nit iudicare terram » [4].

In Corpore. En brevissimum argumenti schema:

Christi nativitas non debuit esse omnibus manifesta:	1) ne impediretur Redemptionis opus; 2) ne minueretur meritum fidei; 3) ne in dubium vocaretur veritas naturae nostrae assumptae.

Complebitur hoc argumentum per dicenda in art. 2. Cave autem ne ita rationem 2m. intelligas, ac si fides debeat carere solido fundamento. Debet habere *substantiam* et *fundamentum;* attamen *non ita apparere,* ut gignat *evidentiam cogentem.*

[1] Cf. art. seq.
[2] Ps. LXXI, 6.
[3] Ps. XCVI, 3.
[4] Ps. XCVII, 8.

ARTICULUS II.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI DEBUERIT ALIQUIBUS MANIFESTARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Adverte sedulo scopum huius articuli. Manifestatio quae hic intelligitur, talis est, ex qua *de facto* aliqui in Christum credant, non modo qua in ipsum *credere possint.* Ratio est quia, si hoc altero sensu manifestatio sumatur, argumentum primum articuli praecedentis nullam habet vim. Quid enim impedit, quominus Christus ita omnibus manifestatus sit, ut credere in ipsum *potuerint?* Sufficiebat eos non credidisse, ut mors eius possibilis redderetur. Unde non dicit Apostolus: « Si cognoscere potuissent », sed: « si cognovissent ». Quaestio est ergo de tali manifestatione, quae de facto cognoscere fecerit et agnoscere.

2) Iam vero *a*) talis manifestatio, si non erat facienda omnibus; nisi aliquibus facta fuisset, inane reliquisset opus Illius, qui humana carne indutus, ad salutem generis nostri progrediebatur. - *b*) Debuit autem fieri talibus, a quibus integrum sine gratia testimonium reciperetur. - *c*) Neque impediri debuit ab hostili turbatione aut impetu, quum nativitas Christi esset initium implacabilis belli hostibus veritatis indicendi, et ineffabilis gloriae martyribus veritatis reservandae.

II. **Ad Textum.** - *1 Obj.* Negligit dicta n. 2, *a*).

2 Obi. Non attendit ad rationem allatam 2, *b*).

3 Obi. Non considerat dicta 3, *c*).

Sed contra est. Principium hic expositum habes in his, verbis Angeli ad Tobiam: « Opera Dei revelare et confiteri « honorificum est.... Manifesto ergo vobis veritatem, et non « abscondam.. occultum sermonem » [1]. Quod si verum est de privata manifestatione doni caelestis, quanto magis erit de publica manifestatione summi doni Dei?

In Corpore. Œconomia quae hic indicatur, regit totum apostolatum catholicum, uti manifestius apparebit, ubi age-

[1] Tob. xii, 7, 11.

mus de praedicatione Christi collata cum praedicatione Apostolorum. Ex hac successione traditionis oritur illa gradatio fidei, de qua ipse Christus testatus est: « Beati qui non viderunt et crediderunt [1].

Resp. ad 3m. Ita contrahi potest hoc responsum:

Turbatio orta in Christi nativitate utilis fuit:
- 1) ad manifestandam caelestem Christi dignitatem; (in causa)
- 2) ad figurandam iudiciariam Christi potestatem: (in effectu)
  - *a*) superbos reges confundentem, } in poenam
  - *b*) diaboli potestatem, cuius figura Herodes erat, deiicientem, } in poenam
  - *c*) infantes pro se occisos remunerantem, } in praemium.

ARTICULUS III.

UTRUM SINT CONVENIENTER ELECTI ILLI QUIBUS EST MANIFESTATA CHRISTI NATIVITAS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex narratione evangelica habemus, Christi nativitatem caelitus manifestatam fuisse pastoribus, Magis, Simeoni et Annae. Prioribus, scilicet pastoribus et Magis, fuit publica; posterioribus occulta. Pastoribus per angelos, Magis per stellam; Simeoni et Annae per internam Spiritus illustrationem. Iam vero in his electis possumus considerare vel *nationem,* vel conditionem *moralem,* vel conditionem *naturalem,* vel conditionem *socialem.*

a) Si *nationem,* ecce nobis pastores repraesentant populum iudaicum, viciniorem; Magi vero gentes, remotiores.

b) Si conditionem *moralem,* pastores repraesentant *fidem simplicem* vulgi; Simon et Anna, *contemplationem sanctorum;* Magi, peccatores falsitatisque cultores.

c) Si conditionem *naturalem,* Simeon repraesentat sexum *virilem;* Anna sexum *debiliorem;* et quidem eorum *senectus* figurat plenitudinem temporum et longam V. T. expectationem.

[1] Ioann. xx, 29.

d) Si conditionem *socialem,* pastores figurant populum opibus destitutum et incultum; Magi divites, potentes, doctos.

Si iam consideras, primitias illas destinari ad praeparandam manifestationem Christi, quae Iudaeos ac Gentes, iustos ac peccatores, viros ac mulieres, parvos ac magnos aeque complectitur, apparet quam bene Deus elegerit, quos elegit.

2) Neque putes, deesse iuvenes ac sacerdotes. Ipse Christus erat Sacerdos deinceps unicus et aeternus; Ioseph et Maria repraesentabant florem iuventutis. Caeterum e pastoribus quis dixerit nullos fuisse iuniores, neque seniores secum tulisse tenellos? - Quod autem removeantur scribae ac sacerdotes Ierusalem, profunde significat, Christi adventum non profuturum nisi hominibus bonae voluntatis. Iam vero quaenam peior voluntas quam sacerdotum et scribarum Christum quidem ex Legis scientia cognoscentium, at ex invidia blasphemantium? Quorum responsum ad Magos condemnatio fuit.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Non considerat rationem syntheticam atque propheticam huius primae manifestationis.

2 Obi. Eodem vitio laborat. Quinam proprie fuerint isti Magi, exegetis relinquimus disputandum: utrum reguli, astronomi an magici.

3 Obi. Pariter ad eosdem remittimus, undenam vocati fuerint ad cunas nati Regis, utrum de longiqua an de viciniore terra.

4 Obi. Non attendit dicta n. 2.

5 Obi. Non considerat dicta n. 1, *c*) et n. 2.

Sed contra est. Si iam Deus « omnia in numero, pondere « et mensura » disponit [1], « omnia in sapientia » facit [2], quanto magis attentos nos vult in consilio suo perscrutando, ubi specialius aliquos *eligit,* quibus tam altum mysterium prae aliis manifestet.

In Corpore. Posito principio de voluntate salvifica universali, S. Th. invenit in electione testium nativitatis Redemptoris hanc universalitatem quadrupliciter expressam. Quas quatuor rationes confer cum synthesi symbolica supra n. 1 *a, b, c, d,* exposita.

[1] Sap. xi, 21.
[2] Ps. ciii, 24.

Resp. ad 3m. Pulchrum hoc responsum ita contractum habes:

Magi ab *Oriente*
- 1) *symbolice:*
  - *a*) initium fidei, ortus solis;
  - *b*) Christus Orientem ad se ducens.
- 2) *historice:*
  - *a*) sive de longinqua
  - *b*) sive de proxima

  } terra in orientali parte posita.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS MANIFESTARE DEBUERIT PER SEIPSUM NATIVITATEM SUAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quando agitur de duplici veritate simul manifestanda, illud medium est efficacius, quo utrumque pariter melius ostenditur. Iam vero manifestatio Christi duo continebat: divinitatem et humanitatem veram Pueri nati. Porro pone Christum manifestantem seipsum: divinitas utique maxime apparebit; veritas autem humanitatis minuetur, quum sit contra naturae leges, infantes haec signa edere. E contra pone signa extra Christum facta ad Christum conducentia: signa caelestia monstrant divinitatem infantis quem manifestant; ipse vero infans, in omnibus aliis similis inventus, ostendit se verum hominem nostra natura indutum. Ergo utrumque obtinetur.

2) Quomodo autem cum hoc principio stare possint quaedam portentosa a Christo in infantili aetate acta, videbimus infra, ubi de initio miraculorum Iesu [1].

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Non attendit ad progressum operis Redemptoris.

2 Obi. Non attendit ad sapientiam, quae regit ipsum silentium Christi infantis. Unde haec obiectio pulchre a S. Thoma retorquetur.

3 Obi. Supponit aliquid, quod infra ex professo negabitur.

Sed contra est. Huc facit illud supra expositum: « Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem, etc. » [2].

[1] Quaest. XLIV, 3.
[2] Is. VIII, 4.

Quod Augustinus ita explicat « Antequam per humanam carnem Christus humana verba proferret » [1]. Quibus corroboratur factum de Christo seipsum non manifestante. Quam mirabile hoc silentium fuerit, quantae humilitatis, discretionis, obedientiae, sermo creatus nunquam exprimere valebit. Divino certe instinctu beatissima Virgo hoc silentium anticipative imitata est, quando, divinae prolis iam Mater, angustiarum sui Sponsi non ignara, maluit silere, ut mysterii in se completi manifestationem angelico ministerio committeret.

In Corpore. Pulcherrimi huius, licet brevissimi argumenti paucis ecce medullam. Manifestatio tendebat in fidem; fides autem erat de divinitate simul et humanitate Christi nati; manifestatio autem a Christo de se facta, si divinitati manifestandae profuisset, humanitati potius obfuisset; dum manifestatio per externa signa utrique profuit. Ergo illa minus conveniens, haec convenientior.

ARTICULUS V.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI PER ANGELOS ET STELLAM DEBUERIT MANIFESTARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Evangelium nos docet, pastores monitos fuisse per *Angelos,* Magos per *stellam,* Simeonem et Annam per *internam Spiritus illustrationem.* Convenientia autem huius triplicis signi, - si tamen inspiratio interna hoc nomine vocari possit, - desumenda est ab uniuscuiusque signi relatione ad eos quibus datum est, necnon ad illum quem manifestare debebat. De utraque igitur relatione breviter quaeramus.

2) *Relatio signi ad illum cui datur* petenda est a principio, quod demonstrationem syllogisticam regit. Sicuti enim in demonstratione a noto ad ignotum intellectus ducitur; ita nisi signum familiare sit intuenti, in rei signatae notitiam pervenire non facit.

Iam vero in tribus praedictis signis gradatio invenitur maxime proportionata indoli illorum quibus destinata sunt.

[1] Serm. 4. *de Epiph.* - *P. L.* XXXVIII, 1034.

a) *Simeon* et *Anna* erant vitae *spiritualis*, assuefacti internis gratiae illustrationibus: quid melius poterat eos docere quam *Spiritus* Dei *interne* eorum mentem illustrans? - *b*) *Magi* et *pastores* erant rebus potius *corporalibus* dediti; ergo eos instrui decebat signo visibili, at eorum culturae religiosae vel profanae aptato. Inde α) *pastores*, credentes de populo Israël, et proin Angelorum cultui devoti, Angelos convenientissime nuntios accepere. - β) *Magi* vero, stellarum cursus assidue contemplantes, stella aptissime de caelorum Domini ortu certiores facti sunt.

3) Neque minus congrua fuit triplicis signi *ad Christum natum relatio*. Etenim in Christo tria sunt: divinitas, anima, corpus. *a*) *Divinitas*, figuratur per divinam internam illustrationem sanctis Simeoni et Annae concessam; *b*) *anima* figuratur per signum rationale sive intellectuale, per Angelos, qui pastoribus, uti rationalem Deo cultum exhibentibus, apparuerunt; - *c*) *corpus* demum Christi figuratur per stellam, - erat quippe corpus aliqualiter caeleste, de Virgine per Spiritum Sanctum productum, - quae stella Magis, irrationali idolorum cultui deditis, ortum summi Regis nuntiavit.

II. **Ad Textum**. - *1. Obi.* Abstrahit a manifestatione divinitatis.

2. Obi. Abstrahit a manifestatione per internam Spiritus illustrationem.

3. Obi. Duplici vitio peccat. *a*) Non attendit ad modum singularem, quo haec stella regebatur ab eo quem nuntiabat. *b*) Insuper falso supponit, Magos tempus ortus Christi cognovisse. Unde nulla est comparatio.

4. Obi. Abstrahit a relatione quam habuit illa stella vel *a*) cum aliqua antiqua Orientis traditione; vel *b*) cum prophetia Balaam sedulo in his partibus servata; vel *c*) cum voce interna a Magis audita.

Sed contra est. Quae supra diximus de electione Dei [1], hic pariter valent. Recole insuper prophetiam: « Orietur « stella ex Iacob ».

In Corpore. Vide argumentum huius *Corporis* contractum

[1] Art. 3.

in dictis n. 1; et aliquo modo etiam (quoad partem interpretationis S. Gregorii in fine allati) in n. 2. - Neque te fugiat subtilis consideratio S. Augustini relationem invenientis inter stellam quae Magis apparuit, et vocationem Gentilium quam figurabant.

ARTICULUS VI.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI ORDINE CONVENIENTI FUERIT MANIFESTATA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Incipit hic tertia pars huius Quaestionis: de *ordine* manifestationis considerato in signis ad invicem collatis, et etiam in ipsa manifestatione per stellam ad Magos. Ubi ad modum cuiusdam digressionis, de huius stellae natura investigatur.

2) Iam vero quaestio exegetica satis difficilis est de ordine quo haec tria ponenda sint: adoratio pastorum, adoratio Magorum, praesentatio in templo. Passim enumerantur ordine quo S. Thomas ea explicat, sed res in ambiguo iacet. Nec longe petita est dubii ratio.

Si Evangelium consulis, ecce S. Matthaeus narrat unice adorationem Magorum [1], S. Marcus nihil habet de his tribus, S. Lucas adorationem pastorum describit et praesentationem in templo [2]; S. Ioannes rursus tacet. Quaestio igitur oritur, ubinam in textu Lucae chronologice interponenda sit narratio Matthaei.

3) Quadraginta dies interfluxisse inter nativitatem et praesentationem Iesu, certum est [3]. Magos autem ante praesentationem in templo advenisse, vix credibile redditur, propter visionem quam iidem Magi et S. Ioseph quasi simul habuisse videntur, ut furorem Herodis atque duplicitatem devitarent. Unde potius putamus, Magos advenisse paulo post Sacram Familiam Hierosolymis regressam. Scilicet Sacra Familia in civitate David remanserat, unde facilius posset Legis praescriptionem implere; eodem Maria et Ioseph cum Iesu regressi sunt, sive quod sparsa fama Pueri, hospitium decens

[1] Cap. II, 1, sq.
[2] Ibid., 16, 22, sq.
[3] Luc. II, 22. — Lev. XII, 3, sq.

ibi invenerint; sive animo inde mox se Nazareth recipiendi [1]. Elapsis igitur plus quam quadraginta diebus a nativitate Pueri usque ad adventum Magorum, potuerunt isti iam sat longum iter instituisse de patria sua usque Bethlehem; insuper quo magis spatium augetur inter nativitatem Pueri et decretum Herodis, eo facilius explicatur furor tyranni omnes pueros a bimatu necari iubentis.

4) Probabilius nobis videtur, stellam in ipso ortu Domini apparuisse Magis, non antea; eosque spatium dierum sufficiens habuisse, ut Christum adhuc Bethlehem invenirent, oblatione in templo iam peracta. Nec placet ideo tantopere differri iussum regis. Nam monitum Angeli ad Magos et ad Ioseph videtur quasi simultanee datum, et Herodes in Puerum atrociter inquisivit subito postquam a Magis se delusum agnovit. Quod autem pueros a bimatu mactari iusserit, satis explicatur ex nimio furore intentum finem infallibiliter attingere cupientis; eo vel magis quod ortum quidem stellae tyranno Magi determinare potuerunt, non autem aetatem Pueri, quippe quem nondum viderant, cuiusque nativitas non tam praecise in Scripturis praedicta reperiebatur.

5) Alio igitur ordine praelato, quaerendum est de eiusdem convenientia. Quae manifesta apparet. Praesentatio quidem in templo figurabat opus Christi complendum per immolationem, qua debebat sacrificare semetipsum, sistere se coram Patre, seseque templum verum exhibere destruendum ac post triduum reaedificandum. Porro quum Christus ipse ad Gentes non iverit, sed illud apostolis reliquerit; quid convenientius, quam quod vocatio Magorum secuta sit praesentationem in templo? Ita quoque melius explicatur prophetia Simeonis: « Signum cui contradicetur », est maxime signum Crucifixi. « Lumen ad revelationem Gentium » alludit ad stellam Magos proxime ad Pueri pedes adducturam. (Utrumque minus congruit, si in praesentatione in templo plenitudo vocationis Iudaeorum consideretur). Demum « doloris gladius » Virgini Matri praedictus, intime connectitur cum praesentatione in templo, considerata uti figura immolationis Christi.

[1] Inde non legimus, Magos invenisse divinum infantem in praesepio. Sed stella stetit « supra ubi erat puer »; et ipsi exhibentur « intrantes domum » *.

* Matth. ii, 9, 11.

Ex quo rursus strictior apparet nexus inter ritum oblationis primogeniti, et sacrificium Abrahae Isaacum in monte offerentis; quod sacrificium fuisse immolationis Christi eloquentissimam figuram, in confesso est.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad gradationem symbolicam, quae reperitur inter pastorum adorationem et prophetias Simeonis et Annae. Illi potius se habent passive, Ecclesiam edoctam; hi active, docentem Ecclesiam figurantes. Illi, rudiores, minus alta de Christo nato intelligunt; hi, spiritualiores, sublimia eius mysteria contemplantur et annuntiant.

2. Obi. Solvitur pariter in utraque sententia: subtilius in sententia S. Thomae, simplicius in nostra.

3. Obi. Vide solutionem infra contractam.

Sed contra est. Quum de ordine historico non omnino constet, bonum est ut utriusque sententiae explicationes ponderentur. Argumenta in favorem ordinis quem tenet Sanctus Thomas, videntur esse: *a*) communior traditio; *b*) inventio Pueri in Bethlehem; *c*) affirmatio S. Lucae [1]; « Ut perfece- « runt omnia secundum legem Domini » (scil. post praesentationem) reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam « Nazareth »; *d*) verbum Angeli ad Ioseph, (qui in illa sententia ei locutus est Nazareth) [2]: « Futurum est enim ut « Herodes, etc. », quod non videtur involvere factum immediate secuturum; *e*) iussum Herodis de occidendis pueris a bimatu, post iter Romam susceptum.

Sed rationes *d*) et *e*) indifferenter ad utramque sententiam se habent.

Rationes *b*) et *c*) debilitantur per verba S. Matthaei: « Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro « Herode patre suo, timuit eo ire: et admonitus in somnis « secessit in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civi- « tate quae vocatur Nazareth » [3]. Quibus verbis constat, S. Iosephum nonnisi propter monitum Angeli se recepisse Nazareth. Iam vero, si de urbe Nazareth in Ægyptum fugisset,

[1] II, 39.
[2] Cf. CAIETANUM.
[3] Cap. III, 22, sq.

quomodo non eodem sponte fuisset reversus? Igitur a civitate Bethlehem fugam cepit, quia eodem post praesentationem in templo regressus erat, ibidemque sedem Sacrae Familiae iam quasi fixerat.

Et ita ratio *a*) valde debilitatur. Traditio enim inde orta videtur, quod Magi puerum Bethlehem et non Nazareth invenerint. Sed si ex Scripturis ostenditur, S. Ioseph probabilius non ab urbe Nazareth exilii iter arripuisse, hoc fundamentum vacillat. Restat igitur, secundum sententiam quam ducimus probabiliorem, ut fuga in Ægyptum in medio versu 39, II Lucae ponatur [1]; et ita optime explicatur versus immediate sequens: « Puer autem crescebat, etc. »

In Corpore. Quae supra diximus, iuxta alterum ordinem (n. 4.), non intendunt infirmare profundas considerationes quas S. Th. movet circa successionem historicam: primitiarum Iudaeorum, primitiarum simul ac plenitudinis Gentium, demum plenitudinis Iudaeorum; quum haec successio ex ipsius Pauli doctrina hauriatur.

Resp. ad 3m. ita contrahitur:

- Stella apparuit Magis
  - 1) vel *ante Christum* natum; } tunc potuit esse biennium ante;
  - 2) vel *in ortu* Christi; tunc:
    - *a*) si de terra *longissime distante* venerunt, miraculose advecti sunt celerius;
    - *b*) si de *minus longinqua* terra, nulla difficultas:
      - vel 1) Herodes *distulit saevire.*
        - α) sive propter iter Romam;
        - β) sive propter dubium;
      - vel 2) *saeviit ferocius,* ut illusiones praecaveret.

Cf. quae diximus supra n. 2.

ARTICULUS VII.

UTRUM STELLA QUAE APPARUIT MAGIS, FUERIT UNA DE CAELESTIBUS STELLIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Antequam de natura huius stellae discurramus, recolantur paucis quae de ea narrat Evangelista. Haec autem ad sequentia reducuntur: *a*) Stella

[1] « Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini... reversi sunt in civitatem suam Nazareth ».

apparuit Magis in Oriente, et postea evanuit; *b*) egredientibus Hierosolymis eadem rursus apparuit; - *c*) « antecedebat « eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer » [1].

2) Iam vero habemus ex his, fuisse stellam *a*) modo lucentem et quidem interdiu, modo fulgorem abscondentem; - *b*) modo stantem, modo iter facientem; - *c*) vicine ad terram appropinquantem; - *d*) demum, - si tamen Magos usque Ierusalem conduxit, quod nobis videtur minus constare, - se moventem motu diverso ac solent sidera caelestia. Quibus omnibus apparet, eam non fuisse stellam de sidereis, quod ex sola dimensione manifestum est, quum supra domum Pueri sat propinqua steterit, ut eam ostenderet.

3) Sed fuitne corpus lucidum verum, an solum impressio in oculos Magorum producta? Ut hanc alteram interpretationem admitteremus, requireretur argumentum omnino cogens. Narratio quippe Evangelii suggerit veram fuisse stellam. Nec sufficit obiectio inde petita, solos Magos hanc stellam vidisse. Hoc enim non necessario sequitur ex textu inspirato. Insuper potuisset vera lux ab aliquibus videri, quin ab aliis videretur, subtilioris quippe naturae, producta a subtilissimo corpore, quae lux aliis fuisset visibilis, aliis invisibilis [2].

4) Putamus igitur hanc stellam fuisse quidem vere stellam, si micantem fulgorem respicis; at nonnisi improprie stellam, si materiam attendis de qua erat formata. Quam materiam ab Angelo collectam et per aërem ductam esse putamus, ita quidem ut debitis temporibus corruscans, iter ad Christum panderet. Hac interpretatione admissa Angeli fuerunt ministri Christi tum ad Iudaeos, tum ad Gentes; sed ad Iudaeos sub specie sibi in Vet. Test. propria, ad Gentes sub specie stellae.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Non attendit, caelum de aëre quoque dici.

2 Obi. Supponit falso, tam bene stellas caelestes posse ad nos descendere, quam Angelos.

[1] Loc. cit.

[2] Cf. quod in conversione Pauli narratur: de comitibus qui « stabant stupefacti, « audientes quidem vocem, neminem autem videntes ». Ergone Pauli visio fuit dumtaxat imaginaria? (Act. ix, 7).

3 Obi. Non attendit ad caecum cursum cometarum, et fixum stellarum, utrumque prorsus alienum a motu huius stellae, veluti intelligibili ductu se moventis.

Sed contra est. Perpenso vaticinio « orietur stella ex Iacob », probabile videtur Magos in Oriente ad Ierusalem positos, vidisse supra Iudaeam illam stellam veluti de Bethlehem exorsam; dein illos ad eam in caelo immobilem properasse, usquedum ab oculis appropinquantium Ierusalem evanuerit; vel stellam mox evanuisse, Magos autem eam tam nitide supra Iudaeam vidisse, ut, luce praesertim interna collustrati, ex illa visione ad Regem natum Iudaeorum sibi properandum cognoverint. Quae ultima explicatio videtur magis consona verbis narrationis: « Vidimus stellam eius in Oriente »;.. et: « ecce stella, quam viderant in Oriente » [1].

In Corpore. En schema huius argumenti:

I. *Stella non fuit de caelestibus stellis*, nam:	1) sequitur motum oppositum motui stellarum; 2) lucet de nocte et de die; 3) non habet motum continuum; 4) descendit supra domum Bethlehem.
II. Propter *motum* quasi *rationalem* quibusdam visa est,	1) vel Spiritus S. sub specie stellae (columba); 2) vel Angelus, » (pastores).
III. *Sententia S. Thomae:*	1) vera stella fuit ad hoc creata in aëre; 2) acta per divinam voluntatem.

Sententia quae nobis magis arridet, habet simul de II, 2) et de III.

ARTICULUS VIII.

UTRUM MAGI CONVENIENTER AD CHRISTUM ADORANDUM VENERINT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus modo, dum viderent stellam, Magos interna luce fuisse perlustratos. Inde factum est, ut *a*) animo prompto fideque magna properarint natum Regem Iudaeorum adoraturi; - *b*) substracto lumine stellae non dubitaverint corde, sed intrepide aulam ipsius Herodis penetrarint, quaerentes non quidem *utrum necne,*

[1] MATTH. II, 3.

sed « *ubi* » natus esset « Rex Iudaeorum »; - *c*) accepto responso, stellaque in mercedem fidei animose proclamatae denuo praelucente, domum ingressi, nec ullatenus viliori Infantuli adspectu turbati, mystica ei munera obtulerint. Iam vero haec sublimi Providentiae dispositione illustrationeque contigisse, « quis dubitaverit », quis non sentiat?

2) Ubi iam, praeter Magorum virtutem, adverte ex responso sacerdotum ac scribarum, magnam auctoritatem Messiae accedentem, quum iidem ipsi per quorum invidia erat moriturus, ortum eius ultro proclamare cogantur. Neque mysterio caret stellam cessisse oraculo Scripturarum, quum Scriptura sit lux quovis sidere excellentior.

3) Caeleste porro regnum Christi insinuatur per hoc, quod Herodes de nato Rege interrogetur. Unde Patres ei in opprobrium vertunt, quod pro solio suo timuerit, ubi nihil esset timendum. Quod et canit Ecclesia:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat caelestia[1].

Idem occurrit de Pilato tremebundo, ne Caesari Christus noceret; quare Christus Praesidis terrorem veluti despiciens, dixit, regnum suum non esse de hoc mundo.

4) Sed et in Magorum donis considera tum relationem ad Christum, tum relationem ad ipsos. Aurum confitetur Regem et figurat amorem; thus colit Deum et exprimit orationis devotionem; myrrha praedicit hominem moriturum et significat mortificationem carnis.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Non considerat indolem spiritualem et universalem regni Christi.

2 Obi. Non advertit constantiam, quae in hoc actu elucet.

3 Obi. Negligit profundas rationes, quae facta ita disposuerunt in Magorum laudem, in honorem Scripturae, in damnationem sacerdotum et scribarum, in opprobrium populi Iudaici.

Sed contra est[2]. Huc facit imprimis psalmus Epiphaniae

[1] Hymnus *ad Vesp. Epiph.*

[2] Cf. Ps. LXXI, 9, 10. Caeterum mirabilis liturgia huius festi apud Orientales et Occidentales certatim celebrati, huc esset prope tota adducenda.

iure vocandus: « Coram illo procident Æthiopes..... Reges « Tharsis et insulae munera offerent; reges Arabum et Saba « dona adducent ». Cuius facti ordinationem habes ex inspiratione de qua in *Corpore,* et quae sane mira praecisione sermonis continetur in his verbis: « Ambulabunt reges in splen« dore ortus tui ».

In Corpore. Argumentum ita contrahitur: Magi figurabant Gentes adducendas ad Christum; atqui gratia illuminans sapienter ad fidem ducit; ergo sapienter, Magi in Christo inquirendo et adorando egerunt.

De donis Magorum, deque illuminata eorum fide, qua in Puerulo omni terrestri splendore orbato, quaesitum Regem incunctanter agnoverunt quin et adoraverunt, concinne S. Bernardus haec habet: « Tres apparitiones Domini legi« mus, una quidem die, sed non uno tempore factas. Et « quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia, sed prima appa« ritio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio: « mirabilis Ioannis et columbae pariter et paternae vocis « attestatio; sed illud mirabile magis, quod agnitus est a « Magis. Nam quod Deum agnoscant, indicat adoratio, indi« cat thuris oblatio. Nec solum Deum, sed et Regem agno« scunt, quod designatur in auro. Et in his non latet eos « magnum pietatis sacramentum: unde et in myrrha indicant « moriturum. Adorant Magi et offerunt munera adhuc su« genti matris ubera. Sed ubi est, o Magi, ubi est purpura « Regis huius? Numquid viles panni isti, quibus est involutus? « Si Rex est, diadema eius ubi est? Sed vos eum vere vide« tis in diademate, quo coronavit eum mater sua: in sacco « mortalitatis, de quo resurgens ait: "Quia conscidisti saccum « meum, et circumdedisti me laetitia" [1]. "Egredimini, filiae « Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo corona« vit eum mater sua, etc." » [2]. Et inde Angelos alloquens, in haec mystica prorumpit: « Egredimini virtutes angelicae, « incolae civitatis supernae. Ecce Rex vester, sed in corona « nostra, in diademate quo coronavit eum mater sua. Sed « his deliciis usque modo caruistis, hanc hactenus dulcedi« nem non gustastis. Habetis sublimitatem eius, sed humili-

[1] Psal. xxix, 12.
[2] Cant. iii, 11.

« tatem eius non vidistis. Egredimini igitur et videte regem « Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Finis operis salvifici in Cruce complendi impediebat, quominus ortus Christi omnibus manifestaretur (art. 1); aliquibus tamen, utpote per quos aliorum fides obtineretur, manifestandus erat (art. 2); qui sapientissime electi sunt: primitiae populi Iudaici ac Gentium, varias conditiones naturales, morales, sociales in se figurantes (art. 3).

2) Porro Christi simul humanitas et divinitas non tam convenienter poterat manifestari per ipsum Christum (art. 4), quam per signa externa et interna de Christo caelitus producta: id est, per inspirationem, per Angelos et per stellam (art. 5); manifestando simul ac edocendis perfecte accommodata.

3) Nec satis: ordine sapientissimo haec manifestatio facta est, in utraque sententia de Magorum adoratione vel ante vel post praesentationem peracta (art. 6); qui Magi, per verum signum lucens, in aëre productum, ad Christum vocati (art. 7), ac superne ducti, convenientissime summum Regem quaesierunt atque adorarunt (art. 8).

[1] Serm. 2, *in Epiph. Dom.* n. 1. — *P. L.* CLXXXIII, 147, sq.

III. MEMBRUM.

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM IESUM IMPLETIS.

QUAESTIO XXXVII.

Ordo Quaestionis historicus est. Considerantur circumcisio et praesentatio, utraque sub duplici aspectu.

1) De **Circumcisione:** { *a*) quoad *carnis circumcisionem* proprie dictam (1); *b*) quoad *nominis impositionem* (2).

2) De **Praesentatione:** { *a*) quoad primogeniti *oblationem* (3); *b*) quoad matris *purgationem* (4).

Ob momentum huius Quaestionis duplici Capite argumentum distribuere lubet. Eo vel magis quod agentes de circumcisione circa nomen Iesu, necnon circa aliqua principaliora Christi nomina nonnihil disseremus [1].

CAPUT I.

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT CIRCUMCIDI.

De ipsa Quaestione. - 1) Quando quaeritur utrum Christus circumcidi debuerit, et alia huiusmodi, sensus quaestionis nequit esse de debito absoluto antecedente. Christus quippe Homo-Deus supra legem est. Ad haec autem dumtaxat tenebitur ut homo, vel quibus intrinseca moralitas inest, vel ad

[1] Comple per hanc subdivisionem tabellam p. 2.

quae mandatum a Patre accepit. Quum igitur circumcisio per se huiusmodi ritus non sit, sed aliquid positivi, et nullum legamus Christum de suscipienda circumcisione habuisse mandatum, Christus absolute circumcidi non tenebatur.

2) Quaestio proin reducitur ad specialem convenientiam, quae petenda est ex indole huius ritus, tum *a*) in se, tum *b*) in sua relatione ad personam, quae eum suscipit. Iam vero *a*) circumcisio, utpote remedium originalis peccati, duplicem habebat significationem, carnalem et spiritualem. α) *Carnalis* significatio erat professio corruptionis per carnalem concupiscentiam, cui proin ritus carnalis adhibebat remedium etiam physice efficax. β) *Spiritualis* significatio erat professio originis in peccato, cuius figurabat expoliationem per sanctificationem et per vitiorum mortificationem.

b) In Christo autem duplex persona consideranda est: α) alia realis in semetipso singulariter considerato; β) alia typica, quatenus repraesentabat totum genus humanum.

3) His utrimque positis, quaesito ita respondetur: *a*) Ut persona realis, singularis, Christus non debuit circumcidi: tum α) quia, de Virgine natus, non traxit ab Adamo carnem peccati; tum β) quia, gratiis et virtutibus cumulatus, non habebat unde nec amplius sanctificaretur, nec vitiis ullatenus exueretur. *b*) Sed quatenus Christus typum gerebat humani generis salvandi, decuit ipsum suscipere in se omnes humiliationes et expiationes generis nostri, demptis utique ipsa concupiscentia et peccato.

4) Inde conclude, corporalem circumcisionem Christi esse figuram nostrae circumcisionis spiritualis, quemadmodum corporalis resurrectio Christi est figura nostrae resurrectionis spiritualis, iuxta doctrinam S. Pauli [1] et Origenis [2]. Inutilis autem factus est ritus vetus, tum *a*) quia ad legem carnalem pertinebat; tum *b*) quia tota eius vis eminenter continetur in baptismate christiano, in quo rursus, sed sub forma nobiliori, habetur duplex symbolismus *mundationis* et *expoliationis* per sanctificationem.

5) Praeter illas rationes fundamentales convenientiae, habes alias in *Corpore* articuli a S. Thoma expositas. Adverte

[1] Coloss. II.

[2] Hom. 14 *in Luc.* in princ.

modo quam mirabile exemplum non solum obedientiae [1], sed et *humilitatis* et *patientiae* Christus in circumcisione nobis dederit: *a*) *humilitatis* [2], quum non recusaverit ritum subire maxime ignominiosum, quo tota excellentia ortus sui atque personalis dignitas negari videbatur; *b*) *patientiae,* quum libens, sui plenissime conscius, non sine acuto dolore, primitias sanguinis effuderit [3]. In quo ultimo animadverte, quam pulchre circumcisio sanguine Christi sacretur, quemadmodum baptismus passione Christi erat sacrandus.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Supponit perperam, Christum iam per nativitatem suam nostrae nativitatis vetustatem liberasse.

2 Obi. Dupliciter deficit. *a*) Non considerat distinguendum esse inter praecepta adhuc manentia et praecepta Legis abolitae. *b*) Insuper non attendit ad symbolismum circumcisionis spiritualis.

3 Obi. Non distinguit in Christo exigentiam personae et convenientiam operis salvifici [4].

Sed contra est. Hoc argumentum supponit, factum a Luca narratum non potuisse sine gravi convenientia sapienter impleri. Aliqui huc adducunt illud ad Moysen dictum: « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum *similem* « *tui* » [5]. Utrum autem hoc « *similem tui* » sit per se extendendum usque ad circumcisionem susceptam, non videtur solidè constare.

In Corpore. Rationes 1, 3, 4, hic a S. Thoma allatae, sunt *prudentiae;* - ratio 5 est *pietatis;* - rationes 2, 6 et 7 sunt *doctrinales, symbolicae.*

Adverte, rationem ultimam non esse meram oppositionem verbalem, sed imo maxime realem. Quemadmodum enim aliquis ab onere alium liberat, propriis illud humeris imponendo; ita Christus totam sibi suscipiens Legem, quae mole sua populum deprimebat, nec ab eo servari plene poterat, ab eiusdem onere eumdem liberavit.

[1] Cf. 5.

[2] Cf. textum S. Bernardi in fine art. 4 afferendum.

[3] Inde subtilis ratio nominis Iesu in prima pretiosissimi Sanguinis effusione impositi.

[4] Vide dicta n. 3.

[5] Deut. xviii, 18.

Ne autem rationes ab Angelico hic allatas intelligas quasi cogentes, placet audire S. Bernardum de circumcisionis mysterio pulchre disserentem: « Abbreviatum (Verbum) in carne, « amplius abbreviatur suscepta etiam carnis circumcisione. « Minoratus paulominus ab Angelis Dei Filius, humanam « naturam induit; sed iam nec ipsum respuens remedium « humanae corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Habes « igitur hic magnum fidei documentum, habes et manifestum « humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circumcisio neces- « saria, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quod « ipse non feceris, aetas manifestat; quod non contraxeris, « multo certius probat Patris divinitas, integritas Matris. Sum- « mus sacerdos es, quem nec super patre, nec super matre « contaminandum, prophetatum est in lege [1] potius quam « mandatum. Est enim tibi Pater ab aeterno, sed Deus est, « in quem peccatum non cadit. Est et Mater ex tempore, sed « virgo; nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super « haec omnia circumciditur Puer, Agnus sine macula: etsi « non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec vestigium qui- « dem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vul- « neris. Non sic impii, non sic; non sic agit perversitas ela- « tionis humanae. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de « vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest « arguere de peccato, ipse peccati remedium et verecundum « pariter et austerum, sine ulla necessitate suscepit; nec repu- « lit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa, quae eraderetur « rubigo, non fuit » [2].

Quaeres quisnam fuerit circumcisionis Christi minister?

Antiqua traditio est, S. Iosephum hoc ministerium egisse. Unde S. Ephrem Syrus ait, « Si non erat vera caro, quem « ergo Ioseph circumcidit? » [3] Quod ita per transennam dicere non potuisset, nisi haec opinio esset vulgatissima. Et sane, quod iam monet S. Cyprianus, in circumcisione nomen imponebatur. Iam vero nomen Iesu imposuit S. Ioseph.

Verum est, pictores passim repraesentare sacerdotem,

[1] Levit. xxi, 11.

[2] Serm. i, *in Circumc. Domini*, n. 1. — *P. L.* clxxxiii, 131, sqq.

[3] Orat. *De Transfig.*

imo summum hoc munere fungentem. Sed « multa licent « pictoribus atque poëtis ». Nec aliquid huiusmodi apparet in historia. Imo non solum homines e laicali statu, uti Abraham [1], Isaac [2], Iosue [3]; sed et mulieres [4] circumcidisse suos leguntur.

Putamus proin, non immerito Suarez [5] tanquam probabiliorem iudicasse sententiam, quae tenet B. Iosephum ipsum fuisse in hoc legali sacramento circa Christum adimplendo. Ex quo sane ministerio nova dignitas accedit virgineo Sponso Virginis Deiparae.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTER FUERIT CHRISTO NOMEN IMPOSITUM.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Inter praecipua caelestis atque terrestris historiae facta illud imprimis numerandum est, divino Puerulo nomen Iesu impositum esse. Nec parva gloria S. Ioseph, cui contigit tanquam patri putativo, imo legali, hoc nomen, a beatissimis Angelorum choris per tot saecula expectatum, in hoc almo instanti, nomine Patris aeterni ac Virginis Matris proferre.

2) A priori de convenientia huius nominis nemo dubitaverit, qui id recordetur tum B. Virgini, tum B. Iosepho fuisse angelico nuntio revelatum. Nec revelatum modo, sed et illustratum. Dixit enim Angelus B. Ioseph: « Pariet autem Filium: et vocabis nomen eius Iesum » (unde apparet, ad S. Iosephum pertinuisse in hoc mysterio nomen puero imponere): « ipse enim *salvum faciet populum suum a peccatis eorum* » [6].

3) Proin nomine Iesu significatur explicite opus *Redemptionis* ad quod Verbum caro factum est. Est proin nomen *victoriae,* quia dicit *victoriam* suprema lucta cum daemone reportatam; dicit *trophaeum* a Patre in praemium extremae

[1] Gen. xvii, 23.
[2] Ibid. xxi, 4.
[3] Ios. v, 3.
[4] II. Machab. vi, 10.
[5] Op. cit. disp. xv, sect. 1. — Huic sententiae subscribit et Lépicier (op. cit., p. 346 sq.).
[6] Matth. i, 21.

abnegationis et humiliationis acceptum. Unde Paulus illud vocat: « *nomen super omne nomen* »; *nomen exaltationis,* in quo « omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infer- « norum ». Continet proin in se gloriam Homini-Deo mediatori in caelis debitam; unde « omnis lingua » confitetur quia « Dominus Iesus Christus *in gloria est Dei Patris* » [1].

4) Nomen autem *Emmanuel* [2], quod etiam ab Angelo cum Ioseph colloquente enuntiatur, magis exprimit *Incarnationem,* quam et nomen Iesus supponit quidem, sed non expresse significat. Unde si Incarnatio in ordine praedestinationis praecesserit Redemptionem, quatenus facta fuisset etiam homine non lapso, nomen *Emmanuelis* poterit dici Christi nomen princeps. Nec mirum, hoc nomen *Emmanuel* ab Isaia coniungi praedictioni de Virgine paritura. Nam conceptio virginalis de Spiritu Sancto in hoc directe tendebat, ut Sanctum Sanctorum digne nasceretur: « Quod enim in ea « natum est, de Spiritu Sancto est » [3]. « Ideoque et quod « nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei » [4].

5) Hic autem Sanctus, Filius Dei, Emmanuel, quum natus sit ad populum suum liberandum, et quodvis ens secundum operationem, a qua natura eius desumitur, nomen accipiat; ille qui essentia sua Emmanuel est, efficacius ratione operis vocatur Iesus, eo vel magis quod « ad opus suum » de sinu Patris « exiens », *Emmanuel* non esset, nisi esse cuperet Iesus.

6) Sex alia nomina quae Isaias, Parvulo nobis nato tribuit, S. Bernardus hac pulchra synthesi in nomine Iesu comprehendit: « Et vocabitur nomen eius admirabilis, consilia- « rius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis [5]. « *Admirabilis* est in nativitate; *Consiliarius* in praedica- « tione; *Deus* in operatione; *Fortis* in passione; *Pater futuri* « *saeculi* in resurrectione; *Princeps pacis* in perpetua bea- « titudine. Haec etiam nomina possunt ei congrue assignari « in opere nostrae salutis. Nam primo dicitur *admirabilis* in

[1] Philipp. ii, 10, sq.
[2] De hoc nomine plura mox dicemus.
[3] Matth. i, 20.
[4] Luc. i, 35.
[5] Is. ix, 6.

« conversione nostrae voluntatis, quae mutatio est solius « dexterae Excelsi. Postmodum dicitur *Consiliarius* in reve- « latione suae voluntatis, quando revelat quid sequendum « sit iam conversis.... Conversi autem necesse est compun- « gantur pro praeteritis delictis, in quorum remissione dicitur « *Deus*, cuius tantum est peccata remittere.... Quarto dicitur « *Fortis:* iuxta sententiam enim Apostoli necesse est, ut « " omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecu- « tionem patiantur... " Et quoniam ipsa conversio, et vita « nostra in Christo agenda est non intuitu temporalium « rerum, sed spe futurorum bonorum, ideo quinto loco poni- « tur *Pater futuri saeculi.* Pater scilicet in regeneratione « corporum nostrorum. Quia vero " omnes quidem resurge- « mus, sed non omnes immutabimur " [1]: ut discernat immu- « tationem iustorum ab iniquorum resurrectione, ponitur « sexto loco *Princeps pacis.* Qua obtenta, tota perfectio « impletur, nec iam ultra aliud quidquam appetendum relin- « quitur. Ipsa est enim, in cuius exaltatione concinit Psal- « mista, dicens: " Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum « tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, « benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem " [2]. « Horum sex nominum consequentiam et virtutem breviter « atque eleganter comprehendit uno nomine Angelus loquens « ad Ioseph: " Et vocabis, inquit, nomen eius Iesum " [3]. Cuius « videlicet nominis exponens rationem: " Ipse enim, ait, sal- « vum faciet populum suum a peccatis eorum " » [4].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat nomen Iesu nisi in suo magis obvio sensu, quin attendat, illud formaliter contineri in aliis nominibus, et etiam alia vicissim in se continere. Et re vera, *Emmanuel, nobiscum Deus,* continetur in nomine Iesu, quatenus solus Homo-Deus potest salvum facere genus hominum a peccatis; continet nomen Iesu, quatenus per opus salutis *Deus* est vere *nobiscum,* filiationi adoptivae per Iesum restitutis.

[1] I Cor. xv, 51.
[2] Ps. cxlvii, 12, sqq.
[3] Matth. i, 21.
[4] Serm. lii, *De nominibus Salvatoris.* — *P. L.* clxxxiii, 676, sq.

2. Obi. Confundit nomen imperfecte et perfecte significans. Imo non considerat rationem propheticam quae huic nomini in Vet. Test. inerat.

3. Obi. Valeret argumentum, saltem usque ad aliquem gradum, nisi ab aetate ipsius Abrahae circumcisio fuisset apud Iudaeos tempus recipiendi vel imponendi nominis, uti nunc adhuc viget in baptismate.

Sed contra est. Corroboratur loco Habacuc: « Exultabo « in Deo IESU meo » [1]. - Figuratur per nomen a Pharaone impositum Iosepho: « Vertitque nomen eius, et vocavit eum « lingua Ægyptiaca *Salvatorem mundi* » [2]. - Imo quotiescumque occurrit in prophetis nomen *Salvatoris,* possumus ibi allusionem ad nomen IESU invenire; v. gr.: « Aperiatur « terra et germinet *Salvatorem* » [3]; « *Salvator* non est prae- « ter me » [4]; « *Salvator* in tempore tribulationis » [5]; « Expec- « tabo Deum *Salvatorem* meum » [6].

In Corpore. Adverte magnum discrimen inter nomen impositum ab hominibus et a Deo: homines *ab eventu,* Deus *ad eventum* nomen dat: nomina a Deo imposita habent aliquid creativi, sunt enim quasi pars ipsius praedestinationis Dei.

Placet rursus audire S. Bernardum. Nexum inter circumcisionem et impositionem nominis IESU Mellifluus Doctor ita exponit: « Magnum et mirabile sacramentum. Circumciditur « puer, et vocatur IESUS. Quid sibi vult ista connexio? Circum- « cisio nempe salvandi potius, quam Salvatoris esse videtur; « et Salvatorem circumcidere decet quam circumcidi: Sed « agnosce mediatorem Dei et hominum, qui ab ipso nativi- « tatis suae exordio divinis humana sociat, ima summis. « Nascitur ex muliere, sed cui foecunditatis fructus sic acce- « dat, ut non decidat flos virginitatis; pannis involvitur, sed « panni ipsi angelicis laudibus honorantur; absconditur in « praesepio, sed proditur radiante stella de caelo. Sic et cir- « cumcisio veritatem susceptae probat humanitatis; et nomen

[1] ABAC. III, 18.
[2] GEN. XLI, 45.
[3] IS. XLV, 8.
[4] OS. XIII, 4.
[5] IEREM. XIV, 8.
[6] MICH. VII, 7.

« quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis. « Circumciditur tanquam verus Abrahae filius; Iesus vocatur « tanquam verus filius Dei. Neque enim ad instar priorum « meus iste Iesus, nomen vacuum aut inane portat. Non est « in eo magni nominis umbra, sed veritas. Caelitus siquidem « inditum nomen Evangelista testatur: " quod vocatum est ab « Angelo, priusquam in utero conciperetur ". Et attende verbi « profunditatem. Postquam natus est Iesus, Iesus vocatur ab « hominibus, qui vocatus est ab Angelo priusquam in utero « conciperetur. Idem quippe et Angeli Salvator et hominis: « sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturae » [1].

APPENDIX.

DISSERTATIO DE PRAECIPUIS NOMINIBUS CHRISTI [2].

Quemadmodum in tractatu de SS. Trinitate, de praecipuis nominibus divinarum personarum, maxime Filii [3] ac Spiritus Sancti breviter disseruimus; ita quoque hoc loco de nominibus Christi faciendum est, omissis nominibus **Christo, Deo, Verbo,** utpote de quibus in praecedenti volumine iam egimus.

Quo maiori autem ordine haec dissertatio incedat, nomina distribuimus in duas praecipuas classes; quarum prior complectitur nomina potius *entitativa,* sive constitutiva; altera, nomine potius *operativa.* Dico *potius*, nam nomina entitativa continent in germine opus Christi, et vicissim nomina operativa in Christi constitutione radicantur.

A) **De nominibus potius entitativis.**

Entitativa nomina praecipua sunt ea quae exprimunt 1) Christi ortum, uti *Oriens* et *Lucifer, Lux, Radix;* 2) Christi duplicem naturam uti *Emmanuel;* 3) Christi personam in

[1] Serm. 1. *De Circumc. Dom.*, n. 2. — *P. L.* CLXXXIII, 133.

[2] E variis operibus quae de hoc argumento tractant, legesis Fr. Luis de Leon *(De los nombres de Christo)*, et P. Giuseppe Maria Roberti *(L'onomatologia del divin Redentore nel nuovo Testamento).*

[3] Nonnulla quae ibi de Filio diximus, iam respectum habent ad Filium Incarnatum.

hac duplici natura, uti *Filius, Primogenitus;* 4) Christi habitudinem ad utramque, uti *Sanctus, Iustus, Sponsus;* 5) Christi centralem dignitatem sive in eius habitudine ad universum, sive in sua relatione ad Deum ac homines, uti *Caput, Dominus, Rex, Petra, Alpha et Omega, Via, Mediator,* imo *Sacerdos;* quae nomina magis proxime viam sternunt ad nomina operativa.

1) *Ortum* igitur Christi exprimit imprimis *a*) nomen **Oriens.** *Oriens* (Ἀνατολή) in duplici sensu sumi potest, secundum quod derivatur a קֶרֶם vel a צֶמַח, in primo sensu significat lucem in caelo orientem dieique principium; in altero significat germen oriens de foecundo principio. α) In sensu *orientis germinis* occurrit apud Zachariam: « Ego adducam « servum meum Orientem » [1]; quae verba, licet directe dicta de Zorobabele a Deo electo ad reaedificandum templum, intelliguntur figurative dicta de Christo templum mysticum universi in plenitudine temporis instauraturo. In sensu germinis nomen Oriens optime Christo convenit: insinuat enim ortum eius duplicem ex Deo et ex Virgine. Unde concordat cum verbis Isaiae « Rorate caeli desuper et nubes pluant « Iustum: aperiatur terra et germinet Salvatorem » [2].

β) In sensu *orientis lucis* adhibetur a Zacharia patre Ioannis Baptistae. Verba enim: « Visitavit nos Oriens ex « alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis « sedent » [3], manifesto intelligenda sunt de luce tenebras effugante. Quare in hoc sensu per nomen *Oriens* directius ortus caelestis Christi exprimitur. Hoc sensu Isaias Christum prophetavit: « Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem « magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta « est eis » [4]. Quare synonymum huius nominis est *Sol iustitiae,* quo nomine Malachias Christum oriturum salutat: « Et orie- « tur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae » [5].

Hic alter sensus *orientis lucis* potior est in Liturgia et apud scriptores sacros. Ante natalitia festa Messiam proxime venturum Ecclesia appellat: « O *Oriens,* splendor lucis

[1] Zach. iii, 8.
[2] Is. xlv, 8.
[3] Luc. i, 78, sq.
[4] Is. ix, 2. — Cf. xlii, 6; xlix, 6; lx, 1.
[5] Malach. iv, 2.

« aeternae, et sol iustitiae: veni, et illumina sedentes in « tenebris et in umbra mortis ». Et iure: « nam, ut ait Gre- « gorius Magnus, quia ab Oriente lux venit, recte *Oriens* dici- « tur, cuius iustitiae lumine nostrae iustitiae illustrantur » [1]; et S. Beda, Zachariae canticum exponens, ait: « Recte *Oriens* « vocatur (Christus), quia nobis ortum verae lucis aperiens, « filios noctis et tenebrarum lucis efficit filios, iuxta id quod « consequenter exponit: "illuminare his, qui in tenebris etc." ».

b) Nomini Orientis vicinum est nomen **Lucifer** (Φωσφόρος). Quod quidem nomen non semper in Scripturis occurrit adoperatum de Christo. Triplici enim sensu in paginis sacris adhibetur.

α) In sensu *stellae matutinae,* illius scilicet planetae, quae mane lucem veluti adnuntiat unde proprie Luciferi nomine gaudet; Vespere autem post solis occasum rutilat prima, ac ideo Vesper sive Vesperugo dicitur [2]. Ita in libro Iob Deus ait: « Numquid producis luciferum in tempore suo? » [3]. Et in psalmo CIX dicit: « Ex utero ante luciferum genui te » [4].

β) In sensu *principis Angelorum rebellium* occurrit in figura regis Babylonici apud Isaiam: « Quomodo cecidisti de « caelo lucifer (ὁ φωσφόρος), qui mane oriebaris? » [5]. Inde passim Satanas Lucifer vocari solet [6]: quo nomine impie abutuntur quotquot hodie satanicum cultum, - sectae massonicae animum - instaurare moliuntur.

γ) In sensu altissimo *Christi,* - qui Lux de Luce superne illapsus, mundo caelestem claritatem attulit - Christus ait de se: « Ego sum... stella splendida et matutina » [7]. Et S. Petrus scribit: « Et habemus firmiorem propheticum sermo- « nem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti « in caliginoso loco, donec dies elucescat, et Lucifer oriatur « in cordibus vestris » [8]. Ad quae verba antiquus commen-

[1] In Iob. l. xx, c. 22. — *P. L.* lxxvi, 167.

[2] Cf. Senec. (*Med.* act. 4); Virgilium (*Æneid.* ii); Ovid. (*Metam.* l. xi, 15).

[3] Cap. xxxviii, 32. Vers. lxx vertit διανοίξεις Μαζουρώθ (מַזָּרוֹת); Cf. xi, 17.

[4] Vers. 3.

[5] Is. xiv, 12.

[6] V. gr. Richardus Victorinus scribit: « Constat quod Lucifer ille, qui mane « oriebatur, multam habet potentiam, multam sapientiam, sed nullam omnino volun- « tatem bonam ». (*De tribus appropr. personis in Trin.* — *P. L.* cxcvi, 994 B).

[7] Apoc. xxii, 16.

[8] II. Petr. i, 19.

tator ait: « Cum dies advenit, id est, rerum ipsarum praesen-« tia, habebitis orientem Luciferum in cordibus vestris, hoc « est Christi cognitionem et adventum eius a Prophetis prae-« nuntiatum, qui tanquam lux vera corda vestra illustrabit » [1]. Hoc tertio sensu lucifer non est modo illa stella matutina solem praenuntians, sed et dici potest ipse sol lucem suam diffundens.

Hunc sensum rursus Liturgia ac Patres corroborant. In praeconio paschali de cereo mystico canitur: « Flammas eius « Lucifer matutinus inveniat; Ille, inquam, Lucifer qui nescit « occasum ». In quibus verbis ad utrumque alium sensum breviter alluditur. Pulchre S. Cyrillus: « Et iubar, et dies, et « Lucifer est Christus, qui mentibus fidelium per spiritum « irradiat, easque illuminat clarius, quam caeterae stellae. « Praeterea sicut lux luciferi a sole gignitur, ita Christus « gignitur a Patre, quasi lumen de lumine, Deus de Deo. « Unde ipsemet Christus de se ait: " Ego sum stella splen-« dida et matutina " » [2].

c) **Lux** pariter Christus vocatur, sicuti apparet ex prophetia Isaiae modo allata [3]. Ideo Magos ad puerum divinum duxit rutilans stella. Ideo Simeon Infantem ulnis gestans salutavit: « Lumen ad revelationem gentium ». Et sane Christus de se ipso dixit: « Ego sum Lux mundi » [4], et « dum « lucem habetis, credite in Lucem ut filii Lucis sitis » [5]. Sed de hoc nomine in tertio volumine iam plura diximus, ad quae remittere lectorem liceat [6]. Idem valet de *Splendore*, qui est ipsius lucis claritas.

d) Porro si haec tria nomina ortum Christi exprimunt uti Deus est [7], nomen **Radix**, magis exprimit ortum Christi hominis. Huc facit pulchrum vaticinium Isaiae: « Egredie-« tur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, « et requiescet super eum Spiritus Domini... In die illa radix « Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes depre-

[1] *Œcum. comment.* in 1.
[2] *De Trinit.* l. I, sub init. — Apoc. loc. cit.
[3] Is. IX, 2; cf. alia loca Prophetarum allata t. III, 527.
[4] Ioann. VIII, 12.
[5] Ibid. XII, 36.
[6] Loc. cit. — Cf. Praefationem Missae de B. M. V.
[7] *Oriens* autem in sensu germinis orientis utrumque ortum Christi continet.

« cabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum » [1]. Quo ex loco S. Paulus eloquenter arguit ut demonstret, Christum non tantum in favorem Iudaeorum confirmasse promissiones patrum, sed iuxta easdem promissiones ex misericordia Gentes vocasse in salutem [2]. Quare instante Christi ortu Ecclesia Messiam verbis Isaiae invocat: « *O Radix* etc. »

Radix autem Christus est non tantum quia per humanam naturam Verbum e radice nostri genere prosiluit, sed quia in passione pro nobis humiliatus est, et omnes fideles veluti e radice rami ex eo pullulant. In priori sensu exinanitionis Isaias exclamabat: « Quis credidit auditui nostro, et « brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut « virgultum coram eo, et sicut *radix* de terra sitienti » [3]. Altero sensu intelligi possunt verba Pauli: « Si *radix* sancta, « et rami » [4]. Imo huc spectat parabola Christi de vite et palmitibus. Sed hi duo sensus secundarii spectant potius ad Christi opus in se et in suo fructu.

Et haec satis sint de nominibus quae ad Christi ortum relationem specialem habent.

2) Iam vero Christi duplicem naturam eloquenter exprimit nomen **Emmanuel** (עִמָּנוּאֵל), quod idem sonat ac *Deus nobiscum.*

Primo occurrit haec appellatio in celebri vaticinio Isaiae: « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium et vocabitur nomen « eius Emmanuel » [5]. Quae verba ita exponi possunt: Ecce Virgo concipiet et virgo pariet filium. Quod si quaeris cur Deus tantum prodigium operetur, ratio ab ipsa dignitate huius filii petenda est. Erit enim filius Dei simul ac filius hominis, ac proin erit *Deus nobiscum* modo perfectissimo, quia idem ipse erit ob geminam naturam in una persona Deus-Homo.

Quare nomen Emmanuel, quod Isaiae promissum, in nativitate Christi impletum testatur S. Matthaeus [6], compendiose

[1] Is. XI, 1, 10.
[2] Rom. XV, 8-12.
[3] Is. LIII, 1, sq.
[4] Rom. XI, 16.
[5] Is. VII, 14.
[6] Matth. I, 23.

idem exprimit ac: « Et Verbum caro factum est, et habitavit « in nobis » [1]. Verum quidem est, ut monet Petavius [2], nomen Emmanuel per se tam sublimem interpretationem non omnino exigere. Sed si consideratur modus solemnis quo promittitur et traditio apud Patres constans, fatendum est hanc esse revera significationem huius nominis [3]. Optime S. Chrysostomus: « Cum enim Verbum caro factum est, et habitavit « in nobis, reapse fuit *nobiscum Deus,* et Isaiae vaticinium « impletum est » [4]. Et S. Cyrillus: « Et vocabitur nomen eius « Emmanuel: Hoc est, confiteberis Deum in humana appa- « ruisse forma. Cum enim apparuit simile nostri unigenitum « Dei Verbum, tunc nobiscum fuit. Nam qui omnem crea- « turam excedebat, factus est similis nostri » [5].

Quare Nestorius impie hoc nomine abutebatur ad personalem unionem Dei et hominis in Christo inficiandam, dicendo Deum non esse Christum, sed cum Christo. Aliud enim est *Dominus* cum Christo, seu in ore Christi *Dominus mecum;* aliud in ore nostro *Deus nobiscum* ob Christum. Scilicet per Emmanuel Deus est nobiscum, quia ipse Emmanuel simul homo et Deus [6].

Permanentiam in nomine Emmanuelis contentam exprimit axioma: Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit; eamque ipse Christus testatus est, quando ait: « Et ecce ego « vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem « saeculi » [7]. Imo ad Emmanuelem inscii appellaverunt discipuli Emmaus dicentes: « Mane nobiscum » [8]. Iure proin Ecclesia ortum Christi expectans canit: « *O Emmanuel,* etc. ».

Participative Deus est nobiscum, seu Emmanuel noster per inhabitationem gratiae. Unde Incarnationis nuntius Mariam salutans verbis « Dominus tecum », in Matre agnoscebat plenitudinem huius participationis gratiarum Emmanuelis.

[1] IOANN. I, 14.

[2] Op. cit. l. VII, cap. 11, n. 10.

[3] Cf. S. IRENAEUM (*Adv. Haeres.* l. III, c. 21); LACTANTIUM (*Divin. instit.* l. IV, c. 12); TERTULLIANUM (*Adv. Iud.* c. 9); etc.

[4] *In Matth.* homil. VII, 14.

[5] *In Is.* l. I.

[6] Inde Conc. Ephesinum ait: « Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum « esse, etc. A. S. » (can. 1.).

[7] MATTH. XXVIII, 20.

[8] LUC. XXIV, 29.

Et sacerdos in Missa per salutem: « Dominus vobiscum » nihil aliud optat, nisi Iesum fieri in omnibus cordibus participative Emmanuelem.

3) Porro licet participativa *nobiscum Deus* sit tota SS. Trinitas, et modo speciali Spiritus Sanctus, in Emmanuele est hypostatice secunda persona SS. Trinitatis. Hunc respectum exprimit nomen **Filius**, id est, secundum geminam naturam *Filius Dei* et *Filius hominis*.

Et sane nemo unquam titulum Filii plenius meritus est et uberius, quam Ille, qui in sinu deitatis totam vitalem virtutem hoc titulo expressam in se continet, et simul unica filiatione, licet duplici nativitate, plenius est Matris filius quam quivis alius filius hominis. Huc ergo spectant omnia quae superius diximus tum de duplici nativitate, tum de singulari filiatione Christi. Huc faciunt omnes textus Scripturae in quibus Christus exhibetur modo expresse Filius Dei: v. gr.: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum « daret » [1]; modo expresse Filius hominis: « Vulpes foveas « habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis, non « habet ubi caput reclinet » [2]; modo simpliciter Filius dicitur: « Ex Ægypto vocavi Filium meum » [3].

Quo sensu autem hic Filius dicatur Unigenitus et Primogenitus, uberrime diximus supra: *a*) *Unigenitus*, quia vere Filius unicus Patris et Matris pariter, in sensu presso vocis. *b*) *Primogenitus*, α) relate ad Patrem, quia sicuti omnia per ipsum facta sunt, ita adoptatio filiorum in natura humana Filium naturalem Dei habet principium simul et exemplar; β) relate ad Matrem Virginem, quia quotquot sanguine redemit, fratres habet quorum Dominus est et Caput.

Quam libenter Christus se vocaverit *Filium hominis*, ex Scripturis apparet. Ratio huius facti petenda est tum ex amore Verbi ad genus nostrum, tum ex dogmatica virtute huius tituli. Et sane *a*) ex infinita dilectione Filius aeternus Patris nostrae assumptae naturae tanto affectu adhaeret, ut, licet in ea, dicente Paulo, sese exinaniverit, tamen in

[1] Ioann. iii, 16.
[2] Matth. viii, 20.
[3] Os. xi, 1; Matth. ii, 15.

ea veluti amorose glorietur. Nihil enim magis apparet gloriandi titulus amanti, quam opus ex amore puro completum. Quemadmodum igitur videmus inter homines nomen amati vel amatae libentissime pronuntiari, imo brachio vel pectori insculpi, iuxta illud: « Pone me ut signaculum super « cor tuum, ut signaculum super brachium tuum »; aut quemadmodum sponsus libenter proprio nomini adiungit nomen sponsae, ut per hanc nominum copulationem connubium utriusque vitae exprimat; ita Verbum, humanam sibi naturam amore supersponsali consocians, in deliciis habet non modo « esse cum filiis hominum, sed vocari *Filius* « *hominis* ».

b) Sed et huic titulo summam contulit nobilitatem: unde vis dogmatica praecellens huic titulo inest. Filius enim hominis est Filius Dei homo factus, est Homo-Deus quia Deus-Homo. Unde Christus non semel se hoc titulo vocat cum speciali accentu potentiae et maiestatis: « Sicut Pater « habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam « in semetipso; et potestatem dedit ei iudicium facere, quia « Filius hominis est » [1]. « Ideo et vos estote parati: quia qua « nescitis hora, Filius hominis venturus est » [2]. « Amodo vide- « bitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et « venientem in nubibus coeli » [3]. Inde in Apocalysi Ioannes dicit se vidisse « in medio septem candelabrorum aureorum « similem Filio hominis » [4].

At neuter ex istis aspectibus in hoc nomine intenditur; quando mere descriptive iste titulus adhibetur, maxime cum aliqua determinatione uti *Filius Abraham, Filius David*. Qui tituli adhibentur ad genealogiam Christi describendam; aut ad ostendendum, Iesum esse illum, quem prophetae ex David oriturum praenuntiaverant, Messiam a populo expectatum; inde illud « Hosanna Filio David! » [5]. Christus autem nunquam se negavit esse David Filium; sed noluit ad patrem David suam nativitatem contrahi. Quare agendo cum illis

[1] Ioann. v, 26 sq.
[2] Matth. xxiv, 44,
[3] Ibid. xxvi, 64.
[4] Apoc. i, 13.
[5] Matth, xxi, 9.

qui nullam in eo aliam nativitatem intuebantur, ex ipso David divinum suum ortum demonstravit: « Quid vobis « videtur de Christo? Cuius Filius est? » [1].

Nec David tantum et Abrahae, ut Filius hominis, dicitur esse, sed et *Filius Mariae et Ioseph* [2]; Mariae quidem in sensu stricto, Ioseph in sensu minus proprio, licet, ob rationes superius allatas, altissimo. Unde ad titulum « filium Ma- « riae » nullam Scriptura correctionem opposuit; titulo autem filii Iosephi adiunxit ut putabatur ὡς ἐνομίζετο [3].

Imo a populo veluti in despectum aut saltem in vilioris originis argumentum vocabatur « *fabri filius* » [4]. Quo titulo increduli, titulum amoris ingratitudine superba in ludibrium vertentes, a primis saeculis ad nostram aetatem abusi sunt atque abutuntur, ut Christo denegent divinitatis aureolam [5]. At ipsa despecta Christi humanitas miseros istos in ultimo die confundet. Videbunt enim in tormentum humanam maiestatem illius, qui divinitatis suae gloriam solis electis in mercedem revelabit.

Huc facit quoque titulus **Galilaei** [6], regionem indicans unde Christus uti homo ortum duxit; necnon nomen **Nazareni,** nisi intelligatur uti synonymum Sancti, uti mox dicemus.

4) Si iam habitudinem Filii Dei et hominis ad utramque suam naturam inspicimus ecce, nobis apparent nomina *Sanctus, Iustus, Sponsus, Servus.*

a) **Sanctus** κατ' ἐξοχήν vocatur Christus, testante S. Hieronymo: « Sanctum Dominum futurum omnis Scriptura com- « memorat » [7]. Daniel diserte prophetaverat de Messia: « et

[1] Matth. xxii, 42.

[2] Marc. vi, 3; cf. omnia testimonia in favorem maternitatis Mariae et putativae paternitatis Ioseph, superius allata.

[3] Luc. iii, 23.

[4] Matth. xiii, 55.

[5] Tempore Iuliani Apostatae Christianus quidam, a sophista Libanio rogatus, quid tunc Galilaeus faber ageret, animose respondisse fertur: sandapilam Iuliano! Qui princeps impius post mensem tragica morte periit. Quot Ecclesiae hostibus de altissimo loco repentine deiectis sandapilam confecit absconditus ille tremendusque Faber!

[6] Hoc rursus titulo abutebantur inimici Christi. Inde famosum illud exspirantis Iuliani: « Vicisti, Galilaee! ».

[7] *In Matth.* ad cap. ii, 13.

« ungatur *Sanctus Sanctorum* [1]. Huc spectat symbolismus Sancti Sanctorum templi Hierosolymitani, cuius nobilissima pars ipsum Christum, spiritualis templi caput figurabat. Inde de Verbo mox incarnando Gabriel dixit: « Quod nasce-« tur ex te *Sanctum,* vocabitur Filius Dei ». Nec mirum si Christus ad sanctitatem Patris tam eloquenter appellarit tanquam ad omnis sanctificationis exemplar, quum ipse infinitae sanctitatis perfecta imago, esset Sanctorum Sanctus, sicut est primogenitus inter fratres.

Hunc titulum daemones in Christo proclamabant. « Sine, « quid nobis et tibi [2], Iesu Nazarene? venisti perdere nos? « scio te quis sis: *Sanctus Dei* » [3]. Inde S. Petrus in Pentecoste ad resurrectionem Christi applicat illud Psalmistae: « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanc-« tum tuum videre corruptionem » [4]. Et paulo post in templo populum alloquens, ait: « Vos Sanctum et Iustum negastis » [5]. Et Ioannes dixit unctionem qua Christus Sanctus est derivari in discipulos eius: « Sed vos unctionem habetis a Sancto » [6]; nisi Sanctus hic intelligatur Spiritus.

Porro unionem hypostaticam esse in Christo-Homine fundamentum huius sublimissimae sanctitatis, S. Augustinus ita exponit: « In quo (Verbo) et ipse Filius hominis sanctificatus « est ab initio creationis suae, quando Verbum factum est « caro: quia una persona facta est Verbum et homo. Tunc « ergo sanctificavit se in se, hoc est, hominem se in Verbo « se, quia unus est Christus Verbum et homo, sanctificans « hominem in Verbo » [7]. Ratione huius sanctificationis Christus a S. Paulo dicitur « praedestinatus... secundum spiritum « sanctificationis » [8].

Sed est alius sensus sanctificationis in Christo, qui immolationem respicit. Iuxta hunc sensum Christus dixit: « Pro

[1] Dan. ix, 24. Inde vides, huc maxime spectare nomen « *Christus* », de quo superius iam disputavimus.

[2] Habes hic exemplum huius locutionis hebraicae. — Perplura alia vide apud Bourlier (loc. cit. p. 413, sqq.).

[3] Luc. iv, 34. — Cf. Marc. i, 24.

[4] Act. ii, 27; Ps. xv, 10.

[5] Act. iii, 14.

[6] I. Ioann. ii, 20.

[7] *In Ioann.* tract. cix.

[8] Rom. i, 4. Cf. quae de hoc loco Pauli in volumine praecedenti diximus.

« eis sanctifico (ἁγιάζω) meipsum, ut sint et ipsi sanctificati » [1]. Ad quae verba S. Paulus alludit dicens: « Christus dilexit « Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctifi- « caret » [2].

Ad hunc sensum appropinquat *consecratio* quam iam in antiquo Testamento facere solebant illi qui *Nazirei* vocabantur (a נזיר = sancto). Unde non desunt qui putent, Iesum Nazarenum vocari in Scripturis non tam a civitate Nazareth qua erat oriundus, sed ab huiusmodi sanctis quorum figuram ipse eminentiori modo implebat. Sed hanc controversiam relinquimus exegetis [3].

b) **Iustus** autem vocatur Christus eodem titulo quo Sanctus, quemadmodum ex ore Petri audivimus. Etenim hi duo conceptus se invicem appellant. Sicuti enim primus Adam con-

[1] Ioann. xvii, 19.

[2] Ephes. v, 25, sq.

[3] Sane qui absque mente praeconcepta legit verba Matthaei: « Et veniens habi- « tavit in civitate quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per pro- « phetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur » *: — sine haesitatione dicit, ideo Iesum vocari Nazaraeum, quia erat de Nazareth. Unde Nathanaël dicebat. « A Nazareth « potest aliquid boni esse? » **. Et ad patibulum Iudaei Christum damnari cupientes exclamabant, veluti eum irridentes: « Iesum Nazarenum! ».

Sed ecce difficultatem movent verba: « quod dictum est per prophetas, etc. ». Nam in Ant. Testamento nullus prophetarum legitur allata verba protulisse. Quare *a*) alii cum S. Ioanne Chrys. recurrunt ad locum deperditum sed Matthaei tempore adhuc notissimum; *b*) alii cum S. Hieronymo insistunt formulae « per *prophetas* », et putant citationem esse veluti collectivam, quae apud nullum recurrit ad verbum. Existimant scilicet nomen Nazaraei non deducendum esse a Nazareth sed a נזיר (nazir) ***; unde Matthaeum iure ad Prophetas provocare, quum non semel Christum uti *Sanctum* annuntiarint. — *c*) Alii nomen Ναζωραῖος, ob ω deducunt a participio נזור (nazor) verbi נזר, quod significat opprimere; unde hoc nomen praenuntiari putant per omnia vaticinia, quae humiliationem et passionem Christi describunt. — *d*) Alii demum deducunt hoc nomen a נצר (netzer), quod sonat idem ac virgultum, radix. Unde prophetia: « Egredietur virga de radice Iesse » superius allata, hic est ad rem. Imo, aiunt Nazareth ab eodem vocabulo derivatur et antiquius Natsareth scribebatur, teste S. Hieronymo ****, qui hanc interpretationem auctoritate peritorum fulcit: « Illud quod in Evangelio Matthaei omnes quaerunt ecclesiastici et non inveniunt « ubi scriptum sit quod Nazaraeus vocabitur, eruditi Hebraeorum hoc loco Isaia « assumptum putant ». Et sane haec sententia, cui adstipulatur P. Roberti. componit originem nominis Nazaraei vel Nazareni de Christo dicti ob civitatem Nazareth in qua degebat, cum prophetia famosissima de ipso prolata.

* Matth. ii, 23.

** Ioann. i, 46.

*** Num. vi, 2. Christum hoc votum emisisse, nullibi legitur.

**** *Anomast.* ed. Lagarde n. 95.

ditus erat « in iustitia et sanctitate » [1], ita hominem restaurare debebat *Iustus* et *Sanctus*. Inde Christus voluit a Ioanne baptizari ut impleret « omnem iustitiam » [2]. Est enim opus salutis, teste Zacharia, ut ambulemus « in sanctitate et iusti- « tia » [3]; quare in Scripturis « sancti et iusti » tam saepe veluti gemino vocabulo inseparabili nuncupantur.

Porro in Vet. Test. Christus uti *Iustus* κατ' ἐξοχήν describitur: Huc spectat vaticinium Sapientiae: « Circumveniamus « Iustum.... Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et « liberabit eum de manibus contrariorum.... Morte turpissima « condemnemus eum » [4]. Et Isaiae: « Iustus perit, et non est « qui recogitet in corde suo » [5]. Et verba Stephani: « Quem « prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt « eos, qui praenuntiabant de adventu Iusti, cuius vos nunc « proditores et homicidae fuistis » [6]. Iacobus pariter ait: « Addixistis et occidistis Iustum, et non restitit vobis » [7]. Imo in hoc totam oeconomiam redemptionis residere, testatur Petrus: « Christus semel pro peccatis nostris mortuus « est, Iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo » [8]. Et Ioannes pariter: « Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Chri- « stum Iustum » [9]. Quare eatenus fideles sunt iusti, quatenus Christo Iusto adhaerent: « Filioli, manete in eo..... Si scitis « quoniam Iustus est, scitote quoniam et omnis, qui facit « iustitiam, ex ipso natus est » [10]. Utrumque rursus titulum coniungit in Apocalypsi angelus aquarum exclamans: « Iustus « es Domine, qui es, et qui eras Sanctus » [11]. Iustus utique, et sicuti sanctus, tum substantialiter ut Deus, tum plenitudine participata uti homo.

c) Nexus autem inter hanc Christi iustitiam et sanctitatem ac genus nostrum exprimitur per nomen **Sponsi**. De quo

[1] Ephes. iv, 24.
[2] Matth. iii, 15.
[3] Luc i, 75.
[4] Sap. ii, 12, sqq.
[5] Is. lvii, 1.
[6] Act. vii, 52.
[7] Iac. v, 6.
[8] I. Petr. iii, 18.
[9] I. Ioann. ii, 1.
[10] Ibid. 29. — Cf. iii, 7.
[11] Apoc. xvi, 5.

nomine quum iam plura superius dixerimus, satis sit, hic adducere ipsa pulcherrima verba quae Ioannes de hoc nomine Christi protulit: « Non sum ego Christus; sed quia missus « sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus « autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter « vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est » [1].

Porro quanto amore Sponsus ille divinus Sponsam dilexerit, ostendit ipsa Crux, in qua veluti in thalamo nuptiali reclinavit, ut per aquam et sanguinem a latere effluentia Sponsam Ecclesiam, alteram Evam, simul produceret atque sanctificaret.

Vicinum huic nomini Sponsi est nomen **Amici**, iuxta verba ipsius Christi: « Iam non dicam vos servos, sed amicos » [2]. Hanc praedulcem, purissimam, nobilissimam amicitiam figurarunt inter alios Ioannes et Maria Magdalena [3].

d) Sed si Christus ut homo est humani generis Sponsus, Dei una cum genere nostro factus est **Servus** sive **Puer**: formam enim *servi* pro nobis incarnatus et nobiscum habitans accepit. In sensu huius dependentiae Christus se profitetur Patre minorem, semperque agere gloriatur quae Pater sibi iniungit. Hoc sensu ait Apostolis: « Ascendo ad Patrem « meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum » [4]. Hoc sensu in canone Missae rogatur Deus ut dignetur munera « accepta habere, sicuti accepta habere dignatus est munera « pueri sui iusti Abel »; imo in antiquis liturgiae formulis, uti in Διδαχή, saepe sermo est de puero Iesu. Idem in Scripturis vox pueri non raro significat: sicuti quando pueri invitantur ut Deo laudem decantent, et quando Iesus apostolis in littore apparens ait: « Pueri, numquid pulmentarium ha- « betis? » [5]. Hoc autem interest inter servum et puerum, quod servus magis exprimit dependentiam, puer in hac dependentia familiarem respectum.

5) Superest in hoc idearum ordine ut in Christo consideremus dignitatem centralem et habitudinem tum ad univer-

[1] Ioann. iii, 28, 29.
[2] Ioann. xv, 15.
[3] Cf. P. Olivier *Les amitiés de Jésus*.
[4] Ioann. xx, 17.
[5] Ioann. xxi, 5.

sum, tum ad Deum et homines. Hic loquimur independenter ab opere Redemptionis, considerando in Christo dumtaxat excellentiam entitativam, qua Deus est simul et homo.

a) **Caput** Christus est, quia Homo-Deus habet necessario in se hanc nobilitatem regiminisque potentiam quae spectat ad caput: « Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius » [1]. « Ipse est caput corporis « Ecclesiae » [2]. Inde « vir caput est mulieris, sicut Christus « caput est Ecclesiae » [3]. Haec autem non tantum valere de hominibus, sed et de angelis propter sublimitatem unionis hypostaticae, diserte docet Apostolus in primo ex citatis locis. Dicit enim Christum a Deo constitutum « supra omnem « principatum et potestatem et virtutem et dominationem « et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, « sed etiam in futuro » [4]. Quod ita illustrat S. Chrysostomus: « Christus cum duplici constet natura, qua Deus est, caput « est et principium Angelorum; qua homo est, hominum est « caput » [5]. Quin et qua Homo-Deus, habet ut Angelis praesit.

Est etiam caput, quatenus in praedestinationis ordine primum locum occupat; quae sane prioritas magis est manifesta in sententia Scoti.

b) **Dominus** quoque est ac **Rex.**

α) **Dominus** dicitur quia et Deus. Intime enim haec duo coniunguntur, uti demonstrant perplura loca Scripturae, imprimis exclamatio: « Dominus meus et Deus meus! » Inde Itali utrumque uno vocabulo contraxerunt *Domenedio,* et Germani passim dicunt *der Herr Gott.* Deus autem est appellatio absoluta, Dominus relativa. Nisi enim Deus esset Creator, Dominus non vocaretur. Inde Glossa ait: « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae. Hic « primo vocat Deum Dominum, quia tunc primum habuit « proprie servum, scilicet laborantem » [6].

Christum autem speciali modo Dominum a Deo constitutum, proclamat S. Petrus in ipsa die Pentecostes: « Cer-

[1] Ephes. I, 22, 23.
[2] Coloss. I, 18.
[3] Ephes. V, 23.
[4] Loc. cit. 21.
[5] Homil. I, ad Ephes. — *P. G.* LXII, 16.
[6] Gen. c. II, 7.

« tissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum « eum et Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos cruci- « fixistis » [1]. Caeterum libentissime Apostoli hoc nomine Christum vocare solebant. Videns Iesum in littore stantem, Ioannes ait Petro: « Dominus est ». Et Petrus mox Magistro: « Etiam Domine, tu scis quia amo te.... Domine, tu omnia « nosti: tu scis quia amo te » [2]. Titulus autem huius dominii, ex opere Redemptionis specialem aspectum accepit, ex hoc ipso quod pretiosissimo Sanguinis sui pretio Christus nos a potestate daemonis in suam transtulit potestatem. « Non cor- « ruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra « conversatione paternae traditionis; sed pretioso Sanguine « quasi Agni immaculati Christi et incontaminati » [3]. Sed de hoc aspectu mox, ubi de ipso nomine Redemptoris.

Porro Dominus est sicut titulo Redemptionis, ita et Iudicis: unde dicit S. Paulus: « Cursum consummavi, fidem ser- « vavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam « reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex » [4]. Sed rursus de hoc titulo mox.

Propter has omnes rationes Ecclesia vocat Iesum Christum Dominum nostrum, omniaque sua suffragia Deo commendat per hunc summae maiestatis potestatisque titulum.

β) **Rex** pariter appellatur ille Dominus. Si enim civitatum caput hoc nomine decorari solet, ubi summa dignitas in dominio fundatur, quanto magis Rex dicendus erit Dominus universi. Imo Rex et Dominus de Christo synonyma nomina sunt. Est enim « Rex regum et Dominus dominantium, « Βασιλεὺς βασιλέων καὶ Κύριος κυρίων » [5]. Nil mirum proin si tot psalmi Christum uti Regem describunt; si Messias maximis regibus praefiguratur, si natus Rex a Magis adoratur, si proclamandus Rex a populo impetitur, si ipse sub imagine Regis suam missionem describere solet, si Iudaeorum Rex in patibulo nuncupatur.

Belle S. Ambrosius: « Merito super crucem titulus; quia non

[1] Act. ii, 36.
[2] Ioann. xxi, 7, 15 sqq.
[3] I. Petr. i, 18, 19. — Cf. I. Cor. vi, 20; vii, 23.
[4] II. Tim. iv, 7 sq.
[5] Apoc. xix, 16.

« humani corporis, sed divinae potestatis est regnum, quod « habet Christus. Merito supra crucem titulus, quia licet in « cruce erat Dominus Iesus, supra crucem tamen Regis « maiestate radiabat » [1]. Inde latro in cruce Regem agnovit dicens: « Domine, memento mei, cum veneris in regnum « tuum ».

Hunc titulum Ecclesia, regia Christi Sponsa, multifariam proclamat. In capite Invitatorii, Regem Apostolorum, Martyrum, etc. Dominum invocat. In hymno *Te Deum* exclamat: « Tu Rex gloriae, Christe » [2]. Et Christum mox oriturum appellat: « O Rex Gentium ».

Populi Christiani hanc regalem Christi potestatem per saecula in civili principatu Romanorum Pontificum non agnoverunt modo, sed grato sensu beneficia eiusdem experti sunt, usquedum ingravescentibus neo-iudaismo ac neo-paganismo iterum intonuit illud: « Tolle, tolle!! Nolumus hunc « regnare super nos! » [3]. Et ecce durae cervices, quas iugum suave extollebat, nimio iam onere lassae curvantur. Utinam ad poenitentiam! Interim, etsi « astiterunt reges terrae et « principes convenerunt in unum adversus Dominum et « adversus Christum eius: Dirumpamus vincula eorum, et « proiiciamus a nobis iugum ipsorum; qui habitat in caelis irri- « debit eos, et Dominus subsannabit eos ». - « Oportet autem « illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus « eius » [4]. « Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat ».

c) Centralis dignitas Christi facit ut sit *Lapis,* fundamentum scilicet universi, cuius sub alio respectu dicitur Caput; imo *Alpha et Omega.*

α) **Lapis** Christus a Psalmista praenuntiatur: « Lapidem

[1] Luc. xxiii, 42. Expos. in Luc., l. x. — *P. L.* xv, 1925.

[2] De indole regalis regiminis Christi, lege S. Th. *De regimine Principum.*

[3] Miror, quosdam catholicos, sive ob falsum patriae cultum, sive ob decantatos abusus, civilem potestatem Romani Pontificis tam facile praedam dare hostibus Ecclesiae. Sane necessitas civilis istius dominii non est dogma, nec impotens est Deus qui alio quoque medio Ecclesiae libertati consulat. Quamdiu tamen Romanus Pontifex contra impiam spoliationem vocem extollet, laesaque iura vindicabit, nemini bono catholico licebit in Summi Pastoris revendicationem tanquam nimis obstinatam aut spirituali decori Romae Sedis nocivam invehere. — Optime nuper de hoc argumento scripsit Illm̃us D. Barbieri episc. Theodosiop. Vic. apost. Gibralt. in *Exhortacion* cui titulus « *A Roma* ».

[4] I. Cor. xv, 25.

« quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput « anguli » [1]. Isaias pariter ait: « Haec dicit Dominus Deus: « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem « probatum, angularem, pretiosum in fundamento funda- « tum » [2]. Messiam agnoverunt ipsi Rabbini in verbis Zachariae: « Et laetabuntur et videbunt lapidem stanneum in manu « Zorobabel » [3]. Christus ipse se Lapidem esse affirmat: « Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, etc. » [4]. Unde S. Petrus hoc nomine Christum salutat: « Hic est lapis, qui « reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput « anguli » [5]. Et Paulus fidelibus ecclesiae Ephesinae scribit: « Estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati « super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso « summo angulari Lapide Christo Iesu » [6].

Dicitur autem Lapis angularis quia facit utraque unum, Antiquum scilicet et Novum Testamentum. Sed independenter ab opere Redemptionis, Homo-Deus Lapis est angularis quia coniungit Deum creaturae, et quidem in homine, qui et ipse coniungit naturam inferiorem spiritibus angelicis.

Sed et praeter sensum fundamenti aedificio suppositi alius sensus subest nomini lapidis, isque duplex: lapidis scilicet in quem quis pede offendit, et lapidis qui superne illabitur. Quem utrumque sensum Christus comprehendit dicens: « Qui « ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem « vero ceciderit, conteret eum » [7].

α') In priori sensu S. Paulus Isaiam citans, ait: « Offen- « derunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce « pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali » [8]. - Et S. Petrus post verba superius allata addit: « Et lapis « offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo, nec « credunt in quo et positi sunt » [9]. Nec alio sensu Simeon dixit

[1] Psalm. cxvii, 22.
[2] Is. xxviii, 16.
[3] Zach. iv, 10. — Cf. Rabb. Salomonem et Abarbanelem.
[4] Matth. xxi, 42.
[5] Act. iv, 11.
[6] Ephes. ii, 20.
[7] Matth. xxi, 44.
[8] Rom. ix, 32 sq.; Is. viii, 14.
[9] I. Petr. ii, 8.

de Iesu: « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem « multorum in Israel, et in signum cui contradicetur » [1].

β') In altero sensu Christus est lapis iste qui « abscissus « est de monte sine manibus et percussit statuam in pedibus « eius ferreis et fictilibus et comminuit eos.... Lapis autem qui « percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit « universam terram » [2].

Quam pulchre ad haec S. Augustinus: « Nec mirum est, « si Iudaei non agnoverunt quem tanquam parvulum lapi- « dem ante pedes suos iacentem contempserunt: illi mirandi « sunt, qui adhuc tam magnum montem nolunt agnoscere. « Iudaei in lapidem parvum non videndo offenderunt, hae- « retici in montem offendunt. Iam dicimus illis: Ecce impleta « est prophetia Danielis, lapis ille qui erat parvus, factus est « mons magnus et implevit omnem terram. Quare ergo in « illum offenditis, et non in illum adscenditis? Quis tam cae- « cus est ut offendat in montem? » [3].

β) **Alpha** et **Omega** eodem iure Christus dicitur quo lapis et caput. Quae enim haec in altitudine ac veluti in dimentione spatii continent, illa comprehendunt in longitudine aut in decursu temporis. « Ego sum α et ω, principium et finis, « dicit Dominus Deus: qui est et qui erat, et qui venturus « est » [4]. Inde est « primus et novissimus » [5], iuxta verba Isaiae: « Ego Dominus, primus et novissimus ego sum » [6].

Inde mos fuit primis Christianis litteras nominis Christi ☧ medias exprimere inter Α et Ω, ad exprimendam centralem comprehensionem Dei-Hominis. Quod monogramma poëta quidam his versibus descripsit:

Circulus hic summi comprendit nomina Regis,
Quem sine principio et sine fine vides.
Principium cum fine simul tibi denotat Α Ω,
Χ *et* Ρ *Christi nomina sancta tenet* [7].

[1] Luc. ii, 34.
[2] Dan. ii, 34 sq.
[3] *Enarr.* in ps. xlv, 12. — *P. L.* xxxvi, 522.
[4] Apoc. i, 8; Cf. xxi, 6.
[5] Ibid. xxii, 13
[6] Is. xli, 4; cf. xliv, 6.
[7] Cf. Le Blanc. *Inscript. chrét. de la Gaule,* t. i, p. 105. — Cf. Prudentii carmen (*Cathemer.* hymn. ix, 10). — *P. L.* lix, 863.

d) Porro sicut Christus est centrum, ita est *Via, Mediator, Sacerdos.* De quibus titulis verbulum hic dumtaxat dicere mens est. Aliter sane et aliter haec tria nomina Christo competunt ob opus salvificum quo omnia instauravit. Sed independenter a Redemptione, Deus-Homo est substantialis **Via** inter Deum et hominem, utpote per quem creatura ad Deum modo digno pertingere possit. - Proin est **Mediator**, nam huc tendit via ut media sit inter terminos. - Est **Sacerdos** propter suam divinam dignitatem, virtutem tribuens infinitam omni laudi quam creatura Creatori decernit. Imo ineffabilis excellentia huius viae, huius mediationis, huius sacerdotii impulit Scotum et omnes qui cum eo stant, ut teneant Incarnationem Verbi fuisse ab aeterno praedestinatam, tanquam centrale opus Dei, imo tanquam rationem universi, independenter ab ordine Redemptionis.

Si autem in his tribus nominibus consideramus efficaciam et fructum operis salvifici, non amplius stamus in nominibus entitativis, sed transimus ad nomina operativa. De quibus iam breviter dicendum.

B) De nominibus potius operativis.

Nomina Christi **operativa** tripartitim dispesci possunt. 1) Alia exprimunt ipsum opus nostrae Redemptionis a Deo-Homine completum, scilicet imprimis nomen Iesu, et synonyma praecipua: *Salvator, Redempor, Agnus Dei, Brachium Dei, Fortis, Princeps pacis, Liberator.* - 2) Alia exprimunt potius huius operis moderationem, uti *Pontifex, Pastor, Iudex.* - 3) Alia potius media exprimunt tum ad opus tum ad eius moderationem, qualia sunt: *Propheta, Magister, Angelus, Veritas, Vita, Panis, Vitis, Petra,* etc.

1) In capite nominum quae ipsum opus salvificum exprimunt, eminet adorabile nomen **Iesu**.

Iesus יֵשׁוּעַ Ἰησοῦς idem sonat ac salus Domini, Salvator: unde Angelus Iosepho dixit: « Vocabis nomen eius Iesum: « ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » [1]. - Et Petrus ad eamdem etymologiam alludens ait: « Non

[1] Matth. I, 21.

« est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub « caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » [1]. Ac si diceret: IESUS est unicus verus Iesus, Salvator κατὰ ἐξοχήν.

Verum est, non semel in Ant. Test. hoc nomen occurrere, Primus vocatur IESUS, filius ille Nun successor Moysis. Sed quam symbolice hoc insignitus sit nomine, patet. Quemadmodum Moyses Legis promulgator populum in terram promissam inducere non valuit, ita totum Vet. Test. erat impotens ad hominem a peccato liberandum. Solus IESUS viam aperuit, secumque in gloriam traxit captivam captivitatem.

Porro quantopere Christus hoc nomen meritus sit, tota vita eius docet. « Venit Filius hominis quaerere et salvum « facere quod perierat » [2]. Iure de eo exclamaverat Propheta: « Copiosa apud eum redemptio » [3].

Nil mirum inde, si nomen IESU sit veluti tessera totius operis Christi, totiusque catholicae veritatis. In nomine suo Christus monet Apostolos ut Patrem rogent [4]. Paulus vas electionis destinatur ad portandum nomen IESU coram gentibus et regibus et filiis Israel [5]. In IESU nomine Apostoli miracula summa operantur [6]. In nomine IESU omne genu flectitur in caelis, in terra et in abysso [7].

Hanc virtutem, sublimemque excellentiam nominis IESU summi theologi, scriptores ascetici ac poetae sacri certatim celebrarunt. Placet huic argumento parumper immorari, et ex tot laudibus quaedam saltem exurpare magis canora.

E poëtis sacris audiatur S. Paulinus Nolensis:

Lux festa sacris vult litari paginis,
Remove profanos codices:
Hymno sacranda Nominis primordia
Quae Christus imperat coli.
In ore Christus nectar, in lingua favus;
Ambrosia viva in gutture,

[1] ACT. IV, 12.
[2] LUC. XIX, 10. — Cf. MATTH. VXIII, 11; LUC. IX 56, etc. etc.
[3] Ps. CXXIX, 7. Hanc sententiam eloquenter uti tesseram sui instituti adhibent filii S. Alphonsi de Liguori.
[4] IOANN. XVI, 23, seq.
[5] ACT. IX, 15.
[6] ACT. III, 6, etc.
[7] PHILIPP. II, 10.

Lotus beata in pectore, a qua nescias
Abire gustata semel.
Mel in medullis, lux serena pupillis,
In auribus vitae sonus.
Elin vel plectrum suavis eloquentiae,
Hoc nomine audito redit.
Cursu vagante lubrico infortunio,
Tentationibus Mali,
Siti et fame, calore et algu, mortuis
Malagma praebetur potens,
Penetrale mentis dira desperatio
Peccaminum ob molem quatit?
Saevit paterna in viscere imo pravitas?
Libido succendit faces?
. . . . . .
. . . . . .
Hoc ad salutem nomen auditum venit,
Hoc omne tollit pharmacum.
Obsessa membra, spiritusque daemone
Vexatus impurissimo,
Hoc hoc medelam sortiuntur nomine,
Redeuntque sursum ab inferis
Cantata diro carmine; et bustis sono
Devota sago corpora
Vim colligantis perfidam excutiunt luis
Et sana vertuntur domum [1].

Ex aetate media palmas tenet S. Bernardus, qui nomen Iesu admirabili eloquentia simul ac mystica unctione illustrat: « Non otiose Spiritus Sanctus nomen Sponsi oleo comparat, « cum ita doceat sponsam ad Sponsum clamare: " Oleum « effusum nomen tuum " [2]. Oleum enim *lucet, pascit,* et *ungit.* « Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: *lux*, *cibus*, « *medicina*. Vide idem nunc et de Sponsi nomine. Lucet « praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. « Et percurramus singula.

« Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei *lux,* « nisi de praedicato nomine Iesu? Nonne in huius nomi- « nis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum: « quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen, dicat « merito Paulus: " Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem « lux in Domino [3] ". Hoc denique nomen coram regibus « et gentibus et filiis Israel portare iussus est idem Apo-

[1] Poëma II. — *De nom. Iesu. P. L.* LXI, *in app.* 740, sq.
[2] Cant. I, 2.
[3] Ephes. V, 8.

« stolus [1]; et portabat nomen tamquam lumen, et illuminabat « patriam, et clamabat ubique: " Nox praecessit, dies autem « appropinquavit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, et indua- « mur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus " [2]. Et « monstrabat omnibus lucernam super candelabrum annun- « tians in omni loco IESUM, et hunc crucifixum. Quomodo lux « ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium ocu- « los, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens, claudi « unius corporales plantas solidavit et bases, multosque spi- « ritualiter caecos illuminavit? Numquid non ignem sparsit, « cum ait: " In nomine IESU Christi Nazareni surge, et am- « bula? " » [3].

« Nec tantum lux est nomen IESU, sed est et *cibus*. An « non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aeque men- « tem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sen- « sus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, « castas fovet affectiones? Aridus est omnis animae cibus, « si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale « conditur. Si scribas non sapit mihi, nisi legero ibi IESUM. « Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi « IESUS. IESUS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.

« Sed est et *medicina*. Tristatur aliquis nostrum? veniat « in cor eius IESUS, et inde saliat in os. Et ecce ad exortum « nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. « Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis « desperando? nonne, si invocet nomen vitae, confestim « respirabit ad vitam? » [4].

Vix cedit Mellifluo Doctori auctor Imitationis Christi: « Quando IESUS adest, totum bonum est, nec quidquam « difficile videtur; quando vero IESUS non adest, totum durum « est. Quando IESUS intus non loquitur, consolatio vilis est: « si autem IESUS unum tantum verbum loquitur, magna con- « solatio sentitur... Quam aridus et durus es sine IESU! Quam « insipiens et vanus, si cupis aliquid extra IESUM! Quid « potest tibi mundus conferre, sine IESU? Esse sine IESU, gra-

[1] ACT. IX, 15.
[2] ROM. XIII, 12.
[3] ACT. III, 6.
[4] *In Cant.* serm. 15 circ. med. *P. L.* CLXIII, 846, sq. — Cf. Serm. 1 *de Circumcis.* ibid. 151, sqq.

« vis est infernus: et esse cum Iesu, dulcis paradisus. Si « fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus; qui inve- « nit Iesum, invenit thesaurum bonum, imo bonum super « omne bonum; et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, « et plus quam totum mundum. Pauperrimus est, qui vixit « sine Iesu; et ditissimus qui bene est cum Iesu » [1].

Sobrio sermone, at doctrina referto, divitias nominis Iesu S. Thomas ita commendat: « Sciendum quod hoc nomen, « Iesus, est magnae et multae virtutis: est enim poenitenti- « bus in refugium, aegrotantibus in remedium, pugnantibus « in subsidium, orantibus in suffragium; quia confert veniam « a peccatis, gratiam sanitatis, victoriam tentatis, virtutem « et fiduciam impetrandae salutis » [2].

E scriptoribus recentioris aetatis eligimus S. Laurentium Iustinianum, qui haec habet: « Senties indubitanter amoe- « nitatem quandam spiritualem, et sapidam non solum in « corde, verum etiam in ore, quoties nomen hoc sanctum « a te fuerit cum devotione prolatum. Habet enim virtutem « sibi adhibitam, quae affectum laetificat, mentem pascit, « nutrit devotionem, disponit ad pietatem animum invo- « cantis illud. Quamobrem si tentaris a diabolo, si ab omni- « bus hominibus opprimeris, si conficeris aegritudine, si dolo- « ribus fatigaris, si supra vires blasphemiae, seu despera- « tionis agitaris spiritu, si concuteris formidine, si dubietate « pulsaris, Iesu nomen edicito et repente lumen consequeris « et gratiam » [3].

Ex dictis sat superque apparet, quam catholica sit devotio in adorabile nomen Iesu. Quae devotio fundatur in ipsis verbis Christi de efficacia sui nominis: « Usque modo non « petistis quidquam in nomine meo: Petite et accipietis, ut « gaudium vestrum sit plenum » [4]. Innititur verbis S. Pauli, quae Ecclesia veluti Redemptionis tesseram in Maiori Hebdomada ita adhibet: « Christus factus est pro nobis obediens « usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et « Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super

[1] *Imit. Christ.* l. II, c. 8.
[2] Opusc. LIII, art. 6.
[3] Serm. in Solemn. Circumc. Dom. circa fin.
[4] Ioann. XVI, 24.

« omne nomen » [1]. Quae sequuntur verba : « Ut in nomine « Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infer- « norum [2], » praxim piam induxerunt ut, audito adorabili Redemptoris nomine, fideles caput inclinent [3]. « Quum sublime « illud nomen Iesus pronuntiatur, ait Conc. Lugdunense II, « omnes illud veneremur, saltem capita inclinando » [4].

Quanta in Ordine monastico in nomen Salvatoris devotio fuerit, scripta testantur S. Anselmi, S. Bernardi, S. Gertrudis, S. Mechtildis, etc. Quid dulcius hymno, passim Mellifluo Doctori, - aliis contradicentibus, - assignato, et ab Ecclesia in Officium SS. Nominis Iesu recepto. Quo ex rhytmo primas saltem tres strophas afferre liceat:

Iesu *dulcis memoria*
Dans vera cordi gaudia;
Sed super mel et omnia
Eius dulcis praesentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius
Quam Iesus *Dei Filius.*
Iesu, *spes poenitentibus,*
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus! [5]

Filiis S. Dominici Gregorius X fertur zelum pro gloria nominis Iesu speciali modo inculcasse, ad sedandas Saracenorum in hoc divinum nomen grassantes blasphemias [6]. Quantopere, inter gemmas huius Ordinis, S. Catharina Senensis ob devotionem in Iesu nomen insignis extiterit, historia docet.

Seraphicus porro Franciscus quo ipse fragrabat ardore, familiae suae vere pater haereditatem transmisit. Satis sit adducere S. Bernardinum Senensem, qui aureas litteras IHS radianti circulo inscriptas, cruce tribusque clavis superpo-

[1] Vers. in fine Horarum; et Grad. in Missa Coenae Dom. — Cf. Philipp. ii, 6-9.

[2] Ibid. 10.

[3] Ob hanc praxim Sixtus V fertur titulum Societatis Iesu mutare voluisse, ne quotquot S. Ignatii familiam nominarent, cervicem flectere cogerentur.

[4] Cap. *Decet.*

[5] Cf. op. S. Bern. vol. iii, p. 995. Ed. Venet. 1750.

[6] Cf. Banucci *Istoria del B. Gregorio X,* p. 196. Quantus et Hebraeorum furor in Christi nomen invexerit, blasphemae docent formulae per Urbem et Italiam, militiae imprimis iuvante contagie, horribili vitio sparsae.

sitis, sibi depingendas curavit, quas per oppida et urbes divini amoris praeco circumferre solebat. Sed et Bernardinus de Bustis indefesso zelo Pontifices Sixtum II et Innocentium VIII movere studuit, ut festum in honorem SS. Nominis Iesu institueretur. Quod festum a Clemente VII, per Breve 25 Februarii 1530, pro Ordine Seraphico, ad diem 14 Ianuarii concessum, tandem Innocentius XIII, instante Imperatore Carolo VI, die 29 Novembris 1721 ab universa Ecclesia, secunda Dominica post Epiphaniam celebrandum decrevit.

S. Ignatius quoque ob devotionem in Nomen Iesu praeclarus extitit, quippe cuius signum veluti suorum tesseram elegit, et a quo institutum suum nuncupari voluit.

Eamdem devotionem tenerrima pietate S. Franciscus Salesius, et filia eius spiritualis S. Francisca de Chantal certatim aemulati sunt [1].

Æmulati sunt magni oratores sacri, uti Bossuetius, Bourdaloue, Segneri, quorum luminosa de hoc nomine verba hic libenter afferrem, si spatium sineret [2]. Sed iam claudenda est haec qualiscumque brevis expositio, quae si nimis est tanto argumento impar, excusationem simul habeat et fulcimen in verbis Psalmistae dicentis Domino: « Nomini tuo « da gloriam » [3].

b) Nomini Iesu proximum est **Salvator**. Qui apud Isaiam de se aiebat: « Ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, Salva- « tor tuus » [4], et apud Oseam: « Salvator non est praeter me » [5]; quem Michaeus invocabat: « Expectabo Deum Salvatorem « meum » [6]; Gabriel ecce designat: « Ipse salvum faciet popu- « lum suum a peccatis eorum » [7]; Angeli pastoribus annun-

[1] Quid altius hac germanitate spirituali, qualis et inter S. Franciscum Assis. et S. Claram, gratia Dei inspirante, extitit! Quare nonnisi magno cum dolore nuper auditus est Spahn de relatione Seraphici Patris cum heroica sua aemula, « sein Klärchen », tam frivolis verbis loqui, ut Franciscani concioni praesentes, aulam indignabundi reliquerint. Num forsan istius farinae levitate, protestantico ore iam prorsus indignae, moderniores illi spiritum catholicum cum aetate nostra conciliare moliuntur?

[2] Commendanda imprimis concio Bossuetii *de Circumcisione Domini.*

[3] Ps. cxiii, 1. — *De indulgentiis devotioni SS. Nominis Iesu affixis* lege P. Roberti, op. cit., p. 57.

[4] Is. xliii, 3.

[5] Os. xiii, 4.

[6] Mich. vii, 7.

[7] Matth. i, 21.

tiant: « Natus est vobis hodie Salvator » [1]; Apostoli compellant: « Domine, salva nos, perimus » [2]. Et ipse Iesus de se fatetur: « Venit Filius hominis salvum facere quod perie- « rat » [3]. Unde Samaritani stupentes exclamant: « Hic est vere « Salvator mundi » [4]. Et Petrus in concilio Iudaeorum ait de Iesu: « Hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera « sua, ad dandam poenitentiam Israëli et remissionem pec- « catorum » [5]. Spes ista in Christum vocatur a Paulo « spes « in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum » [6]. Quare teste eodem Apostolo: « Nostra conversatio in coelis « est, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum « Iesum Christum » [7]. Inde frequens apud Paulum et Petrum iuxtapositio nominum Iesu et Salvatoris [8].

Et sane, licet toti Trinitati conveniat Salvatoris nomen, quia ipsa Incarnatio opus est totius Trinitatis, Christus tamen uti Verbum et uti Deus-Homo, est simul huius salutis minister sive instrumentum [9], et agens principalis. Quare Christo sicuti nomen Iesu, ita modo specialissimo atque plenissimo competit esse Salvatorem.

Hoc Salvatoris nomen ab initio Christiani cultu peculiari prosecuti sunt, uti ostendit symbolum *Piscis* ΙΧΘΥΣ pro Christo in catacumbis passim adhibiti. Significatio autem huius figurae est sequens:

Ι	Ἰησοῦς	*Iesus*
Χ	Χριστός	*Christus*
Θ	Θεοῦ	*Dei*
Υ	Υἱός	*Filius*
Σ [10]	Σωτήρ	*Salvator* [11].

Ratio huius symboli, quod iam in sibyllinis libris reperiri

[1] Luc. ii, 11.
[2] Matth. viii, 25.
[3] Matth. xviii, 11.
[4] Ioann. iv, 42.
[5] Act. v, 31.
[6] I. Tim. iv, 10.
[7] Philipp. iii, 20.
[8] Act. xiii, 23; Tit. i, 4; iii, 6; II. Petr. i, 1; iii, 18.
[9] Ita dicit S. Iudas: « Soli Deo Salvatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum, gloria, etc. » (vers. ult.).
[10] Alii ultimam litteram legunt Σταυρωθεῖς Crucifixus; sed haec interpretatio minus recipitur.
[11] Cf. S. Aug. *De Civit. Dei*, l. xviii, 23. — *P. L.* xli, 579.

putant [1], multiplex est dicenda. *a*) Piscis figurat hominem per aquas huius vitae ad littus transnatantem: unde S. Ambrosius homines vocat « pisces, qui hanc enavigant vitam » [2]. - *b*) Quare significat et humanam naturam Christi, eo vel magis quod per ipsam mortem Christus se veluti capi permisit; iuxta belle dictum S. Gregorii Magni: « latere dignatus est « in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis no- « strae » [3]. - *c*) Haec autem mors fuit salutifera, quemadmodum piscis ille a iuniore Tobia e fluminis ripa arreptus, sanitatem patri restituit. - *d*) Iam vero haec mors fuit veluti ustio, qualem piscis assus sustinet, iuxta illud S. Bedae: « Piscis assus, Christus est passus » [4]. - *e*) Imo sicut piscis assus cibus est optimus, ita Christus seipsum discipulis manducandum praebuit. Bene S. Petrus Chrysologus: « Erat et « piscis Christus, Iordanis levatus ex alveo, qui carbonibus « passionum impositus, post resurrectionem suis, id est disci- « pulis, escam praebuit tunc vitalem » [5]. Et S. Augustinus loquitur de Eucharistia, « in qua ille piscis exhibetur, quem « levatum de profundo, pia terra comedit » [6]. Et a S. Paulino Christus ipse vocatur: « panis verus et aquae vivae « piscis » [7]. - *f*) Adde, piscem figurare Christianum, vel quatenus aquis baptizatus immergitur, vel quatenus a piscatoribus apostolicis in Ecclesiae rete congregatur. A fortiori baptismi auctor piscis erit. « Hic est piscis, ait S. Optatus, qui in bap- « tismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quae « aqua fuerit, a pisce piscina vocitetur » [8].

Antequam ad vicinum nomen fiat transitus, liceat votum depromere, ut Iesus iuxta Scripturas vocetur *Salvator*, potius quam, ob inanem quemdam humanisticum scrupulum, *Servator*. Non idem est servare et salvare; quare nequit esse idem Salvator et Servator. Plus enim dicit Salvator: affirmat

[1] Cf. Ciceronem, *De divin.*, ii, 54.

[2] In Luc. l. iv, c. 4.

[3] Homil. xxiv, *in Evang.*, l. ii. — *P. L.* lxxvi, 1187.

[4] In cap. xxi. Ioann. — Cf. S. Gregorium Magnum: « Tribulatione assatus tem- « pore passionis suae » (loc. cit.).

[5] Serm. 55. — *P. L.* lii, 354.

[6] *Confess.*, l. xiii, c. 23. — *P. L.* xxxii, 860.

[7] Epist. 13. *ad Pammach.*, § 11. — *P. L.* lxi, 213.

[8] *De schism. Donat. adv. Parmen.* — *P. L.* xi, 991.

ruinam a qua Christus humanum genus eripuit. Et sane si Adamus stetisset, fuisset sibi et nobis originalis iustitiae servator. Cecidit, et cum eo nos cecidimus omnes in mortem: unde oportuit ut veniret Homo-Deus-Salvator. Sed et Salvator est suorum iugiter per gratiam Servator, iuxta illud rhythmi *Attende Domine:* « Quos redemisti, tu conserva, Christe! ».

Ipse Tullius agnovit vim vocabuli graeci, quod per salvatorem (σωτήρα) redditur. In Verrem agens, haec ait: « Vidi Syracusis statuam quamdam inscriptam Σωτήρα: hoc « quantum est, magnum est, ut uno verbo [1] latine exprimi « non possit [2]. Is est enim σωτήρ, qui salutem dedit » [3]. Venit Christianismus annuntians salutem mundo a Christo datam; unde pleno iure sermonem latinum novo vocabulo ditavit. Optime Augustinus: « Qui est hebraice Iesus, graece Σωτήρ, « nostra autem locutione Salvator. Quod verbum latina lin- « gua antea non habebat, *sed habere poterat, sicut potuit* « *quando voluit* » [4]. Absit ut vocabulo tam alti sensus, usu Ecclesiae per tot saecula sacrato, verbum inefficax praeponamus, quia tullianum. Longe nobilior sonat sermo latinus in ore Ecclesiae quam in ore rhetoris pagani. Christum si agnovisset ipse Tullius, tot novorum vocabulorum fictor, non Servatorem, sed Salvatorem appellasset.

Quanti autem Salvatoris nomen a primordiis apud Christianos habitus sit, ostendit titulus ipse Basilicae Lateranensis, omnium ecclesiarum matris, quam, pace Christianae religionis sancita, in honorem SS. Salvatoris ipse Constantinus munificentissime dicavit.

c) **Redemptor** prae Salvatore dicit modum quo salutis opus completum est. Potuisset enim Christus nos salvos facere per unum actum puri amoris, utpote amoris infiniti. Sed mandatum Patris implens, pretium salutis solvit Sanguinem, quo humanum genus in captivitatem daemonis collapsum stricto sensu redimeret. Fusius hunc aspectum operis salvifici sive Soteriologiae in sequentibus evolvemus. Satis sit titulum inde Christo derivatum heic paucis delineare.

[1] Ergo verbum *servator,* quo Tullius saepe utitur, id non satis exprimit.

[2] Scilicet verbo tunc in usu existente.

[3] *In Verrem,* IV.

[4] *De Trin.,* l. XIII, c. 10, n. 14. — *P. L.* XLII, 1025.

Haec redemptionis ratio modo tum magis largo, tum magis presso recurrit saepius in psalmis et prophetis. Imo ipsa captivitas Babylonica erat symbolum captivitatis, in qua gemebat omne genus nostrum. Tota enim humana familia, sicuti et quaevis anima, erat « captiva filia Sion ».

In Novo Testamento titulum Redemptoris prae aliis in rigore illustrant S. Paulus [1], S. Petrus [2], quos iam de hoc argumento audivimus ubi de nomine Iesu, et S. Ioannes: « Dignus « es, Domine, accipere librum et aperire signacula eius, quo- « niam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex « omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos « Deo nostro regnum » [3].

Hunc titulum, quem excolit ipsa sua appellatione Congregatio SS. Redemptoris, Ecclesia celebrat modo peculiari per festum Pretiosissimi Sanguinis, utpote pretii infiniti a Dei Filio pro fratribus soluti. Placet ex Liturgia huius festi saltem haec S. Augustini audire: « Tenebantur homines captivi « sub diabolo, et daemonibus serviebant. Sed redempti sunt a « captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non « potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium; fudit san- « guinem suum, et emit orbem terrarum. Quaeritis, quid « emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit. « Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi « totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt « pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illum « tam parum esse, ut solos Afros emerit; aut se tam magnos « esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exsultent, « non superbiant: pro toto dedit, quantum dedit » [4]. Est scilicet non tantum Redemptor, sed Redemptor orbis universi. Hinc in die Paschatis Ecclesia canit exsultans:

O vere digna hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captivata,
Reddita vitae praemia [5].

d) Porro Sanguinem pro salute fundens Iesus factus est

[1] Maxime I. Tim. ii; Hebr. ix.
[2] I. Petr. i, 18.
[3] Apoc. v, 9, 10.
[4] Enarr. in ps. xv.
[5] Hymn. Vesp.

Agnus Dei: Victima scilicet innocens et docilis a Deo ad supplicium destinata, et Deo ipsi per Deum allata. Huc spectat symbolismus agni paschalis, uti tam pulchre canitur in hymno solemnitatis Resurrectionis Domini:

Ad coenam Agni providi
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri,
Christo canamus principi.
Cuius corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustando vivimus Deo.
Protecti Paschae vespere
A devastante angelo,
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.
Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolatus Agnus est,
Sinceritatis azyma,
Caro eius oblata est[1].

Hanc simulationem divini Agni Isaias splendido oraculo annuntiarat: « Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit « os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus « coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum »[2]. Quod vaticinium cum agno paschali coniunctum tantopere praesens erat menti Iudaeorum, ut in exordio Nov. Testamenti Praecursor Christum ad se primo venientem salutaverit: « Ecce Agnus Dei! ». Et in ultimo libro Nov. Test. Agnus ille divinus in caelis triumphans ab altero Ioanne conspicitur: « Et vidi: et ecce in medio throni et quatuor « animalium et in medio seniorum, Agnum stantem tanquam « occisum.... Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum « in circuitu throni et animalium et seniorum: et erat nu- « merus eorum millia millium dicentium voce magna: " Di- « gnus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divi- « nitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et glo- « riam, et benedictionem. Et omnem creaturam quae in caelo

[1] Hymn. Vesp.

[2] Is. LIII, 7. — Quomodo hoc vaticinium occasionem praebuerit diacono Philippo Christum praedicandi, narrant Act. Apost. (c. VIII). Confer eiusdem Isaiae: « Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae » (XVI, 1), et Ieremiae: « Et ego « quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam » (XI, 19).

« est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, et « quae in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno et « Agno: benedictio et honor et gloria, et potestas in saecula « saeculorum » [1].

Vides triumphum Agni respondere triumpho quem Paulus celebrat de nomine Iesu. Quantum autem ex his verbis et ex similibus quae in eodem libro sequuntur, argumentum deduci possit ad divinitatem Christi demonstrandam, nemo non videt. Ponitur enim Agnus in eadem linea cum ipso summo Deo, quum idem latriae cultus ei tribuatur.

Sed et in sacrificio eucharistico idem Agnus incruento ritu iugiter immolatur. Inde in Canone Missae Ecclesia ter invocat Agnum Dei qui tollit peccata mundi, ut adstantibus misericordiam tribuat et pacem [2]; et sacerdos antequam Sacramentum corporis Domini porrigat, exclamationem Praecursoris in piam fidei confessionem alta voce iterat.

Sed, uti iam diximus, in solemnitate Resurrectionis Christi, Ecclesia speciali cultu celebrat in Christo nomen Agni. Id sonat exordium Sequentiae:

Victimae paschali laudes
Immolent Christiani:
Agnus redemit oves,
Christus innocens Patri
Reconciliavit peccatores.

Et in Praefatione: « Ipse enim verus est Agnus, qui ab- « stulit peccata mundi ». Et pridie in benedictione Cerei paschalis canebatur: « Haec sunt enim festa paschalia, in qui- « bus verus ille Agnus occiditur, cuius sanguine postes « fidelium consecrantur ».

Propter momentum huius nominis, solet a primaevis temporibus Christus repraesentari sub forma agni vexillum triumphi gerentis, modo stantis sanguinemque e latere emittentis, modo iacentis super librum septem sigillis munitum [3]. Huc quoque spectat usus cereae imaginis vulgo *Agnus Dei*

[1] Apoc. v, 6, 11, sqq. Vide et sequentia passim.

[2] Haec triplex invocatio a papa Sergio I inducta dicitur. Loco tertii « miserere nobis » Innocentius III induxit verba « dona nobis pacem ».

[3] De diffusione imaginis Christi sub symbolo Agni vide Martigny *(Dictionn. des antiq. chrétiennes).*

nuncupatae [1]; necnon benedictio agnorum, quorum lana palleis conficiendis quotannis inservit [2].

d) Porro si Agnus Dei praedicat immolationem summa mansuetudine completam, ecce **Brachium Dei** [3] exaltat virtutem suprahumanam vereque divinam, qua Christus per ipsam suam mortem de morte triumphavit. Inde in die Paschatis canit Ecclesia:

Mors et vita duello
Conflixere mirando:
Dux vitae mortuus
Regnat vivus [4].

Hinc Crux repraesentatur sicut summae victoriae instrumentum:

Pange, lingua, gloriosi
Praelium certaminis,
Et super Crucis trophaeum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit [5].

« Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae: vicit Leo « de tribu Iuda, radix David, alleluia! » [6]. — « Super omnia « ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita mundi pe« pendit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem supe« ravit in aeternum, alleluia » [7].

Porro hanc virtutem exprimit titulus *Brachium Dei.* Huc spectat illud Isaiae: « Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? » [8]. Necnon illud Psalmistae: « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia « fecit. Salvavit ipsum dextera eius, et brachium sanctum « eius » [9]. Istud brachium interdum vocatur et *dextera Domini:* « Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exal-

[1] Usus harum imaginum cereo impressarum auctori papae Zosimo tribui solet. Lege de his imaginibus Card. VALERIUM *(De Bened. Agnorum Dei).*

[2] Benedicuntur in basilica S. Agnetis extra muros, quia haec virgo cum Agno divino parentibus apparuisse fertur.

[3] Cf. t. III, p. 526 sqq.

[4] Sequentia *Victimae Paschali.*

[5] Hymnus ad Matut. in festo *Inv. S. Crucis,* etc.

[6] Antiph. 3 *ad Laudes,* ibid.

[7] Antiph. *ad Bened.*, ibid.

[8] Is. LIII, 1.

[9] Ps. XCVII, 1.

tavit me, dextera Domini fecit virtutem » [1]. Et Maria exclamat: « Fecit potentiam in brachio suo » [2].

e) **Fortis** ergo iure ab Isaia vocatur [3] ille, cuius brachium tantam virtutem operatur. Quam virtutem splendide illustrat Habacuc exclamans: « Domine audivi auditionem tuam, et « timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica « illud, etc. » [4]. Ipse Christus opus potentiae quo daemonem contrivit, in parabola descripsit de forti armato [5]. Reducem de hoc duello Christum victorem contemplatur Isaias: « Quis « est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste « formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis « suae ». - Et reponit Christus: « Ego qui loquor iustitiam, « et propugnator sum ad salvandum ». - Et propheta: « Quare « ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua « sicut calcantium in torculari? - Torcular calcavi solus, et « de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, « et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum « super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. « Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meae « venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non « fuit qui adiuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et « indignatio mea ipsa auxiliata est mihi » [6]. Quod sublime canticum Ecclesia canit in ipsa solemnitate Resurrectionis Domini.

Iam vero Christus hanc crucis virtutem communicat credentibus in se. « Non erubesco Evangelium », exclamat S. Paulus: « Virtus enim Dei est in salutem omni credenti » [7]. Et: « Nos praedicamus Christum crucifixum: Iudaeis quidem « scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis « Iudaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sa- « pientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est homi- « nibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus » [8].

[1] Ps. CXVII, 16.
[2] LUC. I, 51.
[3] Is. IX, 6.
[4] HABAC. III, 1, sq.
[5] LUC. XI.
[6] Is. LXIII, 1 sqq.
[7] ROM. I, 16.
[8] I. COR. I, 23, sqq.

Pulcherrime in libro Sapientiae describitur Christus suos brachio tegens ac pro eis decertans: « Accipient regnum « decoris et diadema speciei de manu Domini; quoniam « dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. « Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad « ultionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, et acci- « piet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugna- « bile aequitatem: acuet autem duram iram in lanceam, et « pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos » [1]. Quam armaturam ut omnes fideles induant, monet Apostolus: « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adver- « sus insidias diaboli » [2]. Et Ecclesia: « Estote fortes in bello « et pugnate cum antiquo serpente; et accipietis regnum « aeternum » [3].

f) Sed Fortis ille non luctat bello, nisi ut victor condat pacis regnum, ipse « **Princeps pacis** » [4]. Hinc passionem inchoaturus Christus Apostolis ait: « Pacem relinquo vobis, « pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego « do vobis » [5]. De mundana enim pace valet illud Ieremiae: « Pax, pax: et non erat pax » [6]. Osculum enim mundi, uti Iudae, insidias parat et bellum. Osculum autem Christi, etiam quando armat ad luctam, iuxta verba: « Non veni pacem « mittere, sed gladium » [7], tendit in pacem. Inde redivivi Christi prima vox ad suos fuit: « Pax vobis! » [8]; et Apostoli hanc Christi pacem veluti summum bonum eius nomine suis optant: « Gratia vobis et pax » [9]. Haec est altissima ratio ob quam Christus dixit: « Beati pacifici, quoniam « filii Dei vocabuntur » [10]: ad imaginem scilicet proprii Filii, per quem complacuit Patri « reconciliare omnia in ipsum, « pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris,

[1] Sap. v, 17, sqq.
[2] Ephes. vi, 11.
[3] Ant. ad *Magn.* ii Vesp. Apost.
[4] Is. ix, 6.
[5] Ioann. xiv, 27.
[6] Ierem. vi, 14.
[7] Matth. x, 34.
[8] Ioann. xx, 21.
[9] Rom. i, 7, et passim.
[10] Matth. v, 9.

« sive quae in caelis sunt » [1]. Propter excellentiam huius tituli, Deus noluit Davidem sibi aedificare templum, figuram Ecclesiae, sed Salomonem, symbolum pacis. Et Ecclesia, hanc pacem iam in ortu Christi salutans, inchoat liturgiam solemnitatis Nativitatis Domini: « Rex pacificus magnificatus « est, cuius vultum desiderat universa terra » [2].

g) Porro pacis huius signum fuit introitus triumphans Christi in caelum. Obseratus enim erat paradisus, a quo repulsum per saecula genus humanum ingemebat. Sed ecce debellato infernali tyranno, parta victoria, paceque firmata, Victor caeli claves accipit, aditumque caelorum sibi suisque pandit. Inde aliud Christi nomen, ab Ecclesia his verbis celebratum: « O **Clavis** David, et sceptrum domus Israël, qui ape- « ris et nemo claudit, claudis et nemo aperit: veni, et educ « vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra « mortis » [3].

h) Haec omnia dicit **Liberator**. Triumphus enim Christi, praefiguratus per populum Israëliticum tum a iugo Ægyptiaco, tum a captivitate Babylonica liberatum, est restitutio in altissimam Dei libertatem. « Ascendens Christus in altum « captivam duxit captivitatem » [4], non quales miseros Romani triumphatores trahebant captivos vinculis alligatos mortique destinatos; sed captivos restitutos « in libertatem gloriae filio- « rum Dei » [5]. Opus enim salutis, teste Zacharia, est: « ut sine « timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus « illi, in sanctitate et iustitia » [6]. Hunc titulum multipliciter psalmi invocant: « Dominus firmamentum meum, et refu- « gium meum, et liberator meus » [7]; « Deus qui das vindictas « mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis « meis iracundis » [8]. Quin et Darius post symbolicam liberationem Danielis e lacu leonum, de Deo Israël dixit: « Ipse « liberator atque salvator » [9].

[1] Coloss. I, 20.
[2] Antiph. 1., Vesp.
[3] Quarta ex magnis antiph. O. — Cf. Is. XXII, 22; Apoc. III, 7. etc.
[4] Liturg. Ascens. Dom. — Cf. Ps. LXVII, 19; Ephes. IV, 8.
[5] Rom. VIII, 21.
[6] Luc. I, 74 sqq.
[7] Ps. XVII, 1.
[8] Ibid. 51; cf. LXIX, 6; CXLIII, 2, etc.
[9] Dan. VI, 27. Apud quosdam populos duplex iste titulus veluti aequaliter adhi-

Antequam ad sequentia nomina transitus fiat, non erit abs re iterum monere, nomina quaedam superius tanquam entitativa descripta et in sensu operativo optime intelligi posse, imo saepe adhiberi, uti nomen Mediatoris et Sacerdotis, quemadmodum mox clarius patebit.

2) Ast opus Christi non est huiusmodi quod ita semel perfectum sit, ut non iugiter compleatur. Inde nomina quae potius exprimunt huius operis moderationem usque ad ultima mundi tempora. Quatenus igitur Christus vel in caelo vel in terris [1] opus suum iugiter moderatur, est *Pontifex* et *Pastor;* quatenus illud in fine absolvet est *Iudex*. De **Iudicis** titulo sicuti et munere sermo fusior habebitur in ultima Quaestione huius tractatus. Pauca sint de utroque alio nomine.

a) **Pontifex**, iuxta etymologiam vulgo dari solitam, est ille qui per ministerium sacrum veluti pontem facit inter Deum et hominem. Unde si Christus, quatenus est Deus-Homo, est entitative Mediator et Sacerdos, operative est Pontifex, quatenus non solum est « semel ingressus in Sancta » [2], sed et « semper vivens interpellat pro nobis » [3].

Hoc autem ministerium Christus exercet tum in caelo, ubi coram Patre plagas gloriosas ostendens, **Advocatus** existit eloquentissimus et misericordiosissimus, iuxta illud Ioannis: « Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem « Iesum Christum » [4]; tum in Sacramento altaris, in quo iugiter « ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro « nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi » [5].

b) Sed hoc nos conducit ad munus Pastoris. Nam **Pastor** imprimis ille est qui gregem pascit. Iam quis modus excellentior pascendi oves, quam ut quis non modo suam vitam pro eis fundat, sed semetipsum in cibum et in potum singulis tradat?

betur, uti in sermone flandrico: *Zaligmaker, Verlosser,* dum in aliis nomen Salvatoris pro utroque stare solet, sed tunc ei adiungitur nomen Redemptoris: *Sauveur, Rédempteur*. Et revera *Verlosser* adhibetur tanquam synonymus titulus pro Redemptore (Cf. poëma *Het Menschdom verlost* Lud. de Coninck).

[1] Intellige primarie in caelo vel in terris.

[2] Hebr. ix.

[3] Ibid. vii, 25.

[4] I. Ioann. ii, 1.

[5] Ibid. 2.

Porro nihil antiquius quam ut sub nomine aut forma pastoris altissima officia designentur: « Pastoris officium, « ait Philo, res est tam praeclara, ut non regibus solis et « sapientibus viris, sed et Deo rectori omnium iuste tribua- « tur, cuius supremi Pastoris grex est universus mundus » [1].

Inde frequens in Scriptura [2] usus ut reges vocentur pastores [3]. Et magni patriarchae figurae Christi, ipseque David pastores fuerunt [4]. Christus autem uti Pastor ab Isaia expresse annuntiatus est: « Super montem excelsum ascende tu, qui « evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui « evangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus « Iuda: Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitu- « dine veniet et brachium eius dominabitur: ecce merces « eius cum eo, et opus illius coram illo. Sicut pastor gre- « gem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et « in sinu suo levabit, foetas ipse portabit » [5].

Ecce iam Deus noster ipse de se ait: « Ego sum Pastor « bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. « Mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt « oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et « fugit: et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem « fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de « ovibus. Ego sum Pastor bonus: et cognosco meas et co- « gnoscunt me meae; sicut novit me Pater, et ego agnosco « Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias « oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet « me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile « et unus pastor » [6]. Pastor autem de pascuis supernis descendit, relinquens nonaginta novem in montibus, ut humani generis ovem amissam inquireret, inventamque humeris imponeret gaudens [7]. Nec Pastor est modo, sed **Ostium**: « Amen « amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium... Per me si quis « introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua

[1] *De agricult.* I.

[2] Pariter Homerus Agamennonem aliosque reges vocat ποιμένας λαῶν.

[3] Cf. Ezech. xxxiv, 2, etc.; Ierem. iii, 15; xxiii, 1.

[4] Gen. xxxi, 41; I. Reg. xvii, 35.

[5] Is. xl, 9-11. Vides nexum inter Fortem, Brachium Dei et Pastorem.

Ioann. x, 11-17.

Matth. xviii, 12 sqq.; Luc. xv, 4 sqq.

« inveniet. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et per-
« dat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant » [1].
Et sane Christus gregem pascit regimine, doctrina, gratia;
pascit seipso via, veritate et vita [2]. De quo mox. Est ergo
Christus Pastor bonus per excellentiam: ὁ ποιμὴν ὁ καλός.
Inde Petrus eum vocat non solum pastorem sed et princi-
pem pastorum: « Eratis enim sicut oves errantes [3], sed con-
« versi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum ve-
« strarum » [4]. « Pascite qui in vobis est gregem Dei.... et cum
« apparuerit Princeps pastorum (ἀρχιποίμενος), percipietis im-
« marcescibilem gloriae coronam » [5]. Et S. Paulus eum appel-
lat Pastorem magnum ovium: « Deus autem pacis, qui eduxit
« de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testa-
« menti aeterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet
« vos in omni bono » [6]. Tam expressiva est haec imago pa-
storis, ut et recurrat in iudice: nam Iudex oves ab haedis
discernet, ultimo veluti pastorali actu.

Hanc superni Pastoris indolem, quam Patres passim cele-
brant, quam ars christiana iam a catacumbis certatim illu-
strat, Ecclesia canit in festo Corporis Christi:

Bone Pastor, panis vere,
Iesu, nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium!

Sed et Christus Petrum instituit pastorem: « Pasce agnos
« meos... Pasce oves meas » [7]. Unde Ecclesia canit: « Tu es
pastor ovium, Princeps Apostolorum ». Nec ipse modo, sed
et omnes episcopi, sub Petro et per Petrum sub Christo Pa-
storis officium participant. Quare Petrus eis iniungit ut sint:
« forma.... gregis ex animo » [8].

Vides proin quam bene successor Petri duplex Christi
nomen participative acceperit; quatenus, sicuti est Ecclesiae

[1] Ioann. x, 7-10.
[2] Ioann. xiv, 6.
[3] Ps. cxviii, 176.
[4] I. Petr. ii, 25.
[5] Ibid. v, 2, sqq.
[6] Hebr. xiii, 20 sq.
[7] Ioann. xxi, 15-17.
[8] I. Petr. v, 3. — Cf. Ephes. iv, 11.

petra sub petra divina, ita quoque sub Christo Pontifice et Pastore est et ipse Summus Pontifex et Pastor universalis. Beatae oves quas Christus per Petrum ad pascua ducit! Infelices vero, non solum lupi rapaces, sed et insubordinatae oves! Nam, ut ait S. Ambrosius: « Qui noluerunt ut pasceret eos « Christus, depascet eos mors » [1].

3) Supersunt nomina quae tum salutis opus, tum eius moderationem exprimunt. Possunt autem praesertim in duas species subdistingui, quatenus alia respiciunt doctrinam, alia spiritualem vitam in quam doctrina tendit.

a) *Doctrinae* munus exprimit α) nomen **Prophetae** (נָבִיא, προφήτης). Hoc nomen sumi potest in sensu largo et presso. In sensu largo, - qui est etymologice sensus vocis hebraicae, et ita saepe occurrit in Scripturis, - dicit hominem afflante divino Spiritu loquentem, sive sermone aut signo eructantem, quod intus inspiratio divina ei suggerit [2]. Pressiori sensu dicit illum qui nomine Dei absconsa, maxime futura nuntiat. Ita S. Thomas ait: « Propheta dicitur quasi « procul fans, vel procul videns, in quantum scilicet cogno- « scit et loquitur ea quae sunt procul ab hominum sen- « sibus » [3].

Utroque sensu Christus uti magnus Propheta a Moyse fuit praenuntiatus: « Prophetam de gente tua et de fratribus « tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus.... ipsum audies.... « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum simi- « lem tui: et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad « eos omnia quae praecepero illi » [4].

Quantopere Iudaei hunc Prophetam expectaverint, demon-

[1] Enarr. in ps. XLVIII, n. 21. — *P. L.* XIV, 1220.

[2] Analogo sensu OVIDIUS de poëtis:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
(*Fastor.*, l. VI).

[3] Ita et VIRGILIUS:

Iove missus ab ipso
Interpres divum fert horrida iussa per auras.
(*Æneid.* IV, 378; III. Q. VII, a. 8).

[4] DEUT. XVIII, 15, 18. — Cf. illud « ipsum audies », cum « ipsum audite » dicto in Transfiguratione.

strant verba eorum ad Ioannem Baptistam: « Propheta es tu? « Ὁ προφήτης εἶ σύ » [1]; id est magnus ille Propheta promissus. Et Petrus in animosa illa concione quam habuit in templo, verba haec Dei ad Moysen prolata interpretatus est de Christo [2].

Venit ergo Iesus arcana Dei discipulis ac turbis manifestans, et in signum suae missionis absconsa et futura praedicens. Quot prophetiae, sensu arctiori, in publica vita Christi! [3] Prophetiae de discipulis: Nathanaëlem procul cognovit sub fico sedentem; Cepham vaticinando Petrum salutat, eique praedicit lapsum et genus martyrii; Ioanni praenuntiat illaesam canitiem; Iudam praedicit proditorem fore, infelicique fine moriturum, etc. - Prophetiae de aliis: de Lazaro mortuo et ad vitam revocando, de adiunctis coenae a discipulis parandae, etc. - Prophetiae de semetipso: de genere suae passionis ac mortis, de sua resurrectione. - Prophetiae de historia Ecclesiae ac mundi: de triumpho suae exaltationis qua omnia traheret ad se, de miraculis ab Apostolis et discipulis operandis, de Spiritu Sancto in eos descensuro, de excidio urbis deicidae, de fine temporum. Revera turbae iure exclamabant: « Propheta magnus surrexit in nobis! » [4]. Et sane ipse Christus non semel se prophetam dixit [5].

Crescit autem huius tituli virtus si consideramus ipsum Filium Dei fuisse qui loquebatur iam per os Prophetarum Antiqui Testamenti: « Ut scias... Christum esse, ait S. Ambro-
« sius, qui locutus est et in propheta et in Evangelio, tan-
« quam in praedestinatione Evangelii per Isaiam dicit: " Ipse
« qui loquebar, adsum " [6]: hoc est, adsum in Evangelio qui
« loquebar in Lege » [7]. - Bene S. Augustinus: « Erat ille Do-
« minus Prophetarum, impletor Prophetarum, sanctificator
« Prophetarum, sed et Propheta.... Propheta Dominus, et Ver-
« bum Dei Dominus, et nullus propheta sine Verbo Dei pro-

[1] Ioann. i, 21.

[2] Act. iii, 22 sqq. — Lege de hoc Deuter. vaticinio. Eusebium (*Demonstr. Evang. in Deuter.* loc. cit.).

[3] Lege de hoc laudatum P. Roberti (op. cit. p. 179, sqq.).

[4] Luc. vii, 16. — Cf. Matth. xxi, 11, etc.

[5] Matth. xiii, 57; xxiii, 37.

[6] Is. lii, 6.

[7] *De Fide.* l. ii, c. 4, n. 37. — *P. L.* xvi, 590 A.

« phetat: cum Prophetis Verbum Dei et propheta Verbum Dei. « Meruerunt priora tempora Prophetas afflatos et impletos « Verbo Dei: meruimus nos Prophetam ipsum Verbum Dei » [1].

Quomodo autem Christus Deus-Homo propheta esse potuerit, in praecedente volumine investigavimus [2].

β) **Magister** (רַבִּי, Διδάσκαλος) contrahitur ad sensum latiorem ministerii prophetici. Hunc titulum, quo utpote nimis nobili, alios vocari vetabat, dicens: « Vos autem nolite « vocari Rabbi [3]: unus est enim Magister vester, omnes « autem vos fratres estis »; Christus sibi solemniter et exclusive vindicat: « Magister vester unus est, Christus » [4].

Et sane ipse solus hunc titulum plene meretur, quia solus habet plenam scientiam et plenam auctoritatem, quae Magistrum constituunt, adiuncta utique arte summa docendi.

α') *Scientiam* perfectam ipse de se testatur: « Quod sci- « mus, loquimur, et quod vidimus, testamur » [5]; « Omnia mihi « tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater: « neque Patrem quis novit, nisi Filium, et cui voluerit Filius « revelare » [6].

Ratione huius perfectae scientiae Christus est **Veritas**. « Ego sum veritas » [7]; « Veritas liberabit vos » [8]; « In hoc « natus sum... ut testimonium perhibeam veritati » [9]. Quare Ioannes testatur, Verbum habitasse in nobis « plenum gra- « tiae et veritatis » [10]. Nam « gratia et veritas per Iesum Christum facta est » [11]. Inde Psalmista praecinit: « Veritas de « terra orta est » [12].

[1] In Ioann. vi, 14. — Tract. xxiv, n. 7. — *P. L.* xxxv, 1595, sq. — Vides ex his, exordium S. Pauli ad Hebraeos non excludere a Filio Dei titulum Prophetae, sed ostendere discrimen inter Deum loquentem per prophetas tantum, et per Filium utique simul Prophetam.

[2] T. iv, p. 357 sqq.

[3] Triplex forma occurrit Rab, Rabbi, Rabban vel Rabboni (Cf. Ioann. xx, 16) de quibus ait Aruch: « Ordo in ore omnium sic est: maior est Rabbi quam Rab, « et maior Rabban quam Rabbi ».

[4] Matth. xxiii, 8, 10.

[5] Ioann. iii, 11.

[6] Matth. xi, 27.

[7] Ioann. xiv, 6.

[8] Ioann. viii, 32.

[9] Ioann. xviii, 37.

[10] Ioann. i, 14.

[11] Ioann. i, 17.

[12] Ps. lxxxiv, 12.

Quantopere autem sublimitas huius divinae veritatis in Christi doctrina eluceat, superius ostendimus, argumentum ex hac ipsa sublimitate desumentes ad divinam Christi dignitatem vindicandam. Quam bene Petrus exclamavit: « Domine « ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes » [1]. Imo Christus de se: « Ecce plus quam Salomon hic » [2].

β') *Auctoritas* autem Christi Magistri patet ex ipso docendi munere quod a Patre accepit: « Ego te clarificavi super ter- « ram: opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam » [3]. Haec missio paterna est principium omnis missionis apostolicae: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » [4]. Hinc Christo titulus divinus ut audiatur: « Ipsum audite » [5].

Hanc auctoritatem in docendo Christus affirmare solebat: « Amen, amen, dico vobis » [6]; « Qui credit in me, etiam si « mortuus fuerit, vivet » [7]. Quo auctoritatis accentu summam admirationem provocabat: « Et stupebant super doctrina « eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens, et « non sicut Scribae » [8]. Quare ministri a Pharisaeis ad Christum missi, reduces dixerunt: « Nunquam sic locutus est « homo, sicut hic homo » [9].

Ratione huius auctoritatis Christus praenuntiatus est **Consiliarius** [10], id est, **Magni consilii Angelus** [11]. Ad rem Augustinus: « Angelus Christus, Dominus Angelorum.... Etenim « Angeli latine nuntii sunt. Si Christus nihil annuntiaret, « Angelus non diceretur; si Christus nihil prophetaret, Pro- « pheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem et ad « capessendam vitam aeternam: aliquid praesens annuntia-

[1] Ioann. vi, 69.
[2] Matth. xii, 42.
[3] Ioann. xvii, 4.
[4] Ioann. xx, 21.
[5] Matth. xvii, 5.
[6] Istud *amen* tam eloquenter condensat auctoritatem Christi docentis, necnon immutabilem veritatem eius doctrinae una cum certitudine promissionum quas continet, ut tanquam nomen quoddam Christi haberi possit (Cf. Monsabré ultimam concionem de symbolo. Carême 1890).
[7] Ioann. xi, 25.
[8] Marc. i, 22.
[9] Ioann. vii, 46.
[10] Is. ix, 6.
[11] Intr. *tertiae Missae Nat. Dom.*

« vit, aliquid futurum praedixit; ex eo quod praesens annun-
« tiavit Angelus erat; ex eo quod futurum praedixit, Pro-
« pheta erat; ex eo quod Verbum Dei caro factum est, et
« Angelorum et Prophetarum Dominus erat » [1].

γ') Porro *arte docendi* quis unquam tantum adaequavit Magistrum, aut potius etiam de longinquo ad eum appropinquavit? Si vis concionem ad turbas, quid simul sublimius et simplicius sermone in monte habito? Si vis altiora mysteriorum, quid profundius sermone in Coena? Si quaeris subtiles confutationes, quis unquam orator tam instantanee, tam presse inimicos ad silendum coëgit, sicuti Christus Legisperitos et Scribas? Quanta celsitudo cum doctis, uti Nicodemo, aut cum potentibus, uti Pilato? Adde parabolas illas ex tempore tam profunde excogitatas, tam nitide ac poëtice expressas, ut in nulla lingua aliquid excellentius prostet. Adde, quod non parum est in tanto Doctore, teneram accommodationem ad captum eorum quos alloquitur. Quam dulce sonant in ore Christi: « Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis
« portare modo » [2]. Testes huius artis docendi sint imprimis discipuli ambo, quibus viatoris specie Christus secreta reserat Scripturarum; unde illi, tardius agnito Domino, ad invicem estatice dicebant « Nonne cor nostrum ardens erat in
« nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scriptu-
« ras? » [3]. Testis sit Paulus, cuius sublimis doctrina fructus est immediati magisterii Christi, iuxta illud: « Ego enim
« accepi a Domino, quod et tradidi vobis » [4].

Discant igitur a Christo et a Paulo artem apostolatus, artem artium, quum apostolatus genuinus procedat a vita et tendat in vitam!

b) *Vitam* hanc alia quaedam Christi nomina specialius exprimunt, de quibus superest ut breviter dicatur.

α) Primum nomen est **Vita** ipsa, iuxta illud: « Ego sum

[1] Loc. cit. Vides, Augustinum sumere prophetam in sensu stricto, magisterium autem in sensu qui et propheticus, utique latiori sensu, dici potest, imo non raro in Scripturis dicitur.

[2] Ioann. xvi, 12.

[3] Luc. xxiv, 32.

[4] I. Cor. xi, 23.

« vita ». Quare Ioannes Christum vocat *Verbum vitae* [1]. Eloquenter Origenes: « Perspicuum est, principium fontemque « vitae sincerioris et purioris, atque a mixtione cuiuscumque « rei alienae, proprie in primogenito omnis creaturae existere, « a quo qui Christi sunt participes sumentes, veram vivunt « vitam, cum hi qui praeter ipsum vivere existimantur, ut « veram lucem non habent, ita ne veram quidem vivunt « vitam » [2]. Tantopere scilicet Christus vita est, ut praeter ipsum viventes, sint mortui, et cum ipso mortui, vivant. Omnia quippe invenit in umbra mortis deiecta; venit Lux et Vita, ut tenebras effugaret vitamque redonaret, nec vitam qualemcumque exilem languore distentam; sed, ut ait: « Ego « veni ut vitam habeant, et abundantius habeant » [3].

β) **Panis** quippe est, panis vivus, superne nobis datus. Hinc totum discrimen inter Legem et Evangelium: « Non « Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat « vobis panem de caelo verum. Panis enim Dei est, qui de « caelo descendit, et dat vitam mundo.... Ego sum panis « vivus qui de caelo descendi.... Amen, amen dico vobis, « qui credit in me, habet vitam aeternam. Ego sum panis « vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et « mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens: ut si quis « ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, « qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, « vivet in aeternum, et panis quem ego dabo, caro mea est « pro mundi vita » [4]. Ex quibus verbis apparet, Christum esse vitae panem tripliciter: α′) sensu latiori, quia praeco Evangelii vitae; β′) sensu minus lato, quia per mortem suam mundo vitam dedit; γ′) sensu stricto, quia sub velo panis in altaris mysterio iugiter renovat oblationem suam eiusque fructum singulis applicat.

γ) **Vitis** pariter eodem iure dicitur, quia et sub specie vini hoc magnum sacramentum Christus instituit.

Sed et in hoc nomine aliqua alia veritas efficacissime inculcatur: gratia scilicet Christi capitis; seu vitalis coniunc-

[1] I. Ioann. i, 1.
[2] In Ioann. t. i, paulo post init.
[3] Ioann. x, 10.
[4] Ioann. vi, 32, 33, 41, 47-52.

tio quae requiritur inter Christum et membra, ut vitam Christi percipere, et faecunditate eius frui valeant: « Ego sum « vitis vera et Pater meus agricola est.... Manete in me, et « ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semet- « ipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manse- « ritis, etc. » [1]. Unde Concilium Tridentinum ait: « Christus « Iesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in pal- « mites, in iustificatos iugiter virtutem influit: quae virtus « bona eorum opera semper antecedit et comitatur et sequi- « tur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse « possunt » [2].

δ) **Petra** sub alia figura, alio nomine idem dicit. Inde in Ant. Test. petra illa allegorica de qua ait Paulus: « Petra autem erat Christus » [3]. Quemadmodum Moyses de petra fecit scaturire aquam, ita Christus de proprio suo latere emisit fontem salutis. Quemadmodum lapis ille faecundus Hebraeos comitabatur per desertum, ne siti consumerentur, ita spiritalis fons e Christo iugiter emissus nos per desertum vitae sustentat.

Tam eloquens est triplex vitale nomen [4] datum Christo: Panis, Vitis, Petra, ut figurata repraesentatio Christi sub hoc triplici symbolo frequens occurrat in catacumbis [5].

Et haec de praecipuis Christi nominibus pro scopo nostro sufficiant.

[1] Ioann. xv, 1, 4.

[2] Sess. vi, 16.

[3] I. Cor. x, 4.

[4] Trilogiam * autem Viae, Veritatis et Vitae scriptores sacri passim elucidant. Praeclare Augustinus: « Ego sum, inquit Christus, via, veritas et vita. Ambulare « vis? Ego sum via. Falli non vis? Ego sum veritas. Mori non vis? Ego sum « vita » **. — Unctuose S. Bernardus: « Sequamur, Domine, te, per te ad te: quia « tu es via, veritas et vita. Via in exemplum, veritas in promisso, vita in prae- « mio » ***.

[5] De Christo Pane vitae lege recentissimas litteras encyclicas Leonis XIII « *Mirae caritatis* ».

* Sunt tamen qui cum Maldonato et Patrizi, ibi inveniant figuram καθ' ἓν διὰ δυοῖν: « via vera et vitalis ».

** *In Ioann.* tr. xxii, n. 8. — Cf. S. Ambrosium (*De Bono mortis* c. 12, n. 54-55); etc., etc.

*** Serm. ii in *Ascens. Dom.*; cf. Serm. vii in *Coen. Dom.*; cf. *Imit. Chr.* l. iii, c. 56.

CAPUT II.

DE OBLATIONE CHRISTI IN TEMPLO.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS CONVENIENTER FUERIT IN TEMPLO OBLATUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Uti observat optime S. Thomas in initio *Corporis* huius articuli, duplex heic lex in Christo impleta est: alia respiciens nativitatem cuiuscumque, sive filii sive filiae; alia respiciens dumtaxat primogenitos. Prior ritus ad haec reducebatur [1]. Die quadragesimo, vel pro filia octogesimo expleto, mater deferebat agnum anniculum in holocaustum, in signum supremi dominii Dei, et pullum columbae vel turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii; eaque tradebat sacerdoti, qui offerebat illa coram Domino, et pro matre orabat. Quod si agnum non invenisset aut offerre non posset, sumebat duos turtures, aut duos pullos columbarum. Impletionem huius legis exprimunt verba: « Et « ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege « Domini, par turturum aut duos pullos columbarum » [2]. Inopiae quippe causa Maria et Ioseph non obtulerunt agnum anniculum. Nisi forte id altiori consilio factum esse putes, quia ipse offerendus erat Agnus Dei [3].

2) Alter ritus exprimitur in versibus praecedentibus: « Se- « cundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut siste- « rent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: " Quia « omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino « vocabitur " » [4].

3) Symbolismus huius ritus in libro Numerorum ita exponitur (agitur de consecratione Levitarum): « Pro primogenitis

[1] Cf. Levit. xii.

[2] Luc. ii, 24.

[3] Significatur quoque hic ritus verbis: « Postquam impleti sunt *dies purgationis* « eius ». Cf. Levit. xii, 7, 8.

[4] Luc. ii, 22, sq. — Cf. Exod. xiii, 2. Numer. viii, 16. sqq.

« quae aperiunt omnem vulvam in Israël, accepi eos. Mea « sunt enim omnia primogenita filiorum Israël, tam ex homi- « nibus quam ex iumentis. Ex die quo percussi omne primo- « genitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi: et tuli « Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël » [1]. Ex quo vides quantopere Christus fuerit per illos primogenitos figuratus, quum non solum ad modum aliorum esset coram Domino, sed excellentissimo modo sacrandus, unicus deinceps sacerdos futurus, novum sacerdotium conditurus, ritumque leviticum culto sublimiori aboliturus.

Ratione duplicis impletae legis, duplici nomine hoc mysterium decoratur: *Praesentationis* in templo, et *Purificationis*. De hoc altero fusius in articulo sequenti.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit legem cum modo quo exprimitur, propter universalem naturae viam qua primogeniti nascuntur. Vera esset obiectio, si sanctificatio primogeniti haberet aliquem respectum ad modum nativitatis eius. Sed iste respectus non habetur nisi in altera lege, quae utrumque continet: respectum *ad infantem* per agnum anniculum offerendum in *holocaustum;* respectum *ad matrem* per turturem aut columbae pullum offerendum *pro peccato*. Unde geminae oblationis, sive turturum sive pullorum columbarum, altera erat pro puero Iesu, altera pro eius Matre.

2. Obi. Non considerat Christum nisi secundum personam eius. At in Christo considerandum esse opus, vel genus nostrum, superius in art. 1 vidimus.

3. Obi. Non attendit, virtutem figurativam hostiarum V. T. corroborari per hoc, quod pro ipso Filio Dei offerebantur. Caeterum quid interest inter offerri pro Christo venturo, et offerri pro Christo praesente, nondum opere eius consummato?

4. Obi. Praeter rationem paupertatis, adde providam rationem identificationis Christi cum Agno. Unde Ioannes Baptista exclamavit: « Ecce Agnus Dei! » [2] et alter Ioannes vidit Agnum immolatum et gloriosum caelesti throno altarique supereminentem [3].

[1] Loc. cit.
[2] Ioann. I, 29.
[3] Apoc. v, 6, sqq.

Sed contra est. Convenientia huius praesentationis Domini elucet ex prophetia Malachiae. « Statim veniet ad templum « suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testa- « menti quem vos vultis » [1]. Illustratur quoque per splendissimam liturgiam qua Ecclesia hoc festum recolit.

Et sane ab exordio processionis Ecclesia lyrica extasi veluti rapta, profundiorem symbolismum mysterii huius diei exaltat: « Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem « Christum: amplectere Mariam, quae est caelestis porta: « ipsa enim portat Regem gloriae novi luminis: subsistit « Virgo, adducens manibus Filium ante luciferum genitum: « quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis « Dominum eum esse vitae et mortis, et Salvatorem mundi » [2].

Inde venerabilis senex, postquam eructavit sublime canticum « *Nunc dimittis* », Christum appellans *Salutare Dei* [3], lumen Gentium, gloriam Israël, agnoscit mysterium hoc non esse compiendum nisi per martyrium, cui tanti Redemptoris Mater Regina Martyrum consocietur [4].

ARTICULUS IV.

UTRUM MATER DEI CONVENIENTER AD TEMPLUM PURGANDA ACCESSERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) De purgatione in praesentatione Christi, quoad ipsum Christum impleta iam in praeced. art. diximus. Nunc de eadem quoad B. Virginem. Et certe ipsum vocabulum quo lex illa denominatur, maxime Matrem Christi dedecere videtur. Unde duo quaerenda sunt: *a*) utrum B. V.

[1] Malach. iii, 1.

[2] De admirabili cantu qui hunc textum illustrat, legesis quae scripsimus in ephemeridibus *Rassegna Gregoriana* (*Saggio estetico sulle melodie gregoriane; l'Adorna thalamum.* — i, pag. 1, sqq.).

[3] Ex parallelismo inter verba « Viderunt oculi mei salutare tuum » et « Exul- « tavit spiritus meus in Deo salutari meo », vides corroborari quae superius diximus de cantico Mariae. Quem Simeon vocat *Salutare Dei,* id est, Salvatorem a Deo datum, Maria vocat *Salutare suum,* utpote in se incarnatum, suumque Filium.

[4] Luc. ii. 29-35. — Verba « et tuam ipsius animam pertransibit gladius » sunt veluti parenthesis, et verba sequentia: « ut revelentur ex multis cordibus cogitatio- « nes » coniungenda sunt ultimis verbis v. 34: « et in signum cui contradicetur ».

fuerit huic legi adstricta; et si minus, *b*) cur eamdem implere voluerit.

2) Non fuisse Virginem Matrem huic legi *adstrictam, a) pro se* evidenter patet, quum ratio huius legis in ea defuerit. Quomodo purificanda virginitas, tum in conceptione tum in partu? Imo ius ex virginea maternitate fluere videbatur, ne talis mater talis legis ignominiam sustineret. - Neque *b)* tenebatur Deipara *pro Filio suo* eamdem legem implere. Etenim quidquid in ritu purificationis natam prolem respiciebat abundantius ritu primogeniti offerendi exprimebatur. Unde quatenus Christus, modo quo diximus, eam tenebatur implere, eatenus B. Virgo eidem legi iam per hanc caeremoniam satisfecerat. Ergo Mater Christi nulla ratione purgationis lege tenebatur.

3) *Decebat* tamen ut illam *impleret.* Cuius convenientiae sequentes licet rationes afferre. *a*) *Œconomia* Christi nati fuit abscondita; unde missio S. Ioseph erat, ut privilegia B. Virginis velo obtegeret. Haec autem oeconomia frustra fuisset, si Christi Mater subtrahens se legi, virginei partus mysterium publicasset - *b*) *Assimilatio* cum Christo vim huius primae rationis corroborat. Quae assimilatio in tribus consideranda est: α) in *obedientia* erga voluntatem Patris; β) in *humilitatis* exercitio; γ) in *approbatione* legis Mosaicae ab ipso Deo latae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit secundum necessitatem, quam nec directe, nec indirecte adfuisse monstravimus.

2. Obi. Urgetur idem vitium per legis textum manifeste B. V. excipientem.

3. Obi. Procedit contra ritum purgationis in se; non relate ad B. Virginem. S. Th. obiectionem solvit ex principiis quae adhibentur pro universa re rituali et quasi sacramentali Vet. Test.; licet in casu pro B. Virgine applicationem non habuerit.

Sed contra est. Œconomica ratio de qua n. 3 *a*) egimus, habet etiam alium respectum, scilicet ad non scandalizandos Iudaeos. Unde doctrina praesens valide confirmatur per caput XVII Matthaei, ex quo apparet, Christum se quidem a tributo liberum declarasse; voluisse tamen illud solvere, ne scandalo ansam praeberet.

In Corpore. Rationes quas supra attulimus, dempta prima, hic offert Angelicus, licet non eodem prorsus ordine. Quoad rationem humilitatis pulcherrima scripserunt auctores ascetici de virtutibus eximiis quarum Maria in hoc mysterio nobis exemplum praebuit, dum sese turbis confundi sinens, maxima Dei privilegia, pudori suo carissima, humili velo modestiae contexit.

Resp. ad 2m. Non huius dumtaxat legis littera B. Mariam eximit; sed et alterius, quae in obi. 1a articuli praecedentis affertur, a nonnulis scriptoribus ita explicatur, ut illius littera pressiori sensu nonnisi de Christo valeat: quatenus omnium aliarum matrum vulva adaperitur, quando virginitatem amittunt [1]. Sed fateor haec mihi parum placere. Caeterum oportet esse in interpretatione utriusque legis consequentem. Quare si sensus pressior unius legis Christo maxime convenit, nequit sensus pressior alterius excludere Christum. Insuper nec sic verum est, primogenitum Mariae aperuisse vulvam, quum salvo virginitatis sigillo Mater prolem ediderit.

Resp. ad 3m. Adde ex fide in Christum venturum hos ritus habuisse veram efficaciam ad purgandum non solum corpus ab immunditia legali, sed et cor et animam; at efficaciam indoli sacramentorum Vet. Leg. consonam.

Vides ex doctrina huius Quaestionis, quanto iure utramque legem circumcisionis et purificationis in Filio et in Matre considerans, S. Bernardus dixerit: « Quid est quod dicimus « beatam Mariam purificari? Quid vero, quod ipsum Iesum « dicimus circumcidi? Enimvero, tam non indiguit illa puri- « ficatione, quam nec ille circumcisione. Nobis ergo et hic « circumciditur et illa purificatur, praebentes exemplum poe- « nitentibus, ut a vitiis continentes, primum per ipsam con- « tinentiam circumcidamur, deinde a commissis per poeni- « tentiam purificemur » [2].

Nota. Ex dictis in hac quaestione vides, alio modo spectasse ad Christum praesentationem in templo et circumcisionem. Hanc ultimam Christus nullo modo implere debebat; imo dignitas ipsius per se eum ab ea, utique in se considerata removebat. Non ita de praesentatione. Haec enim in se

[1] Ita, v. gr. Isidorus Pelusiota, lib. I, ep. 22.

[2] Serm. de diversis 51. — *P. L.* CLXXXIII, 673, sq.

nihil continet quod plenae sanctitati contradicat. Imo quo magis Christus ut homo erat Dei, et ad immolationem destinabatur, eo magis decebat eum in templo Deo praesentari. Unde Ecclesia in hoc ritu salutat aliquo modo nuptias Agni cum humanitate [1].

Modus autem quo B. V. purificationem implevit, potius huiusmodi est quo Christus circumcidi se est passus. Unde S. Thomas ad easdem rationes recurrit, ut convenientiam huius geminae impletionis ostendat.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

I) Christum decuit circumcidi ad confirmandam veritatem susceptae carnis de genere Abrahae, ad probandam institutionem ac fidem huius ritus, ad excusationem tollendam Iudaeis, ad Legis onus suscipiendum, ad obedientiae exemplum exhibendum (art. 1). - Porro quum in circumcisione nomina imponi solerent, Christo impositum est convenientissime nomen Iesu, utpote quod opus Redemptionis eloquentissime exprimeret (art. 2).

II) Duplicem insuper legem praesentationis et purificationis impletam esse pro Christo et Matre eius Evangelistae narrant. Praesentari autem Deo in templo Christum propter opus eius maxime decebat (art. 3). - Nec dedecebat Mariam se purgationis ritui submittere, ut velaret dona Dei, et Filio conformaretur in obedientia, in humilitate et in Legis approbatione (art. 4).

[1] Cf. cantum *Adorna thalamum* modo allatum.

IV. MEMBRUM.

DE CHRISTO BAPTIZATO A IOANNE.

Hoc Membrum duplici Capite constat. Agit enim 1) de baptismo *Ioannis* in genere; 2) de baptizatione *Christi.*

Paucis hoc argumentum absolvemus, quum ad rem sacramentariam quoque, imo principaliter pertineat.

CAPUT I.

DE BAPTISMO IOANNIS.

QUAESTIO XXXVIII.

Ordo Quaestionis manifestus est. Praemissa *convenientia* facti (a. 1), S. Thomas discurrit de baptismate Ioannis sub duplici respectu: 1) *in se considerato,* scilicet *a*) in *causa* (a. 2), *b*) in *effectu* (a. 3), *c*) in *fine* (a. 4); - 2) *relate ad baptismum Christi,* scilicet: *a*) quoad *tempus* (a. 5), *b*) quoad *efficaciam* utriusque (a. 6).

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS IOANNEM BAPTIZARE.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Assuefactis ritui a Christo instituto, naturalis nobis aliquo modo videtur illa missio a Ioanne in Iordane impleta. Quid enim magis congruum, quam ut Domini Praecursor praecurrat etiam baptizando, ritum illum primordialem quo nascuntur Christiani? Aliter tamen res visa est Iudaeis. Unde sparso rumore baptismatis quod Ioan-

nes in deserto praedicabat, « miserunt Iudaei a Ierosolymis « sacerdotes et levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu « quis es? »[1]. Et ipse Ioannes incipit confessionem proprii muneris a negando se esse Christum; imo a negando se esse illos magnos viros promissos, ad quos solum, praeter Christum, Iudaei putabant tam altum ministerium spectare posse. Sed et propria definitio quam iuxta Isaïam de se dat, optime congruit officio quod implet: « Vox clamantis in deserto; « parate viam Domini, rectas facite semitas eius »[2]. Etenim in deserto clamans, Ioannes turbas ingentes ad se vocabat, quibus Messiam nuntiaret; dum ritum baptismalem praefigurativum instituens viam Christo praeparabat, et Christum mox eo ritu baptizandum expectabat ac nuntiabat; imo poenitentiae baptismate turbas immergens, rectas faciebat vias Illi, qui rectos corde vocaret ad fidem, filiosque simul ac fratres de Spiritu renatos acciperet.

2) Ex his satis liquet, quomodo Christi opus aliquo modo fuerit per opus Praecursoris inchoatum, et quomodo in baptizatione Christi utrumque Testamentum intimo nexu coniunctum fuerit. Nil proin mirum, de hoc baptismate Ioannis nullum exemplum apud praecedentes prophetas fuisse. Missio quippe Ioannis erat specialissima. Unde Christus ipse vocat eum « plus quam prophetam »[3].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit falso ac si baptisma Ioannis esset sacramentum.

2. Obi. Non attendit ad dicta n. 2.

3. Obi. Negligit, baptisma Ioannis fuisse ad *poenitentiam* ordinatum, uti ex ipso Evangelio constat[4].

Sed contra est. Convenientia missionis Ioannis aperte demonstratur per hoc quod, Spiritus Sanctus eiusdem auctor fuerit, teste ipso Ioanne, qui ait de se: « Qui misit me bap- « tizare in aqua, ille mihi dixit, etc. »[5]. Et Isaïas prophetaverat: « Ecce ego mitto Angelum meum, etc. »[6]. Utrumque

[1] Ioann. i, 19.
[2] Marc. i, 3; cf. Is. xl, 3; Matth. iii, 3: Luc. iii, 4; Ioann. i, 23.
[3] Matth. xi, 9.
[4] Marc. i. — Cf. art. 3 huius Quaest.
[5] Ioann. i, 33.
[6] Cf. Marc. i, 2: Matth. iii, 3.

complectitur Lucas: « Factum est verbum Domini super « Ioannem, Zachariae filium, in deserto. Et venit in omnem « regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in « remissionem peccatorum » [1].

In Corpore. Adverte ordinem huius argumenti. Ministerium Praecursoris respiciebat tum Christum baptizandum, tum turbas ad Christum adducendas. Quomodo adducendas? Per manifestationem Christi, per operis Christi praeparationem. Haec autem praeparatio erat duplex: externa, per ritum figurativum baptismatis Christi; interna, per emundationem cordium ad dignam receptionem eiusdem. Primum ministerium relate ad ipsum Christum implevit dum dixit: « Ecce « Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ». Alterum magis exercuit quando dixit: « Ego quidem aqua baptizo vos; ve- « niet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere cor- « rigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spi- « ritu Sancto et igni » [2].

ARTICULUS II.

UTRUM BAPTISMUS IOANNIS FUERIT A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In *Corpore* praecedentis articuli iam indirecte demonstravimus argumentum huius articuli et articuli sequentis. Huius quidem articuli, quia reducendo ministerium Ioannis ad Christum baptizandum et ad turbas Christo adducendas, iam ostendimus hoc ministerium superne fuisse ad Christum ordinatum, ac proin secundum originem fuisse *a Deo;* sequentis autem articuli, quia eadem ratione iam probavimus, idem ministerium non fuisse sufficiens ad gratiam conferendam, sed *ad gratiam Christi* fuisse mere praeparatorium. Utrumque magis explicite evolvendum est.

2) Ioannis baptisma fuisse *a Deo,* ipse Christus indirecte nos docuit, ubi Iudaeis sciscitantibus in quanam potestate ageret, per interrogationem respondit: « Baptismus Ioannis

[1] Luc. III, 2, sq.
[2] Luc. III, 16; cf. Matth. III, 11; Marc. I, 8; Ioann. I, 26.

« unde erat? e caelo, an ex hominibus? » [1] satis ita ostendens, revera caelitus Praecursorem missionem suam accepisse. Et certe « omnes .... habebant Ioannem sicut prophetam » [2]; seductor autem et non propheta fuisset, nisi a Deo baptizandi munere insignitus.

3) Sed et expresso Evangelii testimonio, officium Praecursoris origine divinum exhibetur, uti constat ex locis allatis in *Sed contra est* articuli praecedentis. Unde nullum dubium quin a Deo Ioannes venerit in Iordane conferre poenitentiae baptisma. Quibus in locis Ioannes ipse divinitatem missionis suae testatur, sicut et Isaïas aliique, qui de Praecursore prophetarunt. Habemus proin hanc divinam originem affirmatam a Christo, a Ioanne, ab Evangelistis, a Prophetis, a turbis.

4) Sed non ideo ipsum baptisma Ioannis in se consideratum habebat maiorem efficaciam quam aliud baptisma humana manu collatum. De quo specialius in articulo sequenti. Modo unum notetur: argumenta scilicet quae hic contra divinitatem missionis Baptistae afferri possunt, non valere nisi ad corroborandam doctrinam in articulo sequenti stabiliendam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter originem divinam et efficaciam proprie sacramentalem. Unde ad excludendam hanc efficaciam, quam non habuit, baptisma Ioannis vocabatur dumtaxat nomine conferentis illud.

2. Obi. Non attendit ad indolem propriam missionis Praecursoris, quae tota Christum respiciebat. Inde, quemadmodum Ioannes incepit seipsum definire dicendo, se non esse Christum; ita a ministerio suo removenda erant ea, quae in opinionem ducere potuissent, eum vere Christum esse. Talia autem maxime sunt miracula. Cf. resp.

3. Obi. Eodem vitio laborat. Quia nihil praeter Praecursorem erat, oportebat Ioannem crescente Christo minui, et eius opera tempus officii non excedere.

Sed contra est. Utraque pars doctrinae huius *Corporis* continetur in exordio Evangelii Ioannis. Loquens de Praecursore Domini ait: « Fuit homo missus a Deo,... »: ecce ori-

[1] Matth. xxi, 25.
[2] Ibid. 26.

ginem divinam missionis ac proin praedicationis baptismi poenitentiae. « Non erat ille lux... »: ecce huius missionis limitationem et ordinationem ad Christum, in Spiritu et igne baptizaturum.

In Corpore. Adverte modum absolutum quo S. Thomas negat efficaciam ritus a Ioanne in Iordane completi. Et re quidem vera vel ritus ille habebat aliquid sacramentale, vel non. Medium non datur. De quo fusius, Deo dante, agemus in tractatu de Sacramentis.

Resp. ad 2m. Caute responsum intellige. Signa non fecit Ioannes, non quasi haec fuissent absolute contraria missioni eius; sed quia non erant necessaria, imo potuissent obesse. Caeterum miracula a Ioanne patrata ad demonstrandam veritatem doctrinae de Christo venturo, imo iam coram stante, naturâ suâ ad Christum conduxissent, quemadmodum, uti loco suo videbimus, miracula a Christo facta ad propriam divinitatem fulciendam, hanc potentissime vindicant.

ARTICULUS III.

UTRUM IN BAPTISMO IOANNIS GRATIA DARETUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Evolvenda hic superest pars negativa praecedentis *Corporis.* Breviter tamen, quum uberior de hoc argumento sermo ad tractatum de Sacramentis spectet, ubi de Baptismo.

Solutio vera huius quaestionis continetur in modo quo ipse Ioannes suum baptisma baptismati Christi opposuit. Cur enim Ioannes baptisma suum vocavit simpliciter baptisma *aquae,* vel *in aqua,* in oppositione ad baptismum *in Spiritu et igne,* nisi quia sciebat baptisma a se collatum non producere plus quam corporalem ablutionem aquae propriam; illud autem a Christo conferendum absorbere maculas, ad modum ignis expurgantis, et vitam Spiritus supernaturalem insufflare?

2) Difficultas autem oritur ex locutione Scripturae: « Fuit « Ioannes in deserto baptizans, et praedicans *baptismum poe-* « *nitentiae in remissionem peccatorum:* " Ἐγένετο Ἰωάννης, « ὁ βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς

« ἄφεσιν ἁμαρτιῶν " » [1]. Cuius loci interpretatio pendet a modo quo vocabula coniunguntur. Si refers « in remissionem peccatorum » ad « poenitentiae », et non ad « baptismum », minuitur difficultas; etenim tunc remanet dumtaxat explicandum, quomodo Ioannis baptismus vocetur « baptismus poenitentiae ». In quo non insudatur. Etenim ordinabatur ad exprimendam externo ritu poenitentiam de commissis peccatis seu de sordibus animae abstergendis. - Si autem intelligis « baptismum in remissionem peccatorum », solvitur difficultas ope distinctionis inter efficaciam mediatam et immediatam; vel inter causalitatem efficientem et causalitatem finalem. Finalis causalitas, seu mediata efficacia in baptismate Ioannis « in remissionem peccatorum » admittenda est. Efficiens autem causalitas seu immediata efficacia « in remissionem peccatorum » non competit nisi baptismati Christi.

Prostat alius modus effugiendi difficultatem, scilicet referendo haec omnia non ad baptismum ipsum Ioannis, sed ad baptismum Christi, quem Ioannes « praedicabat », quia Christum in Spiritu baptizaturum nuntiabat. Verum est S. Thomam hanc rationem ex V. Beda afferre; sed non videtur solida. Etenim ipse contextus ostendit agi hic de baptismo Ioannis. En versus immediate sequens: « Et egrediebatur ad « eum omnis Iudaeae regio, et Ierosolymitae universi, et « *baptizabantur ab illo* in Iordanis flumine, confitentes peccata sua » [2]. Ergo in praecedentibus agitur de eodem Ioannis baptismate. Verba ultima « *confitentes peccata sua* », explicant « baptismum *poenitentiae* ». Scilicet baptisma Ioannis significabat poenitentiam; haec autem poenitentia, expressa per confessionem peccatorum, remissionem eorumdem operabatur: « in remissionem peccatorum », per caritatem scilicet, vel per baptismum Christi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Vide dicta n. 2.

2. Obi. Supponit gratis, ipsam ablutionem fuisse instrumentum remissionis peccatorum.

3. Obi. Non attendit ad discrimen ingens inter ritum stabilem, habentem rationem quasi sacramentalem, et ritum

[1] Marc. I, 4.
[2] Vers. 5.

transitorium, unice praeparatorium ad ritum vere sacramentalem.

Sed contra est. Doctrina praesentis articuli, de respectu baptismatis Ioannis ad baptisma Christi, eloquenter continetur in Actibus Apostolorum. « Factum est autem, cum Apollo « esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus « veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos; dixitque « ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? - At illi « dixerunt ad eum: Sed, neque si Spiritus Sanctus est, audivi- « mus. - Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? - Qui « dixerunt: *In Ioannis baptismate.* - Dixit autem Paulus: « *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae* populum, dicens: « In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc « est in Iesum. His auditis, baptizati sunt *in nomine Domini* « *Iesu* »[1]. Ecce directe expressam insufficientiam baptismatis Ioannis, et eius ordinationem ad fidem et baptisma Christi.

In Corpore. Observa, tres rationes hic allatas esse easdem quas in Quaest. praecedenti art. I. (n. 2, 3 et 4) S. Doctor attulit ad ostendendam utilitatem ministerii divinitus Baptistae commissi. Cf. dicta hoc loco.

ARTICULUS IV.

UTRUM ALII, PRAETER CHRISTUM, BAPTISMO IOANNIS BAPTIZARI DEBUERINT.

1. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex hucusque expositis habemus: *a*) Ioannem baptizasse, non solum ut Christus baptizaretur, sed et ut Christo viae praepararentur in populo; - *b*) baptisma Ioannis solum profuisse ex poenitentia cuius erat expressio sensibilis, et ex Christo ad cuius fidem et baptisma conducebat; - *c*) demum non latius patuisse baptisma Ioannis quam ipsam missionem Praecursoris. Ex his simul collatis iam praesentis articuli manifestam solutionem tenemus.

2) Propter *a*) non solus Christus erat baptizandus baptismate Ioannis, sed et alii in ordine ad Christum, et ad bap-

[1] Act. xix, 1-5.

tismum Christi; eo vel magis quod, iuxta animadversionem Augustini, periculum secus adfuisset, ne Ioannis baptisma propter singularitatem et excellentiam baptizati habitum esset a turbis uti virtutis sublimioris quam ipsum baptisma Christi. - Propter *b*) non erant baptismate Ioannis baptizandi nisi adulti poenitentiae capaces. - Demum propter *c*) non erant baptizandi Gentiles, sed solum Iudaei.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat *a*).

2. Obi. Procedit a falsa disiunctione. Inter recipere a baptismate, modo sacramentali, et illi conferre aliquid sacramentalis, datur medium: recipere scilicet ex dispositionibus animae, quarum baptisma figura sit.

3. Obi. Negligit simul *b*) et *c*).

Sed contra est. Factum idem constat ex loco Marci I, 5, supra allato, ubi « omnis Iudaeae regio, et Ierosolymitae « universi » dicuntur ad Ioannem accessisse et ab ipso, peccata sua confitentes, fuisse baptizatos.

In Corpore. Vis rationis secundae huius *Corporis*, quae in se continet tres rationes de quibus in art. praecedenti, corroboratur ex ipso modo agendi Ioannis et Pauli. Quomodo Ioannes alios baptizare potuisset, pro suo zelo gloriae Messiae, nisi operi Christi id agendo se prodesse cognovisset? Quomodo Paulus, non timidioris certe zeli, illos non redarguisset, quos Ioannis baptismate baptizatos Ephesi repererat? [1]. Prioris autem rationis virtus ex historia pariter constat. Si enim iam nunc non defuerunt qui Ioannes baptisma praetulerint baptismati Christi; quanto magis ita cogitassent, si solus Christus hoc baptismate fuisset baptizatus?

ARTICULUS V.

UTRUM BAPTISMUS IOANNIS DEBUERIT CESSARE CHRISTO BAPTIZATO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Solutio praesentis articuli pendet ab evolutione considerationis in initio articuli praecedentis expositae. *a*) Etenim si Ioannes alios praeter Iesum

[1] Cf. Act. xix.

debuit baptizare, quia baptisma eius spectabat ad turbas Christo praeparandas; eatenus debuit ab hoc munere non cessare post baptizatum Christum, quatenus, iam baptizato Christo, poterat adhuc aliis prodesse. Iam vero tres rationes supra expositae [1] non amittebant suam vim ab instanti quo Christus erat baptizatus. Ergo non debuit ab hoc instanti Praecursor a munere suo temperare. Quin eo magis decebat illum perstare in eodem implendo, quod, nisi fecisset, non ipse modo suspicionem zeli incurrisset, sed et discipulorum suorum zelum imprudenter stimulasset. Quae duplex consideratio secundariae quidem virtutis est; habet tamen suum momentum, sicut consideratio quam in initio *Corporis* praecedentis articuli ex Augustino Aquinas attulit.

2) Si iam quaeris quamdiu Ioannes debuerit post Christum baptizatum Baptistae munere fungi, respondendum est huic quaesito iuxta ipsas tres rationes supra indicatas: scilicet tamdiu quamdiu per Ioannis baptismum populus poterat efficaciter adduci ad Christum, assuefieri baptismo Christi, disponi interne ad Christi baptismum digne recipiendum. Subtilis quaestio, quam ipsa Providentia solvit per incarcerationem et decollationem Ioannis, iuxta illud ipsius Praecursoris: « Illum oportet crescere, me autem minui ».

3) Tempestive autem Ioannem fuisse turbarum admirationi et affectui subtractum, ex hoc facto constat quod, dum iam esset in carcere, discipulis rogantibus, legationem ad Christum miserit quaerentium, non quidem nomine Ioannis, sed eiusdem specie, nomine discipulorum eius; « Tu quis es, an « alium expectamus? » Imo constat ex pertinacia eorum qui caeco pertinacique studio adhaerentes Ioanni, lucernam ipsi soli praetulerunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad rationem plenioris manifestationis per baptisma Ioannis obtinendae. Cf. n. 1.

2. Obi. Non attendit ad dicta n. 2.

3. Obi. Pariter negligit rationes allatas n. 1.

Sed contra est. Quae diximus in art. praeced. de sanctitate Ioannis, hic quoque valent ad probandum, si Ioannes

[1] Art. 1 et art. 4 in corp. Quaest. XXXVIII, art. 1, n. 2, 3 et 4; Q. XXXIX, art. 3, n. 1, 2, 3.

baptizato Christo adhuc baptizaverit, rectissime iuxta Dei Spiritum id actum esse.

In Corpore. Adverte vim ultimae rationis ex indole Vet. Legis petitae. Ioannes aliqualiter medius erat inter Legem et Gratiam, quatenus Christum non modo venturum annuntiabat, sed et coram stantem indigitabat. Quatenus autem Christus nondum erat plene manifestatus, neque peractum erat salutis opus, Ioannes sub Lege adhuc degebat. Utrumque exprimitur per verba Psalmistae: « Paravi lucernam « Christo meo »; necnon Ioannis Evangelistae: « Non erat « ille Lux, sed ut testimonium perhiberet de Lumine ».

ARTICULUS VI.

UTRUM BAPTIZATI BAPTISMO IOANNIS ESSENT POSTEA BAPTISMO CHRISTI BAPTIZANDI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Factum ex Actibus Apostolorum supra relatum [1], apertam exhibet praesentis quaesiti solutionem. Qui nondum baptizati fuerant nisi baptismate Ioannis, baptizati sunt baptismate Iesu ut reciperent Spiritum Sanctum. Ratio enim iterati baptismatis non fuit defectus fidei in Spiritum Sanctum, sed defectus ritus sine quo Spiritus Sanctus, de via saltem ordinaria, non datur.

2) Et re quidem vera, si iuxta superius exposita Ioannis baptismus gratiam non conferebat, nulla ratio erat cur baptizati a Ioanne non amplius baptismo Christi baptizarentur. Hoc aperte significabat Ioannes quando annuntiabat non solum Christum sed et baptismum Christi *in Spiritu*, in oppositione ad suum baptisma *in aqua*. Ex quo sequitur discrimen intrinsecum totale inter utrumque baptismum, ita ut baptisma Ioannis non solum indigeat integrari per impositionem manuum, sed baptismus Christi sit ex toto recipiendus in ordine ad collationem gratiae ac Spiritus Sancti.

3) Inde rursus sequitur, baptisma Christi habere in se vim sacramentalem; quam vim continet non ex ministri dignitate, sed ex rei institutione. Quare, licet Ioannes emi-

[1] Cap. XIX.

nentis fuerit sanctitatis, baptismus ab ipso collatus cedit baptismo ab infimo Christi discipulorum, imo a proditore Iuda collato.

4) Pariter inde sequitur necessitas pro omnibus discipulis ut baptizarentur; quod fieri non potuit nisi Christus eorum saltem primos baptizaverit, quum decens sit prorsus, baptismi ministrum esse baptismi expertem. Et ita duo Scripturae loca, primo intuitu parum consonantia, componuntur: « Venit *Iesus* et discipuli eius in terram Iudaeam: et illic demorabatur cum eis et *baptizabat.* Erat autem et Ioannes baptizans in Ænnon iuxta Salim ». Et: « Iesus plures discipulos facit et baptizat, quam Ioannes, quamquam *Iesus non baptizaret,* sed discipuli eius » [1]. Componuntur enim optime, si dicamus, ipsum Dominum primos suos discipulos baptizasse, quibus tunc commisit munus alios nomine suo baptizandi.

5) Porro hoc ipso facto corroboratur doctrina praesens de discrimine inter utrumque baptismum. Baptismus Ioannis non habebat rationem ritus sacramentalis stabilis; baptismus autem Christi hanc plene habebat. Ideo non leguntur Ioannis discipuli baptizasse; e contra munus baptizandi nomine suo Christus ab initio discipulis commisit.

6) Utrum autem ipse Ioannes a Christo baptizatus sit, ex Scriptura non constat. Argumentum quod Chrysostomus petit ex verbis Ioannis: « Ego a te debeo baptizari », et ex responso Christi: « Sine modo » [2], certe non caret fundamento; licet factum nullibi in Scriptura narretur. Nec tamen ille baptismus necessarius fuit Ioanni. Obligatio enim baptismi Christi tunc solum orta est, quando Christus eam promulgavit: « Euntes ergo docete, etc. » Quod tantopere verum est, ut quaestio non inanis mota sit de propria indole illius baptismi, quem Evangelista narrat discipulos contulisse nomine Iesu [3].

7) Imo augetur dubitatio ex verbis de futuro, quae Christus discipulis postea dixit, paulo scilicet ante gloriosam suam Ascensionem: « Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem *baptizabimini* Spiritu Sancto non post multos hos

[1] Ioann. iii, 22, 23. — iv, 1, 2.
[2] Matth. iii, 14, sq.
[3] Ioann. iv, 1, 2.

« dies » [1]. Quomodo igitur iam *erant* baptizati, quum adhuc essent baptizandi? Qui negant, baptisma antea a discipulis receptum verum Sacramentum Novae Legis fuisse, hunc locum afferunt tanquam princeps argumentum. Et certe nullatenus est spernendum. Sequentibus tamen considerationibus acies argumenti obtundi videtur. Baptismus intelligi potest in sensu stricto et in sensu latiori. In sensu stricto exprimit ritum immersionis in aquas, et tunc non complectitur nisi Ioannis baptismum praeparatorium et baptismum Christi, sacramentum scilicet primum Novae Legis. In sensu latiori dicit immersionem in dona Dei, vel in toleranda pro Deo in ordine ad salutem. Hoc sensu Christus loquens de passione sua dixit: « Baptismo habeo baptizari » [2]; hoc sensu descensus Spiritus Sancti in impositione manuum vocari potest baptismus, *confirmatio* scilicet, utpote baptismi complementum. Quum autem descensus Spiritus Sancti in die Pentecostes fuerit talis *confirmatio* abundantissima, ad modum inundantium aquarum, rectissime potuit Christus hunc descensum annuntiare nomine baptismatis, utpote completuri opus prioris baptismatis iam recepti. - Corroboratur haec interpretatio ipsis verbis quibus Ioannes opus Christi in oppositione ad baptismum suum annuntiavit: « Ipse vos baptizabit in *Spiritu* « *Sancto* et *igni* » [3]. Ignis quippe in die Pentecostes in discipulos a Christo immissus est quasi complementum baptismatis eius. - Corroboratur quoque ex facto Spiritus Sancti irruentis in Cornelium et familiam eius; unde Petrus arguens a maiori ad minus, a complemento ad initium, non haesitavit baptizare eos qui baptismatis confirmationem videbantur accepisse. - Caeterum quaestionem in medio relinquimus, sicut et alteram de baptismo Christi a Ioanne recepto.

Ad Textum. - *1, Obi.* Non attendit, dignitatem baptismi Christi non esse a dignitate ministri, sed ab ipso Christo eiusdem auctore.

2. Obi. Supponit gratis quod demonstrandum esset.

3. Obi. Non attendit ad vim quam Christus aquis Iorda-

[1] Act. I, 5.
[2] Luc. XII, 50.
[3] Matth. III, 11.

nis contulit dum baptizabatur, et secundum quam Christus in hoc ipso actu maior erat Ioanne ipsum baptizante. Duplici ergo vitio laborat haec obiectio.

4. Obi. Gratis supponitur, rationem iterati baptismi fuisse defectum fidei in Spiritum Sanctum, et non absolutam insufficientiam baptismi Ioannis.

5. Obi. Vitio logico peccat. Ex hoc quod in baptismo Christi pro adulto fides requiratur, non sequitur fidem potuisse reddere baptismum Ioannis collativum gratiae.

Sed contra est. Necessitas rebaptizationis pro discipulis Ioannis sequenti argumento ex Scriptura desumpto lucide monstratur. Christus dixit: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua « et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei »[1]. Atqui Ioannes dixit, se tantum baptizare in aqua, Christum autem baptizare in Spiritu Sancto. - Ergo nisi quis, licet baptizatus baptismo Ioannis, baptizetur baptismo Christi, non potest introire in regnum Dei.

In Corpore. S. Thomas polemice contra Lombardum ita procedit. Posita distinctione Magistri, concedit doctrinam eius quoad priorem partem; sed eam negat quoad alteram, tum propter defectum gratiae et characteris sacramentalis, tum ex inutilitate suppletionis in ritu sacramentali, quando essentia rei defuit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Convenientissimum fuit Ioannem baptizare, tum ut Christus baptizari posset; tum ut Christo possent parari viae, per praedicationem, per ritum figurativum baptismi, per poenitentiam praeparatoriam ad baptismum Christi digne recipiendum (art. 1).

Fuit ergo baptismus Ioannis a Deo, quatenus hic divinitus ad baptizandum missus erat; non autem quatenus ipse ritus baptizandi haberet in se virtutem divinam (art. 2). - Etenim gratiam non conferebat, sed ad illam per Christum recipiendam modo dicto disponebat (art. 3). - Haec autem dispositio

[1] Ioann. iii, 5.

non cessabat per baptizationem Christi in Iordane; unde sicuti non solus Christus fuerat a Ioanne baptizandus, quin imo totus populus Iudaicus poenitentiae capax (art. 4); ita quoque iam baptizato Christo, utiliter per tempus Ioannes munus baptizandi protraxit (art. 5). - Ita tamen ut quoscumque baptizasset, Christi baptismate iterum essent abluendi, uti ex natura utriusque ritus et ex ipsa historia Actuum aperte constat (art. 6).

Nexum inter istam Quaestionem et sequentem efformant haec verba S. Anselmi, in quibus mirabili concisione simul dogmatica, oratoria ac mystica, habes expressa tum indolem baptismi Ioannis, tum exemplum quod Christus a servo suo baptizatus dedit, tum huius baptizationis uberrimum fructum: « Et primum ut per omnia te fratribus adsimilares, servum « tuum baptizantem peccatores in poenitentiam, tanquam « peccator adiisti. Baptizari quoque te postulasti, innocens « Agne Dei, quem nulla peccati stilla unquam maculavit. « Baptizatus es, non te in aquis, sed aquas in te sanctificas, « ut per eas sanctificares nos » [1].

[1] Medit. IX. *De humanit. Chr.* — *P. L.* CLVIII, 751. — Reperitur interdum inter opera S. Bernardi sub titulo: *Sermo seu medit. in Vitam et Passionem Dom.*, n. 6.

CAPUT II.

DE BAPTISMO CHRISTI.

QUAESTIO XXXIX.

Ordo Quaestionis. Sequenti schemate ordo huius Quaestionis manifestus redditur.

- I. De baptismo Christi *in se:*
  - *a)* utrum Christus debuerit *baptizari* (1),
  - *b)* utrum baptismo *Ioannis* (2);
- II. *De modo* huius baptismatis
  - 1) quoad *circumstantias:*
    - *a)* *temporis* (3),
    - *b)* *loci* (4);
  - 2) quoad *signa supernaturalia:*
    - *a)* aperitionem *caeli* (5),
    - *b)* apparitionem *columbae* et (qualitatem eiusdem) (7),
    - *c)* *vocis* testimonium (8).

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM BAPTIZARI.

De ipsa Quaestione. - 1) Titulus Quaestionis circumscribit argumentum. Non agitur hic de necessitate, sed de *convenientia.* Et re quidem vera Christi dignitas, quam Ioannes melius omnibus intuebatur, eum ab hoc ritu, quemadmodum ab ipsa circumcisione eximebat. Attamen, uti de hac agentes diximus, in Christo non solum consideranda est persona, sed et repraesentatio totius generis nostri, imo auctor nostrae redemptionis.

Iam vero *a)* ut *repraesentans genus nostrum,* Christus non indecenter ritui ablutionis se submisit, quo exprimeret se carnem nostram assumpsisse, quae, licet in ipso de Virgine immaculate traducta, Deoque subsistentialiter unita sit, in nobis tamen est caro peccati, ablutione summopere indigens.

b) Porro ut *Redemptor generis nostri,* voluit purissimi corporis contactu aquas regenerationis nostrae sacrare. Non certe quasi impotens aliter dandi eis mysteriosam virtutem, quae sacramentis veluti inhaeret; sed quia id maxime conveniebat ita fieri ob harmoniam nostrae salutis. Quemadmodum enim morte intendebat superare mortem, ita baptismum suscipiendo voluit instituere baptismum, ut eo modo efficacius ostenderet, virtutem totius operis sui provenire a sua divinitate, quae eo efficacius sese probat supereminentem, quo caro magis humiliari videtur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit in Christo repraesentationem generis nostri; et insuper non attendit ad efficaciam activam huius ablutionis mysticam aquis virtutem conferentis.

2. Obi. Negligit in baptismo Ioannis respectum ad novam Legem; neque attendit baptisma Ioannis utpote toti populo Iudaico pro hoc tempore destinatum, non minus Christum respexisse quam circumcisionem eidem populo ritu saeculari impositam. Utriusque enim ritus auctor idem erat Deus.

3. Obi. Confundit baptismum in aqua cum baptismo in Spiritu Sancto.

Sed contra est. Convenientia de qua quaeritur, efficaciter insinuatur inspiratione quam de futuro Christi baptismo se Ioannes habuisse testatus est. « Super quem videris Spi- « ritum descendentem, etc. » [1]. Quae intelligenda sunt dicta de uno ex illis qui baptismatis aquae recipiendi causa ad ipsum essent venturi.

In Corpore. Duplicem rationem S. Thomas affert: alteram petitam a munere Redemptoris, alteram a repraesentatione generis nostri.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS BAPTISMO IOANNIS DEBUERIT BAPTIZARI.

De ipsa Quaestione. - 1) Tres hic occurrunt baptismi inter se conferendi: baptismus mere figuralis Iudaeorum, bap-

[1] Cf. Ioann. I, 33.

tismus Ioannis inducens ad abstinendum a peccatis, baptismus Christi delens peccata per infusionem Spiritus Sancti. Primus est imperfectissimus; secundus perfectior est; tertius perfectissimus. Primus non est nisi umbra; secundus aliquid realis habet, licet non per se efficacis; tertius realissimus est et efficax per se.

Ex his iam facile probatur, tum primum, tum tertium Christo nullo modo convenire potuisse. Non primum, quia est nimis imperfectus, et mera umbra non convenit veritati. Non tertium, quia Christus est nimis perfectus, et plenitudo Spiritus Sancti excludit aliquid Spiritum Sanctum efficaciter conferens. Sed quid de baptismo medio?

3) Quum non remaneat nisi ille, et in art. 1 demonstratum sit convenisse ut Christus baptizaretur, indirecte iam probatur, conveniens fuisse ut baptizaretur a Ioanne. Accedunt rationes duae: scilicet *a*) ut baptismo a Ioanne recepto, Ioannis baptismum comprobaret, ac ita sibi ipsi per ministerium Praecursoris vias pararet; *b*) deinde ut, non recusando suscipere baptismum inferioris dignitatis, induceret alios ad altiorem suum baptismum libentius recipiendum.

Considerationes reliquae de sanctificatione baptismi, de repraesentatione generis nostri, iam directe evolutae sunt in art. 1, ad quem proprius spectant.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit in Christo repraesentationem generis nostri lapsi; neque rationem secundam n. 3 allatam.

2. Obi. Non considerat, quotiescumque in utroque extremorum invenitur inconvenientia, medium terminum potius esse eligendum [1].

3. Obi. Non attendit perfectissimum in se baptismum, quippe cuius excellentia sit medicinalis, convenire non posse Illi, cui ob perfectionem absolutam, nullum remedium applicari potest.

Sed contra est. Convenientiam ut a Ioanne baptizaretur, Christus ipse expressit, quum reluctanti Praecursori dicit: « Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam » [2].

[1] Cf. n. 2.
[2] MATTH. III, 15.

In Corpore. Tria argumenta S. Thomas affert. Primum est negativum, excludens a Christo ipsum baptismum Christi. Reliqua duo positiva sunt; ita tamen ut secundum directe respiciat baptismum uti Ioannis; tertium, baptismum uti baptismum.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS CONVENIENTI TEMPORE FUERIT BAPTIZATUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Accedimus ad considerandas circumstantias baptismi Christi; et primo quidem ad circumstantiam temporis. Tempus autem quo Christus baptizatus est, considerari debet tum relate ad ipsum Christum, tum relate ad officium Ioannis.

2) *Relate ad ipsum Christum* tria perpendenda occurrunt: *a*) initium vitae publicae, *b*) initium cessationis Legis, *c*) ipse annorum numerus.

a) *Initium vitae publicae.* Conveniens fuit Christum publicum munus non inchoare ante perfectam aetatem ob totam oeconomiam qua Christus voluit se subdere legi naturae, tum ad augendam fidem humanitatis suae, tum ad praebendum humilitatis exemplum.

b) *Initium cessationis Legis* incepit a baptismo Christi, quia ianua Legis novae baptismus est. Iam vero, quemadmodum supra vidimus, Christum in se Legem suscepisse, ut nos ab eiusdem onere liberaret, ita voluit differre initium eius cessationis usquedum, perfecta adepta aetate, totius servatae Legis argumentum praebere potuisset.

c) Utrumque optime exprimit *numerus ipse triginta annorum,* utpote continens in se perfectionem Legis novae, per fidem in Trinitatem (3), superadditam Legis veteris perfectioni per Decalogi praecepta expressae (10).

3) Porro *relate ad Ioannem,* scimus Christum baptizatum fuisse neque primum neque ultimum. Quod utrumque convenientissime contigit.

a) Non *primus* baptizatus est, ne α) Ioannis testificatio de Christo minueretur cum ipso titulo Praecursoris; ne β) confirmatio ministerii Ioannis a Christo baptizato efficaciam amit-

teret, quum hoc ministerium nondum cognitum esset satis, ut ei contradiceretur et comprobari indigeret.

b) Non *ultimus* baptizatus est, ne ita Christus privaretur auxilio quod a missione Ioannis adhuc perdurante percipiebat, quum turbae iugiter ad Ioannis baptismum confluentes a Praecursore de Christo audirent et ab ipso ad Christum ducerentur, quemadmodum de Andrea et Ioanne contigisse, narrat Evangelium.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si Christus baptismo indiguisset.

2. Obi. Negligit rationes expositas n. 2) *a*.

3. Obi. Pariter non attendit ad primam rationem ibidem allatam.

4. Obi. Negligit dicta n. 3.

Sed contra est. Non sine ratione theologi huc adducunt dicta de operibus Christi: « Fructum suum dabit in tempore « suo » [1]. - « Cuncta fecit bona in tempore suo » [2]. - « Opera Domini universa bona valde » [3].

In Corpore. S. Thomas affert tres rationes, quas n. 2, *a, b, c,* exposuimus. Quae autem convenientiam temporis respiciunt relate ad opus Praecursoris, tanguntur in *resp. ad 4^{m}*.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IN IORDANE BAPTIZARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum baptismus Ioannis ad Christum baptizandum ordinaretur, quemadmodum in praecedenti quaestione vidimus, eo Ioannes baptizaturus a Spiritu Dei mittendus erat, ubi decebat baptizari Christum. Quaerendum est igitur cur in Iordane Christus baptizari decuerit.

2) Re unice iuxta apparentes rationes materiales considerata [4], fluvius Iordanis optime huic ministerio convenisse

[1] Ps. I, 3.

[2] Eccl. III, 11.

[3] Eccli. XXXIX, 21.

[4] Inde dicitur Ioannes baptizasse « in Ænnon, iuxta Salim; quia aquae multae « erant illic » (Ioann. III, 23).

dicendus est, tum quia ripa Iordanis magis a rumore mundano semota erat, tum quia aquae fluentes offerebant maiorem commoditatem, ut a ripa multitudo ingens baptizaretur quin aquae fierent nimis turbidae.

3) Sed altius assurgendum est, et quaerendae rationes allegoricae sive mysticae. *a*) Prima quae sese offert, in ipsis decurrentibus aquis invenitur, quae fluxu suo melius exprimunt auferri sordes, quam si in stagno quis baptizet.

b) Nec satis: ratio adhuc excelsior petenda est ex ipsa figurativa historia Vet. Testamenti. Bis invenimus populum electum aquas pertransisse antequam terram promissionum ingrederetur: Mare Rubrum, in quo exercitus Pharaonis sepultus iacuit; Iordanem, cuius aquae conversae retrorsum, arcae populoque viam panderunt. Iam vero neutrum factum symbolica significatione caruit. Transitus enim per Mare Rubrum indicabat depositionem peccatorum; transitus per Iordanem, ingressum in patriam caelestem. Quum igitur tantae efficaciae baptismus Christi sit, ut ipsam paradisi ianuam credenti reseret, et quasi Spiritus Sancti igne viam per aquas, ut olim contigit Eliae, mirabiliter aperiat; conveniens fuit, Christum in Iordane potius quam in Mari Rubro baptizari.

4) Nec desunt in Iordanis transitu circumstantiae, quae hanc solutionem stimulent. Descensus quippe aquarum exprimit descensum humilitatis; conversio porro aquarum, figurat passiones per effluxum gratiarum retortas, ad modum fluvii salutaris, qui concupiscentiae delabentis impetum contineat. Inde et ipsum Iordanis nomen huic symbolismo inservit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit duplicem respectum baptismi, deletionem peccatorum et introductionem in regnum caelorum; quorum nonnisi prior melius convenit Mari Rubro; alter, isque potior, longe melius Iordani.

2. Obi. Non considerat humilitatis descensum, qui optime baptismo convenit.

3. Obi. Negligit pariter duplicem symbolismum conversionis aquarum retrorsum, qui egregie respondet virtuti baptismatis Christi.

Sed contra est. Cf. textus allatos in *Sed contra est* articuli praecedentis.

In Corpore. Duplex argumentum affertur; vel potius argumentum petitum ex ingressu in caelum per baptismum aperto (unde convenit cum Iordane iter populo electo in terram promissionum pandente) corroboratur per modum quo Elias, divisis Iordanis aquis, caelos conscendit.

ARTICULUS V.

UTRUM, CHRISTO BAPTIZATO, CAELI DEBUERINT APERIRI.

I. **De ipsa Qaestione.** - 1) Factum accepimus narratum a Matthaeo, Marco et Luca [1]. « Baptizatus autem Iesus confe- « stim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei caeli... » « Et « statim ascendens de aqua, vidit caelos apertos... » « Iesu bap- « tizato et orante, apertum est caelum... ». - Quibus ex locis simul collatis habemus, caelos apertos esse postquam Iesus fuerat baptizatus, et iam se in ripam ex aquis receperat; apertos autem esse dum orabat.

Utrum Iesus dumtaxat, an alii quoque caelos apertos viderint, dubium est. Marcus et Lucas hoc alterum non excludunt. Matthaeus autem dicit: « aperti sunt *ei* caeli ». Sed hoc non debet urgeri, nam addit: « et *vidit* Spiritum Dei descen- « dentem sicut columbam et venientem *super se* ». Iam vero scimus et Ioannem columbam hanc vidisse. Ergo Evangelista non loquitur sensu exclusivo. Eo vel minus quod aperitio caeli, utpote fructus orationis Christi et in manifestationem Christi tendens, erat speciali modo facta in favorem Christi. Putamus proin non excludi, alios quoque et apertos caelos et descendentem columbam vidisse.

Facto historico ita praemisso, iam circa hanc aperitionem caeli tria consideranda sunt: quid significaverit; - cur tunc, id est, in hoc instante facta sit; - quomodo facta sit. De quibus ex ordine pauca.

2) *Significatio* huius aperitionis caelorum habet respectum duplicem: *a*) tum ad Christum ipsum manifestandum, *b*) tum ad baptismum Christi declarandum. *a*) Relate *ad Christum manifestandum* est initium testimonii SS. Trinitatis de Christo

[1] III, 16; I, 10; III, 21.

deque eius opere. Aperitio caeli praecedit testimonium de caelo; et, quum ipse Christus, Verbum quippe incarnatum, sit unus de tribus illis qui testimonium supremum emittunt, Christo caeli apparent aperti ad exprimendum nexum intimum qui inter eum existit et Patrem ac Spiritum Sanctum. - *b*) Relate ad *baptismum Christi declarandum* significabat illud totum quod, concurrente ipso baptizato, operatur. Iam vero α) continetur in baptismo latens *efficacia* superne accepta per virtutem caelestem, divinam; convenit proin ut iste effluxus per caelorum aperitionem exprimatur. - β) Haec autem efficacia non excludit *cooperationem* a parte baptizati. α') *Per fidem*, dum baptizatur, si capax rationis sit: quae fides est quasi in caelestia *intuitus;* - β') per *ordinationem vitae* in terminum beatum: qui terminus est ipse in caelestia *ingressus*. Prior cooperatio est concomitans, altera subsequens.

3) Porro uterque respectus ad Christum manifestandum et ad baptismum declarandum, continet in se convenientiam cur *tunc* aperti caeli visi sint. Etenim *a*) immediate *ante testimonium SS. Trinitatis* aperiendi erant caeli, quo manifestum fieret, hoc testimonium desursum advenisse. - *b*) Immediate *post receptum baptismum, orante Christo,* quo ratio baptismi Christi declararetur distincta prorsus a baptismo Ioannis, eiusque simul proclamaretur relatio ad gratiam et meritum Christi.

4) De *modo* autem quo caeli aperti visi sunt, aliter et aliter iudicandum est, secundum quod quis teneat soli Christo, vel etiam aliis caelos apparuisse apertos. Si Christus solus vidit caelos apertos, potest explicari de visione imaginaria vel intellectuali. Sed nec tunc debet, uti superius vidimus, agentes de Magorum stella. Imo ratio ibi allata valet a fortiori de Christo. - Si autem alii quoque visionem habuerunt, iam ad visionem aliquam corporalem recurrendum est [1]. Quomodo autem, rursus parum constat. Si caelum fuit in hoc instanti nubibus obductum, potuit fractio veli aërei, et apparitio profunditatis firmamenti caerulei, concomitante inusitato splendore, aperitionem caeli figurare. Solus insuper splendor potuit speciem aperitionis huiusmodi habere

[1] Non quidem de necessitate absoluta, sed de summa probabilitate.

si de medio splendore columba illa descendit, quasi de superis immissa, et vox illa paterna intonuit. Caeterum de vera fractione caeli sive firmamenti cogitare, si iam pro stadio rei astronomicae absonum videbatur tempore Angelici, quanto magis nunc deridendum foret.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit in Christo humanitatem, neque repraesentationem generis nostri.

2. Obi. Non considerat quae diximus n. 4.

3. Obi. Multipliciter deficit. Negligit huius aperitionis respectum ad testimonium SS. Trinitatis, quod erat tunc opportune reddendum, uti mox dicetur. Neque attendit ad momentum baptismi in oeconomia salutis; neque ad mysticam rationem baptismi, quae continet in se antiqui hominis mortem ad imaginem mortis Domini.

Sed contra est. Vides ex collatis evangelicis textibus licentiam esse pictorum, quando caelorum aperitio, descensus columbae et Pater testimonium proferens simultanee cum Christi baptismo repraesentantur. Haec enim acta sunt, immediate post, quando Iesus de aquis ascenderat et in littore orabat.

In Corpore. S. Thomas heic unice considerat aperitionem caelorum in relatione ad baptismum Iesu, iuxta tria quae eodem ordine, licet cum aliqua diversa subdivisione, n. 2 exposuimus.

Resp. ad 3m. Adverte, interpretationem textus: « Tollite « portas », subtiliorem esse quam solidiorem. Idem enim haec sonant ac « attollite » portas. Agitur quippe non de amovendis omnino portis, sed de illis in altum sublevandis, sicuti pro maioribus illis portis mos erat, quemadmodum hodie viget in theatris pro velo quod scenam obtegit.

ARTICULUS VI.

UTRUM CONVENIENTER SPIRITUS SANCTUS SUPER CHRISTUM BAPTIZATUM DESCENDERIT IN SPECIE COLUMBAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Factum narratur a quatuor simul Evangelistis: « Et vidit (Iesus) Spiritum Dei descen-

dentem sicut columbam et venientem super se » [1]. - « Vidit « (Iesus)... Spiritum tamquam columbam descendentem, et ma- « nentem in ipso » [2]. - « Et descendit Spiritus Sanctus cor- « porali specie sicut columba in ipsum » [3]. - « Et testimonium « perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem « quasi columbam de caelo, et mansit super eum. Et ego « nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille « mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et « manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. « Et ego vidi, et " testimonium perhibui quia hic est Filius « Dei " » [4].

Quibus simul collatis habemus: *a*) Spiritum Sanctum super Christum descendisse; *b*) descendisse autem in forma columbae; *c*) mansisse super eum; *d*) Baptistam hoc signo Christum Dei Filium agnovisse. De quatuor istis pauca sint.

2) Quid significatur per descensum Spiritus Sancti in Christum? Vidimus supra in toto facto baptismi Christi, duplicem haberi respectum: ad *personam* Christi et ad *opus* Christi. Ita quoque in descensu visibili Spiritus Sancti duplex ille respectus servandus est.

a) Ut ab hoc altero incipiamus, Spiritus Sancti visibilis apparitio significabat idipsum, quod Spiritus Sancti significandum Baptistae praenuntiaverat, efficaciam scilicet baptismi Christi invisibiliter gratiam conferentis.

b) Quoad personam vero Christi, dupliciter distinguendum est: α) inter descensum mere manifestativum et descensum operativum; β) inter gratias gratum facientes et gratias gratis datas. - Gratiarum gratum facientium iste descensus non potuit esse nisi manifestativus, quia ab initio anima Christi fuit omni plenitudine gratiae ita cumulata, ut nullum augmentum accipere potuerit. - Pariter si gratiarum gratis datarum essentiam spectas, rursus descensus Spiritus Sancti mere fuit manifestativus: nam et illas quoad essentiam Christus ab initio habuit. Exercitium autem horum donorum, saltem completum, a vita publica Christi incepit; unde

[1] Matth. III, 16.
[2] Marc. I, 10.
[3] Luc. III, 22.
[4] Ioann. I, 32, sqq.

quatenus baptismus erat initium publicae vitae Christi, potuit iste descensus habere aliquid operativi, ad modum solventis id quod hucusque fuerat latens et nondum expeditum.

Ex dictis sequitur, caute legendos esse scriptores qui de descensu columbae in Christi baptismo intelligunt unctionem praenuntiatam [1], quasi tunc Iesus accepisset unctionem illam qua vocatur *Christus* [2]. Cautius adhuc legendi sunt, imo improbandi prorsus, moderniores theologi et exegetae, qui descensum hunc uti operativum gratiae gratum facientis quovis modo intelligendum putant.

3) *In specie columbae* Spiritus Sanctus apparuit. Quae species habuit respectum rursus ad personam et ad opus Christi, imo ad Spiritum Sanctum. *a*) *Ad opus,* quia α) columba exprimit egregie indolem baptismi: α′) simplicitatem, id est, puritatem intentionis quam exigit, β′) dona Spiritus Sancti quae communicat; γ′) reconciliationem cum Deo in qua animam collocat; - quia β) exprimit quoque aedificationem Ecclesiae, unius columbae immaculatae.

b) *Ad personam Christi*, quia exprimit α) *unitatem,* utramque naturam in una persona; β) *puritatem*, ob quam potens est tollere peccatum mundi; γ) *mansuetudinem,* qua venit seipsum praebere exemplum et victimam; δ) *pacem*, quam mundo erat daturus, quemadmodum illa columba cum olivae ramo ad Noë, Patris imaginem, est regressa.

c) De respectu ad Spiritum Sanctum vide in *Sed contra est.*

4) Porro *mansit* columba super caput Christi, quod rursus respicit Christi opus et personam. - *a*) *Opus*, quia α) gratia *baptismi* est per se habitualis et permanens; ipse autem baptismus usque ad finem temporum perduraturus; β) *Ecclesia* est pariter Spiritu Sancto illustranda usque ad consummationem saeculorum. - *b*) *Personam* autem respicit Christi, de qua dictum est: « *Requiescet* super eum Spiritus Domini », propter inadmissibilitatem donorum tum unionis hypostaticae, tum omnium gratiarum.

5) Remanet solvenda quaestio de modo quo Baptista, uti ipse testatur, Christum per descensum columbae cognoverit.

[1] Ps. XLIV.

[2] Cf. de hoc monito SCHEEBEN (*Dogmatik*. III, 170).

In quo non levis est difficultas. Agitur enim de concilianda narratione Matthaei cum narratione Ioannis.

In Ioannis Evangelio Praecursor declarat, se non cognovisse Christum nisi quando vidit columbam super caput eius descendentem et manentem. Matthaeus autem narrat, Baptistam Christum ad Iordanem accedentem agnovisse; secus enim quomodo dixisset: « Ioannes autem prohibebat eum « dicens: Ego a te debeo baptizari et tu venis ad me? »[1] Conciliatio facilis esset, si columba illa ante baptismum apparuisset. Sed eam super caput Iesu descendisse post baptismum, Evangelistae aperte testantur; nec posset sine temeritate duplex huiusmodi descensus fingi. Quaenam igitur patet via solutionis?

S. Augustinus, quin S. Thomas contradicat, conciliationem tentat dicens, Baptistam cognovisse quidem Christum quando baptizandus ad Iordanem venit; sed per columbae descensum cognovisse, Christum esse baptizantem in Spiritu Sancto; unde ex hoc loco per integrum tractatum[2] probat contra Donatistas, virtutem baptismi esse unice a Christo et non a ministro.

Contra hanc solutionem, praeter ipsam eius subtilitatem, sequentes rationes nobis militare videntur. 1) Nimis debilitat solemnem assertionem Ioannis: « Non cognoscebam eum, « nesciebam eum ». Quomodo per columbam cognovit, Christum esse qui baptizat, quum ab exordio non cessarit illum nuntiare se maiorem, qui veniret baptizaturus in Spiritu? - 3) Imo quomodo se illi baptizandum obtulit, si mysterium baptismi ignorarit? - 4) Versus 34 insinuat, columbam potius Baptistam docuisse divinam filiationem Iesu. Ait enim: « Et ego vidi, et testimonium perhibui *quia hic est filius* « *Dei* ».

Quibus simul collatis aliam conciliationem proponimus, non directe recusando, sed quasi complendo sententiam S. Augustini.

1) Ioannes sciebat Christum natum, illumque expectabat ad se venturum. - 2) Sciebat Christum esse Filium Dei, institutoremque fore baptismi in Spiritu Sancto, quo bap-

[1] Cap. III, 14.
[2] *In Ioann.* tract. V.

tismo, utpote Messias, tolleret peccatum mundi. Haec eum scivisse, praedicatio eius tota demonstrat. - 3) Personam tamen Christi ignorabat; inde pia curiositate anxius expectabat Christi accessum. - 4) Quando prima vice Iesus ad Iordanem venit, Ioannes, interna motione et intuitu Iesu actus vehementer suspicatus est ipsum esse Messiam, unde se ipsi praebuit ut ab eo baptizaretur potius quam eum baptizaret. - 5) Divinitus est in cognitione Christi confirmatus, quando vidit columbam super eum descendentem et manentem. - 6) Qua columba, certitudine infallibili, ex prophetia antea accepta, cognovit Christum esse Iesum, id est Filium Dei, tollentem peccata mundi et in Spiritu Sancto baptizantem. - Si quis tamen in n. 4 velit aliquid amplius adhuc admittere, et ex inspiratione interna certam cognitionem Christi, teneat tuto hanc sententiam, modo tunc illa Ioannis: « non cognoscebam eum », interpretetur: ante eius accessum ad Iordanem; et omnia ibi acta intelligat ad modum unius facti, id est, unius illustrationis per columbae descensum completae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit falso, Spiritus Sancti descensum fuisse pro Christo operativum gratiae.

2. Obi. Vide schema responsi.

3. Obi. Supponit, visibilem apparitionem non posse significare missionem invisibilem.

4. Obi. Non attendit ad multiplices rationes propter quas figura columbae erat appropriata Spiritui Sancto in baptismate Christi manifestando.

Sed contra est. Adde rationibus quas n. 3 exposuimus, relationem quae exhibetur inter columbam et Spiritum Sanctum, utpote quem Scriptura nobis depingit in principio temporum super aquas volitantem et quasi creationi incubantem. Quod quanto magis eum agere decuit super aquas baptismi in creatione supernaturali? Adde nitorem columbae, eiusque levitatem atque agilitatem, quibus et spiritualitas et puritas Spiritus Sancti efficaciter illustrantur.

In Corpore. S. Thomas in *Corpore* unice considerat respectum huius descensus ad mysterium baptismi. Non tamen hoc totam huius facti rationem continet. Apparitio quippe

columbae pertinet ad manifestationem SS. Trinitatis, qua introducitur vita publica Christi. De quo fusius in sequenti articulo 8, ubi de testimonio Patris.

Resp. ad 2m. En schema huius responsionis.

- Apparuit Spiritus Sanctus in specie columbae:
  - 1) non in propria substantia, neque in assumpta natura (nimis);
  - 2) non in mera imaginaria visione (nimis parum);
  - 3) sed in substantia *figurativa:*
    - non praeexistente (uti petra deserti),
    - sed *ad hoc creata* (uti ignis rubi).

Resp. ad 4m. En schema huius responsionis:

- A) Spiritus Sanctus descendit in baptismo Christi, *in specie columbae,* ad significandum
  - I) *baptismum in singulis:*
    - 1) quoad *dispositionem* accedentis: *simplicitatem* columbae;
    - 2) quoad *dona Spiritus Sancti*, quae confert:
      - *a) sapientiam,* — columba secus fluenta, quibus se immergit;
      - *b) scientiam,* — grana sana eligit;
      - *c) prudentiam,* — alienos pullos nutrit;
      - *d) intellectum,* — rostro non lacerat;
      - *e) pietatem,* — felle caret;
      - *f) fortitudinem,* — in petra nidificat;
      - *g) timorem,* — gemitu cantat.
    - 3) quoad *effectum* quem producit:
      - *a) peccata* remittit,
      - *b)* Deo *reconciliat,*
      - columba mansueta, et pacifica.
  - II) baptismi effectum *in communi:*
    - aedificationem *Ecclesiae:* columba sine macula, amicabilis, gregalis.
- B) Super Apostolos *in specie ignis,* ad significandum
  - 1) fervorem zeli;
  - 2) vindictam iudicii.

ARTICULUS VII.

UTRUM ILLA COLUMBA IN QUA APPARUIT SPIRITUS SANCTUS, FUERIT VERUM ANIMAL.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum supra S. Doctor quaesivit de natura stellae quae Magos duxit, ita nunc de natura columbae quae descendit super caput Iesu. Est iste articulus quasi parenthesis in evolvendo argumento Quaestionis.

Solutio huius articuli non habenda est ut necessaria, neque in mente ipsius S. Thomae. Nam in Ioannis commentario illam dumtaxat rationabilem, id est, probabilem appellavit; imo in I. Sent., Dist. XVI, art. 3, ad 3, aliter rem solvit, quin hic sese retractet.

2) Ratio sententiae cui S. Doctor hic adhaeret, est ipsa veritas Spiritus Sancti, quae requirit veram fuisse columbam. Quum autem haec columba non potuerit aliunde, saltem digne adduci, atque dicatur de caelis apertis quasi descendisse, concludendum videtur, eam fuisse animal unice in ordine ad hanc manifestationem a Deo directe creatum. Proportio autem inter hoc factum tam insolitum et brevitatem apparitionis quaerenda est in ratione ipsa factum exigente, id est, in veritate se manifestantis et in momento ipsius manifestationis.

3) Adverte, veritatem huius columbae esse perfectam, quatenus vera fuit columba, omnes habens in se proprietates huius animalis; figurativam tamen, quatenus Spiritum Sanctum manifestavit. Proinde, quidquid dicatur de comparatione ex Augustino in *Sed contra est* allata, longe distat veritas columbae Spiritum Sanctum manifestantis, a veritate corporis Christi non solum veri hominis, sed et veri Dei-Hominis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter veritatem columbae in se consideratae, et speciem quatenus manifestat Spiritum Sanctum [1].

2. Obi. Solvitur per considerationes expositas n. 2.

3. Obi. Non attendit, duplicem respectum simul stare

[1] Cf. n. 3.

posse in eodem: realem veritatis relate ad columbam, figurativum manifestationis relate ad Spiritum Sanctum.

Sed contra est. Mitiganda videtur comparatio quam instituit S. Augustinus. Ecce quomodo ipse S. Thomas I. Sent., Dist. XVI, art. 3 ad 3, aliter loquitur, nec sine probabili ratione: « Columba illa non fuit verum et naturale animal, « sed tantum similitudo columbae visibiliter ostensa in ali- « qua materia ad hoc praeparata. Unde etiam peracto offi- « cio in pristinam materiam est reversa. Nec fuit ibi aliqua « fictio, quia illa similitudo columbae non ostendebatur ad « manifestandam aliquam veritatem in ipsa columba, sed ad « manifestandas proprietates invisibilis missionis. Et ideo « non fuit ibi falsitas signi, quia signatum respondebat signo, « et res similitudini; sicut aliquis loquens per metaphoricas « locutiones, non mentitur: non enim intendit sua locutione « ducere in res quae per nomina significantur, sed magis in « illas quarum illae res significatae per nomina similitudi- « nem habent; et similiter de igne. Sed natura visibilis, in « qua Filius apparuit, assumebatur ad esse, et non tantum « ad signum, et ideo oportuit quod verum esse hominis « haberet ». Cum moderamine huius loci intellige etiam sequentia.

In Corpore. Utrumque S. Doctor demonstrat, et fuisse verum animal, et fuisse immediate ad hoc et unice ad hoc a Deo formatum.

Quaeres. Quid iam de columba quae Gregorio Magno apparuit; quid de columba, quae per longum temporis spatium, teste historia, Ravennatenses Praesules designare solebat? - *Resp.* Verae columbae fuerint, non ideo tamen ad hoc a Deo creatae, sed aliunde assumptae et advectae.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CONVENIENTER, CHRISTO BAPTIZATO, FUERIT AUDITA VOX PATRIS FILIUM PROTESTANTIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vox audita in Christi baptismo duplicem habet respectum: ad baptismum Christi et ad personam Christi. *a*) Quatenus respicit *baptismum Christi,* com-

plet manifestationem SS. Trinitatis, in cuius nomine baptismus confertur. - *b*) Quatenus respicit *personam Christi,* proclamat dignitatem ipsius, id est, divinam filiationem et complacentiam quam Pater habet in Filio, unde oritur mutuus amor, vinculum Spiritus Sancti.

2) Porro uterque respectus convenientiam ostendit, cur in baptismo Christi haec vox audita sit, tum *a*) quia in baptismo Christus suum baptismum instituit; tum *b*) quia vitam publicam erat mox inchoaturus, unde conveniebat Patrem ipsum hominibus de Filio dare testimonium, quo fidem in eiusdem Filii praedicationem conciliaret.

3) De voce autem hac prolata aliter loquendum est ac de columba. Columba repraesentabat Spiritum Sanctum, qui sub columbae specie apparuit; vox autem non erat species repraesentans Patrem, sed simpliciter in notitiam loquentis Patris inducens. Et recte tale signum electum est, quum Patris sit gignere Verbum. Imo in ipsa voce ostensus est, nam Filium profert dilectum. - Vox autem illa fuit vera vox producta in aëre per divinam operationem, id est, a SS. Trinitate, cum speciali appropriatione Patri.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si quaevis apparitio esset missio.

2. Obi. Procedit ac si haec vox Patrem repraesentasset.

3. Obi. Non considerat rationes n. 2 expositas.

Sed contra est. Observa, Evangelistas expresse dicere, Spiritum Sanctum apparuisse sub figura columbae, non autem dicere expresse, vocem fuisse vocem Patris. Ratio est, quia hoc alterum ex ipsis prolatis verbis satis erat manifestum; dum prius minus constabat.

In Corpore. S. Thomas heic non tangit nisi respectum ad baptismum Christi; alterum respectum de quo n. 1 egimus tangit in resp. ad 3.

Refutavimus autem superius haereticos illos Photinianos, qui putaverunt, nonnisi in baptismo Christi factam fuisse unionem hominis et Dei in Christo, hoc est, Iesum evasisse Dei Filium. Peccant contra totam oeconomiam dogmatis incarnati Verbi; imo peccant contra haec ipsa verba in baptismo prolata, quae non sunt divinae filiationis operativa, sed de-

claratoria. Secus, quid de eisdem verbis in transfiguratione Dei prolatis? Num operantur augmentum unionis hominis ac Dei in Christum?

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) *Baptizari* Christum decuit, ut baptismum suum institueret, stirpem nostram quam repraesentabat baptismi indigentem probaret et exemplo suo ad baptismum induceret (a. 1). - *Alterius* porro baptismo baptizandus erat Christus (quum suum recipere non posset), id est baptismo Ioannis a Deo ad baptizandum missi, imo ad baptizandum Christum (art. 2). - Porro *triginta annos* agens congrue Christus baptizatus est, ut ostenderet se Doctorum aetate maturum, ut servatam ex integro Legem tolleret, demum ut probaret baptismum gignere viros perfectos (art. 3). - Neque convenientior locus fuit *Iordane,* cuius aquas populus electus transivit terram promissam intraturus, et Elias caelos igneo curru conscendens divisit: quippe Christi baptisma in caelos inducit (art. 4).

2) *Aperti* autem *caeli* visi sunt (corporali vel spirituali visione) ad significandam baptismi caelestem virtutem, tum ex efficacia superne accepta, tum ex fide, quam baptizati confitentur, tum ex beata patria in quam inducit illos, qui cum Christo orantes perseverant (art. 5). - Inde quoque Spiritus Sanctus convenientissime apparuit sub specie *columbae,* quum Spiritus Sanctus in baptismate detur, et magnae dentur analogiae inter operationes huius Sacramenti et dotes sive qualitates columbae (art. 6). - Quae columba probabilius fuit *verum animal* ad hoc unice creatum (art. 7). - *Vox* autem *Patris* complevit testimonium Trinitatis in cuius nomine baptismum confertur (art. 8).

SECTIO II.

DE PERTINENTIBUS AD PROGRESSUM CHRISTI.

Quatuor in hac Sectione de Christo investigantur, tot Capitibus seu Quaestionibus distributa:

1) De modo *conversationis* Christi.
2) De eius *tentatione*.
3) De eius *doctrina*.
4) De eius *miraculis*.

CAPUT I.

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI.

QUAESTIO XL.

Ordo Quaestionis valde logicus est. - 1) Primo quaeritur *utrum* Christus debuerit vivere inter homines, an ab hominibus seiunctus. - 2) Dein *quomodo* debuerit inter homines conversari: *a*) quoad austeritatem victus, *b*) quoad humilitatem conditionis, *c*) quoad observationem Legis; quae tria considerant in vita Christi respectum ad seipsum, ad alios et ad Deum.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM INTER HOMINES CONVERSARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum non sibi sed nobis Verbum caro factum sit, convenientia conversationis Christi cum hominibus ab ipso scopo Incarnationis mensuranda est. Iam

vero tres sunt in Verbo incarnato praecipui tituli, quibus haec conversatio convenientissima, imo necessaria demonstratur: est enim *Doctor, Pastor, Amicus.*

a) Ut *Doctor,* quomodo veritatem patefecisset hominibus, imprimis suam propriam divinitatem et opus suum salutiferum, si ab hominum oculis semotus, nec discipulos formare potuisset, nec Victima pro mundi salute mactari?

b) Ut *Pastor,* quomodo fuisset perfecta forma gregis atque pastorum, nisi oves per campos, montana, valles, stagna, urbes indefesso labore quaesiisset, Ipse scilicet qui nonaginta novem oves in supernis sedibus reliquerat, perditam unam, praedilectam quaesiturus, humerisque una cum cruce impositurus?

c) Demum ut *Amicus,* « primogenitus in multis fratri- « bus », cuius « deliciae sunt esse cum filiis hominum », quomodo accessum ad Patrem nobis reserasset, nisi conversationis blanditie maiestatem sponte deponens, quos culpa retinebat et vulnus peccati, iam praesidio humanae suae bonitatis fulciret?

2) Hanc autem conversationem perfectioni Christi nullatenus obfuisse, docent ipsae rationes quibus eius convenientia probatur; docet insuper amor ille solitudinis, quam Christus constanter in ipsa vita publica ostendit, exemplar simul factus et anachoretarum et apostolorum, sublimitatem vitae contemplativae cum activae vitae zelo plenissime componens [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, Christum se hominibus Deum ostendere non potuisse, nisi cum hominibus conversando.

2. Obi. Negligit perfectionem quae ex zeli operibus contemplativae vitae accedit. Caeterum aliter res erat pro Christo, qui sine apostolatu opus suum complere nequibat; aliter pro quovis singulari homine, qui, si ab externo munere abstineat, alterius opera suppleri potest.

[1] Solent moderniores scriptores multum insistere huic distinctioni inter geminam vitam contemplativam et activam. Antiquiores de hoc argumento ieiunius loquebantur, et melius. Et sane unde vitae contemplativae praecelsa dignitas, nisi quia divina contemplari, est nobilissimus *actus?* Caveatur ab inepta illa distributione in virtutes passivas et activas.

3. *Obi.* Procedit ab effato, quod, si urgeretur, ad absurdissima quaeque conduceret. Uniformitas requisita ad perfectionem sumenda est, non quoad aliquod operum vel vitae genus, sed quoad totalitatem rationis vivendi, quae alicui maxime competat. Iam vero hoc modo Christi vita maxime fuit uniformis. Semper enim aequa mensura Christus vitam externam solitudinis studio temperavit. - Adverte pulcherrimam doctrinam in hac responsione contentam.

Sed contra est. Confer cum sententia ex Baruch desumpta sententiam Ioannis: « Et verbum caro factum est, « *et habitavit in nobis* » [1]. Porro familiaritatem huius conversationis, et huius familiaritatis utilitatem ad apostolatum, idem Ioannes alio in loco ostendit, ubi ait: « Quod fuit ab « initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod « perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo « vitae: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et « annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem « et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntia- « mus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et « societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu « Christo » [2].

In Corpore. S. Thomas evolvit tres titulos quos n. 1 exposuimus.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS AUSTERAM VITAM IN HOC MUNDO DUCERE DEBUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum ipsa conversatio Christi cum hominibus ex indole operis salvifici requirebatur, ita quoque modus eiusdem conversationis in Christo eligendus erat iuxta proportionem suam cum hac indole; eo vel magis quod in Christo nullum periculum peccandi advenire poterat ex maiori vel minori usu rerum temporalium, et quod interdum excellentior probatur virtus, quae

[1] Ioann. I, 74.
[2] I. Ioann. I, 1, sqq.

in mediis oblectamentis se illibatam seductionique superiorem ostendit, quam si oblectamenta vitare videatur, ne forte eorumdem suggestioni cedat [1].

2) Iam vero Christus, per hoc quod declinabat ab austeriori vitae ratione, quae in Ioanne Baptista elucebat, sequentia bona sibi, id est, operi suo conciliabat: *a*) Non deterrebat a salutis via timidiores, quum viderent amabilem esse in hominum conversatione ipsum perfectionis auctorem et consummatorem Christum, - quod argumentum non solum pro tempore Christi, sed et pro omnibus saeculis valet [2]; - *b*) occasionem sibi procurabat adeundi peccatores in mediis civitatibus ac conviviis, atque ita eos ad se attrahendi et convertendi; - *c*) docebat, Legem novam non esse exterioris observantiae, sed charitatis.

3) Voluit tamen Iesus, sicuti solitudinem data opportunitate et utilitate, ita et victus austeritatem ardore mirabili colere: tum in initio publicae vitae, per quadraginta dies ieiunando, tum in apostolatus laboribus privationes quasque aequo animo tolerando. Nedum igitur inchoare ieiunio, et pergere « manducans et bibens », sit in Christo inconstantiae argumentum, e contra inde probatur, Christum ab austeritate non refugisse, sed potius amore nostri ipsi austeritati renuntiasse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad excellentias quae inde effluxerunt, quod Christus publicam austeritatem Baptistae non sit aemulatus; uti diximus n. 2.

2. Obi. Negligit modum excellentiorem quo Christus, dum mortalem vitam degeret, longe efficacius quam per abstinentiam ab escis, affectus suorum mundabat.

3. Obi. Non considerat rationes expositas n. 3.

Sed contra est. Locus desumptus est ex ipsa oratione qua Christus invehit in obstinatas mentes Iudaeorum, qui austeritatem Ioannis daemonio tribuebant, discretiorem vitam

[1] Cf. de hoc egregiam concionem P. SEGNERI: « *La virtù del chiostro emulata nel cuor del secolo da San Filippo Neri* ».

[2] Inde magna virtus est pio christiano degenti in saeculo, maxime cum hominibus de religione minus sollicitis, si vitam Deo devotam reddat et aliis amabilem, caveatque a lepide dicto « *Les saints tristes sont de tristes saints* ».

Christi, gulae atque libidini [1]. Verba « manducans et bibens » significant hic: non se abstinens publicae vitae ratione a cibo potuve licitis.

In Corpore. Comple argumentum huius *Corporis* ex dictis supra n. 1 et 2.

Resp. ad 3m. Cf. dicenda ubi de quadraginta diebus quos Christus post resurrectionem adhuc in terris degit. - Ex toto hoc articulo elucet, sententiam Pauli « scio abundare, scio egere », Christi fuisse in vita publica normam, et quidem normam perfectissimam; imo Paulum hanc sibi normam ab imitatione conversationis Christi derivasse, non immerito dixeris.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS IN HOC MUNDO DEBUERIT PAUPEREM VITAM DUCERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus in primo articulo huius Quaestionis, decuisse, Christum ut doctorem, ut pastorem, ut amicum cum hominibus conversari. In praecedenti articulo vidimus, ipsum convenientissime non austeram vitam duxisse in victu, sicuti Ioannem egisse Scriptura testatur. Iam vero si id postulabat ratio *amici,* vel, sicuti ipse Praecursor ait, *sponsi;* pauperem eum agere vitam, exigebat ratio *pastoris,* seu apostoli. Etenim apostolum, sicuti militem, esse oportet *a*) *expeditum,* ut quocumque postulaverit zelus, sine mora convolet; et *b*) in ipso muneris exercitio, a pecuniae lucro *integrum,* ne pecunias et non animas quaerere videatur.

2) Nec quis obiiciat, curam rerum necessariarum vitae obesse praedicationi, quum sollicitudines creet imo interdum insuperabiles angustias. Ipsa enim historia docet, ex largitionibus piarum mulierum, divitumque benefactorum, Christum suam suorumque vitam sine gravedine sustentasse,

[1] Similia dilemmata et hodie inveniuntur in ore hostium Ecclesiae. Ita hac in Urbe, iidem qui in pompam aulae Pontificalis Vaticanique palatii invehunt, quasi contrariam spiritualitati Ecclesiae; pauperes peregrinos de longe mira fide confluentes despiciunt, imo impetunt conviciis, uti ignobile pecus.

licet magna cum parcitate, quin et frequenti indigentia. Quae provide simul ac prophetice acta sunt, in exemplum eorum qui, paupertatem voluntariam amplexi, in se vident impleri centuplum etiam in terris promissum illis, qui pro Christo suas opes deponere non trepidarint. Collegium quippe apostolicum una cum suo Magistro prima fuit schola claustralis paupertatis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter paupertatem voluntariam et coactam; neque considerat mortalem perfectionem qua Christus erat liber a periculis egestatis.

2. Obi. Non attendit ad considerationes n. 2 expositas.

3. Obi. Non considerat maximum humilitatis exemplum esse voluntariam paupertatem, in illo praesertim cuius sunt coeli et terra.

Sed contra est. Ipsa paupertas, quam Christus ab initio vitae suae egit, - et ad quam discrete iam alludit illud Ioannis: « Qui dixerunt (primi scilicet Iesu discipuli, Andraeas et « socius eius) ei: Rabbi, ubi habitas? - Dicit eis: Venite, et « videte. - Venerunt et viderunt ubi maneret »[1]; - haec ipsa inquam paupertas ostendit, quam libenter austeram quoque in victu vitam Iesus duxisset sicuti Ioannes, nisi aliter utilitas nostra postulasset. - Caeterum non semper eadem apparet nuda paupertas; nam loquitur Scriptura de loculis quorum custodia Iudae committebatur.

Eloquenter S. Anselmus hanc Christi paupertatem celebrat: « Tu Domine universorum, qui nullam habes indigen- « tiam, intra ipsa nativitatis tuae initia non abhorruisti abiec- « tissimae paupertatis degustare incommoda. Ut enim ait « Scriptura, Tibi cum nascereris " non erat locus in diver- « sorio "; neque cunabula quae teneritudinem tuam excipe- « rent, habuisti: sed in vili praesepio sordentis stabuli, Tu « qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclina- « tus es. Et hoc ipsum a brutis animalibus Mater tua mutuo « accepit. Consolamini, qui in sordibus paupertatis enutri- « mini, qua vobiscum Deus in paupertate. Non cubat in deli- « ciis splendidi cubiculi, non invenitur in terra suaviter viven-

[1] Ioann. I, 38, sq.

« tium. Quid ultra gloriaris, o dives, lutea res in volutabro « lecti picti et delicati, cum Rex regum recubito suo pau- « perum stramenta honestare maluerit? Quid dura stramenta « detestaris, cum tener infantulus, in cuius manu sunt omnia, « tuis sericis, tuis plumis duras iumentorum stipulas praee- « legerit? » [1].

In Corpore. En schema huius egregiae doctrinae:

Christus in hoc mundo pauperem duxit vitam	1) quo expeditius labori praedicationis vacaret;
	2) ut terrena paupertate nos bonis caelestibus ditaret;
	3) ne videretur praedicatione quaerere lucrum;
	4) quo clarius divinitas sui operis eluceret.

Quantopere haec ultima ratio in electionem Apostolorum influxerit, ex narratione Evangelii habemus; necnon ex modo quo deinceps Spiritus Sanctus etiam potentibus debiliores, v. gr. Manahen, Herodis collactaneo Barnabam, praetulerit.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT SECUNDUM LEGEM IN HAC VITA CONVERSATUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Habitudo Christi ad Legem potius *doctoris* officium respicit. In qua habitudine *factum* ipsum, et *ratio* facti consideranda sunt. Ita in obiectionibus S. Thomas arguit contra factum; in *Corpore* potius arguit ex ratione facti. Unde integer articulus utrumque complectitur.

2) Porro, sicuti contra factum argui potest ex actionibus, ex doctrina, ex consensu Christi; ita quoque ex hoc triplici fonte ad factum stabiliendum arguere licet.

a) *Ex actionibus* Christi. Nam suscipiendo circumcisionem se libere sub Legem constituit. Unde exhibet eum Scriptura uti « *factum* sub lege ». Insuper eum observasse Legem, multis locis Evangelii constat. Ita quidem ut, quando nolebat publice ad festa Ierusalem ascendere, private tamen non praetermiserit.

[1] Ibid. col. 750.

b) *Ex doctrina.* Nam ipse dixit de se: « Non veni solvere « Legem, sed adimplere ». Adimplere quidem eam servando, atque complendo. Unde in oratione solemniori quam habuit in monte, Legem saepe citat, nullibi eam recusans, sed perfectiori Lege complens.

c) *Ex consensu.* Etenim nunquam permisit se de non servata Lege accusari, quin protestatus sit modum suum agendi explicans.

3) Qua in explicatione duo ostendit esse sedulo distinguenda: *a*) *Legem* veram a *praescriptionibus* Legi superadditis, quae ex vanitate a Pharisaeis urgebantur, imo, saltem practice, super Legem populo imponebantur. Contra quas Christus, nil veritus iram inde in se congerendam, vehementissimo verbo invexit, easque non sine quadam ostentatione in praxi despicere solebat.

b) Magis adhuc distinguenda est *littera* Legis a *spiritu* Legis. Quotiescumque Pharisaei contra modum agendi Christi arguebant ac si Legem contempsisset, ex littera arguebant; Christus autem spiritum Legis se ostendit nullo modo violasse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter litteram et spiritum. Spiritus autem Legis non excludit opera virtute divina, in bonum proximi vel in cultum Dei acta. Atqui talia fuerunt opera Christi; ergo. - Cf. in responsione argumenta ipsius Christi.

2. Obi. Confundit duo asserta valde distincta: *a*) Cibi per se non coinquinant hominem; *b*) ergo vana sunt Legis praescriptiones de ciborum vetitorum abstinentia. Primum docuit Christus; alterum supponit obiectio.

3. Obi. Non attendit ad necessitatem quae, teste David, a positivis praescriptionibus dispensare solet. Rursus spiritum non tenet.

Sed contra est. Ex verbis S. Pauli: « Misit Deus Filium « suum... factum sub Lege » [1], et: « Qui in Lege gloriaris, etc. » [2], constat Christum non potuisse vere sub Lege fieri, quin opere et veritate, id est, factis ipsis sub lege viveret.

[1] Galat. iv, 4.
[2] Rom. ii, 23.

In Corpore. Ratio prima simul factum et rationem tangit. Reliquae procedunt secundum rationem facti. - De tertia adverte: si iam nunc ex littera violata Pharisaei tantum scandalum exceperunt, quid fecissent, nisi Christus de spiritu Legis curasset?

Resp. ad 1m et 3m. Ex his locis mirare, quanta profunditate doctrinae ex ipsa Lege Christus contra falsos Legis zelatores arguerit. Inde tanta his textibus virtus remanet contra ps.-Reformatores, Pharisaeorum more in Ecclesiam invehentes.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Christum cum hominibus conversari decebat, ut testimonium perhiberet *Doctor* veritati, peccatores *Pastor* inquireret, *Amicus* nos ad Deum adduceret (art. 1).

2) Quum autem scopus huius conversationis partim frustra fuisset, nisi hominibus sese aliquo modo accomodasset, oportuit Christum non aemulari publicam Praecursoris austeritatem (art. 2).

Pauperem tamen vitam ipsum degere convenit, ut expeditius praedicare posset, spirituales divitias sine temporalium lucro nobis allaturus, divinamque suam virtutem efficacius demonstraturus (art. 3).

Legem demum, cui ex circumcisione se devoverat, adimplere Christum decuit, ut illam a Deo latam probaret, se contra Pharisaeorum invidiam muniret, susceptamque Legem in Gratiam converteret (art. 4).

CAPUT II.

DE TENTATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XLI.

Ordo Quaestionis hoc schemate exprimitur. S. Thomas quaerit:

1) De tentationis *facto* (1);

2) De tentationis *circumstantiis* { *a*) loci (2), *b*) temporis (3);

3) De tentationis *ordine* (4).

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM TENTARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Tentatio vocatur quidquid homini immittitur vel a Deo ad eius probandam virtutem ac ideo augendum meritum, vel a daemone ad provocandam eius debilitatem ac ita demeritum. Haec autem probatio a parte Dei non necessario supponit possibilitatem in tentato ut inde non mereatur; supponit autem a parte diaboli vel cognitionem possibilitatis ut demereatur, vel saltem de hac possibilitate dubium.

2) Eatenus igitur *a*) *Spiritus Dei* Filium in desertum duxit ut ibi tentaretur, quatenus haec tentatio futura erat in laudem Christi et in nostrum profectum; eatenus autem *b*) *diabolus* Christum aggressus est, quatenus de dignitate eius ac proin de eius impeccabilitate dubitabat.

3) Ut autem pateat, talem tentationem a diabolo inductam nihil in Christo ponere indecori, attendendum est discrimen inter tentationem ab extrinseco et ab intrinseco. *a*) Ab extrinseco tentatio ea est, - intellige a principio malo inductam, - quae oritur extra appetitum atque voluntatem nostram: erit vel diabolus, vel alius homo, vel ipse mundus nobis externus. *b*) Ab intrinseco tentatio est, quae ab ipso appetitu

nostro et voluntate, utique inferiori oritur. Haec autem intrinseca tentatio potest distribui in desordinatam per se, et non desordinatam per se. α) Desordinata per se est ea, quae provenit a concupiscentia carnali, cuius radix, utpote a peccato et ad peccatum, mala est et peccatum vocatur. β) Non desordinata per se est ea, quae a tali radice non procedit: uti v. gr., dolor, tristitia, odium.

4) Haec praemissa iam ad Christum applicemus. *a*) Non dedecebat Christum tentatio ab extrinseco; - neque *b*) tentatio ab intrinseco non per se desordinata; - *c*) maxime autem eum dedecebat tentatio carnalis concupiscentiae, utpote per se desordinata.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit gratuito, daemones de divinitate Christi cognitionem habuisse certam; quod ex ipso tenore tentationis falsum ostendi potest.

2. Obi. Supponit Christum non efficacissime superasse opera diaboli eidem resistendo in sua humanitate, ac resistendi medium nobis ostendendo.

3. Obi. Non considerat distinctiones n. 3 positas. Ubi adverte, tentationem a mundo mediam aliquo modo esse inter tentationem a diabolo et a carne. In Christo autem admitti non potuit, nisi quatenus ei ab hominibus mundo deditis adveniebat. Ita intellige dictum Pauli: « tentatum per « omnia... absque peccato » [1].

Sed contra est. Huc per accommodationem a quibusdam theologis adducuntur verba Zachariae: « Et ostendit mihi « Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo « Domini; et Satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei » [2].

Iesum autem a Spiritu Dei et non a spiritu malo in desertum esse ductum, ex ipso contextu clare apparet. Quomodo enim in eadem sententia daemon idem vocaretur spiritus et diabolus? Ipsa verborum constructio idem probat: « Iesus « ductus est in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo » [3]. Quis enim unquam ita sententiam conficeret, si revera idem esset, qui duxisset et qui tentaturus esset?

[1] Hebr. iv, 15.
[2] Zachar. iii, 1.
[3] Matth. iv, 1.

Placet de tentatione Christi audire S. Gregorium Magnum. Postquam ostendit, Christum non a malo sed a Sancto Spiritu actum esse in desertum, de ipsius tentationis mysterio ita pergit: « Sed ecce cum dicitur Deus homo vel in excel-« sum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assump-« tus, mens refugit credere, humanae hoc audire aures ex-« pavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognosci-« mus, si in illo et alia facta pensamus. Certe iniquorum « omnium caput diabolus est: et huius capitis membra sunt « omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An « non diaboli membra Iudaei persequentes, et milites cruci-« figentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo « permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris « illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro « quod tentari voluit, qui venerat occidi. Iustum quippe erat, « ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut « mortem nostram venerat sua morte superare ».

At hanc tentationem Christi fuisse mere externam, ita eloquenter exponit: « Sed sciendum nobis est, quia tribus « modis tentatio agitur: suggestione, delectatione, et con-« sensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem, « aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato « propagati, in nobisipsis etiam gerimus, unde certamina « toleremus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in « mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in « semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit; « sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque « ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit » [1].

In Corpore. Sequenti schemate doctrina S. Doctoris comprehenditur:

Christus tentari voluit [2]:
1) ut tentatis auxilium ferret;
2) ut et sanctis prudentiam ac timorem inspiraret;
3) ut vincendi secreta nos doceret;
4) ut se, ex tentatione pro nobis suscepta, magis misericordem exhiberet.

Collige ex hac doctrina quo sensu intelligenda sit petitio

[1] Lib. I *Homil. in Evang.*, hom. XVI. n. 1. — *P. L.* LXXVI, 1135.

[2] Adverte, hoc *voluit* referendum esse tum ad voluntatem divinam, semper in Filio cum voluntate Patris beata necessitate aeterna concordem, tum ad voluntatem humanam spontanee amplectentem quidquid a Deo de Christo ordinaretur.

Orationis Dominicae: « Et ne nos inducas in tentationem ». Deus scilicet « neminem tentat » [1]. Sed ordinat tentationem in meritum, imo et in poenam.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS IN DESERTO TENTARI DEBUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) *Factum* simul et *ratio* facti hic consideranda sunt. *Factum* quidem explicite in Scripturis narratur et quidem ut factum historicum. Nec te moveat, pinnaculum templi, in cuius summitatem Satan advexit Christum, vel forte altissimum illum montem, unde omnia regna mundi ei ostendit, non fuisse in deserto, in quo Christus tentatus narratur. Ad veritatem facti sufficit, in isto deserto fuisse, ut ita dicam, huius duelli castra, in quae post superatas singulas tentationes se receperit victor, quemadmodum et in his fuit provocatus.

2) *Ratio* autem facti tum a parte Christi, tum a parte diaboli consideranda occurrit; nisi enim utrimque haberetur, Scriptura non diceret: « ductus est Iesus a Spiritu » (en rationes a parte Dei vel Christi), « ut tentaretur a diabolo » (en rationes a parte diaboli).

a) *A parte Christi* sunt α) ieiunium et oratio, quibus se contra aggressionem hostis communivit; - β) exemplum in solitudine degentibus praebendum; - γ) paradisi gaudia generi lapso per laborem in deserto restituenda.

b) *A parte diaboli* α) audacia sibi ex solitudine hominis adaucta; - β) specialis invidia, qua perfectiora anhelantes insequitur.

3) Ex ultimis his rationibus collige, periculum magnum in deserto expectare illos, qui nondum alte in virtute radicantur. Unde S. Benedictus, in primo capite Regulae suae anachoreticam vitam docet esse « horum, qui non conversionis « fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna, didice- « runt contra diabolum, multorum solatio iam docti, pugnare; « et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam

[1] Iac. 1, 13.

« eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel « brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxi- « liante, sufficiunt pugnare ».

Quantopere autem Christus ab initio hanc perfectionem in summo gradu habuerit, ex supra expositis, sat superque elucet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Absurde supponit, nullum factum secretum posse narratione innotescere multis.

2. Obi. Non distinguit inter pericula in quae aliquis se absque ratione proiicit, et pericula quae ob melius bonum sibi obvenire permittit. Insuper non attendit sanctitatem Christi quovis periculo maiorem.

3. Obi. Non perpendit, desertum fuisse tentationis centrum, etiamsi Christus extra desertum momentanee fuerit a tentatore ablatus.

Sed contra est. Tentatio Christi in deserto fuit figurata in antiqua Lege per tentationes vehementissimas quibus Satan populum electum in deserto impetivit [1]; insuper per factum Saulis insequentis Davidem in deserto Maon [2]. In aevo Christiano habet suas veluti repercussiones in tentationibus illis, a quibus ne summi quidem liberi exstiterunt, ut constat, v. gr., ex historia S. Antonii, et ipsius S. Benedicti adolescentuli in Sublacensi specu degentis.

In Corpore. Doctrina S. Th. ad haec reducitur: Christus libens in desertum se recepit, ut ibi diabolus eum aggredi auderet; insuper ut nos paradiso pulsos, ab exilio liberaret; et altiora quaerentes de periculis sibi imminentibus commoneret. Ubi adverte, Christum diabolo ante tentationem opposuisse arma gemina: orationem et ieiunium. Quemadmodum ipse post transfigurationem Apostolis ait, esse quoddam daemonum genus ad quod pellendum nonnisi haec arma efficaciam habent.

Ratio prima simul cum tertia inspirarunt S. Benedicto doctrinam supra expositam de conditionibus requisitis ad vitam eremiticam sive anachoreticam prudenter aggrediendam.

[1] Cf. Ps. XCIV.
[2] Cf. I Rbg. c. XXIII.

ARTICULUS III.

UTRUM TENTATIO CHRISTI DEBUERIT ESSE POST IEIUNIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Sicut in articulo praecedenti egimus, *factum* primo stabiliamus, dein in facti *rationem* inquisituri.

Tres Evangelistae de tentatione Christi in deserto loquuntur. Marcus obiter factum affirmat; Matthaeus et Lucas narrationem facti texunt, licet non eodem ordine; de quo in articulo sequenti.

Pro re praesenti Marcus et Lucas dubium relinquunt, utrum tentatio fuerit per decursum ieiunii, an solum in fine. Aiunt enim: « Et statim Spiritus expulit eum in desertum. Et « erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus; « et tentabatur a Satana; eratque cum bestiis, et Angeli mi- « nistrabant illi » [1]. - « Iesus... agebatur a Spiritu in desertum « diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo » [2]. - Modus autem quo Matthaeus narrationem inducit, sat clare indicat, tentationem obvenisse in fine ieiunii, id est, daemonem nonnisi expletis diebus quadraginta aggressum esse Christum. Ait enim: « Cum ieiunasset quadraginta diebus, et quadraginta « noctibus, *postea esuriit. Et accedens* tentator dixit ei, etc. » [3]. Videtur enim illud « et accedens », ordinem historicum exprimere, eo vel magis quod illud « postea esuriit », potuit movere diabolum, ut dignitatem Christi experiretur. Nec contradicit ipse Lucas; ita enim habet post citata modo verba: « Et nihil manducavit in diebus illis: *et consumma-* « *tis illis esuriit. Dixit autem illi:* etc. » [4]. Unde quando dicit supra: « Agebatur a Spiritu in desertum et tentabatur « a diabolo » compendium exhibet narrandorum, quin dicat illam tentationem per quadraginta hosce dies esse extendendam.

2) Factum igitur tenemus. Iam *rationem* facti investige-

[1] Marc. I, 12, sq.
[2] Luc. IV, 1, 2.
[3] Matth. IV, 2, sq.
[4] Loc. cit.

mus. Porro Christi ieiunium habet triplicem respectum: *a*) ad baptismum, *b*) ad tentationem, *c*) ad vitam apostolicam Christi.

a) Relate *ad baptismum* Christi, ieiunium in deserto ostendit, verum Christianum, hominem novum factum, saecularia fugere debere, colloquiis divinis atque domandae concupiscientiae intentum.

b) Relate ad *tentationem* ostendit: α) ieiunio nos animam praeparare debere ad diabolicas impugnationes sustentandas; β) ieiunium, etsi sacratissimum, nondum nos constituere a tentationibus immunes; γ) imo a corporali maceratione nimia non abesse spiritui ex ipsa virium debilitate periculum.

c) Relate *ad apostolicam vitam publicam* Christi ostendit, si indoles muneris, uti supra vidimus, non sinebat, Christum publicam austeritatem Praecursoris aemulari, nihil tamen Christo carius fuisse quam remotionem a turbine mundano et a quavis concupiscentia rerum sensibilium. Quin imo, licet esuriens, ieiunium longius protraxisset, nisi forte veritas naturae suae humanae inde passa esset detrimentum, et implendus fuisset symbolicus numerus a Moyse et Elia olim servatus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat rationem expositam n. 2) *c*).

2. Obi. Non attendit dicta n. 1, ubi de conciliatione Evangelistarum quoad factum.

3. Obi. Non distinguit inter occultam aggressionem tentationis, et publicam aggressionem passionis. Insuper ex hoc quod ieiunium convenientem ordinem habuerit ad tentationem futuram, non sequitur, Christum nonnisi ieiunio potuisse se contra alias venturas tentationes praemunire.

Sed contra est. Relatio inter tentationem et ieiunium insinuatur nobis per hoc factum, quod, dum Moyses in monte ieiunabat, diabolus populum in adorationem vituli aurei induxit [1].

Porro quam sancte animum ad divina disponat ieiunium, et e contra quam opposita sit divino commercio ebrietas,

[1] Cf. Exod. xxxii.

diserte evolvit S. Basilius: « Moysen per ieiunium novimus « in montem ascendisse: neque enim aliter ausus esset verti- « cem fumantem adire, neque in caliginem ingredi, nisi ieiunio « munitus. Per ieiunium mandata digito Dei in tabulis con- « scripta suscepit. Item supra montem ieiunium legis latae « conciliator fuit; inferius vero gula ad idololatriam populum « deduxit ac contaminavit. " Sedit, inquit, populus manducare « et bibere, et surrexerunt ludere "[1]: Quadraginta dierum labo- « rem et perseverantiam, Dei servo continuo ieiunante ac « orante, una tantum populi ebrietas cassam irritamque red- « didit. Quas enim tabulas, Dei digito conscriptas, ieiunium « accepit, has ebrietas contrivit: Propheta sanctissimo indi- « gnum existimante, vinolentum populum a Deo legem acci- « pere. Uno temporis momento ob gulam populus ille, per « maxima prodigia Dei cultum edoctus, ad Ægyptiacam ido- « lolatriam turpissime devolutus est. Ex quo si utrumque « simul conferas, videre licet, ieiunium ad Deum ducere, « delicias vero salutem perdere ». Et allatis exemplis Esau, Samuelis, Samsonis, pergit: « Ieiunium Prophetas generat, « potentes confirmat atque roborat. Ieiunium legislatores « sapientes facit: animae optima custodia, corporis socius « securus, fortibus viris munimentum et arma, athletis et « certantibus exercitatio. Hoc praeterea tentationes propul- « sat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperan- « tiae opifex est; in bellis fortitudinem affert, in pace quie- « tem docet; Nazaraeum sanctificat, sacerdotem perficit; « neque enim fas est sine ieiunio sacrificium attingere, non « solum in mystica nunc et vera Dei adoratione, sed nec in « illa, in qua sacrificium secundum legem in figura offere- « batur »[2]. Cum Basilio conveniunt Patres, scriptoresque ascetici omnes. Placet ex recentioribus adducere ex Ordine nostro Cl. Maurum Wolter, Beuron. Congr. conditorem: « Im- « mundus spiritus, qui " oratione et ieiunio eiicitur ", a mo- « nacho, gutturis voluptati dedito, quasi allectus intromittitur. « Ergo tu " sobrius esto " et frugi, non modo abdicans abs te

[1] Exod. XXXII, 6.

[2] Homil. I *de Ieiunio*, n. 5, sq. *P. G.* XXXI, 169, sq. — Vides hinc, quo iure Ordinum religiosorum conditores sacram ieiunii disciplinam tanti fecerint. — Austeritatem corporalem nimis despiciunt nonnulli scriptores moderni, ac si cum aetate nostra cultiori vix amplius conveniret!

« lautitias omnes suavitatesque refectionum, sed prorsus « inexpiabile gulae bellum indicens. Inutile est enim arma « tentare in exteriores salutis hostes, quamdiu dolosus intra « ipsos muros proditor insidias instruit » [1].

Quare Ecclesia in initio et in medio Quadragesimae, ieiunium Christi et Moysis recolit.

In Corpore. S. Thomas affert tres rationes, quas n. 2) *b*) breviter expressimus. Adverte, tertiam rationem probabiliorem adhuc reddere interpretationem Matthaei, quae n. 1 habetur.

ARTICULUS IV.

UTRUM FUERIT CONVENIENS ORDO ET MODUS TENTATIONIS CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Difficultas quoad ordinem tentationis Christi inde oritur, quod non invenitur eodem modo assignatus a Matthaeo et a Luca. Matthaeus primo narrat tentationem de lapidibus in panem convertendis; dein alteram de ipso Christo a pinnaculo templi deorsum proiiciendo; demum tentationem de diabolo impie adorando [2]. Lucas, cum Matthaeo de prima tentatione constans, aliarum ordinem invertit [3].

Et certe in hoc ordine Lucae illud placet, tentationi finem imponere verba: « Dictum est: Non tentabis Dominum Deum « tuum » [4], quae congruunt simul suggestionis indoli, ac respondentis dignitati.

2) Nihilominus putamus, tenendum esse potius ordinem assignatum a Matthaeo, tum quia hic textus magis exprimit res in ordine suo historico narratas; tum quia pulchrior inde gradatio elucet.

a) Etenim quod *ad nexum textus* spectat, Lucas simpliciter dicit: « Et duxit illum diabolus in montem excelsum... « Et duxit illum in Ierusalem », enumerando, non ordinem

[1] *Praecipua Ordinis monast. Elementa.* IV S. Mortif. p. 350. — Cf. auctoritates Regulae S. Patrum et Conciliorum post declarationem ubertim allatas p. 359, sqq.

[2] MATTH. IV, 1-11.

[3] LUC. IV, 1-13.

[4] Ibid. IV, 12.

expresse indicando; Matthaeus autem ait: « *Tunc* assumpsit « eum diabolus in sanctam civitatem ... *Iterum* assumpsit eum « diabolus in montem excelsum valde... » ubi habes non solum factorum enumerationem, sed et ordinem.

b) Sed et *gradatio* iucundior apparet, sive α) consideres ipsas suggestiones, sive β) perpendas verba quibus a diabolo proponuntur et a Christo depelluntur.

α) *Suggestiones* iuxta Matthaeum continent in se pulcherrimam gradationem, et respondent adamussim suggestionibus quibus serpens antiquus Evam seduxit. Quo nihil convenientius. Etenim scire cupiens utrum hic homo esset *semen mulieris* in paradiso promissum, voluit eum aggredi ipsissimis armis, quibus primam mulierem debellaverat. Et re quidem vera habemus utrimque:

1) tentationem *de cibo:*	esum de ligno vetito; lapides in panes vertendos;
2) tentationem de *vana gloria:*	habere oculos apertos; mittere se deorsum ab Angelis protegendum;
3) tentationem de *extrema superbia:*	fieri sicuti deos, scientes bonum et malum; diabolum adorare in mercedem supremi dominii ab ipso acquirendi.

β) *Modus* autem quo Satanas mala suggerit, eamdem gradationem expostulat. In prima et secunda tentatione incipit: « Si Filius Dei es ». In ultima, quum sentiat se quid horrendum petere, non amplius hoc addere audet; simul hac gradatione ostendens, superbiam et impium cultum sibi ab homine reddendum, ultimum esse diabolicae seductionis finem, quod quantopere in massonica secta, inde vere infernali, verificetur, nulli iam mysterium est.

Nec minus haec gradatio patet in modo quo Christus respondet. In prima tentatione diabolus non utitur verbis Scripturae. Christus autem eum per textum sacrum repellit. - In secunda diabolus aemulatur cum Christo in citanda Scriptura, ac si diceret: Tu calles Scripturas? Et ego. Sed rursus per Scripturam victoriose confutatur. - Tertia vice suggestio minus impia est, ut possit ex textu sacro suaderi. Christus autem in arce Scripturarum collocatus, hanc quoque impie-

tatem inspirata sententia detestatur. - Quod dum facit, iam ex indignatione nimia mutans tonum, auctoritate a se propulsat, quem simul pietate confutat. « Vade Satana! ». - Quae ultima verba melius conveniunt ut finem tentationi imponant, quam illa quibus Lucas narrationem concludit.

3) Porro vide in hac triplici tentatione comprehendi triplicem mundi suggestionem: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae; vana enim gloria affinis valde est concupiscentiae oculorum, quemadmodum sibi respondent amare videre et videri [1].

4) Praeterea omnis aetas ac sexus hac suggestione comprehenduntur. Gula enim vitium est pueritiae et adolescentiae; vana gloria vitium iuventutis et sexus debilioris; superbia vitium aetatis virilis et senectutis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* non distinguit inter rem in se ordinatam et modum inordinatum eam sibi providendi.

2. Obi. Non considerat gloriam quae inde sequeretur, quod Christus se dimitteret deorsum illaesus, ab Angelis miraculose custoditus.

3. Obi. Non attendit nexum quo tentationes se tenent ad invicem. Sed et hoc misso, cur non potest esse tentatio de duplici peccato, quando una tentatio se habet ad modum conditionis ad alteram?

4. Obi. Non considerat dicta n. 3.

5. Obi. Vide dicta n. 1 et 2. Caeterum optima S. Thomae responsio.

6. Obi. Ipsa ultimae suggestionis impietas exclamationem indignabundam Christi provocavit. Cf. dicta n. 2. *b*) β).

7. Obi. Gratuito supponit, Christum non fuisse in pinnaculo templi visum, neque considerat ipsum potuisse reddi invisibilem.

Sed contra est. Quae n. 2 diximus, superabunde ostendunt altissimam convenientiam ordinis ac modi quo Christus tentatus est, atque diabolum devicit. Habes in exclamatione « Vade Satana! » exemplum zeli et irae sanctae ex zelo, qualem et in templo bis Christus ostendit, sicut quando contra Pharisaeos, ingratasque Iudaeae civitates invexit.

[1] Insuper tertia tentatio superbiae vitae, concupiscentiam oculorum continebat.

In Corpore. Praemisso principio, quemvis esse aggrediendum modo convenienti ad ipsius dispositionem, Aquinas ostendit gradationem in triplici tentatione Christi plane correspondentem gradationi quam servavit in tentatione Evae serpens. Cf. n. 2) *b*) α).

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Ad nostrum auxilium, cautelam, instructionem ac maiorem fiduciam Christum voluntarie a diabolo tentari decuit (art. 1); et quidem in deserti solitudine, quo maior pateret inimici audacia; et spiritualia appetentibus efficacius suaderetur instans luctae periculum (art. 2). - Porro post longum ieiunium apte tentari voluit Christus, quia ieiunium victoriam parat, licet a suggestione non reddat immunem, quin et ansam suggestioni praebere possit (art. 3). - Triplex autem tentatio, gradationem renovans tentationis Evae in paradiso, maxime convenit Illi, ad quem nullus haberi poterat accessus, nisi incipiendo a minimis (art. 4).

CAPUT III.

DE DOCTRINA CHRISTI.

QUAESTIO XLII.

Ordo Quaestionis. De praedicatione Christi tria quaerenda sunt. 1) quando, 2) quibus, 3) quomodo praedicaverit.

De primo iam dictum est, ubi de convenientia anni trigesimi quo Christus praedicare incepit. - De secundo quaeritur in art. 1. - De tertio in reliquis articulis, ubi modus iuxta triplicem aspectum investigatur: utrum debuerit praedicatio Christi esse *a*) talis, quae Iudaeos turbaret; - *b*) publica an occulta, et quo sensu; - *c*) oralis an scripta. De quibus tribus totidem agunt articuli 2, 3 et 4.

Et ita via sternitur ad miracula, quae complent praedicationem Christi, eamque efficacissime corroborant, uti in Quaest. XLIII directe ostendetur.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT, CHRISTUM IUDAEIS ET NON GENTILIBUS PRAEDICARE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) *Factum* multipliciter constat. Etenim *a*) ipse Christus testatus est, se non esse missum, ut regnum Dei annuntiaret Gentibus. - *b*) Hanc missionem ad Iudaeos in tota sua praedicatione servavit. Nam licet exceptionis causa aliquos de Gentibus ad se benignissime acceperit, et inter schismaticos Samaritanos non dedignatus sit paululum commorari, passim tamen praedicatio Christi limites nationis electae non est praetergressa.

2) *Ratio* autem facti est *a*) *voluntas Patris* ut gentes essent haereditas Christi uti fructus passionis; *b*) *excellentia nationis electae* in cultu veri Dei servatae; - *c*) *potestas Filii* inde comprobanda, si maior messis doctrinae colligatur a discipulis nomine Christi praedicantibus, quam ab ipso Christo praedicante in persona.

Adde his *d*) *impletionem prophetiarum,* quae simul erant indicium voluntatis Patris, et iuxta dignitatem populi Iudaici ac futuram potestatem Christi, ita volente Deo, eventura antecedenter disponebant.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Separat praedicationem discipulorum a praedicatione Magistri. Sunt autem una eademque praedicatio.

2. Obi. Non attendit ad tertiam rationem n. 2 expositam.

3. Obi. Non considerat in Christo principium a quo omnis salus; ad quod principium demonstrandum primitias Gentium voluit ipse accipere, quemadmodum vix natus Magorum excepit obsequia.

Sed contra est. Doctrinam huius articuli expressit Paulus his verbis: « Dico... Christum Iesum ministrum fuisse circum-« cisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promis-« siones patrum » [1], ubi habes simul factum et rationem

[1] Rom. xv, 8.

facti, primam scilicet a S. Th. in *Corpore* allatam. - Pariter continetur in his locis, ubi Paulus ostendit vocationem Gentium deberi quodam modo obstinationi Iudaeorum. Quae ratio supponit, praedicationem in initio Iudaeis tantum esse factam [1].

In Corpore. Comprehende ita hanc doctrinam:

Christus praedicavit solis Iudaeis:
1) ut impleret promissiones Patrum;
2) ut servaretur ordo debitus in operibus Dei;
3) ut Iudaeis auferret calumniandi occasionem (4);
4) ut Gentes sibi per passionem acquisitas ostenderet (3).

Ratio haec ultima, penultima in textu S. Thomae, magis extrinseca est.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IUDAEIS SINE EORUM OFFENSIONE PRAEDICARE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ratio ultimo loco in *Corpore* praecedentis articuli posita, fit quasi transitio ad articulum praesentem. Quum enim Christus a via ad Gentes abstinuerit, ne Iudaeis praeberet calumniandi occasionem, quaeritur utrum propter hanc eamdem rationem Christus debuerit etiam in sua praedicatione vitare quamvis occasionem offendendi Iudaeos. Et respondetur distinguendo. Prudens erat Christo eas offensiones devitare, quae operi suo non prodessent; non autem eas, quas non potuisset declinare, nisi operi suo defuisset. Iam vero opus Christi requirebat duo: ut populus rectam vivendi et credendi normam sciret, et ipse Christus in testimonium huius normae vitam daret. Atqui neutrum obtentum fuisset, nisi Christus offensionem Iudaeorum animose incurrisset.

2) Et sane quum Pharisaeorum et Scribarum scandala perverterent populum, vel parcendum erat iniustae irae paucorum illorum, vel salus ipsius populi erat negligenda. - Insuper quum ipsa dignitas et opus Messiae summam principum populi invidiam excitarent, rursus vel abstinendum

[1] Cf. sequentia eiusdem cap. et cap. XI; ACT. XIII, etc.

erat Christo a publicanda propria divinitate et universalis instaurationis missione sibi a Patre commissa, vel cum ipsa morte magnorum invidia erat obeunda.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter declinabilem et non declinabilem offensionem.

2. Obi. Non considerat fructum ex ipsa Pharisaeorum et Scribarum offensione pro Christo, maxime per mortem, colligendum.

3. Obi. Locus citatus supponit seniores non aetate sed moribus.

Sed contra est. Hunc psalmi locum vere de Christo praedicasse, Christus ipse testatus est [1], et post Christum Petrus [2] ac Paulus [3] confirmarunt.

In Corpore. Doctrina huius *Corporis* corroboratur ex ipsis locis in quibus Christus contra Pharisaeos et Scribas invehit. Quantacumque sit horum sermonum vehementia, apparet ex purissimo zelo verba procedere, dum nihil intendunt nisi multorum bonum ex publica castigatione paucorum obtinendum. - Adde huic argumento rationem quam supra ex ipsa morte Christi petivimus, quae mors nonnisi ex offensione maiorum sequi potuisset.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS OMNIA PUBLICE DOCERE DEBUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Momentum princeps huius articuli consistit in conciliandis inter se duobus locis Scripturae apparenter oppositis. Prior est Christi Domini in passione affirmantis Pontifici: « Ego palam locutus sum mundo;... « et in occulto locutus sum nihil » [4]. - Alter eiusdem Domini ad discipulos dicentis: « Quod dico vobis in tenebris, dicite « in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta » [5]. Iam vero non unus modus adest utrumque locum conciliandi.

[1] Matth. xxi, 42.
[2] Act. iv, 11; i Petr. ii, 7.
[3] Rom. ix, 33.
[4] Ioann. xviii, 20.
[5] Matth. x, 27.

2) Primus modus, magis obvius, distinguit inter Christum loquentem ad turbas et ad discipulos. Utique ad turbas nihil in occulto locutus est, quemadmodum ad Pontificem dicit. Addit enim, affirmationem suam explicans: « Ego semper « docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conve- « niunt ». Et revera ubique in Evangelio legimus, Christum palam cum turbis convenisse, ita ut inimici eius semper opportunitatem habuerint eum audiendi, imo cum eo, quod fecerunt saepius, publice disputandi. - Nihilominus praeter hanc apertam institutionem turbarum, privata fuit institutio Apostolorum et discipulorum, de qua agitur in altero loco Matthaei. Totus enim sermo unde desumitur, ad discipulos privato colloquio dirigitur.

3) Alio autem modo prostat conciliatio, distinguendo, non inter institutionem publicam turbarum et privatam discipulorum, sed inter praedicationis externum sonitum et internam intellectionem. « Palam » locutus est Christus, quatenus publice ad turbas; « in tenebris » autem, quatenus loquebatur in parabolis, ita ut multitudo non posset intelligere verborum significationem, quam significationem melioribus intimisque percipiendam reservabat.

4) Demum conciliantur duae locutiones conferendo inter se praedicationem ad populum Iudaïcum cum praedicatione ad Gentes. Hoc sensu palam quidem Iesus locutus est, quia publice ad turbas ingentes; « in tenebris » autem et « in « aure », ipse quia Iudaeis dumtaxat annuntiavit regnum Dei, relinquens Apostolis suis ut illud ad omnes gentes extenderent.

II. **Ad Textum.** *1. Obi.* Non attendit ad tres conciliationis modos supra expositos.

2. Obi. Non attendit ad discrimen quod Christus servabat, inter institutionem turbarum et discipulorum; imo inter institutionem discipulorum ante et post passionem suam, Spiritu Sancto in eos effuso.

3. Obi. Non considerat fructum parabolarum pro his qui eas intelligunt, imo pro his qui aliquid magni quidem suspicantur, quin tamen medullam penetrent. Ubi iam adverte, duplicem esse scopum parabolarum: et illustrare quod occul-

tant, et occultare quod illustrant. Quod ex modo agendi prophetae Nathan cum Davide lucide apparet, necnon ex modo quo Christus saepius inimicos suos in parabolarum retia inextricabili nexu circumvolvit.

Sed contra est. Utraque veritas, scilicet Christum et publice simul et in occulto locutum esse, figurabatur in veteri Lege per hoc quod Moyses publice, sed velata facie, turbis communicabat, quaecumque sibi a Deo erant demandata. - Occulti porro sermonis exempla habes, iuxta primum conciliationis modum, in colloquio nocturno cum Nicodemo, in sermone post Coenam, in colloquio cum Samaritana, etc.

In Corpore. En schema huius argumenti:

- Doctrinam esse in occulto contingit:
  - 1) quantum ad *intentionem docentis:*
    - *a*) ex *invidia* docentis:
      - Christus sine invidia sapientiam communicavit;
    - *b*) ex *turpitudine* doctrinae:
      - Christi doctrina sacrosancta;
  - 2) quia *paucis* proponitur:
    - non ita Christus, licet non ipse ad Gentes iverit;
  - 3) quantum ad *modum docendi:*
    - ita Christus:
      - *a*) ex sublimitate doctrinae;
      - *b*) ex indignitate audientium.

Ex dictis in hoc articulo iam intelligis sensum verborum Christi quando dicit ad discipulos: « Vobis datum est nosse « mysteria regni caelorum: illis autem non est datum...». « Ideo « in parabolis loquor eis; quia videntes non vident, et audien- « tes non audiunt, neque intelligunt... ». « Vestri autem beati « oculi quia vident, et aures vestrae quia audiunt » [1]. Scilicet implenda erat prophetia Isaïae ibidem allata [2], de modo praedicationis Christi; et eatenus scopus Christi in parabolis loquentis erat ut turbae audirent, non autem intelligerent. Abstractione vero facta a prophetia, Christus non quidem directe intendit non intelligi; sed, quum turbae altiora percipere non mererentur, neque intelligi intendit, nisi ab electis discipulis.

[1] Matth. xiii, 11, 13, 16.
[2] Vers. 14, 15.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT DOCTRINAM SUAM SCRIPTO TRADERE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Si, quemadmodum ps.-Reformatores proterve somniarunt, unicum depositum esset doctrina scripta, et quidem sine orali magisterio custode veritatis, a singulis pro suo captu intelligendae, absque dubio Christus primario officio curasset de veritatis deposito scriptis conficiendo. Unde vel scripsisset ipse, vel certe doctrinam suam dictasset; vel, si et ab hoc, nescio qua ratione ductus, abstinuisset, saltem discipulis suis palmare munus commisisset Evangelici codicis litteris componendi; qui tunc codex tam apparenti methodo fuisset confectus, et quidem ante dispersionem Apostolorum, ut quisque Apostolus hunc codicem uti tesseram doctrinae secum ferre potuisset, maxime dein sollicitus ut fida transcriptione multiplicaretur fons ille catholicae veritatis unicus: Scriptura. Imo si haec multiplicatio liborum tanti momenti fuisset, curnam Deus, cuius moderationi subest quodvis artium incrementum, non tunc temporum procurasset mirabilem scriptorum per fusos typos diffusionem?

2) Iam vero omnino oppositum contigit. Christus ipse nihil scripsit, nihil dictavit; nullumque de doctrina sua scribenda Apostolis expressit mandatum. Imo Apostoli sibi partiuntur orbem Christo lucrandum, quin ullum scriptum communi labore confecerint.

A Domino missi ut veritates perceptas aure ore praedicent atque auctoritative servari iubeant, fidem exigunt ex auditu, i. e., sermoni suo, tanquam Christi ipsius sermoni obedientiam. Decursu quidem annorum ecce conficiuntur codices doctrinae, sed ita ut ex ipsa diversa eorum indole constet, occasione esse singulos, sine conspiratione methodica natos; quod ex variis Actuum, Epistolarum, Apocalypseos adiunctis adhuc manifestius redditur. Apostolatus porro orali praedicatione sese per saecula transmittit, ita quidem ut quasi ironice factum videatur, typorum inventionem commentum apostolatus per typos vixdum praecessisse.

Haec breviter praelibanda erant ad complementum articuli, in quo, si post Novatorum commenta scripsisset, certe contra Lutherum Aquinas arguisset. Quae autem hic quasi per transennam tangimus, complebuntur in tractatu de Traditione catholica.

3) Porro sedulo adverte, scriptionem nullo modo excludere authenticum magisterium ipsam scriptionem interpretandi. Quare si in aliquo loco huius *Corporis* S. Th. videtur in eadem linea ponere verbum oretenus praedicatum et verbum scriptum, nullomodo intendit negare subordinationem verbi scripti ad iuge magisterium doctrinae. De hac enim subordinatione in hoc articulo S. Doctor non quaerit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, Providentiam gubernasse Evangeliorum confectionem, ac proin ipsum Christum per suos Apostolos tanquam per membra sua scripsisse.

2. Obi. Non considerat excellentiam quam habet spiritus super litteram, magisterium vivens super exanimes typos.

3. Obi. Non attendit quod, etiamsi Christus ipse scripsisset, multiplex quaestio circa hoc verbum scriptum remansisset: de eius authenticitate, credibilitate, sensu genuino, translatione.

Sed contra est. Analogia cum Christo non per se doctrinam conscribente invenitur in Abrahamo, qui, etsi pater credentium, magnaque Christi figura, vivo vocis oraculo messianicas promissiones filio suo commendavit [1].

In Corpore. Verbum prolatum maiorem habere dignitatem verbo scripto, ex ipsa rei natura sequitur. Est quippe verbum prolatum quasi pars animae loquentis, sive prolungatio eius virtutis in audientium corda. Quare optima est ratio quam S. Doctor primo loco affert [2]. - Rationem tertiam intellige cum moderamine n. 3 exposito.

[1] In ordine sapientiae naturalis aliquid simile praebet Socrates, cuius lumina per scripta discipulorum, imprimis Platonis et Aristotelis ad nos pervenerunt. Sed Socratis discipuli in diversa abeunt, Christi vero in unum conspirant.

[2] Hanc rationem corroborant pulcherrima verba quibus Lacordaire collationes in templo Nostrae Dominae Parisiis habitas aegre typis edens induxit. « Mes paroles « arriveront au lecteur froides et décolorées; mais quand au soir de l'automne, les « feuilles tombent et gisent à terre, plus d'un regard et plus d'une main les cherchent « encore, et fussent-elles dédaignées de tous, le vent peut les emporter et en préparer « une couche à quelque pauvre dont la Providence se souvient au haut du Ciel ».

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Impletio prophetiarum, ordinis ratio, cautela a Iudaeis, demum victoriae merces requirebant, ut Christus, saltem de via ordinaria et publica, *nonnisi Iudaeis,* non autem Gentibus ipse regnum Dei praedicaret (art. 1).

Bonum autem populi necnon opus in cruce consummandum exigebant ut *offensionem* Pharisaeorum ac Scribarum in exercitio muneris apostolici nullatenus declinaret (art. 2).

Porro *publice* Christus docuit, quatenus doctrinam suam sacrosanctam sine ulla invidia omnibus communicabat; - in aure tamen loquebatur, quatenus altiorem doctrinam sub parabolarum velo turbis, discipulis autem, praesertim post mortem suam, sine velo exponebat (art. 3).

Orale ministerium verbi erat unice Christo dignum, eo vel magis quod doctrina eius nullis signis comprehendi potest, et ordo praedicationis melius servatur, si Apostoli et discipuli eius, non ipse, scripserint (art. 4).

CAPUT IV.

DE MIRACULIS CHRISTI.

Ordo Capitis comprehenditur hoc schemate.

De miraculis Christi quaeritur:
- 1) in *generali* (Q. XLIII);
- 2) in *speciali* (Q. XLIV);
- 3) in particulari, de *Transfiguratione* Christi (Q. XLV) [1].

QUAESTIO XLIII.

DE MIRACULIS A CHRISTO FACTIS IN GENERALI.

Ordo Quaestionis. - Angelicus quaerit de miraculorum *ratione*, tum de *ipsis miraculis* a Christo patratis. 1) Quoad rationem miraculorum investigat primo *a*) de necessitate vel convenientia miraculorum a Christo patratorum (1). - *b*) Qua

[1] Comple ex his tabellam initialem p. 2, sq.

necessitate posita, inquirit de causa *efficiente* miraculorum, quorum in articulo primo ostenderat causam *finalem* (2). - 2) In reliquis quaerit, utrum *facta* responderint missioni per miracula implendae, tum *a*) quoad *aetatem* in qua Christus incepit portenta operari (3); tum *b*) quoad *sufficientiam* miraculorum in ordine ad causam finalem eorumdem. Ita ultimus articulus intimo nexu colligatur primo.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT FACERE MIRACULA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Aggredimur hic doctrinam summi momenti. Christus sibi ac Patri, necnon Pater Christo debebant ut per argumenta patentia fides in dignitatem et doctrinam Messiae exigeretur.

Nam quo iure quis se proclamaret Filium Dei, consummatorem Legis, nisi signis simul veritatem sui testimonii probaret? Haec autem signa quaenam erunt ad vulgi captum accommodatissima, ad immediatam fidem imponendam aptissima, nisi miracula in confirmationem dignitatis ac doctrinae patrata?

2) Fatemur quidem, et in tractatu de fundamentis fidei nostrae, sive de vera Religione ostendemus, impletionem prophetiarum, eminentem Christi sanctitatem, sublimitatem eiusdem doctrinae, etc., solida esse divinitatis Christi argumenta. Quis autem dixerit, haec fuisse ad mentem turbarum tam aptata, tam aequa ad immediatum assensum extorquendum? E contra miracula in confirmationem doctrinae patrata, ostendunt sine mora, sine difficultate, veram esse hanc doctrinam, atque Deum inesse docenti illam. Porro si haec doctrina ipsum docentem dicit verum Filium Patris, miracula a tali doctore peracta demonstrant illum esse vere Deum, personali vinculo cum Deo unitum.

3) Et sane ipse Christus virtutem suorum miraculorum declarat. *a*) Miracula demonstrant divinitatem Christi, quatenus demonstrant veritatem eius testimonii de hac dignitate propria: « Non creditis quia ego in Patre, et Pater in

me est? Alioquin propter opera ipsa credite »[1]. *b*) Pariter demonstrant, Deum agere per Christum sibi unitum: « Pater « autem in me manens, ipse facit opera »[2]. *c*) Tam manifesta sunt miracula ut rationalem assensum de utroque exposcant. « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, « peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et ode- « runt et me et Patrem meum »[3].

4) Quando ergo Christus videtur improperari turbis quod signa quaerant, non intendit recusare ius eorum primordiale ut signo dignitas et missio Christi sibi manifestentur; sed improperat vel *a*) cordis duritiem, qua semper transponunt limites a Deo et Christo superandas ut ipsae credant; vel *b*) affectum inordinatum, quem ad ipsa signa nutriunt; vel *c*) fidem imperfectam quacum nova signa petunt; vel *d*) negligentiam sive arrogantiam, qua testimonia prophetiarum et Moysis seponunt aut ab illis abstrahunt, ne iam sine signis in Christum credere cogantur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad rationes expositas n. 4.

2. Obi. Non considerat necessitatem ut Christus virtutem suam divinam, si minus in specie propriae maiestatis, saltem in signis miraculorum ostenderet.

3. Obi. Pariter non attendit ad rationem ultimam expositam n. 4, qua apparet, aliam fuisse conditionem Gentilium et Iudaeorum quoad modum quo fides in Christum exigere possent. Miracula absolute pro Gentilibus requirebantur; pro Iudaeis testimonia Legis et Prophetarum per se satis erant ad exigendam fidem in eum qui ostendebat in se ipso illa esse completa. Conveniebat tamen et illorum fidem miraculis reddere faciliorem et promptiorem.

Sed contra est. Sicuti inimici Christi agnoscebant vim miraculorum quae Iesus patrabat, ita praesertim illi in quorum favorem illa operabantur, eamdem vim praedicabant, et quidem quoad utrumque aspectum de quo n. 3 et in *Corpore*. *a*) Veritatem doctrinae Christi de seipso confitetur caecus a

[1] Ioann. xiv, 11, sq.
[2] Ibid. 10.
[3] Ibid. xv, 24.

Domino mirabiliter sanatus: « Tu credis in Filium Dei? - « Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in « eum? - Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur « tecum, ipse est. - At ille ait: Credo, Domine. Et procidens « adoravit eum » [1]. Nec aliter Samaritana: « Scio quia Mes- « sias venit, (qui dicitur Christus): cum ergo venerit ille, « nobis annuntiabit omnia. - Dicit ei Iesus: Ego sum, qui « loquor tecum ». Et postquam Iesus duos dies Samariae mansisset, incolae huius civitatis dixerunt mulieri: « Quia « iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audi- « vimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi » [2]. - *b*) Idem caecus natus proclamat curationem suam demonstrare unionem Dei cum eo qui miraculum operatur: « Sci- « mus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cul- « tor est, et voluntatem eius facit, hunc exaudit. A saeculo « non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati. Nisi « esset hic a Deo, non poterat facere quidquam » [3]. In quo habes strictum syllogismum per maiorem, minorem et conclusionem dispositum.

In Corpore. S. Thomas exponit duplicem effectum miraculorum iuxta dicta n. 3. Ubi adverte, ipsam divinitatem Christi non quidem directe, sed indirecte ex utroque sequi. Quia scilicet doctrina Christi eam praedicat, et proin unio Dei cum homine Iesu non est solummodo unio per gratiam, sed unio personalis faciens hominem Deum, vel melius Deum hominem.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS FECERIT MIRACULA DIVINA VIRTUTE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Solutio huius articuli, - quem post exposita superius in quaestione de potentia Christi, brevissime absolvere licet, - consistit in notione miraculi applicata modo quo Christus operatur. Miraculum [4] quidem est

[1] Ioann. ix, 35, sqq.
[2] Ioann. iv, 25, 26, 42.
[3] Ioann. ix, sqq.
[4] Hic intelligimus miraculum stricte et absotute dictum.

aliquid superexcedens omnes facultates cuiusvis naturae, unice a Deo operabile. In Christo autem operatur simul divina et humana virtus, ita ut virtus divina sit principalis, humana instumentalis. Ergo Christus operabatur miracula virtute divina principaliter, virtute humana secundario seu instrumentaliter.

2) Utrumque hunc respectum Christi, ut Dei et ut hominis, relate ad miracula ab ipso patranda, invenimus expressum in modo duplici quo ipse Christus se gerit dum ea operatur. Interdum, quod quasi commune est, sola agit potestate, solo imperio; interdum orat Patrem. Quae oratio non est expressio humanae potestatis instrumentalis; haec enim non antecedit potestatem divinam, imo eam logice sequitur; sed est expressio voluntatis humanae divinam voluntatem consulentis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Textum hunc e S. Marco depromptum fuse exposuimus in quaestione de potentia Christi [1].

2. Obi. Non considerat dicta n. 2. Caeterum multa Christus egit ad nostram instructionem, quin ea agere sibi debuisset.

3. Obi. Dupliciter peccat. *a*) Supponit adversarios Christi recte semper de potestate daemonum iudicasse. *b*) Dein abstrahit a modo vere mirabili quo Christus per dilemma accusationi respondet. De quo confer resp. ad 3m.

Sed contra est. Nisi criterium obiectivum praesto esset ad discernenda opera daemonum ab operibus Dei, inanis fieret dos miraculorum Sanctis collata in ordine ad firmandam fidem in Christum. Unde, quidquid sit de opinione tali quam Iudae proditori S. Hieronymus attribuit, impietas fuit simul et absurditas, signa a Christo patrata diabolicis tribuere artibus. Quemadmodum enim omnes magici antiqui coacti sunt et Moysis potentiae et Danielis sapientiae cedere, ita quoque Christi opera a nullo daemone erant imitabilia. Inde Christus proclamat, se opera fecisse « quae nemo alius fecit » [2]. Adde, nec unquam faciet [3]. Ipsa enim potestas quam habiturus

[1] T. IV, p. 489, sq.

[2] IOANN. XV, 24.

[3] Miracula enim maiora ab Apostolis erant Christi nomine, non suo patranda.

est Antichristus, non seducet nisi fide debiles, quemadmodum Apostolus dicit: « Tunc revelabitur ille iniquus, quem « Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illu- « stratione adventus sui eum: cuius est adventus *secundum* « *operationem Satanae* in omni virtute, et signis, et prodi- « giis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis, qui « pereunt; eo quod *charitatem veritatis* non receperunt ut « salvi fierent » [1].

In Corpore. S. Thomas exponit doctrinam in n. 1 superius traditam.

Corollarium. Ex doctrina utriusque huius articuli vides, quid censendum sit de sententia quorumdam moderniorum qui in miraculis atque prophetiis non admittunt virtutem obiectivam sufficientem ut certitudo doctrinae per ea annuntiatae atque probatae demonstretur.

Hi tales duo confundunt: certitudinem obiectivam et evidentiam subiectivam. Duo enim tenenda sunt per verba Christi necnon per totam traditionem firmiter expressa: *a*) lumen ac assensum fidei esse quidem donum Dei et opus internae gratiae; *b*) at nihilominus per miracula tantopere illustrari motiva credibilitatis, ut inexcusabilis sit qui ea audita vel attendere nolit, vel eorum vim sincere perceptam agnoscere recuset. Vera proin apologetica methodus utrumque coniungere debet. Moderna autem apologia immanentiae dicta sapit subiectivismum, et demonstrationem catholicam periculose debilitat [2].

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS INCEPERIT FACERE MIRACULA IN NUPTIIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ne perperam ultra limites urgeatur doctrina in praesenti articulo contenta, duo monenda occurrunt.

a) Non agitur ullo modo de defectu potestatis in Christo

[1] II. Thess. II, 8, sqq.

[2] Fusius alibi data opera de hoc argumento agemus. Haec pauca sufficiant ad ostendendum quid censeamus, v., gr. de assertionibus quae leguntur in *Revue du Clergé français*, 1900, mars p. 126, sqq.

ante miraculum in nuptiis Canae patratum; nam divinam potestatem ab initio suae conceptionis Christus Homo-Deus habuit. Ad summum dici posset, potestatem eius humanam instrumentalem a divina voluntate esse gubernatam [1], ac proin sub hoc respectu Christum ut hominem non potuisse miraculum facere, quod operari nolebat ut Deus.

b) Insuper distingui potest inter miracula ordinis privati et ordinis publici. Rationes a S. Thoma allatae in *Corpore,* optimae sunt et efficaciam habent ad excludenda prorsus miracula publica ante portentum hoc a Ioanne narratum et primum seu « initium signorum » nuncupatum. Et revera miracula publice patrata speciali titulo *signa* vocantur: sunt enim signa non solum obiective, materialiter, sed etiam subiective, formaliter.

2) Posita hac gemina distinctione, non apparet cur tantopere abhorrere oporteat a quovis miraculo a Christo privatim, in secreto Sacrae Familiae, v. gr., ad solamen Mariae et Iosephi iam perfecte credentium, in exilio patrato, uti in quibusdam narrationibus, spuriae quidem auctoritatis, sed non ideo dogmatis offensivis actum esse describitur. Imo, uti supra diximus, potest inde solutio peti problematis quod circa miraculum Canae agitatur, quatenus Christus egisse videtur signum, quod prius dixerat nondum horam suam venisse ut ederet. Maria scilicet petebat signum publicum, Iesus autem fecit signum quasi occultum, ab alio tamen, ab architriclinio divulgatum, ac ita publicum factum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ad solutionem cf. dicta n. 1. *b*) et 2.

2. Obi. Non attendit ad dicta n. 1. *a*).

3. Obi. Dupliciter peccat. Supponit *a*) nihil nisi miraculosi potuisse discipulos attrahere ad Iesum; - *b*) ante miraculum Canae nullum omnino signum supernaturale Christum discipulis dedisse; quod falsum probatur ex ipso modo quo prima vice excepit Nathanaël et Petrum [2].

Sed contra est. Inspectio contextus ostendit verba: « in « Cana Galilaeae » referenda esse ad « fecit », non autem ad

[1] Cf. art. 2, n. 2.
[2] Cf. Ioann. 1, 42, 48.

« initium signorum ». Secus S. Thomas nullum inde pro thesi desumere posset argumentum.

Quae autem sequuntur: « Et *manifestavit* gloriam suam, « et crediderunt in eum discipuli eius », probat agi hic de signo cum relatione ad apostolatum Iesu, cuius firmum praesidium esse debebat ipsa fides discipulorum. Quae fides hoc portento fuit firmata in his, qui iam credebant; tunc producta in his, qui hucusque Magistro adhaerebant, quin tamen divinam eius potentiam et dignitatem cognoscerent.

In Corpore. S. Th. doctrinae de necessitate et efficacia miraculorum Christi in art. 1 expositae applicat convenientiam ut non ante vitam publicam, aetate virili inchoandam, Christus miracula patraret.

ARTICULUS IV.

UTRUM MIRACULA PER CHRISTUM FACTA SUFFICIENTER EIUS DIVINITATEM OSTENDERINT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In praecedentibus vidimus, scopum miraculorum a Christo patratorum fuisse probationem suae divinitatis. Si ergo miracula Christi ad hoc non suffecissent, esset vel *a)* quia Christus non ea potuit facere tanta, quanta voluisset, vel *b)* quia sufficientia credidit quae tamen non suffecerint. Iam vero utrumque est absurdum. Prius derogat potestati divinae Christi; alterum eius sapientiae.

2) Proin sufficientia fuerunt miracula Christi ut probaretur Deus. Curnam? Quia in Christo ostenderunt virtutem supernaturalem, divinam; quae virtus comprobabat doctrinam, cuius caput erat ipsa Christi divinitas. Ad vim huius argumenti vitandam Rationalistae nonnisi duplex effugium habent: vel negare characterem supernaturalem operum Christi, vel negare Christum se praedicasse Deum. (Supponimus hic Evangeliorum narrationes esse authenticas).

3) Iam vero utrumque effugium tam absurda in se involvit, ut absque excessu iudicii dici possit, nullum sanae mentis esse qui in ea implicari se sineret, nisi admissa Christi divinitas ardua naturae, imprimis superbiae atque concupiscentiae, officia secum ferret.

a) Christum omnia sua miracula ad fidem in suam divinitatem ordinasse, ex multiplicibus Evangelii locis constat. Ita enim simul intellexerunt discipuli eius et inimici, quin ipse unquam sit protestatus. Imo in mortem incurrit volens, quia Filium Dei se fecit.

b) Miracula autem fuisse vera miracula, iam ex hoc constare deberet, - pro indole Christi, in quo non licet nec dementem nec summae impietatis reum videre, - quod Christus ipse declarat ea esse miracula, opera Patris per se patrata, opera quae nemo alius fecit, quae ea contuentes et non credentes reddunt inexcusabiles, opera quibus discipuli Ioannis recognoscant, Messiam venisse, nec alium esse expectandum. Pone haec omnia miracula, ut vellent Renan aliique, naturaliter explicari posse, imo debere, quid iam vel de sapientia, vel de sanctitate Christi, quam tamen utramque in Christo ad sidera tollunt?

4) Sed misso iudicio quod ipse Christus de suis miraculis tulit, simplex narratorum factorum inspectio cuivis non praeoccupatae mentis suadet, tot tantorumque prodigiorum auctorem, non fuisse mere hominem occulta curandi dote, vel alia qualicumque virtute praeditum, sed supernaturali praesidio munitum, divina potestate pollentem.

Quaenam unquam fuerit naturae vis ad quodvis malum, organicum vel inorganicum, quantumvis absconditum et inveteratum, imo ad ipsam mortem sese indifferenter extendens? Quid iam de sedata tempestate, de gressu super aquas, de multiplicatione ciborum etc., etc.?

5) Adde, - quod in re maximum est, - potestatem illam quasi haereditario iure in discipulos transmissam, imo in discipulis se maiorem exhibentem, quo magis spiritualis et caelestis eluceat originaria potestas in transmittente eam. Etenim Christus promisit Apostolis, fore ut maiora portenta operarentur, quam ipse erat operatus. Nec minimum quid ex hoc sequitur contra plenitudinem potestatis quam ostendit in se Christus. Qui enim proprio nomine unum miraculum facit, maior exhibetur illis, qui mille miracula nomine prioris operantur.

6) Praeter absurditates in quas incidunt Rationalistae, dum volunt naturali modo explicare miracula Christi, princeps

vitium est, nolle nec possibilitatem admittere miraculorum a Christo patratorum in ordine ad divinitatem suam comprobandam. Et tamen non sine iniuria et subversione logici examinis potest haec hypothesis excludi *a priori*. Porro admitte pro instanti hypothesim, iam quaero: quomodo agere debuisset ille Homo-Deus ad suam dignitatem divinam et simul veram humanitatem ostendendam, nisi conversando uti homo et homo miracula operando? Quaenam miracula facere potuisset efficaciter, si nec illa quae Christus fecit, sufficiant? Ecce ipsum Deum impotentem ad se homini manifestandum! Quo quid absurdius? Profunde animadvertit P. Didon, in prologo suo ad vitam Iesu-Christi, ab hoc examine, - quod et de existentia Dei imprimis valet, - illum dumtaxat hominem logice dispensari posse, qui natus esset cum *evidentia* veritatis atheismi. Iam vero talis homo nunquam exstitit, neque existet unquam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Multipliciter deficit. Non distinguit inter unum miraculum singulare et constantem habitum miraculorum; neque considerat ipsum modum ea operandi; demum non attendit ad doctrinam in cuius confirmationem eadem fiunt.

2. Obi. Nulla difficultas, si consideratur, Christum proprio nomine, discipulos nomine Christi prodigia fecisse. Fuerint tunc maiora: eo magis ostendebant potentiam Christi utpote non solum per se ipsum, sed per discipulos suos operantis. Cf. dicta n. 5.

3. Obi. Est infirma cavillatio, quae si diceret verum, nullum principium posset ex particularibus concludi. Adverte autem, dupliciter particulare factum se habere posse ad veritatem inde deducendam: vel *a*) ita ut per se non sufficiat, sed sit dumtaxat inductionis particulare instrumentum; vel *b*) ita per se sufficiat ad conclusionem prudenter, imo certo ferendam. Hoc altero modo se habent miracula dummodo sint manifesta [1].

Sed contra est. Ad probandum, miracula Christi ad manifestationem suae divinitatis esse ordinata, praeter loca allata

[1] Cf. dicta in praecedenti corollario, et videbis quid etiam quoad hoc sentiamus de scripto ibidem allato.

in art. 1, sint duo sequentia. Dum peccata paralytico remitteret, Iesus ait: « Ut sciatis, quia Filius hominis habet pote- « statem in terra dimittendi peccata » [1]. Atqui, ut rectissime audientes inde concluserunt, haec potestas solius Dei est. Ergo. - Lazarum autem Iesus resuscitat ad ostendendam « gloriam Dei », « ut glorificetur Filius Dei », ut populus credat quia Pater Filium misit [2].

In Corpore. Licet S. Th. heic tres rationes quasi in eadem linea ponat, constituunt tamen gradationem, eamque pulchram ac profundam. 1) Prima ratio concludit ad virtutem supernaturalem in Christo. - 2) Secunda ratio concludit ad virtutem supernaturalem in eminentissimo gradu (independenter a declarationibus ipsius Christi quae in fine afferuntur et quae iam tertiam continent. 3) Tertia absolute demonstrat divinitatem prodigia operantis. Quae ultima ratio ex utraque praecedente sequitur; imo sequeretur ex minimo vero miraculo ad confirmandam doctrinam de propria divinitate patrato.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Christus miracula patrare debebat ad confirmandam suam doctrinam et ad virtutem suam divinam ostendendam (art. 1). Nam virtute sua divina illa operabatur, cooperante instrumentaliter sua potentia humana (art. 2). - Quum iam miracula ad scopum apostolatus sui tenderent, conveniens fuit ut Christus initium signorum differret usque ad initium vitae suae publicae (art. 3). - Sed tunc sufficientia signa operatus est ad ostendendam divinitatem suam, quum opera gesserit quae nunquam alius fecit, modo habituali propriam ac supremam in ipso potestatem ostendente, ut per ea Filius Patris ac Deus manifestaretur (art. 4).

[1] Matth. ix, 6.
[2] Ioann. xi, 4, 40, 42.

QUAESTIO XLIV.

DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS.

Ordo Quaestionis est gradatio, a spiritualibus substantiis ad creaturas irrationales descendens, complectendo quatuor entium genera, saltem generaliores classes: spiritus, caelos, homines, terrestria irrationalia.

ARTICULUS I.

UTRUM MIRACULA FACTA PER CHRISTUM CIRCA SPIRITUALES SUBSTANTIAS FUERINT CONVENIENTIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Multipliciter actio in daemones ad scopum apostolatus Christi pertinebat. *a*) Potestas enim qua agebat, et quam aliqui uti diabolicam suspicari potuissent, et re vera suspicati, imo impie calumniati sunt, inde apparet caelestis, quod et in daemones exercetur. Quo argumento Christus ipse usus est ad Iudaeorum calumniam confutandam [1]. - *b*) Inter pessimas vexationes quibus genus humanum laborabat, daemonum obsessio primum locum tenebat. Unde decebat Christum beneficientiam ostendere in illos, qui Satanae tyrannidem in corpore patiebantur. - *c*) Morte sua Christus erat de diabolica potestate triumphum plenum relaturus, cui conveniebat, eum praeludere liberando eos quos daemon sensibiliter occupabat.

2) Nec obiicias, exercitium huius potestatis in daemones obfuisse operi Christi. Eatenus enim obesse potuisset, quatenus vel certam daemonibus cognitionem dignitatis Christi dedisset, vel indignum praeconium ab eis provocasset. Neutrum autem necessario sequitur. Non primum, quia potestas expellendi daemones divina quidem est, sed non necessario

[1] Luc. xi.

exigit Deum qui eam exerceat. - Non alterum, nam qui ab usurpato dominio suo pellebatur, impediri poterat, ne pellentis se potestatem divulgaret.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit unitatem primitivam familiae angelicae; neque ministerium bonorum Angelorum relate ad Christum.

2. Obi. Dupliciter peccat. Supponit, hanc potestatem respicere manifestationem dignitatis Christi, non populis sed daemonibus faciendam; - insuper supponit, hanc potestatem conducere daemones debuisse in certam cognitionem divinitatis Christi. Cf. n. 2. - De hac cognitione vide infra dicenda, ubi de carnificibus Christi.

3. Obi. Falso supponit, Christum non potuisse ad silentium damnare quos eiecerat.

4. Obi. Praetermittit maius beneficium liberationis animarum; nec attendit ad rationes symbolicas vexationis materialis et corporalis a parte daemonum, sive in homines, sive, Deo permittente, in alias creaturas. Cf. resp. ad 4m.

Sed contra est. Convenientiae huius potestatis in daemones, ex eo quoque probatur quod Iesus post suam resurrectionem inter signa quae fidem « sequentur », primo loco hanc participatam potestatem nominet: « In nomine meo daemonia « eiicient » [1].

In Corpore. S. Thomas evolvit ultimam ex tribus rationibus quas n. 1 exposuimus.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTER FACTA FUERINT MIRACULA PER CHRISTUM CIRCA CORPORA CAELESTIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Factum obscurationis caeli in morte Domini clare in Evangelio narratur, et quidem ita ut prodigii instar exhibeatur. Hoc autem prodigium potest dupliciter considerari, vel tanquam a Deo Patre productum, id est a SS. Trinitate, cum speciali appropratione Patri; vel

[1] Marc. xvi, 17.

tanquam patratum ab ipso Christo. Hoc altero modo id considerat S. Thomas, indeque ratio huius articuli.

2) Iam vero haec solis obscuratio erat simul argumentum magnum potestatis morientis Christi, qui eo se maioris ostendebat virtutis, quo in altiora se exercebat, et quidem in tempore quo magis ipse ad ima deprimebatur; tum quoque erat symbolum figurans ex una parte extinctionem Illius, qui erat Lumen de Lumine, lux mundi; ex altera parte conspirationem totius naturae etiam exanimis cum suo Auctore morti proximo. Unde, huius mirae obtenebrationis testis Areopagita ille Dionysius exclamasse fertur: « Aut mundi machina « dissolvetur, aut patitur ipse Deus naturae ».

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad supremum dominium Dei in omnes creaturas. Caeterum potuit haec obtenebratio produci alio medio quam agendo in ipsa sidera.

2. Obi. Falso supponit non potuisse haberi Hierosolymis veram obtenebrationem, quin visa fuerit etiam in aliis regionibus. Sed et prostant iudicia eam fuisse et alibi perceptam apud Graecos et Romanos. Unde eius causa debuit esse talis, quae tam late patere per effectum valuerit. Explicatio per lunae obductionem traditionalis fuit inter Christianos pictores, qui super brachia crucis repraesentare solebant solem et lunam cooperta velo, in signum luctus de morte Domini. Porro quid de quinque miraculis a S. Th. in hac eclipsi consideratis scientia astronomica doceat facile quisque viderit.

3. Obi. Non attendit, maximam elucere in aliquo potentiam, si iam morti proximus maxima prodigia edat. Caeterum quid de divina virtute in corpore Christi iam mortuo permanente?

Sed contra est. Non desunt qui putent, ideo Graecos « ignoto Deo » erexisse altare illud, a quo tam pulchre Paulus sermonis sui ad Areopagum exordium sumpsit, quia in morte Christi, causam nescientes, obtenebrari caelos viderint. Sed haec opinio sat arbitraria videtur quum et alibi, v. gr., in Palatino colle, similis cultus incerti signa prostent.

ARTICULUS III.

UTRUM CONVENIENTER CHRISTUS CIRCA HOMINES MIRACULA FECERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Scopus miraculorum Christi erat, uti vidimus, homines in suae dignitatis divinae cognitionem, et per hanc in fidem, ac per fidem in iustificationem adducere. Iam vero quum homo nulla prodigia melius sentiat, quam quae in seipso impleta cognoscit, nulla miracula fini a Christo intento congruebant magis, quam miracula circa homines ipsos patrata. Haec autem triplicis gradus sunt. *a*) Alia enim in corpore agunt, ut in ipsis corporibus aliquid producant: uti sanationes, resurrectiones; *b*) alia agunt quidem in corpora, sed ut aliquid in animas efficiant, uti attractiones, terrores, admirationes, quibus Christus alios alliciebat, alios convellebat; *c*) demum sunt miracula quae directe agunt in animas: uti conversiones, illustrationes, peccatorum remissiones, etc. De quibus per ordinem pauca sint.

2) *Curationes* modo speciali conveniebant fini Redemptionis. Etenim *a*) quemadmodum per lapsum protoparentum mors et infirmitates intrárunt in mundum, ita accedente Redemptore, generis instauratore, cedere convenit morbos, non minus quam daemones culpae instigatores, morborumque primos auctores. - *b*) Ipsa pietas ac commiseratio qua Verbum caro factum est, sese eloquenter exprimit in compassione erga carnis miserias; unde legimus Iesum lacrymas effudisse quum in Lazari castello stragem mortis cernebat. - *c*) Nexus intimus inter corporales et spirituales miserias dat corporali curationi aliquid figurativi, exprimentis efficaciter ipsam curationem animarum, uti apparet ex hoc, quod corporum curationi Iesus peccatorum remissionem addebat, ut ita ipsum ordinem a se intentum manifestaret.

3) Miracula *secundi gradus* optime conveniebant Iesu, ut tum electos ad se vocaret per vim attractivam in ipsos oculos agentem; tum inimicos arceret per maiestatis terrorem. Priori modo Andream vocatum esse, suadetur; altero modo Iesus egit quando terribilis in templo apparuit, per medias

turbas se quaerentes illaesus transivit, necnon satellites Pontificum a Iuda adductos retrorsum cedere coëgit. Huiusmodi miraculum fuisse videtur in oculorum ictu quem in Petrum ad se convertendum coniecit, et forte in ipsum bonum latronem, quem Evangelia subitaneo motu a blasphemia ad contritionem et spem mutatum esse testantur.

4) *Conversiones* ipsae miracula sunt tertii gradus; maiora quidem si consideras operationem in se; minus tamen potentia, si modum magis absconditum quo producuntur. Ubi observa de essentia esse, tum iustitiae ad quam quis convertitur, tum facultatis quae convertitur, ut conversus convertatur volens et inde iustitiam colat. Hoc autem duplicat virtutem illius qui conversionem operatur, quum non solum faciat peccatorem converti sed et converti velle. Unde in his quaerere violentiam, tam est extra scopum prodigii, quam in se absurdum.

Haec autem conversio miraculosa saepe supponit non solum operationem in voluntatem sed et in intellectum, quotiescumque agitur de producenda fide; imo ob nexum intimum inter utramque facultatem, vix dabitur actio potentissima Dei agens in voluntatem, quin et intellectus illustratio quaedam comitetur, imo logice praecedat.

II. **Ad Textum**. - *1. Obi.* Dupliciter peccat: *a*) negat factum prodigiorum circa animas a Christo patratorum; – *b*) modum facti pervertit. Inde S. Th. in longiori responsione primo violentiam a conversione cordium excludit, dein ostendit per gradus quomodo Christus in animas ipsas efficaciter et miraculose egerit.

2. Obi. Non considerat rationem symbolicam quae inest curationi graduali. Unde decuit ut interdum instantanee Christus curaret, interdum per gradus, ad ostendendam simul suam omnipotentiam et nostram profundam miseriam.

3. Obi. Non attendit, corporum curationes tendere in salutem animarum; quum ergo omnes animae curari indigerent, noluit Christus in eo quem virtute sua sanarat, operari minus, relicto maiore.

4. Obi. Confundit fugam propriae laudis, quam Christus, ut erat homo, docere nos debuit, et fugam praedicandae

gloriae Dei, quam miraculis intendebat. Caeterum miraculum quodvis in Evangelio narratum, etiamsi tempore Christi absconditum fuisset, nutriendae fidei per saecula inservit. Rationibus porro cur Christus aliis silentium, aliis publicationem prodigii commendaverit, adde, scivisse Christum, qua mente divulgatum factum fuisset acceptum.

Sed contra est. Ex hac doctrina patet quo iure Christus meruerit Scripturae laudem: « pertransiit benefaciendo », et Petrus Iudaeos alloquens testatus sit, apparuisse « Iesum « Nazarenum virum approbatum a Deo, virtutibus et prodi- « giis et signis quae fecit Deus per illum » [1].

Porro quemadmodum actio in daemones, ita quoque supernaturalis actio in homines criterium promittitur a Christo ad discipulos suos discernendos. Ubi adverte, miracula tertii gradus praeponi miraculis primi gradus: « linguis loquen- « tur novis..... super aegros manus imponent et bene ha- « bebunt » [2].

In Corpore. S. Th. evolvit praesertim considerationem primam, necnon tertiam, quae n. 2 exposuimus.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENTER CHRISTUS FECERIT MIRACULA CIRCA CREATURAS IRRATIONALES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum Deus toti creationi praesit duplici creationis et gubernationis titulo, decuit ut Christus suam potestatem in omnem creaturam etiam terrestrem irrationalem manifestaret. In qua per gradus distinguuntur bruta, plantae, ac reliqua vitali principio carentia. Iam vero circa tres istas creaturarum irrationalium classes Christus miracula patravit.

a) Circa *bruta*, ostendendo in pisce ore staterem gerente, in captura gemina miraculosa, summum dominium suum in hoc viventium genus. - Sanasse autem bruta Christus non legitur. Et ratio apparet: quoad potentiam enim haec sanatio

[1] Act. x, 38; ii, 22.
[2] Marc. xvi, 17, sq.

continetur eminenter in curatione hominum; nec adest ibi ratio altioris figurae.

b) Circa *plantas*, videmus ficulneam miraculose arefactam, in figuram populi Iudaici, qui foliis quidem Legis gloriabatur, fructus autem salutis non gerebat. Iuxta figuram enim haec intelligenda sunt, quemadmodum patet ex ipsis Christi sermonibus, qui saepe alludunt ad allegorias ex genere plantarum desumptas. Notissima, v. gr., comparatio corporis mystici Ecclesiae cum viti eiusque palmitibus, quae vitis Christum ipsum figurat [1].

c) Circa *carentia vitali principio* Dominus pariter egit portentosa: circa *aërem*, tempestatem sedando; circa *aquam*, firmo gressu eam calcando; circa *terram*, eam concutiendo; circa *saxa*, ea frangendo; circa *opera artis et cultus*, velum templi scindendo.

2) Inter maxima prodigia adscribenda sunt ea quae per conversionem et multiplicationem substantiarum operatus est in Cana et in deserto. Haec enim ad vim creatricem magis appropinquant. - Quid iam de prodigio Eucharistico in Coena primum completo, et per modum firmae institutionis mirabiliter Ecclesiae commisso?

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit dicta n. 1, *a*).

2. Obi. Non considerat dicta n. 1, *b*).

3. Obi. Non attendit ad n. 1, *c*). Insuper negligit rationem figurativam in hac classe miraculorum servandam, quemadmodum in secunda.

4. Obi. Supponit, has multiplicationes per creationem proprie dictam fuisse completas.

Sed contra est. Cf. textus citatos hoc loco in art. praecedenti. Hanc quoque potestatem in creaturas irrationales Christus discipulis promisit, sicuti vidimus promissam eis potestatem in daemones et in homines. Ait enim: « Serpentes « tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit » [2]. Ubi habes potestatem in bruta et in plantas, ac per conse-

[1] Cf. dicta ubi de nominibus Christi.

[2] Marc. xvi, 18. Duplex emblema quocum S. Benedictus figurari solet: corvus mortiferum panem ore gestans, et calix effractus unde prosilit serpens venenosus, ostendit quantopere magnus ille Thaumaturga hanc Christi virtutem participaverit.

quens in non viventia quaeque. Fides insuper in Christum tam potens promittitur, ut transferat montes [1].

In Corpore. S. Thomas evolvit considerationem in capite n. 1 expositam.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Qui in mundum venit ut regnum diaboli destrueret, debuit in vita mortali potentiam suam in daemones reddere manifestam (art. 1). - Pariter caelorum conditor ac gubernator, debuit ostendere portentis circa caelestia corpora patratis, maxime sublimia suae subesse virtuti (art. 2). - In terra autem, praesertim circa homines curandos, movendos, illustrandos, decuit ipsum manifestare suam potestatem et salutiferum suum opus (art. 3). - Ne autem aliquid virtuti eius subtrahi credi posset, in creaturam quoque irrationalem, sensitivam, vegetativam, imo exanimem prorsus, miraculose eum agere oportuit (art. 4).

QUAESTIO XLV.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

Ordo Quaestionis. S. Thomas quaerit:

1) de transfigurationis *facto:* { *a*) de *convenientia* (a. 1), *b*) de *modo* facti (a. 2);

2) de transfigurationis *circumstantiis:* { *a*) de *testibus* (a. 3), *b*) de *testimonio* paterno (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM TRANSFIGURARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque de miraculis Christi circa alios et alia. Nunc de miraculo singulari a Christo circa seipsum patrato.

Convenientia autem transfigurationis Christi desumitur

[1] MATTH XXI, 19.

a fine quem Christus per eam intendit. Hunc autem fuisse ut suos contra proximam suam passionem firmaret, multipliciter patet. *a*) Eliguntur testes iidem qui assumentur agoniam in horto coram contemplaturi, sua veluti societate allevaturi. - *b*) Moyses et Elias « visi in maiestate dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem » [1]. - *c*) Descendens Iesus de monte ait testibus gloriae suae: « Nemini « dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat » [2]. - *d*) Vix ulla interposita mora Iesus incepit animos discipulorum ad suam passionem praeparare: « Conversantibus autem eis in Galilaea, dixit illis Iesus: " Filius hominis tradendus est in manus hominum: et occident eum et « tertia die resurget » [3]. Quibus auditis, et nonnisi confuse intellectis, discipuli tristitia affecti non ausi sunt Magistrum de his verbis interrogare.

2) Gloria autem Iesu in monte transfigurati vocatur a Ioanne « gloria quasi Unigeniti a Patre » [4], a Petro autem: « magnifica gloria » [5]. Ipsa vero narratio Evangelica eam vocat *transfigurationem;* possetque aeque vocari termino philosophice *transclarescentiae*, ad ostendendam claritatem quam ex quatuor dotibus glorificati corporis Christus, si minus tunc assumpsit ut dotem, - de quo mox, - saltem transitorie in se manifestare voluit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat conditionem corporum gloriosorum.

2. Obi. Procedit nimis rigorose secundum determinatum philosophicum sensum vocabuli *figurae.* Latiori enim sensu figura dicit totum aspectum et non solum extremitatem seu terminorum descriptionem. Hoc sensu latiori continet in se Colorem, ac proin ipsam claritatem.

3. Obi. Non attendit ad discrimen inter quatuor dotes, quatenus claritas dicit modum se habendi personae in seipsa; agilitas modum se habendi in motu; subtilitas, in actu; im-

[1] Luc. ix, 31.
[2] Matth. xvii, 9.
[3] Matth. xvii, 21, sq. — Cf. Marc. ix, 30; Luc. ix, 44.
[4] Ioann. i, 14.
[5] II. Petr. 1, 17.

passibilitas, in passione. Ex quibus iam patet transfigurationem saltem quoad naturam phaenomeni ad primam dotem esse referendam.

Sed contra est. Figurabatur hoc prodigium per claritatem quam Moyses a colloquio cum Iehovah conservavit [1], et ad quam Paulus alludit, ut maiorem claritatem ministerii novae Legis probaret; quae claritas in transfiguratione Christi primitias emisit [2]. Primitias, aio, nam ex hagiographia constat non paucos Sanctos Dominicae huius claritatis in vita sua mortali factos esse participes. Et certe nonne transfiguratio fuit illa assumptio Pauli in tertium caelum? Modo intelligatur ad normam doctrinae art. 2.

Ita in festo S. Benedicti, iuxta S. Gregorium Magnum, canitur: « Erat vir Domini Benedictus vultu placido, moribus « decoratus angelicis, tantaque circa eum claritas excreve- « rat, ut in terris positus in caelestibus habitaret » [3].

In Corpore. Argumentum constat. Adverte quam lucido terminorum ac sententiarum stylo S. Thomas id clarescere faciat.

Reliqua vel patent iam, vel in art. seq. magis fient manifesta.

ARTICULUS II.

UTRUM CLARITAS CHRISTI IN TRANSFIGURATIONE FUERIT CLARITAS GLORIOSA.

De ipsa Quaestione. - 1) In III. Sent., Dist. XVI, Q. 2, art. 1 et 2, S. Thomas quaerens, utrum claritas Christi fuerit claritas vera et claritas gloriosa, docet veram fuisse eius claritatem; imo gloriosam, si consideratur intensitas fulgoris redundantis ex gloria animae; non autem gloriosam, si consideratur conditio mortalis, quam Christi corpus sub ipsa claritate conservabat. Eadem est huius articuli doctrina; quare utrobique recedit S. Doctor a doctrina Innocentii III [4]

[1] Exod. xxxiv.
[2] II. Corinth. iii, 6, 7.
[3] Ant. 4 *ad Laudes.*
[4] *De myst. Missae,* l. iv, 12.

qui in claritate non satis consideravit nondum esse claritatem corporis gloriosi, licet eiusdem esset intensitatis.

2) Inde iam collige *a*) transfigurationem Christi fuisse miraculosam, quatenus conditio corporis mortalis illam per se non patiebatur; fuisse vero non miraculosam, quatenus connaturale est gloriae animae, quam Christus ab initio plenissimam habuit, ut per corpus redundet: quare Christo aliquomodo contra τὸ connaturale fuit, ut habitualiter hac redundantia careret.

b) Collige rursus discrimen inter claritatem Moysis et claritatem Christi in monte transfigurati. Claritas Moysis fuit quidem vera claritas, sed nullomodo claritas gloriosa, quum non haberet intensitatem huius fulgoris, nec a gloria animae beatae derivaretur.

c) Item dicendum de claritate quam aliquibus Sanctis in mortali sua vita concessam fuisse historia testatur. Est enim assimilanda illi claritati Moysis, cum hoc tamen discrimine, quod claritas Moysis fuit praefigurativa claritatis Christi, claritas autem sanctorum, est eiusdem claritatis, quo gradu res erat possibilis, participativa.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat nisi unum sensum claritatis gloriosae, qui utique reiiciendus est. Sed et est alter admittendus.

2. Obi. Arguit ac si nihil medium esse posset inter claritatem et claritatem mere imaginariam.

3. Obi. Non considerat, claritatem a corpore redundare in vestimenta, quemadmodum ab anima redundat in corpus. Negligit insuper significationes allegoricas vestimenti lucidi, quo corpus Christi operiebatur [1].

Sed contra est. Afferuntur hic loca ex quibus apparet, claritatem transfigurationis fuisse quoad essentiam gloriosam.

Hanc doctrinam proclamat Ecclesia in officio transfigurationis: « Christus Iesus, splendor Patris et figura substantiae « eius, portans omnia verbo virtutis suae, purgationem pec- « catorum faciens, in monte excelso gloriosus apparere hodie « dignatus est » [2].

[1] Cf. resp. ad 3.

[2] Ant. *ad Magn.* in I Vesp. — Cf. orat.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Transfiguratio Christi fuit gloriosa	1) quantum ad *essentiam:*	*a*) derivata a divinitate Christi;
		b) derivata a gloria animae Christi.
	2) non autem quantum ad *modum:*	*a*) nam non erat ad modum dotis habitualis, sed miraculosa;
		b) quare non admittendus modus loquendi Innocentii III.

Adverte insuper, nullo modo admittendum esse sententiam de impassibilitate assumpta in Coena. Nam, uti observat S. Thomas, in Coena Christus non comedebatur in propria specie, sed in specie panis.

Col'ige ex dictis, cum Cl. Paquet [1], discrimen triplex inter copus Christi transfiguratum et gloriosum. Claritas enim corporis Christi gloriosi est *a*) non transiens sed *permanens;* *b*) non sola, sed connexas habens *alias dotes*, agilitatem, subtilitatem, impassibilitatem; *c*) non miraculosa, sed *connaturalis.*

ARTICULUS III.

UTRUM TESTES TRANSFIGURATIONIS CONVENIENTER FUERINT INDUCTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Testes electos fuisse Petrum, Ioannem et Iacobum maiorem, Evangelistae nos docent; tum collocuturos cum Christo advenisse Moysen et Eliam. Convenientia utriusque facti quaerenda est.

2) Et primo quidem in his tribus apostolis *a*) servatur mysticus numerus, *b*) hierarchia apostolica, *c*) titulus specialis uniuscuiusque ex his tribus testibus ad specialem dilectionem Christi: Petri ob suam dilectionem ac munus ei demandandum, Ioannis ob suam virginitatem, Iacobi ob primitias martyrii. - Adde *d*) transfigurationis mysterium adoptionem gloriae significare, ac proin convenienter eligi illos, qui typum gerunt triplici aureola coronandorum: Petrus enim Doctorum, Ioannes Virginum, Iacobus Martyrum aureolam figurant. - Demum, *e*) uti iam vidimus, iidem esse debebant testes Transfigurationis et agoniae [2].

[1] Op. cit. hoc loco (p. 417).
[2] Cf. a. 1.

3) Nec minus apte ex Sanctis Vet. Test. eliguntur Moyses et Elias. *a*) Moyses est gloriosissimus mortuorum, Elias gloriosissimus vivorum; - *b*) Moyses claritate est insignitus iam in terris, Elias in claritate evectus est in caelos; unde in liturgia Transfigurationis vocantur « splendidi »; - *c*) Moyses repraesentat Legem, Elias Prophetas. - *d*) Moyses exemplar est mansuetudinis, Elias zeli; - *e*) uterque clari propter magnanimitatem qua pro Deo sese mortis periculo obtulerunt.

4) Simul autem ex antiqua et ex nova Lege testes adhiberi decebat: tum *a*) ut manifestaretur, Christum esse centrum saeculorum, omnesque mundi aetates ad ipsum convergere; tum *b*) ut impleretur dictum Scripturae: « in ore « duorum (Moysi et Eliae) vel trium (Petri, Ioannis et Iacobi) « stat omne Verbum »; quod Verbum hic significat Christum in tota sua gloria quasi Unigeniti a Patre, scilicet Verbi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, mysterium corporis gloriosi speciali titulo ad homines prae Angelis spectare.

2. Obi. Non advertit, veram animarum praesentiam, licet in corpore fictitio, esse iam veram praesentiam. Caeterum non attendit, nullam rationem afferri posse, cur Elias non adfuerit in proprio corpore.

3. Obi. Praetermittit titulos speciales in n. 2 enumeratos.

4. Obi. Pariter negligit titulos speciales allatos in n. 1.

Sed contra est. Placet de mysterio transfigurationis audire S. Leonem Magnum eloquenter disserentem: « Aperit « Dominus coram electis testibus gloriam suam, et commu- « nem illam cum caeteris corporis formam tanto splendore « clarificat, ut et facies eius solis fulgori similis, et vestitus « candori nivium esset aequalis. In qua transfiguratione illud « quidem principaliter agebatur, ut et de cordibus discipulo- « rum crucis scandalum tolleretur; nec conturbaret eorum « fidem voluntariae humilitas passionis, quibus revelata esset « absconditae excellentia dignitatis. - Sed non minore provi- « dentia spes sanctae Ecclesiae fundabatur, ut totum corpus « Christi agnosceret, quali esset commutatione donandum, « et eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui « in capite praefulsisset.... - Confirmandis vero Apostolis

« et ad omnem scientiam provehendis, alia quoque in illo « miraculo accessit instructio. Moyses enim et Elias, Lex « scilicet et Prophetae, apparuerunt cum Domino loquentes: « ut verissime in illa quinque virorum praesentia complere- « tur quod dictum est: " In duobus vel tribus testibus stat « omne verbum ". Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in « cuius praedicatione Veteris et Novi Testamenti concinit « tuba, et cum evangelica doctrina antiquarum protesta- « tionum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi « invicem utriusque foederis paginae, et quem sub velamine « mysteriorum praecedentia signa promiserant, manifestum « atque perspicuum praesentis gloriae splendor ostendit » [1].

In Corpore. S. Thomas affert rationes quibus probatur, convenientissime duos testes Vet. Test. et tres Nov. Test. fuisse electos. In responsionibus autem ad 3m. et ad 4m. exponit rationes cur illi prae aliis electi sint, tum ex sanctis viris Legis antiquae, tum e gremio apostolico.

Adverte, ex isto privilegio nullam invidiam ortam esse in animo aliorum Apostolorum; nam Dominicae gloriae testes, dociles iussioni Magistri, acta et visa in monte non divulgarunt nisi post resurrectionem Christi, id est, postquam omnes iam Magistri redivivi gloriam viderant.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENTER AUDITUM FUERIT TESTIMONIUM PATERNAE VOCIS IN TRANSFIGURATIONE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vox audita in Christi transfiguratione, ostendit nexum intimum qui coniungit hoc factum cum baptismo Christi, in quo eadem vox intonuit, idem quasi testimonium proferens. Porro si ad invicem conferuntur, gradatio pulcherrima inter utramque apparet. Etenim baptismus est terminus a quo, transfiguratio terminus ad quem; in baptismo aperitur via ad caelum, in transfiguratione apparet adoptionis gloria, cuius adoptionis radix per fidem in baptismo quasi plantatur. Inde Ecclesia in liturgica ora-

[1] Serm. II *de Transfig.*, c. 3, sq. — *P. L.* LIV, 310, sq.

tione Transfigurationis hanc perfectam adoptionem celebrat: « Deus qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosa « transfiguratione Patrum testimonio roborasti, et *adoptio-* « *nem filiorum perfectam* voce delapsa in nube lucida mi- « rabiliter praesignasti: concede propitius; ut *ipsius Regis* « *gloriae* nos *cohaeredes* efficias et *eiusdem gloriae* tribuas « esse *consortes* ».

2) In qua oratione adverte, Ecclesiam nubem lucidam unire testimonio vocis. Et re quidem vera, quemadmodum in baptismate Christi Spiritus Sanctus sub specie columbae apparuit, ad significandam illam puritatem quae est conditio ut fideles recte in patriam tendant; ita in transfiguratione apparet in nube lucida, quae secundum pulchram explicationem S. Thomae, significat, tum claritatem gloriae, tum refrigerium a labore. Insuper exprimit corpus mysticum per Spiritum Sanctum Christo unitum et splendore Christi saturatum, quemadmodum de vestimentis Christi in art. 2 dictum est.

3) Si autem quaeris, cur in transfiguratione Domini vox paterna addiderit: « ipsum audite », quod in baptismo non adiunxit, forte responderi potest, et hoc pertinere ad gradationem supra indicatam (n. 1): quatenus quo clarius apparebat Filius Dei in gloria filiationis suae, eo magis elucebat eius titulus ut ab hominibus audiretur. Insuper, quum transfiguratio ad proximam passionem ordinetur, illud « ipsum « audite », insinuat Apostolis, plena fide esse accipienda, quae mox de sua passione Christus est ipsis dicturus. Unde haec verba sunt veluti anticipata protestatio contra scandalum, quod a passione Christi accipitur, quasi passio cum divina patientis filiatione componi non possit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit gradationem quae interest inter mysterium baptismi et mysterium transfigurationis. Cf. dicta n. 1.

2. Obi. Arguit ac si Spiritus Sanctus nullo modo in transfiguratione apparuisset. Cf. dicta n. 2.

3. Obi. Non attendit ad discrimen inter donum collatum et donum promissum. Comple ex hoc responso dicta n. 3.

4. Obi. Non considerat, utilem esse timorem qui ex nimie-

tate divinae claritatis iniectus, maiorem eiusdem aestimationem menti inserit, et per Christi mediationem probatur mitigari.

Sed contra est. Quantopere conspectus gloriae Christi in monte, et auditus vocis paternae profuerit apostolatui, elucet ex II epistola Petri superius iam citata.

In Corpore. Discursus S. Thomae clarus est. A principio quod adoptio filiorum producitur in nobis ad imaginem naturalis filiationis Verbi, concludit ad duplicem manifestationem filiationis Verbi in baptismo et in transfiguratione Christi, iuxta duplicem gradum, viae scilicet et patriae, qui in adoptiva nostra filiatione invenitur.

Resp. ad 4^{m}. Adverte sedulo pulchram doctrinam hic in fine contentam. Quamdiu tres Apostoli nonnisi gloriam Christi viderunt, nullo fuerunt terrore affecti. Pavor autem illos invasit, quando intonuit vox Patris et nubes lucida eos obumbravit. Quo facto haec veritas figuratur: nonnisi per Christum mediatorem nos ad SS. Trinitatem accessum habere, ne obruamur maiestate.

Appendix ascetica. - Liceat e mysterio transfigurationis Domini, praeter speculationes dogmaticas Aquinatis, et alias quasdam breviter depromere ordinis potius ascetici.

1) Transfiguratio in monte docet, vitam Christianam nihil esse aliud quam arduum, supra mundum et passiones ebullientes in valle, ascensum de claritate in claritatem. — 2) Gaudium spirituale concessum his tribus Apostolis, qui agoniam Christi mox erant proximi contemplaturi, ostendit, Deum per consolationes maiores ab initio disponere animas quas eligit ad maiora pro se patiendi. - 3) Haec ipsa vocatio specialis inter iam ad apostolatum electos, et inter animas perfectionem anhelantes demonstrat dari adhuc gradus a vocatione distinctos, iuxta quos prudens praelatus subditos moderetur. - 4) Vestis alba sicut nix et facies splendens figurant puritatem corporis ac mentis, quae sunt transfigurationis conditio simul et fructus. - 5) Christus autem in ipso suo excessu de futura sua passione colloquens, ostendit, contemplativam vitam maxime nutrire sanctam animi compunctionem et desiderium Christo compatiendi. - 6) Petrus, dulcedini visionis indulgens, cupit in eadem suam veluti

mansionem collocare [1]; at modus severus quo Scriptura de eius exclamatione iudicat, ostendit, consolationibus spiritualibus non esse in hac vita adhaerendum. - 7) Nubes lucida superveniens symbolum est mysticae noctis, in quam anima saepe post consolationes immergitur. Sed lucida est nox, quum apex animae in lumine fidei ac fervore charitatis radicetur. Imo in hac nocte eo minus est timendum, quo vicinior stat Christus animae vires sustentans. - 8) Demum vetando ne splendorem visum Apostoli divulgent, Christus inculcat quantopere humilitas celare debeat gratias, quibus divina bonitas animam ditare dignatur, ne in vanae gloriae fumum superna charismata evanescant, et anima in seipsam nudata decidat.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Ne consortium passionis Christi homines nimis deprimeret in via, convenit ut Christus ante propriam passionem ipsis gloriae terminalis specimen in seipso daret (art. 1). - Quod sane dedit per veram claritatem, eiusdem naturae ac est claritas gloriosa, quum proveniret ex divinitate et animae gloria in corpus redundantibus; non tamen eiusdem modi, quum corpus remaneret passibile et mortale (art. 2). - Testes autem huius resurrectionis optime electi sunt: ex Vet. Test. illi, quorum testimonium erat summum, et ex Apostolis illi qui speciali titulo Christo iungebantur (art. 3). - Quemadmodum in baptismo, ubi adoptio filiorum inchoatur, ita in transfiguratione, ubi eadem adoptio figuratur in termino, SS. Trinitatem manifestari decuit, et Patrem solemniter de Filio testificari (art. 4).

[1] Nihilominus haec Petri exclamatio aliunde laudanda est valde. Imo quis pie legat transfigurationis evangelium, quin et ipse corde dilatetur, et intus exclamet: « Bonum est nos hic esse? » Egregie D. Ben. Sauter Abb. Emaut. haec ita evolvit: « *Der* « *Schüler:* Guter Meister, wunderbar ist der Eindruck, den das Evangelium von der « Verklärung Christi jedesmal auf mich macht, so oft ich dasselbe lese oder lesen « höre. Fast ergeht es mir, wie dem Apostel Petrus, und ich empfinde das " Hier « ist gut sein, " ohne mir Rechenschaft darüber geben zu können. Es ist eine gewisse « innere Herzensfreude über unsern lieben, in den Glanz der Verklärung gehüllten « Iesus, dem wir sonst fast immer nur in den Schmähungen der Iuden, in dem Gezanke « der Pharisäer, in der Verkennung und Misshandlung der Menschen begegnen; und « es ist eine leise, beglückende, wenn auch ganz verhüllte Ahnung von der Freude « darüber, dass auch uns dereinstens eine ähnliche Verklärung zu teil werden soll. « Um es mit einem Worte zu sagen: Mir wird bei diesem Evangelium " ganz wohl " « wie dem Petrus auf Tabor ». (*Die Sonntagsschule des Herrn*, t. I, p. 129, sq.).

SECTIO III.

DE PERTINENTIBUS AD EXITUM CHRISTI DE MUNDO.

Ordinem huius Sectionis iam assignavimus superius in initio voluminis [1]. S. Thomas ordine historico agit de Christi 1) passione, 2) morte, 3) sepultura, 4) descensu ad inferos.

MEMBRUM I.

DE PASSIONE CHRISTI.

Passionem Christi S. Thomas considerat 1) in *se*, 2) in *causa*, 3) in *effectu*.

CAPUT I.

DE IPSA PASSIONE CHRISTI.

QUAESTIO XLVI.

Ordo Quaestionis sequenti schemate exprimitur:

1) De passionis *convenientia:*
- *a*) necessitatis
  - α) absolutae (a. 1),
  - β) hypotheticae (a. 2);
- *b*) simplicis convenientiae
  - α) in genere (a. 3),
  - β) in specie (a. 4).

2) De *ipsa passione*
- *a*) quoad generalitatem (a. 5),
- *b*) quoad intensionem (a. 6),
- *c*) quoad extensionem (a. 7),
- *d*) quoad redundantiam (a. 8).

3) De passionis *circumstantiis:*
- *a*) quoad tempus (a. 9),
- *b*) quoad locum (a. 10),
- *c*) quoad socios (a. 11).

4) De passionis *subiecto* (a. 12).

[1] Pag. 3.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT NECESSARIUM, CHRISTUM PATI PRO LIBERATIONE HUMANI GENERIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ultima verba tituli circumscribunt quaestionem ad hypothesim generis humani lapsi: ex intentione Dei illud liberandi. Quum quaestio ita posita intime connectatur cum altera quaestione in principio huius tractatus mota, *de necessitate Incarnationis*, oportet praesentem articulum solvere cum respectu ad ea quae tum de convenientia, tum de necessitate Incarnationis disputavimus. Nam pone passionem Christi absolute necessariam ad liberandum genus humanum, non ideo in se necessaria erit, nisi haec ipsa liberatio necessaria demonstretur. Vicissim pone hanc liberationem necessariam, quocumque modo hoc intelligi possit, superest altera quaestio de necessitate passionis ad hanc liberationem obtinendam. Haec altera quaestio hic directe movetur, ita tamen ut et prioris quaestionis consideratio recurrat.

2) Porro superius vidimus, S. Anselmum de necessitate tum reparationis, tum passionis, subtiliter quidem disserentem, sed limites strictae veritatis quoad prius paululum excedentem [1]. Pariter circa utrumque quaesivimus de mente Augustini, Bonaventurae et Angelici [2], ubi specialius de necessitate reparationis strictae iustitiae quaesivimus. Ad haec remittimus. Ibi erant praeoccupanda; huc autem quoad alteram partem, scilicet quoad necessitatem passionis, proprie spectant. Sicuti enim necessitas Incarnationis maxime pendet a necessitate reparationis humani generis lapsi, praesertim per oeconomiam strictae iustitiae; ita quoque necessitas passionis Christi in primis ab eadem necessitate petenda est.

3) Iam vero adverte ordinem, quem S. Thomas in his primis duobus articulis sequitur. In primo quaerit, utrum aliquo modo possit dici necessariam fuisse passionem Chri-

[1] T. IV, p. 40 sqq. Excessum S. Anselmi, si adsit, nonnisi quoad priorem partem esse, mox ostendemus.

[2] T. IV, p. 35 sqq.

sti: quam necessitatem in schemate *absolutam* hoc sensu diximus, ad eam contra distinguendam a necessitate *hypothetica,* de qua quaeritur in art. 2. Ibi enim posita aliquali necessitate passionis Christi, quaeritur utrum haec ita intelligenda sit, ut finis ad quem requirebatur, non potuerit alio medio obtineri. Igitur in primo articulo necessitas ex fine quaeritur absolute eatenus, quatenus remittitur ad articulum secundum penitior inquisitio de tali medio relate ad hunc finem (Cf. dicenda in expositione *Corporis*).

4) Iam haec absoluta necessitas passionis Christi considerari potest vel *a*) ex parte Dei, vel *b*) ex parte ipsius Christi; et consequens huius necessitatis esset, vel *a*) Deum seu necessitate interna naturae, seu saltem necessitate externa coactionis Filium passioni destinasse; vel *b*) Filium ex alterutra necessitate pro homine esse passum. Prima autem necessitas in Deo involveret necessitatem absolutam ut homo lapsus non modo repararetur, sed et per passionem Dei-Hominis repararetur. Inde triplex aspectus huius necessitatis: a parte Dei, a parte Christi, a parte generis humani.

5) Quae necessitas, licet iuxta nullum ex his aspectibus admitti possit absoluta, aliqualis tamen quoad haec tria concedenda est, uti mox ex professo illustrabitur, ex ipsa scilicet divina ordinatione, seu ex habitudine passionis Christi ad finem a Deo intentum.

6) Hic autem sedulo adverte discrimen inter necessitatem a parte praestatuti finis quoad Deum, quoad Christum et quoad nos. *a*) Quoad Deum, quum iste finis sit libere constitutus, nulla inde sequitur necessitas nisi consequens ratione divinae immutabilitatis atque fidelitatis. - *b*) Quoad Christum inde sequitur necessitas executionis in quantum est Deus-homo, necessitas quidem impulsiva, non coactiva relate ad Christi voluntatem divina placita exsequentis, sed ordinativa relate ad gloriam Christi per passionis medium obtinendam. - *c*) Quoad hominem inde sequitur necessitas consequens ut, quum aliter ex ordinatione divina salvari non possit, per medium passionis Christi liberetur. Vides proin, ex his tribus maximam esse necessitatem a parte hominis, minimam a parte Dei, mediam a parte Hominis-Dei.

7) Demum adverte, quod, licet S. Thomas in *Corpore* huius

articuli non expresse loquatur de passione Christi uti reparatoria humani generis per satisfactionem, nihilominus in responsione ad tertiam obiectionem excellentiam hanc reparationis exaltat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Vitium patet; procedit secundum necessitatem coactionis ex parte Dei.

2. Obi. Procedit ex parte Christi hominis. Ubi adverte sedulo, S. Thomam affirmare quidem Christum voluntarie passum esse quatenus *non coacte* passus est; ex quo iam insinuat non ideo Christum non pati *debuisse,* ob patiendi mandatum a Patre acceptum. Infra enim videbimus, quomodo haec duo sint componenda: Christum tum oblatum esse quia voluit, tum a Patre mandatum accepisse ut se offerret.

3. Obi. Procedit in sensu diviso; solvitur in sensu composito. Ubi adverte profundam considerationem, ipsam scilicet reparationem ex iustitia augere misericordiam, quatenus maximum *donum Dei,* est Mediator quo pro nostris delictis satisfacere possimus. Quem respectum egregie illustravit S. Anselmus [1].

Sed contra est. Per textum hic allatum iam anticipatur argumentum art. 4. Necessitas enim praedicatur non solum de passione Christi, sed de eius exaltatione in cruce.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Christi passio necessaria est:
- 1) non necessitate intrinseca *naturae;*
  - *a*) neque ex parte Dei,
  - *b*) neque ex parte hominis;
- 2) neque necessitate extrinseca *coactionis;*
  - *a*) neque ex parte Dei,
  - *b*) neque ex parte Christi;
- 3) sed necessitate extrinseca *finis:*
  - *a*) ex parte nostra (ad salutem),
  - *b*) ex parte Christi (ad gloriam),
  - *c*) ex parte Dei (ex prophetiis).

Adverte quam eleganter S. Thomas plures textus Scripturarum, qui affirmant necessitatem passionis Christi, assignet triplici respectui necessitatis ex parte finis.

Circa argumentum autem duo consideranda remanent.

1) Adde n. 2): *c*) *neque ex parte hominis.* Ita enim habet

[1] *Cur Deus homo,* l. II, c. 21. — Cf. T. IV, p. 49, sqq.

S. Thomas III Sent., Dist. XX, Q. 1, art. 1, sol. 3, « talis necessitas (coactionis) non fuit in natura humana respectu reparationis, quia Deus ad virtutem non cogit ». - Eodem loco, paulo superius explicat 1) *b*): « non est necessarium humanam naturam reparari, quia reparatio non sequitur ex principiis naturalibus ».

2) Si quaeris de quonam fine tertia pars argumenti intelligenda sit, respondendum est: de eo fine qui ex parte Dei praestitutus est. Unde vides istud *c*) regere simul *a*) et *b*). Regit *a*) quia in art. 2 videbimus, aliam viam ad nostram salutem Deo praesto fuisse. Regit *b*) propter eamdem rationem. Unde utraque necessitas supponit *c*), si de vera necessitate agitur. Et ideo S. Thomas in fine ponit *c*), propter legem gradationis, et propter nexum cum articulo sequenti, ubi de ratione huius *c*) iam penitius inquiritur.

ARTICULUS II.

UTRUM FUERIT POSSIBILIS ALIUS MODUS LIBERATIONIS HUMANAE QUAM PER PASSIONEM CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Duplicem aspectum in praesenti quaestione nos considerare oportet: *a*) Potuitne Deus aliam viam inire ad liberandum humanum genus? - *b*) Inita hac via historica reparationis, scilicet per satisfactionem, fuitne praesto alius modus praeter passionem Christi? Primae quaestioni simpliciter respondendum est affirmative, cum S. Augustino, S. Thoma, S. Bonaventura, aliisque. De quo supra satis fuse tractavimus. Alteri autem quaestioni respondendum videtur cum aliqua distinctione.

2) Etenim alia est satisfactio quoad *essentiam* valoris reparationis, alia satisfactio quoad *modum* respondentem offensae et poenae debitae. Si priorem consideras, unicum Christi Hominis-Dei suspirium erat sufficientis valoris ad nostrum genus liberandum. Si alteram respicis, requirebatur passio Christi, imo mors eius, ut in ipso Homine-Deo, Homo tot in se assumeret poenas solvendas, quasi non ex divina dignitate sed ex humana expiatione reparatio expectaretur. Ita

quippe homo omne quod suum erat, plene solvisse dicendus est.

3) Porro S. Thomas in evolutione articuli non expresse distinguit duplicem quaestionis aspectum. Ex modo tamen quo praecipuam, nempe tertiam difficultatem solvit, implicite ostendit se non considerare reparationem per viam iustitiae uti necessariam; sed posita hac reparatione, passionem Christi tunc uti aliquo modo necessariam habere. Quod redit in doctrinam nostram. Caeterum articuli sequentes summam convenientiam passionis Christi et quidem eius mortis in cruce uberius illustrabunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* et *2. Obi.* Procedunt secundum necessitatem ex suppositione; necnon *4. Obi.,* quatenus fides Patrum prophetiis innititur, quae prophetiae supponunt simul praescientiam et praedestinationem Dei.

3. Obi. Confundit duplicem aspectum quem n. 1 distinximus.

Sed contra est. Doctrinam hanc Augustini de absoluta possibilitate reparationis humani generis per aliam viam quam per viam passionis S. Thomas evolvit III. Sent., Dist. XX, Q. 1, a. 4: « Utrum fuerit possibilis alius modus « satisfaciendi ». Et responsio eius reducitur ad hoc: *Liberatio* humani generis poterat obtineri alio modo; *redemptio* vero, plenissime scilicet soluto pretio, non.

In Corpore. Reiecta necessitate antecedente absoluta, S. Thomas concedit necessitatem hypotheticam consequentem, scilicet ex divina praescientia et praeordinatione. Quod utrumque argumentum ex praescientia et ex praeordinatione considerandum est in prophetiis, quae sunt simul manifestatio praescientiae et praeordinatio futurorum, quotiescumque agitur de re volita a Deo in se. At ubi agitur de peccatis, praeordinatio non cadit nisi in bonum quod ex malo Deus intendit et propter quod Deus illud permittit. In his ultimis praeordinatio sequitur praescientiam [1].

[1] Haec distinctio, summi momenti, ratio est ob quam in secundo nostro volumine *De Deo Uno* aeternitatem divinam diximus esse unicum medium in quo Deus *simul omnia* futura contingentia intuetur; quatenus in omnibus illis in quibus decreta nequeunt suppeditare totum, in malis scilicet praevisis, at non ut talia praemotis,

Hanc necessitatem praeordinationis in prophetiis contentam Christus exposuit discipulis pergentibus in Emmaus: « Et « incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur « illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant » [1].

Utriusque huius articuli doctrina corroboratur per sententiam S. Pauli: « Eum qui modico quam Angeli minora- « tus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria « et honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus gustaret « mortem. - Decebat enim eum, propter quem omnia, et per « quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auc- « torem salutis eorum per passionem consummare » [2]. Cuius vocis *decebat* plena vis iam in sequenti articulo consideranda erit, in quo de necessitate ad convenientiam descendimus.

ARTICULUS III.

UTRUM FUERIT ALIQUIS MODUS CONVENIENTIOR AD LIBERATIONEM HUMANI GENERIS QUAM PER PASSIONEM CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus (art. 1) necessitatem passionis a necessitate finis desumendam esse, hanc autem (art. 2) non esse nisi hypotheticam consequentem. Iam quaeramus de ratione propter quam praeordinatio divina finem liberandi nostri generis per hoc medium obtinendum decreverit. Haec autem ratio nequit esse nisi *convenientia* specialis ad finem hunc melius assequendum. Restat igitur ut haec convenientia penitius consideretur, tum circa passionem in genere, tum circa modum eiusdem. Articulus praesens quaerit de convenientia *mortis* Christi; articulus sequens de convenientia mortis *in cruce*.

2) Iam vero in liberatione humani generis consideranda

haec aeternitas supplet id quod divina sanctitas causalitati divinae scientiae veluti subtrahit. Miror, quosdam viros criticos, praesertim a parte rigidiorum Thomistarum, tam obiter hanc nostram expositionem legisse, ut nobis tribuant quae nunquam scripsimus, quae autem scripsimus, vix referant. Et tamen nonne scriptoris primarium ius est, ut, si de eius sententia sermo fiat, cum obiectiva saltem fidelitate exhibeatur? Equidem malim reprehendi ut mea, quae vera teneo, quam ut mea laudari, quae non probo; corripi autem ut mea, quae ipse depello, hoc sane ingratissimum.

[1] Luc. xxiv, 27.

[2] Hebr. ii, 9, sq.

sunt quatuor: *a*) *gloria Dei* manifestanda; *b*) *honor Christi* consummandus; *c*) *salus hominum* certior reddenda; *d*) *confusio daemonis* complenda. De quibus singulis breviter.

a) Quo magis in opere salvifico perfectiones divinae elucent, eo maior inde Deo gloria acquiritur. Atqui liberatio humani generis per passionem Christi summo gradu ostendit α) Dei sapientiam, β) iustitiam, γ) bonitatem vel amorem, δ) misericordiam, ε) potentiam, etc.

b) Ex passione Christus α) gloriae suae adiunxit meriti decus, atque β) splendidius argumentum nobis praestitit amoris in Patrem ac in nos, γ) omnisque generis virtutum.

c) Certior nostra redditur salus, quia α) non solum peccatum nobis remittitur, sed et β) gratiae infunduntur, γ) exempla praebentur, δ) spes erigitur, ε) pretiumque animae infinitum ostenditur.

d) Demum daemon plenius confunditur, si α) per carnem ipsam devincitur, et si β) ipse, dum in Christum saevit, propriae instrumentum cladis efficitur.

II. **Ad Textum** - *1. Obi.* Confundit esse et melius esse; unde ex ipsa natura retorquetur.

2. Obi. Abstrahit a rationibus propter quas ex una parte mors Christi convenientius erat per violentiam inferenda, et ex alia parte mors naturalis eum dedecens fuisset.

3. Obi. Supponit, hominem iniuste daemonem habuisse tyrannum, quia daemon eum invaserat iniuste. Iam vero utrumque simul stat: et daemonem a parte sua iniuste in hominem ius exercere; et hominem a sua parte in praevaricationis poenam iuste daemoni subdi.

Sed contra est. Convenientiam summam mortis Domini S. Anselmus, uti mox videbimus, illustrat ex pretio infinito vitae humanae Christi, qua aptior pro redemptione nostri generis solutio nequit dari [1]. Ad altitudinem divini consilii redimendi humanitatem lapsam, per proprii mortem Filii alluditur in hisce verbis Domini ad Moysen: « Ego Dominus qui « educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et eruam de servi- « tute: ac redimam in brachio excelso et iudiciis magnis » [2].

[1] Cur *Deus homo*, l. II, 14.
[2] Exod. VI, 6.

In Corpore. En huius argumenti schema:

Passio Christi fuit redemptionis fini aptissima:
- 1) summum divini amoris argumentum stimulat hominem ad Deum redamandum;
- 2) passio Christi omnium schola virtutum [1];
- 3) passio Christi hominem non solum liberat a peccato, sed bonis supernaturalibus ditat;
- 4) homo divino sanguine redemptus pretium suum maioris aestimat;
- 5) nobilitatur homo, si diabolus per hominem vincatur.

Prima ratio invenitur expressa in hac interrogatione Domini ad populum suum: « Quid est quod debui ultra facere « vineae meae, et non feci ei? » [2]. Et in his verbis Christi de Patre: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigeni« tum daret » [3].

Secundam rationem egregie illustrat Bernardus: « Quis « enim tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam « deliciosus, ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non « contineat? quis tam malitiosus, ut non poeniteat his die« bus? » [4].

Vides, rationes 4m et 5m procedere secundum excellentiam oeconomicam reparationis per redemptionem.

Resp. ad 2m. Aliam rationem affert S. Thomas ad demonstrandam convenientiam mortis violentae Christo inferendae: scilicet mors naturalis est in poenam peccati originalis, mors violenta in poenam peccatorum actualium. Unde infert non solum convenientiam mortis violentae, sed et turpissimae. Quae consideratio veluti transitum facit ad articulum sequentem [5].

[1] Hanc rationem egregie illustrat S. Anselmus (op. cit., II, 19).
[2] Is. V, 4.
[3] IOANN. III, 16.
[4] Serm. *de Passione Domini*, n. 1. — *P. L.* CLXXXIII, 263 *AB*.
[5] III. Sent., Dist. XX, Q. 2, a. 4.

APPENDIX.

De mente S. Anselmi et S. Bonaventurae.

I. Vidimus in primo volumine huius tractatus, S. Anselmum valde urgere necessitatem reparationis humani generis, per viam rigorosae iustitiae ac proin per Hominem-Deum. Inquiramus nunc hic penitius quousque necessitatem urgeat, ut hic Homo-Deus pro homine satisfaciat moriendo pro eo.

Processus S. Anselmi ad haec reduci potest. Satisfactio ab Homine-Deo praestanda Deo consistere debet in aliqua re quam ille Homo-Deus Deo per se non debebat. Iam vero mori ipse non debebat. Poterat tamen quia omnipotens erat. Vita autem eius fuit aptissima ut pro satisfactione afferretur, eratque pretii infiniti. Quam vitam dedit, et libere dedit, eam scilicet et sibi et Patri pro hominibus offerens.

Singula haec asserta per ipsa Anselmi verba illustremus. Christum mori non debuisse S. Doctor paucis ita praemittit:

« *A.* Utrum autem homo ille sit moriturus ex debito, sicut « omnes alii homines ex debito moriuntur, non investigare « debemus: sed si Adam moriturus non erat, si non peccas- « set, multo magis iste mortem pati non debebit, in quo pec- « catum esse non poterit, quia Deus erit » [1].

Reparationem fieri debuisse per aliquid non aliunde iam Deo debitum, ita ostendit: « *A.* Ratio nos docuit quia opor- « tet eum maius aliquid habere, quam quidquid sub Deo est: « quod sponte det et non ex debito, Deo.... Sic ergo intelli- « genda est haec datio: Quia aliquo modo ponet se ad hono- « rem Dei aut aliquid de se quo modo debitor non erit » [2]. Dein postquam ostendit, hoc non potuisse residere dumtaxat in servata iustitia, utpote debita, pergit: « Videamus, « si forte hoc sit vitam suam dare, sive ponere animam « suam, sive tradere seipsum morti ad honorem Dei ». Quo ita posito quaesito affirmative respondet: « *A.* Si homo per « suavitatem peccavit, an non convenit ut per asperitatem

[1] *Cur Deus homo,* l. II, c. 10. — *P. L.* CLVIII, 408 *B.*

[2] Nolumus nunc vim huius asserti perpendere: hoc differimus ad argumentum de indole mandati, quod Christus a Patre accepit ut moreretur.

« satisfaciat? Et si tam facile victus est a diabolo ut Deum « peccando exhonoraret, ut facilius non posset, nonne iustum « est ut homo satisfaciens Deo pro peccato, tanta difficultate « vincat diabolum ad honorem Dei, ut maiori non possit? « An non est dignum quatenus, qui se sic abstulit Deo pec- « cando, ut se plus auferre non posset, sic se det Deo satis- « faciendo, ut magis se non possit dare? - *B*. Non est aliquid « rationabilius. - *A*. Nihil autem asperius aut difficilius potest « homo ad honorem Dei sponte et non ex debito pati, quam « mortem: et nullatenus seipsum potest homo magis dare « Deo, quam cum se morti tradit ad honorem illius. - *B*. Vera « sunt omnia haec. - *A*. Talem ergo oportet eum esse, qui « pro peccato hominis satisfacere volet, ut mori possit, si « velit » [1].

Adde pretium infinitum vitae tam nobilis atque pretiosae [2].

Sed et aliam rationem ordinis moralis et exemplaris S. Anselmus in morte Domini evolvit: « Exemplum autem, « seipsum quomodo daret infirmis et mortalibus, ut propter « iniurias aut contumelias, aut dolores, aut mortem, a iusti- « tia non recederent, si ipsum haec omnia sentire non agno- « scerent? » [3]. Et alibi: « An non intelligis, quia cum iniurias « et contumelias, et mortem crucis cum latronibus sibi (sicut « supra diximus) propter iustitiam, quam obedienter servabat, « illatas benigna patientia sustinuit; exemplum dedit homi- « nibus, quatenus propter nulla incommoda, quae sentire pos- « sunt, a iustitia quam Deo debent, declinent; quod minime « dedisset, si secundum potentiam suam mortem pro tali « causa illatam declinasset » [4].

Quae ultima verba sat ostendunt, summam excellentiam passionis et mortis Domini non ita S. Anselmum intelligere, ac si ad opus salutis omnino necessaria fuissent.

Quare nullam aliam necessitatem in morte Domini S. Anselmus agnoscit praeter necessitatem praeordinationis, ut Christus pro hominum salute mori vellet. Bosoni enim neces-

[1] Ibid. c. 12. — *P. L.* CLVIII, 411, sq.
[2] Ibid. c. 14. De hac consideratione sermo infra redibit.
[3] Ibid. 412 *C*.
[4] Ibid. c. 19, col. 426 *A*.

sitatem mortis Domini obiicienti ita reponit: « Quemadmodum putas illum non potuisse non mori aut necessitate « mortuum esse, quia non potuit non esse quod erat: ita « potes asserere illum non potuisse velle non mori, aut necessitate mori voluisse, quoniam quod erat, non esse non « potuit. Non enim magis ipse factus est homo ad hoc ut « moreretur, quam ut vellet mori. Quapropter sicut non « debes dicere quia non potuit non velle mori, aut necessitate voluit mori: sic non est dicendum quia non potuit « non mori, aut necessitate mortuus est » [1].

Imo hanc praeordinationem S. Anselmus non ita apprehendit, ac si pro Christo involveret verum debitum ex imposito sibi vero praecepto moriendi [2]. De quo aspectu argumenti inferius sermo redibit.

Unum tamen iam hic animadverte. Qui admittit in obedientia Christi morientis indolem obedientiae strictae, id est, erga verum mandatum, acceptum a Patre, non ideo tenet absolutam antecedentem necessitatem passionis Christi; sed sufficit, ut teneat hypotheticam, consequentem. Quia autem huic mandato Patris demit characterem veri mandati, cui respondeat in Christo obedientia stricti nominis, nequit haberi ut defensor absolutae antecedentis necessitatis mortis Christi ad salutem humani generis procurandam.

Ergo, ut paucis concludam, si S. Anselmus necessitatem Incarnationis forsan ultra limites urget, quemadmodum in volumine praecedenti ostendimus, necessitatem passionis et mortis Dei-Hominis non nisi ut summe convenientem exhibet, solamque ei concedit necessitatem consequentem ex libera conformitate Christi erga praeordinationem divinam, et quidem talem, quae nullum praeceptum involverit.

II. **S. Bonaventura** summam convenientiam passionis Domini ita vindicat, ut nulla inde necessitas absoluta sequatur. In XX Dist., l. III Sent., postquam ex ordine demonstravit

[1] Ibid. c. 17. Col. 420 *B.* — Fateor, in hac tota disputatione S. Anselmum non semper satis distinguere in Christo geminam voluntatem. Ita ait: « Hac (voluntate) « homo factus est; hac fecit et passus est, quidquid fecit et passus est; hac voluit, « quaecumque voluit ». Iam vero qua Verbum factus est homo, simplex est voluntas divina; qua Homo-Deus est passus, gemina: divina et humana.

[2] Cf. *Meditat.*, IX.

consequentissimum fuisse genus humanum reparari et quidem per satisfactionem prae alia via (Q. 1 et 2); nullam autem puram creaturam satisfacere potuisse pro toto genere humano (Q. 3); imo neminem, etsi gratia adiutum, potuisse satisfacere pro se ipso (Q. 4); S. Bonaventura iam quaerit « utrum Deus debuerit modum satisfaciendi per passionem « Christi acceptare » (Q. 5); et « utrum alio modo potuerit « Deus genus humanum salvare » (Q. 6).

Ex hac ultima quaestione exordiri placet. En quomodo Seraphicus quaesito respondet: « Cum quaeritur, utrum alio « modo genus humanum potuerit reparari, quam per mortem « Christi, potest quaeri vel de potentia *Dei reparantis,* vel « ex parte *generis humani reparati.* - *a*) Si ex parte Dei « reparantis, sic absque dubio aliter potuit genus humanum « liberare et reparare, sicut Sancti dicunt; et magister Hugo « de sancto Victore alium modum assignat in libro de Sacra- « mentis [1] et Magister recitat in littera. Non enim est limitata « divina potentia, imo etiam, sicuti solo nutu mentis et impe- « rio voluntatis potuit creare, ita etiam potuit reparare.

« *b*) Si autem quaeratur de potentia ex parte *generis hu-* « *mani reparati,* et liberati, sic dicendum quod determina- « tum fuit sibi posse ad hanc viam; et isto modo intelligendo « concedi potest, quod genus humanum non potuit aliter « reparari; sicut conceditur, quod nullus homo potest salvari, « nisi credat in Christum. Non enim patet nobis alia via « salutis, nec est aliud nomen sub caelo, in quo oporteat « nos salvos fieri [2]. Potuisset tamen Deus, si voluisset, aliud « nomen dare, in quo salus nostra consisteret ».

Iam vero, si ratio quaeratur cur hic modus redemptionis per passionem Christi prae omnibus aliis determinatus sit, S. Bonaventura in solutione praecedenti respondet: « Di- « cendum, quod modum istum ultra caeteros debuit Deus « acceptare, quia nobilissimus est inter omnes qui possent « esse, vel excogitari ». Quod quadrupliciter illustrat: « Fuit « enim *a*) acceptabilissimus ad placandum Deum; *b*) con- « gruentissimus ad curandum morbum; *c*) efficacissimus ad

[1] Lib. I, p. 8, c. 10. Scilicet ex sola potentia, intuitu iniustae aggressionis quam homo a diabolo passus est.

[2] Act. IV, 12.

« attrahendum genus humanum; *d*) prudentissimus ad expu-
« gnandum generis humani hostem ». Ex quibus vides *a*) respicere Deum, *d*) respicere daemonem, *b*) et *c*) respicere hominem, tum quoad morbum quo laborabat, tum quoad remotionem a Deo sub qua gemebat.

a) Primum respectum Seraphicus demonstrat per doctrinam S. Anselmi [1], et S. Pauli [2]. - *b*) Secundum respectum probat ostendendo quantopere abiectio, humiliatio et obedientia Filii Dei usque ad mortem crucis, respondeant e regione superbiae, gulae et inobedientiae, per quae primus homo peccavit [3]. - *c*) Tertium respectum demonstrat exponendo iuxta Hugonem Victorinum, nihil efficacius attrahere hominem, quam summi amoris argumentum [4]. - *d*) Quartum respectum evolvit ostendendo quomodo Christus per crucem suam decepit diabolum, cuius astutia primum hominem devicerat. Unde applicans operi Christi illud Iob: « Numquid
« poteris capere Leviatan hamo » [5], addit iuxta Augustinum:
« Venit Redemptor et victus est deceptor. Et quid fecit Re-
« demptor noster captivatori nostro? Ad pretium nostrum
« tetendit muscipulam crucem suam, posuit ibi quasi escam
« sanguinem suum » [6]. Digna sane et Hipponensi et Seraphico doctrina!

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS PATI DEBUERIT IN CRUCE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Convenientiam altissimam Redemptionis per Christi Crucem Ecclesia sequenti carmine in SS. Crucis festis et adoratione celebrat:

De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

[1] Loc. cit., c. 11.
[2] Ephes. v, 2.
[3] Cf. Philipp. ii, 8; S. Greg. M., *Moral.*, l. ix, c. 5, n. 5, etc.
[4] *De arrha animae,* seu sponsae. — Cf. Ioann. xii, 32.
[5] In vulgata: « An extrahere poteris Leviathan hamo? ». Iob. xl, 20.
[6] Serm. 130, n. 2. *P. L.* xxxviii, 726; — *De peccat. meritis,* ii, c. 31, n. 51.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat;
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

2) Et re vera, si supplicio crucis applicamus expositionis ordinem, quem in praecedenti articulo adhibuimus ad convenientiam passionis Christi in genere ostendendam, apparet quam pulchre canatur in altero hymno *Vexilla Regis prodeunt:*

Fulget Crucis mysterium,
Quo carne carnis Conditor
Suspensus est patibulo.

Etenim si in opere reparationis *a*) *gloriam Dei manifestandam* consideras, in Cruce eximie apparent: α) *Sapientia,* attingens « a fine usque ad finem », dum ipsa arbor exitialis fit quasi protoëvangelium; - β) *Potentia,* instrumentum damnationis in instrumentum reparationis convertens; - γ) *Bonitas,* de terra maledicta fructum sibi vitae reservans; - δ) *Altitudo,* eligens in symbolum victoriae ignominiae symbolum atque servitutis; - ε) *Iustitia,* poenam talionis in ipso supplicii modo a victima divina exigens; - ζ) *Misericordia,* concedens Redemptionem quae nihil irreparati relinquat; - η) *Amor,* Filium non solum tradens, sed ad ultimum genus expiationis pro nobis devovens.

Si *b*) *honorem et munus Christi declaranda* spectas: α) quo maior humiliatio, eo sublimior exaltatio; - β) quo durius mandatum Patris, eo splendidior obedientia, aliarumque virtutum excellentius exemplum; - γ) imo in ipso supplicio et in statu illud subeuntis exprimuntur α') *Triumphator* super terram elevatus ipsique dominans; β') *Redemptor fronte* ad caelos viam aperiens, *brachia* ad utrumque populum ex Iudaismo et Gentibus extendens, *pede* calcans tartara, *clavis* veluti amoris stimulis usque ad ultimi sanguinis effusionem ligno holocausti adhaerens, tanquam verus vitae *fructus* arborem paradisi novi foecundans.

Si *c*) consideras *salutem nostram certius obtinendam,* praeter rationes in art. praec. allatas, α) quis non animose *crucem suam* ferat, ut crucifixi Domini particeps fieri mereatur? - β) Quis non grate percipiat *fructus* arboris, cui

Christus appendit? - γ) Quis non facilius *palmes* coelesti viti adhaereat? - δ) Quis non sentiat totum *debitum* a Redemptore solutum, quum reparatio ipsam lapsus figuram tam adaequate revocaverit?

d) Demum *confusio daemonis* per crucis supplicium augetur. α) Nam sicuti retortum argumentum maxime cedit in ruborem arguentis, ita maxime contumeliose devincitur hostis, si telum, quo mortale se vulnus iam intulisse gaudebat, depulsum fortior lethali virtute in eum remittat. - β) Insuper patibulum, in quo diabolus impossibile ducebat Deum esse moriturum, fuit palus quo caput serpentinum per semen mulieris contritum est, et inferorum regnum concussum atque destructum. - γ) *Superbia* principis mundi, vanae *opes* et *deliciae* divino iudicio damnatae sunt, quando Christus ex signo *ignominiae*, cui *nudus* per *vulnera* adhaesit, fecit signum regiae maiestatis, atque vexillum illorum qui, uti Paulus, Christo confixi cruci simul ac mundo, per vota tanquam per amoris clavos holocaustum consummantes, castra paupertatis atque virginitatis implentes, daemonem iugi contumelia afficiunt, quum Evae seductor videat Evae filios et filias de ligno benedicto novam vitam, veram boni malique scientiam haurire, et per Christum vitem, cui palmites adhaerent, effici veluti deos. Quaenam « ars », quaeso, « proditoris « artem » perfectius diviniusque fefellerit?

II. **Ad Textum**. - *1. Obi.* Dupliciter peccat: *a*) exigit in figura omne quod est veritatis; *b*) non attendit ad rationem holocausti in cruce servatam.

2. Obi. Supponit crucem esse in se detractibilem, quod falsum est; valeret quoad substantiam de quavis passione.

3. Obi. Non attendit, nullum supplicium, ex hoc ipso quod maledictus erat quicumque pendebat in cruce, fuisse magis conveniens Illi, qui debebat peccata totius mundi, omnis maledicti fontem, in se assumere, et in carne, propter peccatum mortale, eadem expiare. Ergo non solum solvitur argumentum, sed et retorquetur.

Sed contra est. Huc directissime spectat locus Ioannis in *Sed contra est* art. 1 allatus [1], ubi non solum de passione,

[1] Ioann. iii. 14,

sed de modo per exaltationem in crucem agitur. Unde serpens aeneus uti figura Christi crucifixi a primaevis Christianis repraesentari solebat.

Plures rationes supra allatae confirmantur sequentibus locis S. Pauli: « Factus obediens usque ad mortem, *mortem* « *autem crucis* » [1]. - « Verbum *crucis* pereuntibus quidem « stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei « virtus est » [2]. - « Mihi mundus crucifixus est, et ego « mundo, etc. ».

In Corpore. Sequenti schemate potest haec argumentatio contrahi:

- **Christum in cruce pati, fuit maxime conveniens:**
  - I) *propter exempla* virtutum (victoria de teterrima morte)
  - II) propter *symbolismum crucis:*
    - 1) *in se:*
      - *a*) refert ad lignum paradisi;
      - *b*) exaltatione exprimit:
        - α) sanctificationem aëris,
        - β) viam parari in caelum;
      - *c*) extensio brachiorum dicit voluntatem salvificam [3];
      - *d*) partes crucis mysteria exprimunt;
    - 2) *ex figuris* V. T.:
      - *a*) arca diluvii,
      - *b*) virga Moysis,
      - *c*) aqua dulcis reddita ligno,
      - *d*) Moyse expansis brachiis orante,
      - *e*) arca Testamenti.

Huc spectant Crucis laudes ab omnibus piis viris certatim celebratae, ab illa exclamatione S. Andreae: « O bona « Crux », usque ad praeclarum opus P. Faber « *On the foot* « *of the Cross* ». Placet saltem ex auctore *Imitationis Christi* haec pauca verba citare: « In cruce salus, in cruce vita, in « cruce protectio ab hostibus: in cruce infusio supernae sua- « vitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus: « in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. Non

[1] PHILIPP. II, 8.

[2] I. COR. I, 18. — Cf. II.

[3] Inde Iansenisticae vocari solent eburneae illae Crucifixi imagines, quae brachia vix extensa exhibent. Ratio autem huius formae potius desumenda est ab opificis desiderio conficiendi totam imaginem ex unica eburnea massa.

« est salus animae, nec spes aeternae vitae, nisi in cruce. « Tolle ergo crucem tuam, et sequere Iesum, et ibis in vitam « aeternam. Praecessit Ille baiulans sibi crucem, et mortuus « est pro te in cruce; ut et tu tuam portes crucem, et mori « affectes in cruce » [1]. Sed de pulchritudine et symbolo crucis in fine Quaestionis sermo redibit.

Corollarium. - Ex dictis hucusque, maxime in hoc articulo, apparet stultitia et ingratitudo hominum, qui ex passione Christi et morte in cruce argumentum desumunt ad eius divinitatem non modo negandam, sed deridendam. Hinc tabernalia illa convicia a primis Christianismi temporibus, usque ad tempora nostra; a doctiorum, uti Celsi et Iuliani scriptis, usque ad vulgares blasphemias qualis in pariete Palatini palatii pueruli manu delineata paucis abhinc annis reperta est [2].

At quo ferocius daemon per os impiorum in Crucem tabescit, eo exultantius Ecclesia in ipsa Cruce Domini triumphum divinitatis et amoris proclamat: « Adoramus Te, Chri- « ste, et benedicimus Tibi, quia per Crucem tuam redemisti « mundum! ». Imo ipsi Cruci ob Christum cultum latriae relativum tribuit: « Crucem tuam adoramus, Domine! ».

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTUS OMNES PASSIONES SUSTINUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Articulus praesens iuxta ordinem supra indicatum, est quidem transitus ad secundam Quaestionis partem, in qua directe investigatur de passione Christi quoad universitatem, intensitatem, extensionem et

[1] Lib. II, c. 12, n. 2. De regia via sanctae Crucis optime Gutberlet: « Schon die « Thatsache allein, dass in der christlichen Religion das Kreuz im Mittelpunkt steht, « ist für mich der schlagenste und praktisch überzeugendste Beweis für ihre Wahr- « heit und ihre Göttlichkeit » (HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm.* § 384).

[2] Hanc blasphemiam veluti inspiratricem dixeris impiissimi folii, quod, sub titulo *L'Asino*, tot in Ecclesiam ludibria, consentiente massonico gubernio, per Urbem et Italicum populum spargit.

redundantiam. Sed et simul est instantia ad praecedentem articulum hoc modo. Si summe conveniens fuit Christum atrocissimam mortem subire, videtur non minus conveniens fuisse, ut omnia quaeque subiret tormenta. In qua instantia, distinctionibus factis, aliquid concedetur, aliquid removebitur, imo duo removebuntur.

2) Distinguendum enim est *a*) inter genus et speciem; pariter *b*) inter passiones ab intrinseco et ab extrinseco.

a) Quoad *species* Christum omnes passiones subiisse, tum ex historia falsum ostenditur, tum ex implicata contradictione impossibile probatur. Igitur non remanet nisi universalitas quoad passionum *genera*.

b) Pariter, ex principio supra demonstrato de defectibus non detractibilibus, constat Christum non potuisse pati passiones ab intrinseco causatas, puta aegritudines corporis; nec passiones veras animae, sed mere *propassiones*.

3) Porro *genera passionum ab extrinseco causatarum* multipliciter considerari possunt: *a*) secundum eos *a quibus* inferuntur, *b*) secundum *bona* quae laedunt; *c*) magis describendo obiectum, secundum corporis *membra* vel varios *sensus* (Cf. secundam partem *Corporis*).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit dolorum genus et species.

2. Obi. Confundit generalitatem seu numerum cum intensitate.

3. Obi. Confundit sufficientiam et convenientiam.

Sed contra est. Argumentum procedit secundum sensum negativum *Corporis*. Probatur negatio ex variis locis Evangelii, ubi apparet Christum se subtraxisse a diversis generibus seu speciebus passionum: v. gr., a lapidatione [1], a deiectione e loco excelso [2], etc. Altera pars affirmativa *Corporis* demonstratur ex verbis [3]: « Vere languores nostros ipse tulit et « dolores nostros ipse portavit » [4].

[1] Ioann. viii.
[2] Luc. iv.
[3] Is. liii, 4.
[4] Cf. dicenda in art. sequenti.

In Corpore. En schema huius pulcherrimi argumenti:

- Oportuit Christum pati omnes passiones
  - I) non quoad *species:*
    - 1) nam hae possunt sibi *contradicere* (exempla);
    - 2) agitur enim in Christo solum de passionibus *ab extrinseco* illatis;
  - II) sed quoad *genera:*
    - 1) a parte eas *inferentium:*
      - *a*) a Iudaeis et Gentilibus;
      - *b*) a masculis et faeminis;
      - *c*) a principibus, ministris et popularibus;
      - *d*) a familiaribus et notis;
    - 2) in omnibus *bonis:*
      - *a*) extra personam:
        - α) in amicis,
        - β) in fama,
        - γ) in rebus;
      - *b*) ipsius personae:
        - α) in anima,
        - β) in corpore.
    - 3) in *toto corpore:*
      - *a*) in omnibus partibus corporis,
      - *b*) in omnibus sensibus.

ARTICULUS VI.

UTRUM DOLOR PASSIONIS CHRISTI FUERIT MAIOR OMNIBUS DOLORIBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Articulum praesentem iam praeoccupavimus in art. sexto Quaest. XV, ubi investigavimus de intensitate doloris et tristitiae Christi. Quare remisso lectore ad ea quae ibi secundum S. Thomam et S. Bonaventuram diximus, liceat heic argumentum paucis complere.

2) Ut argumentum rite determinetur, sint sequentes animadversiones:

a) Quaeritur non solum de intensitate *absoluta,* quam ipse Iesus variis in locis testatus est: « Exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, « et *multa* pati a senioribus et Scribis et principibus sacerdotum, et occidi, etc. » [1]; - « Scriptum est in Filium hominis, ut *multa* patiatur et contemnatur » [2]; - « Oportet Filium hominis *multa* pati, et reprobari a senioribus, etc. » [3]. « Primum autem oportet illum *multa* pati et reprobari a

[1] Matth. xvi, 21.
[2] Marc. ix, 11,
[3] Luc. ix, 22

« generatione hac »; [1] et: « Tristis est anima mea *usque ad* « *mortem* » [2]. - Sed quaeritur de *intensitate relativa,* iuxta locum allatum in *Sed contra est.*

b) Termini autem huius comparationis sunt ex una parte dolor et tristitia, quae Iesus passus est iuxta doctrinam praecitatae Quaestionis; et ex alia parte quivis dolores *praesentis vitae;* ita ut *summa* dolorum et tristitiae Iesu conferatur cum summa dolorum a quovis unquam homine toleratorum, non autem utrimque pars cum parte.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non confert inter se summam, sed partes.

2. Obi. Confundit dolorem sensibilem cum tristitia; et falso supponit, a sapiente tristitiam omnem, utpote inutilem, esse reiiciendam.

3. Obi. Tria erronee fingit: *a*) dolores Christi conferri cum doloribus animae in altera vita; *b*) Adamum ante peccatum in corpore fuisse passibilem; *c*) corpus Christi non esse perfectioris complexionis quam corpus Adami innocentis. Quae omnia falsa sunt.

4. Obi. Non attendit, Christum ex perfectissimae sapientiae et charitatis impulsu, doluisse de omnibus mundi peccatis; neque considerat vitam Christi utpote pretii incomparabilis, incomparabili amore ab ipso Christo fuisse dilectam.

5. Obi. Confundit poenam cum maiori inordinatione poenae, ex qua crescit patienti dolor, et non compatienti culpa.

6. Obi. Non attendit ad dolorum mensuram quam requirebat oeconomia reparationis per viam iustitiae.

Sed contra est. Ad abundantiam confunduntur hic haeretici, qui cum Cerdone veritatem passionum Christi negaverunt. Contra quos, praeter textus ex Evangelio citatos in articuli huius initio, et locum Isaiae allatum in *Sed contra est* art. praecedentis, S. Thomas egregie affert illud celeberrimum Thren. I. Ubi adverte τὸ *si* idem sonare ac *non,* quemadmodum apparet in aliis Scripturae locis; v. gr.: « *Si* erit malum in civitate » [3]. - « *Si* introibunt in requiem

[1] Ibid. XVII, 25.
[2] MATTH. XXVI, 38.
[3] AMOS III, 6.

« meam » [1]. Caeterum in lyricis forma interrogationis egregie stat pro negatione. - Veritatem passionum Christi, quam narrationes et argumenta Scripturarum, Symbola, Liturgiae, omnia Patrum scripta vel supponunt, vel diserte affirmant, explicite vindicat iam citatus can. Eugenii IV in Concil. Florent. super unione Iacobitarum.

In Corpore. En schema huius argumenti:

- In Christo tum dolor sensibilis tum tristitia fuerunt maximi:
  - I) ex *causis* utriusque:
    - 1) *doloris* sensibilis:
      - *a*) ex generalitate,
      - *b*) ex genere acerbissimo (crucifix.),
      - *c*) ex diuturnitate;
    - 2) *tristitiae*, quae erant:
      - *a*) omnia peccata in se suscepta (genus);
      - *b*) casus Iudaeorum et scandalum discipulorum (spec.),
      - *c*) amissio vitae corporalis;
  - II) ex *perceptibilitate* patientis:
    - 1) secundum *corpus* (dolor) — formatum de Spiritu Sancto ex Virgine (tactus exquisitus);
    - 2) secundum *animam* (tristitia) — efficacissime secundum vires dispositam;
  - III) ex *puritate* utriusque: — Christus noluit eos per rationis virtutem ex redundantia mitigare [2];
  - IV) ex *voluntaria assumptione* utriusque: — sicuti assumpti sunt ad satisfaciendum; ita *mensura* electa, quae esset in proportione cum debito solvendo.

Resp. ad 2m. Huius responsionis doctrinam ita contrahe:

- Virtus moralis mitigat
  - 1) *tristitiam directe:* — *medium* constituendo per regulam rationis; unde,
    - *a*) *Stoici* putant tristitiam uti inutilem reiiciendam;
    - *b*) cum Augustino *Christiani* tenent dari *laudabilem* ex amore, et *utilem* ex satisfactione;
    - *Christus* ergo usus est regula rationis ad suscipiendam expiationis *proportionem*. (IV)
  - 2) *dolorem indirecte:* — per *redundantiam* a viribus animae — *Christus* hanc impedivit (III)

[1] Ps. XCIV, 11.

[2] Hinc damnata est propositio 13 Quesnelli: « Inferior Christi pars in cruce non « communicavit superiori suas involuntarias perturbationes » (DENZINGER, n. 1205).

Ex nn. III et IV argumenti *Corporis,* et huius responsionis habes, quantopere discrepent dolores Martyrum a doloribus Christi. Martyrum tormenta saepius ipse Christus linivit sive portentose auxilium praebendo, sive animae virtutem corroborando, imo gaudiis replendo. Stephanus, coelis apertis, Iesum vidit a dextris Patris stantem; Ioannes ex olei ferventis dolio exivit vegetior; fertur Laurentio Angelus adstitisse, Agatha Principem Apostolorum in carcere medicum habuisse, Caeciliam balnei vapor ardens reliquisse illaesam, Agnetem columnae firmitatem acquisivisse, unde pudorem ac famam a furentium lascivia tueretur, etc., etc.. Christus vero, suorum Martyrum solamen ac robur, calicem sibi usque ad imam faecem bibendum servavit, non solum ab humano vel angelico auxilio destitutus, sed interni, quin et ipsius Patris iuvaminis expers; unde in cruce, tot iam exhaustis tormentis, illud eructavit mysterioso horrore gravidum: « Deus, Deus meus, quare me dereliquisti », in quibus verbis nn. III et IV argumenti huius *Corporis* veluti culmen suum attingunt.

Nec praetermittendum heic, quam pulchra sit doctrina Augustini et S. Thomae de utilitate ac laudabilitate tristitiae, et quantopere praestet doctrinae Stoïcorum. Unde homines in tristitiae praesentia positi, in tres veluti classes dispescuntur. Alii, mollioris indolis, tristitiae indulgent, quin eam nec comprimendam, nec elevandam curent. Alii, philosophico animo acti, illam uti inutilem, imo vilem despicere conantur et quasi conterere. Alii demum, naturam per gratiam nobilitantes, admittunt tristitiam, non iam ut illi cedant, sed ut per eam amoris testimonium Dilecto, et expiationis communionem Redemptori praebeant.

ARTICULUS VII.

UTRUM CHRISTUS PASSUS FUERIT SECUNDUM TOTAM ANIMAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Fundamentale principium cui praesentis articuli solutio superstruitur, iam stravimus in praecitato articulo Quaest. XV. Ibi enim quaesivimus, utrum dolor et tristitia in anima Christi usque ad superiorem rationem

pervenerint. Hic quaeritur simpliciter utrum anima Christi passa sit tota. Quae quaestio duo veluti membra habet: *a*) utrum tota Christi anima passa sit secundum suam essentiam; *b*) utrum secundum omnes potentias. Ex quo apparet, quaestionem in allato loco superius motam, ad hoc alterum membrum spectare.

2) Iam vero de primo vix agitari quaestio debet. Essentia quidem animae indivisibilis est, et unum est in homine principium animans. Ergo tum dolor sensibilis, tum tristitia totam animam Christi affecerunt; unde dixit ipse: « Tristis « est anima mea usque ad mortem » [1].

3) Sed subtilior valde est alter quaestionis respectus. Ad quem solvendum duae distinctiones requiruntur. *a*) Prima est inter potentias superiores animae et potentias inferiores. *b*) Altera est inter passionem propriam, ratione proprii obiecti, quae passio potest vocari directa; et passionem ratione subiecti cui inhaeret potentia, quae passio vocari potest reflexa. His positis, et praemisso principio fundamentali, quod omnes potentiae tum inferiores tum superiores radicantur in una atque eadem essentia animae, iam patet quaesiti solutio. Secundum potentias seu vires superiores anima Christi passa est passione reflexa, non directa; secundum potentias seu vires inferiores passa est tum directe, tum reflexe, propter relationem virium inferiorum ad invicem.

4) Vides quam plene haec solutio concordet cum solutione quaestionis motae in art. 6, Q. XV, ubi ad mentem Angelici et Seraphici diximus, dolorem Christi pervenisse ad rationem *non ut ratio est* (quod idem est ac non directe), *sed ut natura est* (quod idem est ac reflexe).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit animae essentiam esse totam corporis actum.

2. Obi. Negligit distinctionem inter passionem et propassionem; insuper inter passionem directam et reflexam.

3. Obi. Dupliciter peccat: *a*) supponit dolorem vel tristitiam unquam posse pertingere usque ad rationem ut rationem; *b*) negligit distinctionem inter passionem ratione obiecti et ratione subiecti.

[1] MATTH. XXVI, 38.

Sed contra est. Scriptores mystici ad dolorem Christi applicare solent, quae Isaias directe dixit de languoribus populi Iudaici: « Omne caput languidum et omne cor moe- « rens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sani- « tas, etc. » [1]. Nec mystica dumtaxat haec applicatio dicenda est. Nam si ipse idem Isaias nobis affirmat, Christum dolores nostros tulisse et languores portasse; nonne decuit ipsum in toto corpore et in tota anima universalem nostrum dolorem et languorem assumere? Unde iam vides, hunc textum simul valere ad doctrinam non solum huius articuli, sed et praecedentium articulorum demonstrandam.

In Corpore. Hoc schema argumentum S. Th. exhibet:

- Tota anima Christi passa est
  - 1) secundum *essentiam,* unam, indivisibilem.
  - 2) secundum *potentias:*
    - *a) inferiores:* secundum proprium *obiectum* (directe, et etiam reflexe, una relate ad aliam);
    - *b) superiores:*
      - α) non quidem directe, sed
      - β) reflexe, ratione *subiecti* [2].

ARTICULUS VIII.

UTRUM TOTA ANIMA CHRISTI IN PASSIONE FRUERETUR FRUITIONE BEATA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus inter articulum praesentem ac praecedentem patet. Si Christus in tota anima passus est (a. 7), dicendum videtur, eum non habuisse in passione fruitionem beatam; vel si fruitionem beatam habuit, quomodo dici potest in tota anima passus?

Et re quidem vera non parva esset difficultas conciliandi utrumque, si ex una parte Christi dolor et tristitia affecissent directe animae potentias superiores, et e converso fruitio beata attigisset directe potentias inferiores. Sed quum in art. praecedente demonstratum sit, dolorem ac tristitiam Christi totam quidem essentiam animae affecisse, potentias vero superiores nonnisi ratione subiecti, principium conciliationis iam introspicitur.

[1] Is. 1, 5, sq.
[2] Cf. Propositionem 13 Quesnelli p. 694 allatam.

2) Recolenda sunt hic quaecumque diximus in art. 10 Quaest. XV, et in art. 6 Quaest. XVIII. In primo loco quaerentes de conciliando statu viatoris cum statu comprehensoris, statuimus utrumque componi posse, quia deest ratio *contrarietatis* et ratio *redundantiae,* ex quibus solis unum posset alterum impedire. - In altero, investigantes de modo salvandi a contrarietate diversas Christi voluntates, principium fundamentale iuxta Angelicum statuimus: ad veram contrarietatem requiri oppositionem *in eadem* facultate vel potentia, *de eodem* obiecto. - Coniungendo hic solutionem utriusque quaesiti, difficultas articuli praesentis tollitur.

3) Et primo quidem *redundantiae* ratio deest, quia Christus ut viator non permisit fruitionem animae superioris influere in vires inferiores animae, nec gloriam ipsius animae influere in corpus; neque dolor et tristitia impediverunt, quin anima superior sese exerceret circa proprium obiectum, eo vel minus, quod abunde supra probatum est, in Christo non fuisse nisi propassiones. Ergo nulla redundantia impedivit, quin simul starent ex una parte in appetitu tristitia et in corpore dolor; ex altera autem parte in ratione et voluntate, ut ratione, visio et fruitio.

4) Neque vera *contrarietas* fuit, quum differrent tum potentiae, tum obiecta, ac proin neutra conditio verae contrarietatis verificaretur. - Ex quibus apparet concordantia perfecta inter doctrinam praesentis articuli et articulorum ad quos lectorem remittimus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit requisita ad veram contrarietatem.

2. Obi. Procedit secundum redundantiam, quae in Christo locum non habuit.

3. Obi. Confundit totalitatem animae quantum ad essentiam, et quantum ad potentias.

Sed contra est. Immutabilitas animae in visione beatifica exprimitur allegorice per verba Psalmistae: « Non commove-« bitur in aeternum, qui habitat in Ierusalem » [1]. Visio autem beata animae Christi indirecte eruitur ex aliis verbis « Bea-

[1] Ps. cxxiv, 1, sq..

« tus, quem elegisti et assumpsisti » [1]. Ex utroque loco simul collato ita arguere licet. Si Christus fuit vere viator simul et comprehensor, passio ei ab extrinseco illata non valuit ei fruitionem auferre, iuxta illud: « Aquae multae non potue- « runt extinguere charitatem » [2]. Sola vis ad hoc potens, fuisset ipse Deus visionem essentiae suae Christo subtrahens. In quo quidem nihil pro Christo intrinsece impossibile fuisset, quum visio beatifica non pertineat ad constitutivum Christi. Nihilominus haec subtractio nonnisi propter cogentem rationem admittenda esset, quales non sunt, nec passio per se, nec agonia in monte olivarum, nec exclamatio derelictionis in cruce. Passionem enim cum fruitione stare posse, in hoc ipso articulo demonstramus. Demonstrata autem veritate passionis, iam et alia phaenomena explicantur.

In Corpore. En breve schema huius argumenti:

In passione anima Christi fruitione beata gaudebat	1) secundum *essentiam:*	*tota*	utpote subiectum superiorum facultatum animae;
	2) secundum *potentias:*	*non tota,*	*a*) nec *directe,* quia fruitio non est actus inferioris partis; *b*) nec *per redundantiam,* quae in Christo viatore non fuit.

Resp. ad 1m. Intellige, *de eodem in eodem.* Nam si confers in Christo dolorem et fruitionem, tum obiectum, tum subiectum differunt. Inde rursus vides, scilicet ex ultimis verbis huius responsionis, tres dari gradus: *a*) *dolor* afficit animae essentiam mediante corpore, cuius anima est forma; duplici mediatione afficit animam rationalem, cuius subiectum est essentia animae; - *b*) *tristitia* afficit magis immediate essentiam animae, quae est subiectum appetitus sensibilis; mediate autem animam rationalem propter eamdem rationem; - *c*) *fruitio* demum afficit essentiam animae sicuti tristitia, sed excellentius; appetitum autem et ipsum corpus mediate, ratione essentiae animae, quae est subiectum appetitus, et forma corporis.

Quaeres. Cur S. Thomas in praesenti articulo non dixit, fruitione beata fruitam esse non solum essentiam, sed et

[1] Ps. LXIV, 5.
[2] CANT. VIII, 7.

omnes potentias animae Christi, si minus ratione proprii obiecti saltem ratione subiecti; quemadmodum in art. praecedente de passione locutus est? Nunc autem videtur sibi contradicere, concedendo pro passione illud quod negat pro fruitione, licet idem sit utrobique distinctionis fundamentum.

Resp. a) Contradictio non est nisi apparens; nam in prima parte praesentis *Corporis* continetur ordine inverso doctrina *b*) *B*) secundae partis *Corporis* praecedentis, licet non expresse formuletur.

b) In secunda parte praesentis *Corporis* S. Thomas negat, afferens duplicem rationem, quarum prior continetur in 2) *b*) α) *Corporis* praecedentis; altera ita evolvitur, ut simul, inverso ordine, ad quaestionem praecedentem applicetur. Est ergo doctrina eadem.

c) Modus autem diversus doctrinam exponendi requirebatur ob titulum utriusque articuli.

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli apparet, quid censendum sit de sententia eorum qui putant, Christum habuisse quidem in vita sua mortali visionem beatam, at ab agonia in horto Gethsemani usque ad passionis exitum hanc visionem ei fuisse subtractam. Haec sententia temeraria est et illogica [1].

a) Temeraria, quia sine fundamento sufficienti recedit a doctrina communissime recepta et a principibus theologiae vindicata. - *b*) Illogica, quia, si passio Christi non potuit stare cum visione beata, dicendum est, vel Christum viatorem nullimode fuisse comprehensorem, vel Christum ante passionis tempus nihil prorsus esse passum. Prius docent quidem alii theologi pauciores, sed hoc isti reiiciunt; alterum autem quis ferat? Ergone nec pauperrima nativitas in hiemali nocte, nec durum exilium, nec ieiunium in deserto, nec labores apostolici, nec effusae lacrimae, nullum dolorem in Christo supponunt? Ergone constans praevisio crudelissimae passionis, proditionis Iudae, etc. nihil Christo doloris attulerunt? Vides tot

[1] Ultima aestate apud Flandros ruri degens, non sine quadam admiratione comperi, theologum in maiori Collegio Lovaniensi S. I. dogmatis lectorem, dum exercitia spiritualia ad clerum Gandavensem annua haberet, hanc sententiam simpliciter exposuisse, ac si esset sanae pietati aptior et in scholis receptior.

erronea ex hac doctrina sequi, ut praeferenda videatur sententia statum comprehensoris in Christo viatore prorsus tollens, prae sententia tempus passionis Christi ab hoc comprehensoris statu excludens. Est quidem illa sententia temeraria magis, sed sibi saltem constans.

Instabis. - At, praeter subtractam visionem beatificam, quaenam ratio afferri potest huius subitaneae agoniae?

Non negamus huic subtractioni instantaneae vim ut istam repentinam agoniam explicet [1]. Sed negamus praeter hanc subtractionem deesse aliam viam hoc mysterium explicandi. Christus enim erat suimetipsius Dominus perfectissimus. Sicuti non poterat admittere nisi propassiones, ita redundantiam vel dolorum in partem superiorem vel gaudiorum in partem inferiorem pro nutu moderabatur. Ne ergo ipsa fides in divinitatem nobis erronee persuaderet, eum nonnisi apparenter esse passum, ab exordio passionis voluit Christus redundantiae dolorum veluti fraenum relaxare. Adde rationem oeconomicam ad nos docendum, nullum haberi peccatum in deiectione ac taedio quae in parte inferiori experimur, dummodo in carne infirma promptus perduret spiritus. Pulchre S. Anselmus: « Arbitramur autem quod et « hoc quoque ad consolationem infirmorum membrorum « tuorum assumpsisti, ne forte desperet quis, si caro infirma « remurmuret: cum tamen ad passionem promptus est spi- « ritus. Nimirum et ut maiores erga te amoris et gratitudinis « stimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem huius- « modi indiciis in te expressisti, quibus doceremur quia vere « languores nostros ipse portasti, et non absque sensu doloris « passionum sentes percurristi. Vox enim illa vox fuisse « carnis videtur, non spiritus, ex eo quod subiunxisti: " Spi- « ritus quidem promptus est, caro autem infirma " » [2].

[1] Caeterum praeludium agoniae iam habetur in verbis a Christo vespere triumphi palmarum prolatis: « Nunc anima mea turbata est » *. Quemadmodum enim videmus telluris commotionem cum gemitu quodam eruptioni vulcani veluti praeludere, aut primum membrorum horrorem praecurrere impetum febris; ita quoque terribilis illa Domini agonia per primum hunc tremorem sese imminentem declaravit. Igiturne ob hanc turbationem visionem beatificam anima Christi amisit? Et si minus, cur ab ipsa agonia?

MATTH. XXVI, 41. — *Medit.* IX. *P. L.* CLVIII, 753.

* *Ioann.* XII, 27.

Non est igitur cur ad subtractionem visionis beatae recurratur. Secus si momentanea deiectio Christi demonstraret visionis absentiam, nonne mox sequens incomparabilis maiestas et animi magnitudo demonstrare deberent eiusdem visionis reditum?

Instabis. - Nonne saltem visionis absentiam demonstrat exclamatio Christi: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti « me? » - Urgendo hanc exclamationem incidetur in blasphemiam haereticorum illorum qui dixerunt, in cruce unionem Verbi cum homine Iesu cessasse; imo Iesum in peccato desperationis obiisse. Quare altius assurgendum est, nec derelictio visionis beatificae hic est inducenda. Quemadmodum in horto Christus moralem agoniam expertus est ob passionem quam intuebatur iam sibi imminentem, ita hic veluti conqueritur de eadem passione post tot dolores nondum peracta. Inde huic exclamationi mox respondet suspirium quietis: « Consummatum est ». Intuebatur enim Iesus de patibulo crucis in faciem Patris, quae facies, tempore passionis in Filio intuebatur Victimam peccatis totius mundi onustam, hircum illum symbolicum extra civitatem proiectum. Nec flagella, nec ludibria, nec dolorosa via, nec ipsa crucifixio Patrem placare potuerunt. Adhuc vultus ille oculum dimittebat iratum, et Iesus morti proximus hunc gemitum emittit, quasi dicere volens: Quousque tandem irasceris, Domine; et quandonam, accepto holocausto, in me non iam peccata mundi baiulantem ac peccatum ipsum factum, sed Filium tuum praedilectum rursus agnosces? « Deus meus, Deus meus, ut « quid dereliquisti me? » [1].

Sed et aliter potest haec exclamatio intelligi. S. Paulus affirmat, Christum in cruce preces fudisse cum clamore et lacrymis [2]. Iam vero quid melius orasse Christus dicendus est, quam preces illas inspiratas, quas olim ore Christi cecinit David? [3]. Porro inter omnes psalmos messianicos, qui de Chri-

[1] Matth. xxvii, 46.

[2] Hebr. v, 7.

[3] Prophetae enim dicendi sunt non modo de Christo futura praedixisse, sed ore Christi esse locuti; imo quatenus erant vates non solum praescientiae sed et praeordinationis divinae, verba ori Christi imposuisse. Hinc in oratione « *En ego, o « bone et dulcissime Iesu* », dicitur: « quod iam *in ore ponebat tuo* David propheta « de te: Foderunt etc. ». — Liceat data opportunitate monere, formulam indulgen-

sti passione agunt, eminet ille cuius prima verba sonant: « Deus, Deus meus, respice in me, quare dereliquisti » [1]. Initium hoc alta voce Dominus eructaverit, reliqua tacito ore sibi ac Patri prosequens. Et sane quid sublimius his versibus de ipsa cruce a Christo tota cordis devotione prolatis: « Ego « sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abiec- « tio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt « labiis et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum: « salvum faciat eum, quoniam vult eum.... Ne discesseris a « me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui « adiuvet. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues « obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo « rapiens et rugiens. Sicut aqua effusus sum, et dispersa « sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera « liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa vir- « tus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis et in pul- « verem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me « canes multi: concilium malignantium obsedit me. Foderunt « manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa « mea: ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. Divi- « serunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam mise- « runt sortem, etc. etc. » [2]. Haec igitur de cruce Christus oraverit. Imo quis sciat, quoties vel adolescens in domo Nazareth cum Maria et Ioseph, aut per vitam publicam, sive cum discipulis, sive de nocte solus in montibus, Christus extensis brachiis praegustans crucem, per haec sublimia passionem anhelavit? Num ideo toties visione beata caruisse dicendus erit?

ARTICULUS IX.

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONVENIENTI TEMPORE PASSUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Accedimus iam ad considerandas *circumstantias* passionis Christi, et primo quidem *ad tempus* quo passio completa est.

tia munitam, esse « in ore *tuo* », et non, uti saepius erronee legitur, « in ore *suo* ». Quod et in versionibus est sedulo attendendum.

[1] Ps. XXI, 1.

[2] Ibid. 7, sqq.

Iam vero in tempore mortis Christi considerare possumus *a*) *aetatem vitae* in qua Christus mortuus est, *b*) *tempus anni, c*) *diem mensis, d*) *horam diei.* De quibus singulis breviter.

2) In *plenitudine iuvenilis aetatis* Christum immolari decuit propter rationes a S. Thoma allatas, quibus adde, *a*) Christum figurasse Ecclesiam, cuius iuvenilis foecunditas decrepitudinem nescit; insuper *b*) decuisse ut Mater morti eius adesset, et quidem novo muneri erga Ecclesiam nascentem, non exhausto vigore impar; *c*) « desiderium » manducandi Pascha immolationis maius apparere in Christo, si id quantocius seipsum offerendo celebret. Iam vero vix potuit iunior immolari, quum debuerit prius in virium maturitate per apostolatum sat protractum propagare regnum Dei, seseque mundo ostendere Dei Filium.

3) Decuit pariter Christum *in tempore aequinoctii vernalis* pati, tum *a*) mors eius et resurrectio sunt aliquomodo media inter nativitatem de nocte in solstitio hiemali habitam, et secundum Iudicis adventum in solstitio aestivo probabilius habendum.

b) Insuper aequinoctium vernale optime exprimit opus salutis, quo creationis opus instauratur. Unde sicut probabilius videtur mundum in vernali flore conditum esse, saltem quoad illam creationis epocham a qua vegetatio incepit; ita hoc quoque tempore passio Christi aptatius ponitur.

c) Neque symbolica ratio deest aequalitati noctis ac diei hoc tempore occurrenti. Æqualitas enim significat, Christum esse centrum historicum mundi, eiusque opus aeque se extendere in saecula retroacta et ventura. Nox autem collata cum die ostendit Christum humanitatem in mortis umbra sedentem ad claritatem divinae lucis adduxisse.

4) *Dies mensis* non minus congruit; utpote ille quem Deus immolando paschali agno praestituit, in plenilunio mensis Nisan [1]; cui quartodecimo diei Nisan succedebant dies azymorum, id est, solemnitas paschalis, per totam hebdomadam ritu sacro protrahendae. Quo Christus anno passus est, hic dies incidebat in feriam quintam, ut ex evangelica narratione constat.

[1] Exod. xii.

5) Dubium quidem movetur, utrum die quartodecimo Christus coenam paschalem celebraverit, an passus sit.

a) Pro priori sententia stant rationes sequentes: α) non apparet ex narratione evangelica, Christum non servasse ritum Legis in celebratione Paschatis; - β) imo verba « prima die Azymorum, etc. » [1], « primo die Azymorum » [2], « venit dies Azymorum » [3], expresse dicunt, Christum agnum manducasse in primo die hebdomadis paschalis, vespere diei quartodecimi Nisan.

b) Pro altera sententia militant rationes sequentes: α) Ioannes dicit Iudaeos noluisse ingredi in praetorium Pilati, « ut non contaminarentur, sed *ut manducarent Pascha* » [4]. Ergo nondum immolaverant agnum, ac proin Christus die quartadecima passus est. - β) Idem Ioannes coenam narrat habitam « ante diem festum Paschae » [5]. - γ) Dies decimus quartus erat dies solemnis [6]. - δ) Ita videtur melius impleri symbolismus agni paschalis, quippe qui figurabat verum Agnum Dei pro salute mundi immolandum.

Non desunt qui, his rationibus moti, putent Christum anticipasse diem comestionis agni paschalis. Censent enim duplicem consuetudinem viguisse atque Christum huic se conformasse, ut ita posset simul utrumque complere, et ritum legalem, et propriam immolationem in die quo lex praescribebat immolari agnum. - Et certe in hac sententia melius intelligitur, quomodo Iudaei festinaverint immolari Christum, ita ut omnia essent consummata ante vesperum festi.

Nihilominus altera sententia probabilior videtur. α) Scrupulus Iudaeorum nolentium in praetorium introire, satis explicatur per cibi paschalis comestionem. Unde dicit Ioannes « ut *manducarent* Pascha »; dum Marcus, loquens de ipsa immolatione, dicit: « quando Pascha *immolabant* », et pariter Lucas: « dies.... in quo necesse erat *occidi* Pascha » [7].

β) Neque magis movet argumentum ex verbis Ioannis:

[1] Matth. xxvi, 17.
[2] Marc. xiv, 12.
[3] Luc. xxii, 7.
[4] Ioann. xviii, 28.
[5] Ioann. xiii, 1.
[6] Exod. xii.
[7] Loc. cit.

« ante diem festum Paschae ». Ioannes enim numerat dies more Romano sive Graeco; dum Iudaei diem cursu lunae numerantes, a vigilia diem anticipare solebant.

γ) Nec valet argumentum desumptum a solemnitate speciali decimaequintae diei, quae iuxta sententiam cui adhaesimus, cecidisset feria VI. Etenim in Exod. XII dicitur quidem, solemnem esse debere hunc diem, non autem hoc die abstinendum esse ab operibus pietatis, qualia fuere tum sepultura Christi, tum ipsa causa eius, quum Iudaei sanctissimum affectare potuerint obsequium Dei, damnationem prosequi illius, qui falso sibi divinos honores usurpasset. Solemnitas diei decimaequintae fuit proin symbolica: figurabat quippe passionem quam Agnus verus per hanc diem a vespere ad vesperum protrahere deberet.

δ) Nec perit symbolismus esus agni paschalis, quum Christus vix absoluta coena captus sit, ac proin eius immolatio cum legali ritu unum efformet; ita tamen ut, quemadmodum dies dominica succedere debebat sabbato iudaico, passio quoque Christi succederet ritui legali agni paschalis [1].

5) Demum *ipsa hora* mortis Domini fuit maxime conveniens. A medio enim die decebat exaltari Illum, qui seipsum lucem mundi vocavit, quemque propheta Malachias solem iustitiae salutaverat. Concordant autem horae assignatae a Marco: « Erat autem *hora tertia,* et crucifixerunt eum » [2], et a Ioanne: « Erat... hora *quasi sexta,* et dicit Iudaeis: Ecce « rex vester » [3]. Licet enim primo intuitu Ioannes tardius in die ponat factum quod iam completum erat, quando Marcus uti minus tarde peracta, narrat quae secuta sunt; nihilominus utrumque componitur perpendenti, morem fuisse numerare tempus per seriem trium horarum, ita ut non inciperetur denominatio horae novae nisi expletis tribus praecedentibus. Inde quod Ioannes dicit factum hora *quasi sexta,* potuit esse hora *quinta;* et quod Marcus affirmat factum hora *tertia,* potuit esse hora *quinta* iam plus quam mediante ad sextam. Quod concordat cum Lucae verbis: « Erat autem

[1] Confer de hoc argumento principaliores exegetas.
[2] Marc. xv, 25.
[3] Ioann. xix, 14.

« *fere hora sexta,* et tenebrae factae sunt in universam ter-
« ram usque in horam nonam » [1].

Insuper illud Marci « *et crucifixerunt eum* » potest referri ad totum illud quod actum est a primo « Crucifige! » populi vociferantis usque ad ipsam crucifixionem. Tunc est ad rem subtilior interpretatio Augustini. Sed contextus hanc interpretationem vix patitur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Vide dicta superius. Explicatio Chrysostomi iuxta quam Iudaei in crastinum, et quidem contra legem, manducationem agni distulissent violenta nimis videtur. Id certe non exigit textus Ioannis XVIII.

2. Obi. Non considerat consuetudinem de qua n. 5.

3. Obi. Praetermittit rationes symbolicas de quibus n. 3.

4. Obi. Pariter negligit dicta n. 2.

Sed contra est. Solemnitatem horae passionis suae divina praedestinatione ordinatam, ipse Christus affirmat: « *Venit* « *hora,* ut clarificetur Filius hominis.... » [2]. Cui horae a Patre praestatutae et diabolo concessae Christus ex obedientia se submisit: « Venit enim princeps mundi huius et in me non « habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo « Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. « Surgite, eamus hinc » [3]. - Unde Christus passionem inchoaturus inimicis suis ipso in horto dixit: « Sed haec est hora « vestra et potestas tenebrarum » [4].

In Corpore. Intellige dictum in principio huius argumenti secundum concordiam, quam inter divinam et humanam voluntatem Christi supra demonstravimus semper fuisse perfectissimam [5].

[1] Luc. xxiii, 44.
[2] Ioann. xii, 23.
[3] Ibid. xiv, 30, sq.
[4] Luc. xxii, 53.
[5] Q. xviii, a. 5.

ARTICULUS X.

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONVENIENTI LOCO PASSUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praedictioni passionis suae Christus adiunxit praedictionem eiusdem Hierosolymis subeundae. Dicitur enim: « Exinde coepit Iesus ostendere disci- « pulis suis, quia *oporteret eum ire Ierosolymam,* et multa « pati a senioribus, etc. » [1]. Et alibi dicit ipse: « Ecce *ascen-* « *dimus Ierosolymam,* et Filius hominis tradetur, etc. » [2].

2) Porro *modus* ipse quo Christus in sanctam civitatem ingressus est, ostendit specialem se ibi implevisse figuram. Etenim legimus in libro Exod.: « *Decima die* mensis huius « tollat unusquisque agnum per familias et domos suas.... » [3]. « Et servabitis eum usque ad *quartam decimam* diem men- « sis huius: immolabitque eum universa multitudo filiorum « Israel ad vesperam » [4]. Quis hic non videat Iesum in *Dominica Palmarum* iam se populo sistentem Agnum Dei, *feria quinta* sub vespere ad passionem suam trahendum, atque ab universa multitudine filiorum Israel immolandum?

3) Nec ratio defuit ut in sancta civitate Christi passio consummaretur, tum in ruinam populi deicidae, tum in salutem Gentium. Cui passioni partes haberent tum Herodes tum Pilatus, tum pontifices tum populus, tum Iudaei tum Romani; et ipsa derelictio civitatis David, simul cum figura victimae expiationis, significaretur per consummationem passionis extra portam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Cf. dicta in art. de loco convenienti ortus Christi.

2. Obi. Agnus paschalis, qui iuxta Patres et theologos praecipue Christi oblationem repraesentabat, non immolabatur in templo. Caeterum in templo Christus fuit ab initio vitae suae quasi sacratus in victimam.

[1] Matth. xvi, 21.
[2] Ibid. xx, 18.
[3] Cap. xii, 3.
[4] Ibid. 6.

3. *Obi.* De natura Calvarii in quo Christus crucifixus est, deque loco sepulturae Adae consule peritos simul scientiae sacrae et topographiae harum regionum [1].

Sed contra est. Nihil occurrit, neque in *Corpore.*

Resp. ad 1m. Ita contrahitur:

Decuit Christum *in Ierusalem* pati, nam:	1) est *locus sacer* ad sacrificia aptissimus; 2) inde, veluti a *loco medio,* Evangelium Crucis erat diffundendum; 3) ibi damnari maior erat *humiliatio*; 4) a *principibus Iudaeorum* oriri debebat iniquitas eius occisionis.

Resp. ad 2m. hoc schemate pariter comprehenditur:

Christum *extra portam* pati, decuit:	1) ut impleret *symbolismum victimarum expiationis;* 2) ut doceret post ipsum *de saeculo* nobis esse exeundum; 3) ne oblatio eius *ad populum iudaicum* limitari videretur.

ARTICULUS XI.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM CUM LATRONIBUS CRUCIFIGI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In tota tragoedia Christi patientis duplex adspectus prae oculis habendus est. Si respicis Christum damnantes, flagellantes, irridentes, crucifigentes, maxima apparet inconvenientia, quin et summa impietas, crudelitas, ingratitudo, iniustitia, verbo mortalis imo infernalis nequitiae culmen. Si vero Christum patientem consideras, maxima convenientia elucet, tum quia passio cum divina ordinatione de Christo mirabiliter concordat; tum quia ipsa Victima in tormentis sese quantavis humana et angelica virtute superiorem ostendit.

2) Iuxta hunc duplicem aspectum movenda est praesens quaestio particularis. *Intentio* Iudaeorum fuit pessima: unde decebat eam undequaque frustrari. Nam associando sorti Christi duos de vulgo latrones, nihil voluerunt nisi ignomi-

[1] Consule v. gr. Didon, Olivier, Keppler, etc.

nia supplicium eius afficere, divinumque damnatum cum scelestis vulgaribus in populi mente confundere. Sed omnino contrarium accidit. Etenim ipse Pilatus Iesum ab aliis discrevit, Regem Iudaeorum proclamando in causa damnationis cruci imposita. Imo alter ex ipsis latronibus partem sibi, vel saltem recordationem in ipsius regno a Christo moriente impetravit. Unde mira derisione Providentiae, instrumentum ludibrii factum est praeco dignitatis eo solemnius agnitae, quo magis Victima erat a maiestate oculis carnis remota, et labia hanc ipsam maiestatem confitentia adhuc veluti tabie recentis blasphemiae manabant.

3) Inde iam apparet alter huius facti adspectus, scilicet *praeordinatio divina,* consideranda quidem in Deo, in Christo, et in ipsis latronibus.

a) *In Deo* apparet summa sapientia principem huius mundi et ipsum mundum iudicans per iniquum iudicium quod de Christo tulit, cum iniquis eum ad mortem deputando. Huc spectant verba Domini: « Quum venerit ille « (Spiritus Sanctus), arguet mundum de peccato et de iustitia « et de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt « in me; de iustitia vero quia ad Patrem vado et iam non « videbitis me; de *iudicio autem, quia princeps huius mundi* « *iam iudicatus est* » [1].

b) *In Christo* autem non solum emicat summa *humilitas,* sed et summa *misericordia,* quum converso ad se latroni veniam et mercedem simul promisit; demum potestas *iudiciaria* quam de cruce, veluti de throno exercuit.

c) *In latronibus* elucet praeordinatio divina. Etenim α) isti fures erant figura totius humanitatis, utpote latrocinio protoparentum deperditae atque damnatae. - β) Ex duobus tamen alter blasphemando moritur, alter gratia permotus credit, sperat et salvatur: unde tremenda discretio inter « salvan- « dos gratis » et reliquos eloquenter exprimitur. - γ) Associantur autem passioni Christi, ut pateat neminem, velit nolit, a ferenda cruce eximi; nec tamen patienda profutura nisi illi, qui pio corde suos dolores debitos indebitis Christi doloribus coniunxerit.

[1] Ioann. xvi, 8-11. Cf. xiv, 30.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit convenientiam ex intentione Iudaeorum cum convenientia ex ordinatione divina.

2. Obi. Non distinguit inter coniunctionem cum Christo in expiatione ex eadem causa, et coniunctionem in supplicio, ex causa diversa.

3. Obi. Arguit ac si ille qui primo blasphemavit, non potuerit, ex ipso patientis spectaculo et interna unctione gratiae, ad Iesum converti. Imo haec interpretatio maxime illustrat gratuitatem salutis, misericordiam Christi atque potentiam Crucis, iuxta illud ipsius Victimae vaticinium: « Quum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum »[1].

Sed contra est. Allusionem ad crucifixionem Christi cum latronibus aliqui inveniunt in hoc quod cum virga Aaron (figura Crucis Christi) aliae virgae in tabernaculo foederis positae sint [2]; necnon in illo loco Habacuc: « Domine audivi « auditionem tuam et timui; consideravi opera tua et expavi: « *in medio duorum animalium innotesceris* » [3]. - Quomodo innotuerit, habemus ex bono latrone, ex centurione, ex turba pectus sibi percutiente, ex prodigiis, tunc in caelo et in terra factis. - Sed haec argumenta longius petita videntur.

In Corpore. Comprehende ita doctrinam huius argumenti:

Christus *cum latronibus crucifixus est:*	1) *ex intentione Iudaeorum:*	ut Crux eius inde esset vilior; — contrarium obtinuit;
	2) ex *ordinatione divina* ad significandum:	*a*) Christum mori nostris peccatis onustum; *b*) iudicialem eum habere potestatem, quae discernit bonos a malis; *c*) mysterium crucis totum humanum genus complecti; *d*) passiones nil valere ad salutem, nisi passionibus Christi cum bono latrone coniunctas.

[1] Ioann. xii, 32.

[2] Num. xvii.

[3] Habac. iii, 1, sq. Iuxta vers. lxx. — Cf. Ioann. viii, 28. « Cum exaltaveritis « Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum ».

ARTICULUS XII.

UTRUM PASSIO CHRISTI SIT EIUS DIVINITATI ATTRIBUENDA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum vidimus in prima Sectione huius tractatus, veritas catholica stat in medio inter haeresim Nestorii multiplicantis supposita vel personas, et haeresim Eutychetis confundentis naturas. Utriusque haereseos consequens in praesenti argumento solvendo lucide apparet. Interrogatus utrum in Christo Deus vel homo passus sit, respondet Nestorianus: Nonnisi improprie dici potest, passum esse Deum, patiens enim fuit homo Iesus. Monophysita respondet: Non solum passus est Deus, patiente Iesu, sed Iesus passus est ut Deus. Catholicus autem respondet: Utique passus est Deus, quia passiones sicuti actiones, sunt personarum, et in Christo Iesu non datur nisi unica persona Verbi; sed Christus Deus-Homo non passus est ut Deus, sed ut homo, propter distinctionem geminae in Christo naturae, quarum divina erat impassibilis, humana sola passionis capax.

2) Inde vides quomodo duplex quaestio, altera ortum Christi, alteram eiusdem exitum de mundo respiciens, totum Incarnationis dogma contineat: utrum B. V. Maria sit Mater Dei, utrum Deus pro nobis mortuus sit. Utriusque responsionis affirmantis eadem est fundamentalis ratio: in Christo scilicet ab ipso primo instanti non esse nisi unam personam, duas autem naturas manere distinctas.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad reduplicationem.

2. Obi. Non attendit ad unitatem personae et distinctionem naturarum.

3. Obi. Eodem vitio laborat.

Sed contra est. Locutio Pauli « Nunquam Dominum gloriae crucifixissent » [1], demonstrat *Dominum gloriae,* id est *Deum* passum esse, non autem *uti Deum.* Item dic de verbo Petri: « *Auctorem vitae* interfecistis » [2].

Confutantur hoc articulo Acephali dicentes, Christi natu-

[1] I. Cor. ii, 8.
[2] Act. iii, 15.

ram divinam esse passam; item Apollinaristae et Armeni affirmantes, Christum in sua divinitate passionem sustinuisse. Contra quos Conc. Tolet. I, probante Leone I habitum, statuit: « Si quis dixerit, vel crediderit Deitatem Christi con- « vertibilem vel passibilem fuisse: anathema sit ». Eiusdem erroris dolum removere cupiens, Felix III in epist. ad Petrum episc. Antiochenum monet, ne in trisagio addatur: « Qui pro « nobis crucifixus es ». Et rationem reddit: « Unigenitus « Dei Filius, qua ratione Verbum est in propria substantia, « non potest pati: patitur autem proprium animatum corpus, « quod ipsum substantiale Dei Verbum ex ipsa sanctae Vir- « ginis vulva sibi coniungens ex muliere processit ». Idem docet Concil. oecum. VI, Constantinop. III, can. 81: « Quo- « niam nos novimus in quibusdam locis in trisagio acclamari « post illud: Sanctus, Immortalis, " Crucifixus pro nobis ": « Nos, cum antiquis Patribus statuentes, anathematizamus « eos, qui talem deinceps susceperint vocem ».

Huc etiam inter errores Armenorum a Benedicto XII damnatos, directe spectat error 21: « Cum dicta natura divina « in Christo fuit passibilis et impassibilis, ... secundum quod « Christo placebat; sic dicunt Christum fuisse passum et « mortuum secundum divinam naturam » [1].

De errore Güntheri dicemus in Corollario.

Ex Patribus huc adducere sufficiat S. Augustinum, qui contra Eutychianos arguens, haec profunde ait: « Qui enim « unius naturae Salvatorem nostrum mortifera persuasione « crediderit, solum hominem aut solum Deum cogetur dicere « crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus Deus « sentire, nec solus homo superare potuisset » [2].

In Corpore. S. Thomas simpliciter recolit doctrinam fundamentalem de unione hypostatica, una cum lege communicationis idiomatum, et inde concludit, Christo patiente, passum esse Deum, sed ut hominem, id est, secundum suam naturam humanam.

Corollarium de errore Güntheri. - Vitium fundamentale Christologiae Güntherianae, quod in praecedenti volumine

[1] DENZINGER (op. cit., a. 1806. — Cf. et errorem 29, n. 1808.).
[2] Serm. 3 *de Ascens. Dom.*

corripuimus, non potuit non inficere quoque doctrinam de subiecto passionis. Quum enim iuxta Güntherianos in Christo Deo-Homine non sit unio vere personalis, sed mere dynamico-formalis, iuxta hanc eamdem unionem de subiecto passionis opinati sunt. Secundum Güntherum enim ille qui passus est, non est Verbum Dei, sed filius hominis: « der Menschensohn, « nicht der göttliche Logos » [1].

Hunc errorem vere Nestorianum iam Concilium Ephesinum efficaciter depulerat his verbis: « Si quis Pontificem « nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro « factum est, et homo iuxta nos homines, sed velut alterum « praeter ipsum specialiter hominem ex muliere A. S. » [2]. Ergo non solum passus est « der Menschensohn ». Et: « Si « quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, ... et mor- « tem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis « secundum quod vita est et vivificator, ut Deus, A. S. » [3]. Ergo passus est « der göttliche Logos ». Hunc Güntheri errorem sequuntur, vel etiam urgent, quotquot e castris Protestantium in Christo non amplius nisi confuso modo aliqualem divinitatem confitentur.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

I) Pati Christum *necessarium* fuit, non quidem necessitate naturae, nec coactionis, sed *finis;* et hoc quidem a parte nostra, a parte Christi et a parte Dei (art. 1). - Qui tamen finis nonnisi *hypothetice* necessarius dicendus est, non absolute, positis scilicet divina praescientia et ordinatione (art. 2). - Conveniens autem fuit, genus nostrum per *passionem* Christi liberari, si considerantur tum excellentia specialissima reparationis per redemptionem, tum fructus exemplorum et gratiarum inde colligendi (art. 3). - Quae rationes non solum de passione in genere valent, sed de passione *per crucem,* quum crux ostendat sublimiori modo sapientiam Dei, rigorem satisfactionis, titulos Redemptoris et mysteria virtutum; unde pluribus figuris V. T. crux praenuntiata est (art. 4).

[1] *Vorschule,* t. II. p. 440.
[2] Can. 10. Denzinger, op. cit., n. 82.
[3] Can. 12. — Ibid., n. 84.

II) Porro tanta fuit Christi passio, ut, si minus omnes species, (quod repugnat), sed *genera dolorum omnia* complexa sit, quoad tormenta illata, quoad bona in quibus tolerabantur, quoad corporis partes ac sensus (art. 5); fuit proin omnium dolorum *maximus* ex causis, ex percipibilitate patientis, ex puritate et voluntaria assumptione (art. 6). - Licet autem solum in *corpore* et in *anima inferiori* fuerint Christi passiones quoad *obiectum proprium*; nihilominus affecisse dicendae sunt *totam animam,* cuius *essentia* simplex et *una* est, imo *potentias superiores* animae, non quidem ratione obiecti, sed ratione *subiecti* (art. 7). - Non ideo tamen passio impedivit *gaudium fruitionis*, quum hoc gaudium afficeret animae potentias superiores uti obiectum, totam animam uti subiectum, nec in potentias inferiores redundaverit (art. 8).

III) Iam si circumstantias passionis consideras: *tempus* optime convenit: decuit enim Christum immolari in flore aetatis, tempore vernali, die quintadecima Nisan, circa meridiem (art. 9); - *locus* pariter optime convenit: propheta enim debebat damnari in sancta civitate, et consummari extra portam, propter symbolismum multiplicem et rationem mysticam (art. 10); - nec fuit sine magna convenientia ordinationis divinae quod Christus, sceleribus nostris onustus, sed dum pateretur et Rex atque Iudex, *inter duos latrones* crucifixus sit, et alteri se invocanti regnum coelorum promiserit (art. 11).

IV) *Subiectum* autem passionis, propter unionem hypostaticam fuit Deus, Verbum, Filius Dei, Homo-Deus; forma autem in qua passus est, natura humana: proin *Deus incarnatus passus est ut homo* (art. 12).

QUAESTIO XLVII.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI.

Ordo Quaestionis. - Tres causae passionis Christi considerandae occurrunt: 1) ipse *Christus,* de quo quaeritur *a*) *quo sensu* (1), *b*) *cur* (2) sui oblator fuerit; 2) *Pater* coelestis, de quo quaeritur, utrum eum tradiderit (3); - 3) *occisores* passim, de quibus ordine quaeritur *a*) *quinam* fuerint (4), *b*) utrum Christum *cognoverint* (5); et, si minus, *c*) qualis fuerit eorum peccati *gravitas* (6).

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS FUERIT AB ALIO OCCISUS, AN A SEIPSO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Recolenda est hic doctrina S. Anselmi, qui, ut mortem Christi explicet, non ad necessitatem naturae humanae, sed ad omnipotentiam divinae naturae in Christo recurrit: « Sicuti Deus erit, ita omnipo- « tens erit » [1]. In quo vidimus S. Thomam non omnino cum Anselmo stare, quum in Christo potius naturalem moriendi necessitatem admiserit. De qua doctrina in praesenti argumento rursus investigandum est. Etenim, ex hoc quod Christi passibilitas corpori eius dicitur naturalis, sequiturne Christum non potuisse impedire mortem aliter, quam reprimendo impetum illorum qui eum interficere vellent, impediendo scilicet per potestatem spiritus in carnem, ne laesio carnis mortem daret?

2) Subtiliorem hanc quaestionem S. Thomas solvit per doctrinam, quae videtur ad Anselmi doctrinam aliquo modo appropinquare; cum hoc tamen discrimine, quod Anselmus

[1] Cf. p. 383 et sqq.

loquitur de omnipotentia Christi, S. Thomas vero de potentia spiritus humani Christi. Uterque tamen convenit in hoc, quod Christus habuit « potestatem ponendi animam suam « et iterum assumendi eam », quatenus, nisi voluisset eam ponere, nemo potuisset eam ipsi auferre [1].

3) Quaeres, quomodo hoc stare possit cum doctrina de passibilitate Christi? - *Resp.* Assumptio status passibilitatis non fuit simpliciter consequens Incarnationis. E contra status Homini-Deo connaturalis erat impassibilitas et immortalitas, tum propter redundantiam gloriae a parte superiori in partem inferiorem; tum propter arctissimum unionis vinculum inseparabiliter inter se coniungens partes humanae Christi naturae hypostatice Verbo unitae. Porro, sicuti immortalitas et impassibilitas fuissent status connaturalis Verbi incarnati, ita passibilitas et mortalitas aliquid violenti habebant, quod non poterat produci nisi per magnam aliquam vim superiorem motui redundantiam appetenti, et vinculo indissolubilitatem quasi exposcenti. Haec autem vis in Christo potest dupliciter considerari: divina et humana instrumentalis. Divinam forte nimis exclusive consideravit Anselmus; humanam instrumentalem considerat potius S. Thomas. Utraque veritatem habet. Inde vides nexum intimum inter geminam potestatem, qua Christus animam suam posuit et qua eam rursus sumpsit, iuxta illud: « Propterea me diligit « Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam « eam ». Quomodo autem ponat, ipse statim addit: « Nemo « tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potesta- « tem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum su- « mendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo » [2].

4) Quo in loco, si coniungis initium cum fine, habes Christum ex obedientia, ad implendum Patris mandatum, accepisse statum viatoris, et ad implendum Patris mandatum, posuisse animam suam, rumpendo istud vinculum per se arctius quam ut potuisset ab externo quovis agente solvi. Unde sine excessu dici potest, maiorem aliquo modo vim illam ac potentiam in Christo fuisse qua posuit animam suam, quam illam qua rursus eam sumpsit. Si naturam

[1] Cf. Ioann. x, 18.
[2] Ioann. x, 17, 18.

mere humanam spectas, haec altera vis longe potior, quia omnes naturae leges supergressa; si autem naturam humanam Hominis-Dei consideras, illa vis maior, quia contra statum connaturalem Hominis-Dei operata, dum haec altera non fecit nisi connaturales exigentias eiusdem status instaurare atque complere [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad resistentiam quam Christus carnificibus opponere potuisset, et quidem duplici modo in *Corpore* explicato.

2. Obi. Non attendit ad eamdem resistentiam, praesertim alteram, qua fit ut utrumque simul stet: Christum fuisse occisum, et tamen ipsum deposuisse animam suam.

3. Obi. Pariter non considerat quomodo hoc utrumque simul stet.

Sed contra est. Adiunge textui heic a S. Thoma allato omnia testimonia sive prophetiarum, sive Evangeliorum, Actuum, Epistolarum et Apocalypseos, in quibus demonstratur nobis Christus vere interemptus ac immolatus.

Placet hic audire S. Bernardum eloquentissime disserentem. « Quia enim voluit, oblatus est. Non modo voluit et obla-
« tus est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit
« ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Ultro
« cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Nihil
« restat implendum: iam non est quod expectem. Et incli-
« nato capite (factus obediens usque ad mortem) tradidit
« spiritum. Quis tam facile quando vult dormit? Magna qui-
« dem infirmitas, mori; sed plane sic mori, virtus immensa.
« Nempe quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.
« Potest humana vesania sibi ipsi in mortem sceleratas inii-
« cere manus, sed non hoc est ponere animam suam; urgere
« eam magis, et violenter abrumpere, quam ad nutum ponere
« est. Tibi, impie Iuda, misera plane facultas fuit non ponendi
« animam, sed pendendi: nec tradente te, sed trahente laqueo
« nequissimus ille spiritus tuus exivit, non emissus a te, sed
« amissus. Solus in mortem tradidit animam suam, qui solus
« virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatem

[1] Cf. dicta superius in Q. XLV, art. 2.

« habuit ponendi, qui solus facultatem aeque habuit liberam « resumendi, imperium habens vitae et mortis » [1].

In Corpore. En schema argumenti:

In mortem Christi uti *causa efficiens* egerunt	1) *directe, persecutores agendo,* i. e.	*a)* ponendo *causam* sufficientem, *b)* cum *intentione* occidendi, *c)* *effectu* secuto;
	2) *indirecte* Christus *non impediendo,* dum potuisset, sive	*a)* *reprimendo* adversarios; *b)* carnem *impassibilem* servando.

Quoad hoc autem sedulo animadverte, assumptionem status viatoris nullo modo ademisse Christo potestatem agendi contra hunc statum. Inde Christus voluit hanc potestatem indicare per clamorem validum quocum ultimum spiritum emisit. Cuius clamoris ictu et saxa rupta, et templi velum scissum, et non credentium corda in fidem emortui Dei conversa sunt. Imo forte ad hunc clamorem alludebat Christus, quando dixit, ad vocem Filii Dei mortuos de sepulchris esse surrecturos [2]. Imo, iuxta citata S. Bernardi verba, Christus hanc potestatem indicavit per instans quo expiravit, post ultimum de se consummatum vaticinium, capite libere in pectus declinato.

Resp. ad 2m. Verba « *Pilatus mirabatur* etc. » non necessario sensum prae se ferunt, quem iuxta Augustinum S. Thomas eis dat in hoc loco. Et certo, si consideras agoniam noctis, horrorem flagellationis et incoronationis, iam habes unde potius mireris, Christum adhuc spirantem ad locum supplicii incedere potuisse. Etenim cur angariarunt Simonem ut exhausto damnato patibulum baiularet, nisi timore acti, ne moreretur in via? Adde iam crucifixionis supplicium dolore sanguinisque deperditione atrocissimum: quomodo vere miraberis, si post tres horas Christus spiritum emiserit? Inde aliter putamus haec Pilati verba esse intelligenda. Vel audivit in proprio palatio clamorem Crucifixi; vel ex colloquio cum Christo et cum uxore habito maius aliquid de Iesu expectabat, imo sperabat, quam ut in cruce moreretur, tanquam

[1] Sermo *de Passione Domini,* n. 4.

[2] Ioann. v, 25, sqq.

vulgaris malefactor. Et inde miratus est, id est, attentius quasi de inexpectato nuntio quaerens « si iam obiisset ».

Corollarium. Ex dictis in hoc articulo vides, quam provide factum sit, ut in passione sua Christus ostenderit utramque potentiam impediendi passionem suam et mortem: 1) *in initio,* quando sola voce in terram retro proiecit cohortem ad se capiendum emissam; 2) *in fine,* quando validissimo clamore et liberrima capitis demissione virtutem ostendit spiritus spontanee de corpore exeuntis.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS FUERIT EX OBEDIENTIA MORTUUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Accedimus hic ad quaestionem inter theologos disputatissimam de indole scilicet *mandati,* quod Christus se a Patre accepisse, ut moreretur, pluribus locis testatus est. Ratio dubitandi petitur tum ab impeccantia Christi, quae relate ad ea quae sibi a Patre erant iniuncta, libertatem non obediendi ademisse videtur; tum a meritoria oblatione Christi, quae sine voluntaria oblatione concipi non potest [1].

Quum Card. de Lugo hanc difficultatem dixerit « merito « reputari unam ex gravissimis theologiae » [2], aequum videtur ut eidem saltem dissertatiunculam specialem tribuamus.

Praemittimus autem heic, quae superius exposuimus, agentes de Christi impeccabilitate ac merito [3].

[1] Patet, hanc rationem non existere pro illis theologis, qui cum Günthero rationem impeccantiae Christi a sola divina praescientia repetunt, atque in Christo aut negant dignitatem comprehensoris simul et viatoris, aut luctam et ignorantiam talem in viatore Christo describunt, quacum comprehensoris conditio logice stare non possit. Quare non loquimur hic de theologis, qui mandatum quidem strictum admittunt, at propter huiusmodi defectus nullam inde difficultatem pro libertate et merito Christi agnoscunt. Neque loquimur de illis, qui putant, Christo per passionis tempus fruitionem visionis fuisse ablatam.

[2] Disp. XXVI, sect. 6.

[3] T. IV, p. 666, sqq.; 703, sqq.

DISSERTATIUNCULA

de mandato quod Christus a Patre accepit, ut pro humano genere in cruce moreretur.

Ordo huius dissertatiunculae erit sequens. 1) Praecipuas opiniones exponemus, indicando sententiam quae magis nobis placet. - 2) Hanc sententiam praemissis Scripturae testimoniis illustrabimus. - 3) Difficultates efficacius obiectas breviter solvemus. - 4) Demum de mente S. Anselmi inquiremus.

I) Exponuntur opiniones praecipuae.

In duas classes sententiae theologorum quoad praesens argumentum distribui possunt, secundum quod strictum mandatum ex stricta obedientia impletum admittunt, necne. Quum autem in modo rem explicandi sese veluti compenetrent, satius duximus per gradationem sententias exhibere, incipiendo ab illa quae rigorem praecepti sive mandati maxime imminuit.

Antequam autem id praestemus, tria sedulo monenda visa sunt. *a*) Quaestio haec non est talis, quae ad principia fundamentalia alicuius systematis pertineat, nisi indirecte quoad modum solvendi obiectiones aut ulterius sententias explicandi. Potest igitur in casu strictum mandatum vel Thomista negare vel Molinista admittere; modo uterque sententiam suam iuxta propria principia evolvat.

b) Controversia haec tardius inducta est in scholam. Est quippe, ut ita dicam, nata ex posteriori scrupulo circa modum componendi libertatem et meritum Christi cum vero mandato ex vera obedientia impleto. Quae consideratio summi momenti est, ut appareat a priori, quid in hac quaestione obtineri possit per adductam auctoritatem Patrum. Saepius quidem Patres inculcant, Christum non ex necessitate sed voluntarie passum esse; imo interdum negant, eum egisse ex mandato. Sed scopus polemicus ostendit, quo tales affirmationes spectent. Volebant quippe aequalitatem Filii cum Patre tueri contra Arianos, ex mandato ad inferioritatem et

coactionem in Filio arguentes. Quare a discutiendis huiusmodi locis abstinemus. Etenim, uti breviter et rectissime monet Chr. Pesch S. I., non pertinent ad quaestionem nostram [1]. Imo nec potest e scriptoribus mediae aetatis, uti Philippo, Abbate Bonae Spei [2] et Ruperto Tuitiensi [3] efficaciter in hac controversia argui. Philippus enim nihil aliud dicit, nisi Christum volentem esse passum, non solum uti Deus erat, sed etiam uti homo; Rupertus nihil dicit, nisi Christum innocentem ex pactione quadam cum Patre inita, solvisse quod absolute non debebat, ut inde salutem humani generis reciperet. Non nego, verba quidem horum scriptorum sicut et plura Patrum, primo intuitu favere opinioni, quae de mandato Patris et debito obedientiae Christi remissius sentit; sed quum quaestio de qua agimus, tunc temporis non moveretur, ex his apodictica quaesiti solutio peti non potest. Imo facile negotium foret e Patribus scriptoribusque sacris coacervare textus, qui Christi obedientiam ita extollunt, ut oppositae sententiae prorsus favere videantur.

c) Qualiscumque autem solutio admittatur, sequentia sunt alte tenenda. α) Christus ita ex obedientia pro mundi salute mortuus est, ut tamen libere se tradiderit in mortem. Quae duo ita se componunt, ut nec possit ex mandato sive obedientia Christi argui contra liberam eius oblationem, nec ex eius libera oblatione argui contra eius obedientiam. Huc facit canon Concilii Lateranensis (ann. 649): « Si quis.... non confi-
« tetur... Deum Verbum... hominem factum, crucifixum carne,
« propter nos *sponte* passum, sepultumque, ... condemnatus
« sit » [4]. - Huc quoque spectat brevissima declaratio Catechismi Romani, quae utrumque simul coniungit: « Sed a
« Patre etiam et a semetipso Christum Dominum traditum
« esse sacrae litterae testantur » [5].

β) Haec libera voluntas Christi non solum intelligi debet de divina, sed insuper de humana voluntate Christi, eo vel

[1] Op. cit., n. 339. — Miror, Petavium, Card. Franzelin, Strentrup aliosque hoc non satis percepisse.

[2] Epist. 7.

[3] In *Ioann.* in fine libr. x.

[4] Can. 2. Denz., op. cit., n. 203.

[5] P. I, c. 5, 1, 12.

magis quod principium meriti in Christo non est voluntas eius divina, sed humana. Recte ergo statuit idem Concilium: « Per *utramque* eius (Christi) naturam *voluntarius* natura- « liter idem consistit nostrae salutis operator » [1]. Hanc utramque voluntatem non satis distinxit S. Anselmus quando scribit: « Deus libera electione factus est homo et voluit « mori, et quia in Christo idem suppositum est Deus et homo, « haec persona libere voluit » [2]. Quare insufficiens esset problematis solutio, quae diceret: Christus ut homo obediens erga mandatum, libere ut Deus id implevit. Obedientia quidem non datur in Christo nisi ut homine; libertas autem in praestanda obedientia non sufficit ut petatur ab ipsa libertate quae mandati est auctor. Nam mandatum Christus si accepit, a se quoque ut Deo, et non solum a Patre accepit. Oportet ergo ut libertas quaeratur in hac ipsa humana voluntate quae obedientiam praestitit.

His praemissis, iam ex ordine ecce praecipuas sententias. Praecipuas dico, nam plures dari non ignoro; ita Franciscus Amicus undecim conciliationis modos enumerat, et in modo postremo adhuc septem « vias diversas » distinguit [3].

1) Qui benignius intelligunt praeceptum seu mandatum moriendi, quod Christus se fatetur accepisse a Patre, id interpretantur de *mandato beneplaciti* sine praecepto, cui Christus absque peccato subducere potuit et quod liberrime acceptavit. Hanc sententiam post Paludanum, Medinam, Petavium [4], aliosque [5] tuentur inter recentiores et coaevos Cardin. Franzelin, Stentrup [6], Cl. Billot [7], Einig [8], etc.

2) Aliquid amplius ponit Tournely [9]. Scilicet fingit in principio mandatum mere conditionatum, quod ex libera acceptatione Christi in absolutum transierit.

[1] Can. 10, Denz., op. cit., n. 211.
[2] Cur *Deus homo*, l. ii, c. 17. — *P. L.* clviii, 419, sq.
[3] De *Incarn.* Disp. 25, sect. 3. — Cf. Platellium (*De Incarn.* c. 7, n. 317, sqq.).
[4] Op. cit., loc. cit.
[5] Plura nomina vide apud Card. Franzelin (op. cit., th. xliv).
[6] Op. cit., th. lxxvi.
[7] Op. cit., th. xxix. Haec expositio est luciditate princeps.
[8] Op. cit., th. ix scholion.
[9] De *Trin.* Q. xi, art. 4, concl. 2, 3.

3) Proxima venit sententia Card. de Lugo [1]; quippe qui putat mandatum Patris non fuisse absolutum, quatenus poterat prece declinari; huc adducens illud ipsius Christi: « An « putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit « mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? » [2]. Huic sententiae, quam Cardinalis Sfortia Pallavicinus, Lugonis discipulus, impugnavit, inter alios subscribunt Legrand [3] et Katschthaler [4].

4) Vicina sententia Gregorii de Valentia [5], Vasquezii [6], Lessii [7], Ysamberti [8] etc., tenet fuisse quidem mandatum quoad substantiam, non autem quoad speciem et modum executionis, id est, quoad motivum impellens, quoad tempus et adiuncta (quod et card. de Lugo quoque ponit) et quoad intensitatem et frequentiam actus.

Hucusque omnes conveniunt in hoc, quod Christi libertas et meritum eatenus in obediendo salvantur, quatenus vel mandatum est dumtaxat beneplaciti (1), vel in ipso mandato habetur aliquid quod liberae electioni subesse potest: vel ut fiat absolutum (2), vel ut non declinetur (3), vel quoad modum illud exsequendi (4).

Iam in sequentibus sententiis hoc principium recusatur, et libertas ac meritum Christi componuntur cum vero mandato ut tali. Aliter tamen et aliter hi theologi sententiam suam explicant, secundum quod aliter et aliter libertatem sub gratia et sub visione beatifica salvant. Inde hic apparent principia Molinistarum atque Thomistarum sive mitiorum, sive rigidiorum.

5) Igitur docent Bellarminus, Molina, Suarez, quibus e recentissimis adhaeret laudatus Pesch [9], Christum adimplevisse verum mandatum Patris, ex virtute gratiae quam Deus sciebat certissime efficacem fore ut Christus salva libertate ac

[1] Disp. XXVI, sect. 7, n. 82.
[2] MATTH. XXVI, 53.
[3] Diss. IX. — Migne *Curs. Theolog.* t. IX, p. 767, sq.
[4] Op. cit., p. 336.
[5] Disp. I, q. 19, p. 2 in fine.
[6] Disp. LXXIV. c. 5.
[7] De *Summo bono* l. II, n. 185.
[8] In III, q. XVIII, disp. 2, a. 6.
[9] Op. cit., Prop. XXVI.

proin meritorie id praestaret. Quando autem hi magis premuntur, ut ostendant quomodo haec libertas sub praecepto, salvis Christi impeccabilitate et visione beatifica stare possit, se recipiunt ad explicationes, quae saltem implicite in alterutram sententiam sequentem redundant.

6) Salmanticenses [1] ad hanc concordiam solvendam adducunt duplicem conditionem Christi, quatenus, si Christus, utique erat comprehensor, non poterat non assequi mandatum Patris, nihilominus poterat obiectum illius mandati apprehendere uti viator, et proin in eo invenire aliquid a quo natura aufugeret ac inde ex obedientiae amore illud meritorie superare. Duplicem hanc conditionem in Christo simul stare quoad modum amplectendi obiectum, agnoscunt pariter patroni sententiae praecedentis [2].

7) Thomistae passim necnon Scotistae [3] ulterius progrediuntur, dicendo Christum etiam mereri potuisse in iis quae ob impeccantiam omittere non poterat, ac proin praeceptum moriendi quod omnino nequibat recusare, fuisse nihilominus meritorie a Christo impletum.

Ad rem S. Thomas: « Charitas, quantum de se est, sem-
« per nata est esse merendi principium; sed quandoque non
« est merendi principium propter habentem, qui est extra
« merendi statum, sicut patet de Sanctis in patria. Christus
« autem non erat extra statum merendi, quia viator erat,
« et ideo charitate eadem fruebatur et merebatur, sicut et
« eadem voluntate. Nec tamen erat idem principium meriti
« et praemii, quia non merebatur gloriam animae, ad quam
« pertinet charitas, sed gloriam corporis » [4]. Efficacissime quoque Scotus: « Quia persona illa non secundum omnem
« conditionem sui fuit simpliciter in termino, ideo potuit
« Deus omnem actum illius personae acceptare tanquam

[1] Disp. XXVII.

[2] Cf. SUAREZ (Disp. XXXVII, sect. 2, n. 7; *De grat.* l. XII, c. 15, n. 18; — MOLINA (*Concord.* Q. XIV, a. 13, disp. 53, n. 4, edit. Paris p. 377).

[3] Hoc forsan discrimen occurrit in hac re inter Thomistas et Scotistas, quod priores loquuntur modo magis generali, dum isti in Christo quoad meritum veluti privilegium inducunt. Quod quidem privilegium, si nihil aliud ponit, nisi specialissimam conditionem qua Christus fuit simul viator et comprehensor, et nos ultro affirmamus; secus vero inutiliter poni credimus.

[4] *De Verit.* disp. XXIX, a. 6, n. 6.

« dignum aliquo bono pro eo retribuendo » [1]. In hanc opinionem valde inclinant Scheeben [2] et Gutberlet [3]; eique etiam favere videtur Simar [4].

8) Demum rigidiores Thomistae, - quos absque ulla iniuriae suspicione Bannesianos vocari liceat [5], - urgent et in hoc problemate systema quod ubique vindicant. Christus implevit verum Patris mandatum, libere tamen ac proin meritorie; nam licet stantibus praecepto divinaque motione aliter agere non potuerit in sensu composito, potuit tamen in sensu diviso [6]. Ad quae Chr. Pesch: « Haec sunt verba, nec quid-« quam nisi verba ».

Praecipuas sententias attulimus. Iam transeamus ad illustrandam sententiam quae magis nobis prae aliis arridet, septimam scilicet, utpote tum magis conformem Scripturae, tum in se profundiorem, tum de merito Christi altius sentientem.

II) Demonstratur et illustratur sententia S. Thomae.

Antequam sententiam Aquinatis demonstrandam et illustrandam aggrediamur, duo monere iuvat. 1) Mandatum potest esse vel explicitum vel implicitum. Explicitum est per modum praecepti, implicitum est per modum destinationis. Hoc altero sensu intelligimus mandatum moriendi quod Christus a Patre accepit. Erat enim Christus Homo-Deus a Patre destinatus ad hoc, ut pro salute mundi sese in victimam offerret, quatenus ex consilio divino huc spectabat oeconomia Incarnationis. - 2) Mandatum aliter iniungitur δουλικῶς, aliter υἱκῶς. Unde in una persona Christi iuxta duplicem Christi naturam mandatum moriendi habebat duplicem respectum: alium

[1] In III, Dist. XVIII, p. 1, n. 9.

[2] *Dogmat.* § 250, n. 5, sqq. Lege hanc egregiam expositionem.

[3] Op. cit. § 366.

[4] Op. cit. § 108, 2. Praematura morte praereptum Praesulem luget cum archidioecesi Coloniensi theologorum coetus.

[5] Miror, quosdam rigidiores Thomistas ab hac appellatione tantopere abhorrere. Si Bannez veram Magistri doctrinam in omnibus exposuit, Bannesianus erit simul Thomista. Qui autem putat, Bannesium in aliquibus doctrinam Magistri ultra modum urgere, - quae quaestio liberae sane discussionis est, - iure optimo distinguit inter Thomistas simpliciter et Bannesianos.

[6] Cf. GONET, Disp. XXI, a. 3, § 3; BILLUART Disp. XVI, a. 4, § 2.

filialem, alium servilem, quatenus Christus, etsi unus Filius, formam tamen servi accepit.

His praemissis proferamus in favorem nostrae sententiae argumenta Scripturae, et doctrinam inde haustam illustremus.

A) Argumenta ex S. Scriptura colliguntur.

1) Ingressum Christi in mundum Paulus ita exponit: « Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem nolui- « sti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato « non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri « scriptum est de me: Ut faciam, Deus, *voluntatem tuam* » [1]; et in psalmo unde haec deprompta sunt, addicitur: « Deus « meus, volui, *et legem tuam* in medio cordis mei » [2]. Ergo Christus a primo instanti vitae humanae suae proclamavit, se in expiationem nostri generis per oblationem sui destinari; et hanc Dei in se *voluntatem*, hanc *legem* libens acceptavit, offerendo iam seipsum super altare proprii cordis.

2) Porro saepius haec voluntas Patris proprium Filium ad mortem destinantis, vocatur in Scriptura *mandatum*. Atqui verba Scripturae sumenda sunt uti sonant, nisi ratio cogens adsit ea aliter intelligendi. Testimonia autem haec sunt: « Hoc *mandatum* accepi a Patre meo » [3]; « Ut cogno- « scat mundus quia diligo Patrem, et sicut *mandatum* dedit « mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc » [4].

3) Sicut voluntas Patris vocatur *mandatum,* ita impletio a parte Christi vocatur *obedientia:* « Factus *obediens* usque « ad mortem, mortem autem crucis » [5]; « Sicut per inobe- « dientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita « et per unius *obeditionem* iusti constituentur multi » [6]; « Quum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, *obe-* « *dientiam* » [7].

[1] Hebr. x, 5, sqq.
[2] Ps. xxxix, 9.
[3] Ioann. x, 18.
[4] Ibid. xiv, 31.
[5] Philip. ii, 8.
[6] Rom. v, 19.
[7] Hebr. v, 8.

4) In agonia horti Christus calicem passionis accepit ad implendam *voluntatem* Patris: « Pater, si vis, transfer calicem « istum a me; verumtamen non mea *voluntas,* sed *tua* fiat » [1].

5) Hoc autem mandatum non modo fuisse de ipsa morte sed et de tempore eiusdem, ostendunt verba paulo ante a Christo prolata: « Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam: « Pater, salvifica me ex hac hora? [2]. Sed propterea veni in « horam hanc » [3]. Quasi diceret: Sentio quidem mortis horrorem iam proxime invadentem; at mortem recusare non possum, quum haec hora patiendi sit ipsa ratio ob quam in mundum carne indutus venerim.

6) Inde recusare mortem, esset cedere Satanae. Quare Petro passionem depellenti Christus ait: « Vade post me, satana, scandalum es mihi » [4].

7) Adde, hic omnia testimonia superius collecta, in quibus passionis Christi necessitas proclamatur, non quidem ex sola divina praescientia sed et praeordinatione [5].

Datur proin in Scriptura aliquis constans modus loquendi de passione Christi, tanquam de mandato quod Christus a Patre accepit, ut pro mundi salute animam daret. Equidem non deest in Scriptura textus, in quo praeceptum, utpote sensu minus stricto sumptum, non dicit nisi ordinationem. Talia sunt verba David de Semei sibi maledicente: « Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim praecepit ei ut « maledicerat David » [6]. Sed heic ipsa rei indoles hanc interpretationem sibi exposcit. At, ut recte monet laudatus Pesch, hoc vocabulum « ἐντολῆς est in Nov. Test. terminus techni« cus ad significanda praecepta divina » [7]. Quare videntur nimis leviter hoc argumentum ex Scripturarum stylo depellere, qui cum Stentrup [8] opponunt, v. gr., locutionem: « Et praece« pit turbae ut discumberent super terram » [9]. Imo in verbis:

[1] Luc. xxii, 42.
[2] Cum hac interrogatione sententiam intelligendam putamus.
[3] Ioann. xii, 27.
[4] Matth. xvi, 23.
[5] Cf. Q. xlvi, art, 1, in Corp.
[6] II. Reg. xvi, 10.
[7] Loc. cit., n. 338. — Cf. Matth. v, 19; xxii, 36. Ioann. x, 18; xii, 49; xiv, 31.
[8] Loc. cit., p. 1102. sq.
[9] Matth. xv, 35. — Cf. Marc. vii, 36.

« Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimit-
« tere? » [1], verum praeceptum habetur, non quidem uxorem dimittendi, sed non dimittendi nisi dato repudii libello.

Habet ergo vim magnam modus constans quo Scriptura de hoc argumento loquitur.

B) **Exponitur doctrina ex Scripturis hausta.**

Si iam haec Scripturae testimonia conferimus cum doctrina superius exposita de fine Incarnationis et de essentia meriti in Christo viatore, sequentem inde doctrinam obtinemus:

1) Filius Dei humanam naturam assumpsit, ut in ea et per eam genus nostrum repararet, Victimam se pro sontibus insons offerendo. Praedestinatio proin Christi continet in se praedestinationem ad mortem pro humani generis salute. Haec est *lex* scripta in capite libri de Christo. Unde, quemadmodum pro quovis homine lex Dei spectat ad eum in finem suum inducendum; ita pro Christo *lex Dei* continebat illud sacrificium, tanquam finem proximum Incarnationis, ac proin tanquam praedestinationem Incarnati.

2) Christus autem ut homo non potuit mereri unionem hypostaticam, quum haec unio sit super omne meritum puri hominis, et Homo-Deus eam iam supponat; gloriam autem plenam quasi Unigeniti a Patre mereri potuit, imo ex praeordinatione divina per passionem suam et mortem sibi mereri debuit.

3) Ad hoc meritum suffecit ex una parte status viatoris, et perfectissimus motus charitatis ex altera parte. Quod autem propter ipsam perfectionem charitatis, utpote non modo viatoris, sed et simul comprehensoris, Christus non potuerit a lege divina declinare, nec mandatum divinum non implere, hoc nullatenus tollit in Christo rationem meriti. Secus dicendum esset, possibilitatem deficiendi esse elementum constitutivum libertatis. Imo ex hoc sequeretur, nec ipsos illos qui sententiae nostrae adversantur, posse in Christi passione tueri meritum quoad essentiam. Nam, quidquid sit

[1] Matth. xix, 7.

de mandato patiendi proprie vel improprie dicto, ratio ultima meriti passionis in Christi charitate ponenda est. Iam vero si haec charitas non fuit libera nisi quoad modum, non quoad essentiam, sequitur ex eorum principiis, passionem Christi non fuisse meritoriam quoad essentiam, sed tantum quoad modum.

4) Mandatum proin verum intelligimus, et veram obedientiam; at nihilominus obedientiam volentis oblationem ex perfectissima charitate, et proin eo magis meritoriam, quo ex obligatione amantius acceptata processerit [1]. Nedum igitur in hac ratione verae obedientiae pro Christo diminutionem aut damnum meriti timeamus, e contra in eadem augmentum immensum meriti invenimus. Sicuti enim ratio peculiaris excellentiae operis boni a religioso viro impleti non consistit solum in libertate, quacum vota libere emissa libere tenet, sed magis adhuc in illa beata servitute, quam, dum agit, ex plena charitate acceptat; ita quoque in Christo perfectio charitatis ex qua passus est, ab ipso patiendi mandato novum splendorem recepit [2].

5) Imo ipsa holocausti ratio perfectionem suam habet ab obedientia, quum haec virtus spiritualiter exprimat dominium Dei, quod immolatio victimae exprimit materialiter. Proinde excellentior est immolatio ex obedientia secundum illud: « Melior est obedientia quam victimae » [3].

6) Ex his iam vide quid censeamus de opinione illorum

[1] Haec autem nolumus ita intelligi, quasi obedientiae virtus nonnisi exerceri possit in his quae vere praecipiuntur. Unde S. Thomas: « Obedientia est specialis « virtus et eius speciale obiectum est praeceptum tacitum vel expressum. Voluntas « enim superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum. « Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo « praevenit, voluntate superioris intellecta » * (Hucusque sermo est de praecepto tacito vel expresso). Mox S. Doctor de religiosis loquens, qui obediunt in his quae possunt ad regularem conversationem pertinere, ait: « Et haec est obedientia suffi- « ciens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinet ad cumu- « lum perfectionis » **, posita utique bonitate obiecti. Porro Christum et hanc obedientiam erga Patrem habuisse, citra quaestionem est. At movetur quaestio, utrum in casu non adfuerit obedientia erga verum praeordinationis mandatum.

[2] Inde S. Benedictus in Regula sua obedientiam Christi usque ad mortem exhibet uti splendidum monasticae obedientiae exemplar. Cf. dicenda in *Sed contra est.*

[3] I. Reg. xv, 22.

* II. Q. civ, a. 2.
** Ibid. art. 5, ad 3.

qui unice componere volunt libertatem ac proin meritum passionis Christi cum obedientia per hoc quod Christus, etsi comprehensor, tamen, ut viator non regebatur lumine beato et proin libertatem habuit a necessitate ut viator. Nam impossibile esset contraria concipere in eadem potentia superiori animae Christi, scilicet amorem indefectibilem Dei, et possibilitatem ab eodem amore deflectendi.

7) Quomodo autem per hoc verum mandatum clarius eluceat amor Patris, Unigenitum suum pro nostra salute tradentis, ac proin ipsa voluntas salvifica Dei hypostatice unientis naturam humanam cum Verbo in persona Christi; quomodo figura Abrahami proprium filium in holocaustum immolare iussi, maiorem acquirat typicam similitudinem, patet cuivis sententiam nostram attentius perpendenti.

8) Porro mandatum hoc non reducimus ad mortem qualemcumque, relinquendo Christo electionem generis mortis et circumstantiarum suae passionis. Haec opinio excluditur per textum S. Pauli: « obediens usque ad mortem, *mortem « autem crucis »* [1]; excluditur quoque per prophetias minima quaeque de Christi passione non tantum praedicentes, sed et praeordinantes. Insuper ex dictis caret fundamento intrinseco.

Neque solum cum Lugone admittimus aliquod mandatum libere impletum quia acceptatum, quum potuisset oratione declinari. Gratuito enim supponitur haec transitio de mandato deprecabili in absolutum; et facilius est ab initio concipere verum mandatum plene acceptatum. Tenemus igitur verum ab initio mandatum tum de morte, tum de genere mortis, eo sensu quem supra declaravimus.

III) Solvuntur difficultates sententiae nostrae ab aliis obiectae.

Distribui possunt difficultates sententiae nostrae obiici solitae secundum quod aliae petuntur ex ratione theologica, aliae ex Scripturis.

A) **Rationes theologicae** sunt praesertim duae.

1) Quomodo potest salvari meritum in actu a quo erat Christo impossibile declinare? - *Resp. a*) Si impossibilitas ab actu declinandi provenit a perfectione charitatis obiectum tota

[1] Philip. II, 8.

cognitione et spontaneo affectu amplectentis, nedum tollat veram libertatem, eam auget, ac ita meritum. Audiatur Angelicus supra citatus [1]: « Si etiam esset (liberum arbitrium « Christi) determinatum ad unum numero » (uti in sententia nostra), « *tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem « laudis sive meriti; quia in illud non coacte, sed sponte « tendit;* et ita est actus sui *dominus* » [2].

b) Magis adhuc haec ratio valet, si agitur de implendo praecepto, a quo quidem propter perfectiorem charitatem superior pars animae non poterat deflectere, sed a quo nihilominus pars inferior maxime abhorrebat. Audiatur rursus Angelicus utrumque in resp. ad 2m. huius art. complectens: « Obedientia etsi importat necessitatem respectu eius quod « praecipitur, *tamen importat voluntatem respectu impletio- « nis praecepti;* et talis fuit obedientia Christi; nam ipsa « passio, et mors, secundum se considerata, *naturali volun- « tati repugnabat;* volebat tamen Christus Dei voluntatem « circa hoc implere, etc. ». Illusio adversariorum procedit ex hoc, quod fingunt, ex praecepto oriri pro Christo aliquam coactionem internam.

c) Adde iam, ipsum gradum amoris Dei et amoris hominum, ipsam plenitudinem affectus et frequentiam et intensitatem actuum, quibus Christus ab initio vitae usque ad ultimum suspirium se Patri hostiam obtulit, etiam in sententia nostra quodvis mandatum excessisse. Unde quidquid veri habetur in sententia Ysamberti et in nostra continetur.

Idem dic a fortiori de sententia Suarezii, quoad actionem gratiae divinae in animam Christi, etsi hanc actionem aliter cum Christi libertate componat. Imo quidquid in prima sententia exaltat promptitudinem obedientiae Christi in nostra sententia servatur, quatenus in multis haec promptitudo se exercuit circa ipsam substantiam actus, in omnibus circa animum quo Christus voluntati Patris obsecundavit. Verbo, quidquid optimi in aliis sententiis tenetur, in hac nostra plene servatur.

Haec sufficiant ad sententiam nostram directe vindicandam. Sint adhuc quaedam *ad hominem* contra adversarios.

[1] T. IV, p. 707.
[2] III. Sent., Dist. XVIII, Q. 1.

d) Reducitis voluntatem, legem, mandatum Patris, ad aliquam mere voluntatem beneplaciti. Iam ita arguo: vel illa voluntas talis fuit, id est, tam parum expressa, de re tam indifferenti, ac Christi electioni tantopere relicta, ut Christus potuisset illam recusare, quin ullo modo egisset contra perfectionem sanctitatis a qua declinare non poterat; vel talis fuit, ut, si illam recusasset, hanc sanctitatem offendisset. α) Si prius, iam non amplius vocari potest voluntas, lex, mandatum, et impletio non meretur obedientiae nomen. Insuper quid tunc de fine Incarnationis, si in praeordinatione divina tollitur a parte rei praedestinationis nexus inter Incarnationem et Redemptionem?

β) Si alterum, quomodo potuisset Christus declinare voluntatem, cuius impletio a perfectione sanctitatis eius requirebatur? Iam vero, si non potuit declinare, undenam, ex vestris principiis, meritum impletionis? Neque respondere sufficit, hanc impletionem non fuisse liberam libertate a contrarietate, liberam tamen libertate a necessitate. Respondeo, si impletio mandati libera non fuit libertate a necessitate, neque talis impletio voluntatis fuisset libera pro illo, qui in essentia divina uti summum bonum intuebatur τὸ implere divinam voluntatem. Neque poterat invenire rationem boni in opposito, nisi propter repugnantiam appetitus sensibilis passionem recusare cupientis, quae repugnantia aeque existebat pro implente mandatum. Ergo ex ipsis principiis adversariorum ostenditur, si mandatum excludit meritoriam expiationem, voluntatem beneplaciti eam pariter excludere. Atqui ratio cur mandatum non admittant, est ut meritum tueantur. Ergo inutilis et inefficax est ista sententia.

e) Imo incauta est. Si necessitas resultans ex plenitudine contemplationis beatae et charitatis tollit actionibus Christi rationem meriti, ergo sine merito Christus legem implevit, virtutes coluit, Deum toto corde dilexit? Absit! Quin ipsum primum instans vitae Christi quomodo potuerit esse meritorium? Docet expresse S. Thomas, Christum in primo instanti meruisse. Quomodo, nisi per actum amoris quo se perfecte convertit in Deum? Iste actus autem fuit comprehensoris. Igitur vel dicendum est, Christum iam comprehensorem potuisse se non convertere actu perfectissimae charitatis in

Deum, vel eum tali actu non meruisse. Ergo ex hac ipsa doctrina, quam expresse docet S. Thomas, sequitur meritum non excludere illam necessitatem quam suam fert plenissima cognitio obiecti et talis motus voluntatis in idem, cum quo actus contrarius stare nequit. Atqui hoc est fundamentum sententiae nostrae. Ergo [1].

2) Altera ratio theologica, ab aliquibus allata, desumitur ex consequenti sententiae nostrae. Si mandatum fuit Christo ut pateretur et in cruce moreretur, mandatum fuisset ut patienda et mors ipsi inferrentur. Inanis obiectio, praesertim in mente illius, qui tenet cognitionem obiectivam futurorum contingentium conditionatorum. Quasi providentia divina non posset non frustrari salva hominis libertate. Ad mandatum Christo iniunctum non requiritur in Deo nisi infallibilis praescientia malitiae eorum, qui essent instrumenta passionis et mortis Filii sui. Facile negotium esset ostendere, hanc obiectionem, si valeret, vix minus valere pro mera voluntate beneplaciti. Imo actum esset de quavis providentia divina circa ea quae praestitui nequeunt sine praesuppositis vel concomitantibus causis malis [2].

B) Iam ad **rationes ex Scripturis** desumptas.

Non afferimus loca in quibus affirmatur *voluntaria* Christi oblatio. Etenim haec nobis opponi non possunt quum simul nos statuamus Christum ex obedientia passum, et proin ex necessitate a parte imperantis; sed et *voluntarie,* imo *libere* passum, propter spontaneum motum voluntatis in ipsum mandatum, et propter mandati impletionem ex amore, (quo nihil magis volitum), et quidem gradu et actuum multiplicatione omnem legem excedentibus.

Sed duplex remanet difficultas ex Scripturis solvenda.

1) Magni fit obiectio ex verbis S. Pauli ad Hebraeos XII, 2.

« Ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως « ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, ὃς « ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς « ὑπέμεινεν σταυρόν, αἰσχύνης κατα- « φρονήσας, ἐν δεξιᾷ τε τοῦ θρόνου « τοῦ θεοῦ κεκάθικεν ».

Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem,* confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.

[1] Cf. Corollarium I in fine articuli.

[2] De propositione 4.ª Iansenii, quomodo se habeat ad argumentum praesens, cf. Corollarium II in fine art.

Quo ex loco ita arguunt: Si Christus eligere potuit inter crucem et gaudium sibi propositum, nullum accepit mandatum crucem subeundi.

Resp. *a*) *Ad hominem:* ergo neque voluntas beneplaciti stricti nominis fuit Christo a Patre manifestata ut crucem subiret.

b) Etiamsi talis esset sensus verborum: « *proposito sibi* « *gaudio* », non inde sequeretur nullum mandatum fuisse de patiendo Christo; sed Christum, dum pateretur, superasse inclinationem inferiorem naturae, quae gaudium a parte sua proponit; inde enim Christus agoniam expertus est in horto, quod appetitus sensibilis gaudia proponebat, voluntas vero ut ratio passionem amplectebatur.

Sed *c*) negamus prorsus, talem esse huius loci sensum. E contra ex hoc versu Pauli validum argumentum pro sententia nostra desumi putamus. Quid intendit Paulus? Per exemplum Christi nos hortari ut et nos « per patientiam « curramus *ad propositum nobis certamen:* δι' ὑπομονῆς τρέ- « χωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα » [1]. Comparationem desumit a ludis publicis, in quibus curritur ad obtinendum « propo- « situm » certantium oculis bravium. Inde agon est « cursus » vitae, « patientia » est id quo curritur, bravium « propositum », est id quod aspicitur fide ac spe (Cf. verba: « fides « sperandarum substantia rerum » [2], in initio capitis praecedentis, cuius praesens caput argumentum absolvit) [3]. Iam vero quomodo nobis in agone vitae per patientiam certantibus ad obtinendum aeternae felicitatis bravium, Christus sese affert exemplar et ducem? « Proposito sibi gaudio », id est, contemplans spe gaudium resurrectionis sibi in termino agonis promisso, « sustinuit crucem » (non dicitur *elegit* crucem), « confusione contempta »; cur contempta? quia exaltationem sibi a Patre promissam iam spe quasi praesentem cernebat (id enim optime significant tum ἀντί, tum προκειμένης). Inde sperata obtinuit gaudia: « atque in dextera Dei sedet ». Putamus hanc simplicem expositionem argumenti tam efficacem,

[1] S. Pauli ad Hebr. II. vers. 1.

[2] Ibid. c. XI, 1.

[3] Inde dicitur curramus non *in* agone, sed *ad* agonem, id est, ad *praemium agonis.*

ut ex hoc ipso loco corroboretur sententia nostra, sicuti corroboratur ex omnibus locis in quibus ostenditur, Christum pati *debuisse* ut in gloriam suam intraret.

b) Altera est obiectio, non valida quidem, sed tamen non spernenda. Est sermo Christi in ipso horto Olivarum dicentis: « An putas quia non possum rogare Patrem meum et exhi- « bebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelo- « rum? » [1]. Ergo quid? Vel agitur de Christi orantis voluntate absoluta conformi voluntati Patris, vel non. Si non, nulla inde difficultas. Esset oratio similis orationi in ipsa agonia factae. Si aliter, difficultas inde petenda non minus valet contra voluntatem beneplaciti, quam contra voluntatem mandati. Scilicet Deus morti Filium suum praedestinando non sibi auferebat propriam potestatem erga instrumenta istius mortis. Unde verissimum remanebat, Deum a quibuscumque carnificibus, etiam posito decreto passionis Christi, potuisse Filium suum, sive immediate, sive per ministerium Angelorum liberare.

Firma ergo manet thesis nostra, ad mentem S. Thomae.

IV) **Inquiritur de mente S. Anselmi.**

Qui propugnant sententiam Petavii, ad auctoritatem Sancti Anselmi eo libentius provocant, quo manifestius iste S. Doctor eis favere videtur. Ita enim disserit: « Nec humana natura « in isto homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola « libera voluntate. Nec alicui violentiae succubuit, sed spon- « tanea bonitate ad honorem Dei et utilitatem aliorum homi- « num, quae illi mala voluntate sunt illata, laudabiliter et « misericorditer sustinuit; nec ulla cogente obedientia, sed « potenti disponente sapientia. Non enim illi homini Pater « ut moreretur cogendo praecepit; sed ille quod Patri pla- « citurum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte « fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab « eo exigere non debuit; nec Patri tantus honor potuit non « placere, quem tam bona voluntate Filius sponte obtulit. « Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc

[1] MATTH. XXVI, 53.

« quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique « quoniam Pater illi hanc bonam voluntatem dedit, quamvis « liberam [1], non immerito dicitur, quia eam ille velut praecep- « tum Patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri « usque ad mortem. Et sicut mandatum dedit illi Pater, sic « fecit. Et calicem, quem dedit illi Pater, bibit. Haec est « enim perfecta et liberrima humanae naturae obedientia, « cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, « et cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione, « spontanea libertate opere perficit. Sic homo ille redimit « omnes alios cum hoc, quod sponte dedit Deo, computat « pro debito quod illi debebant » [2].

Antequam penitius inquiramus quousque haec Anselmi verba respondeant thesi Petavii et card. Franzelin, placet unum animadvertere, quod in praesenti argumento est summi momenti. Ratio ob quam Cardinalis Franzelin et alii mandatum reducunt ad merum beneplacitum, est, ne Christo in implendo mandato adimeretur libertas ad meritum requisita. Iam vero nihil huiusmodi apud S. Anselmum. Imo S. Doctor oppositum prorsus tenet. Quod tantopere verum est, ut potius in excessum e regione abierit. Etenim en quomodo in Christo fundamentum meriti et laudis describat: « Impro- « prie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohi- « bitio. Quapropter quoniam Deus perfecte habet a se quid- « quid habet; ille maxime laudandus est de bonis quae habet « et servat, non ulla necessitate; sed, sicut supra dixi, propria « et aeterna immutabilitate [3]. Sic ergo homo ille, qui idem ipse « Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit a se

[1] Medit. XI. — *P. L.* CLVIII, 766.

[2] Perpende hanc efficacissimam locutionem.

[3] Non sine iure Cl. Schell * hunc modum arguendi S. Anselmi ut insufficientem corripit, quatenus non satis in Christo utramque voluntatem distinguit. At non ideo subscribendum est theoriae Schell de Christi libertate, sanctitate et merito. Etenim Schell impeccantiam Christi unice repetit ab unione hypostatica per quam persona agens peccare nequit. In anima autem Christi ponit talem admixtionem luctae et ignorantiae, quae in comprehensore simul ac viatore haberi nequit. Imo ipsi Christo applicare videtur illud: « Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere « mala et non fecit ». (ECCLI. XXXI, 10, 11) **. Sed quid tunc, quaeso, de Christi absoluta impeccantia antecedente, ratione singularitatis personae?

* Op. cit., p. 167, sq.
** Ibid. p. 163.

« habebit, non necessitate, sed libertate, et a seipso iustus et « idcirco laudandus erit. Quamvis enim humana natura a « divina habeat quod habebit, idem tamen ipse a seipso « (quoniam duae naturae una persona erunt) habebit » [1].

Destinationem autem Filii hominis ad hoc ut pro mundi salute moreretur, ac per consequens mandatum praeordinationis quale modo exposuimus, S. Anselmus paulo inferius diserte exponit. Ex quo capite decimo septimo iam deprompsimus sententiam, quae necessitatem mortis Christi cum eius spontanea voluntate moriendi componit, quatenus « non « potuit non velle mori ». Urget Boso: « Si Deus voluit ut « ille homo moreretur, non potuit non mori ». - Quid reponit Anselmus? Repetitne libertatem Christi morientis a distinctione inter voluntatem praecepti et voluntatem beneplaciti? Minime. E contra reponit; imo, nostro iudicio, tali modo, qui vix satis distinguit utramque divinam et humanam voluntatem, urgendo forte nimis singularitatem personae volentis: « *A.* Ex eo quod Filius Dei assumpsit hominem ea volun- « tate ut moreretur, probas eumdem hominem non potuisse « non mori. - *B.* Ita intelligo. - *A.* An non similiter apparuit « ex his quae dicta sunt, Filium Dei et assumptum homi- « nem » (intellige assumptam humanam naturam) « unam « esse personam, ut idem sit Deus et homo, Filius Dei et « Virginis Filius? - *B.* Sic est. - *A.* Idem igitur homo sua « voluntate non potuit non mori, et mortuus est » [2]. - Quantopere haec discrepent a modo loquendi eorum qui primam ex enumeratis sententiis propugnant, nemo non videt.

Sed et S. Anselmus inutilitatem huius sententiae implicite demonstrat, quando Bosonem inducit ex eo arguentem, quod Christus non quidem ab implendo mandato, sed et ab hoc quod melius esse iudicaverit, temperare non potuerit: « Dicis quia quando mortuus est, dedit quod non debebat. « Sed nemo negabit illum melius fecisse quando hoc exem- « plum taliter dedit, et magis hoc placere Deo, quam si non « hoc fecisset: aut dicet eum non debuisse facere quod me- « lius esse, et quod magis placere Deo intelligit ». Iam vero reiecta in creatura necessitate alia praeter eam quae conse-

[1] *Cur Deus homo* II, 10. — *P. L.* CLVIII, 409, sq.
[2] Ibid. 420.

quitur ex ipsa volitione in his quae non iubentur, en quomodo S. Anselmus obiectionem quoad Christum solvit: « Dominus « itaque Iesus, cum mortem, sicut diximus, sustinere voluit, « quoniam suum erat et pati et non pati, debuit facere quod « fecit, quia quod vult, fieri debuit, et non debuit facere, quia « non ex debito ». Quae sane solutio, quidquid in se valeat, non est ad rem in argumento uti poni solet a propugnatoribus primae sententiae. Et pergit S. Anselmus: « Nempe quoniam « ipse idem est Deus et homo: secundum humanam quidem « naturam, ex quo fuit homo, sic accepit a divina natura, « quae alia est ab humana, esse suum quidquid habebat, « ut nihil deberet dare nisi quod volebat [1]; secundum per- « sonam vero, sic a seipso habebat quidquid habebat, et sic « perfecte sibi sufficiens erat, ut nihil alii quidquam retri- « buere deberet; nec ut sibi retribueretur, dare indigeret » [2]. Quibus ex verbis mihi persuasum est, alium esse modum quo S. Anselmus problema posuit, et quo theologi illi recentiores arguunt. Verba quidem, sicut in textu allato ab exordio, ita in multis conveniunt, ut primo intuitu ambae sententiae perfecte concordare videantur. Re autem penitius inspecta, alius aspectus acquiritur. Per totam hanc disputationem S. Anselmus in Christo Homine-Deo considerat unum volentem [3]. Inde respectu ad hunc unum volentem, non solum negat mandatum, sed et possibilitatem mandati propter absentiam debiti. Iam vero sic arguo: vel S. Anselmus impossibilitatem mandati negat relate ad Christum ut Deum, et tunc eius speculatio nihil facit ad quaestionem nostram; vel negat eam relate ad voluntatem humanam Christi, et tunc stat quidem cum modernioribus his theologis quatenus non admittit nisi mandatum beneplaciti; nullatenus autem stat cum iis, nec quatenus ipse possibilitatem mandati recusat, nec quatenus isti mandatum verum reiiciunt, ne Christi obedientia, utpote necessaria, careat merito. Iam vero hic

[1] Perpende, quaeso, vim huius sententiae. Si verba « quod volebat » debent intelligi « voluntate humana », sententia est falsissima. Voluntas enim humana Christi suberat essentialibus principiis legis moralis atque divinae. Si autem intelligi debent « voluntate divina », nihil ex tota hac expositione sequi potest contra sententiam quam tuemur.

[2] Ibid. c. 19, 427, sq.

[3] Cf. textum in app. Quaest. praec. allatum.

est potius cardo quaestionis. Unde, quidquid sit de reliquo, quoad caput rei S. Anselmi auctoritas huic sententiae vix prodest [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter peccat: *a*) non attendit ad mandatum quod se accepisse *directe* Christus testatus est; *b*) non attendit ad *spiritum* totius legis, qui *indirecte* in mortem Christi tendebat eamque continebat quoad *moralia* per charitatem, quoad *ceremonialia* per sacrificium, quoad *iudicialia* per expiationem reparationis.

2. Obi. Supponit obedientiam et voluntarium sese invicem excludere.

3. Obi. Arguit ac si obedientia excluderet charitatem.

Sed contra est. Huc spectat laus obedientiae ad exemplar obedientiae Christi, qualis a scriptoribus asceticis describi solet. Pulchre S. Basilius: « Usque ad quem modum obedire « oporteat, qui placendi Deo regulam implere cupit, hoc « Apostolus ostendit, ut nobis obedientiam Domini, qui fac- « tus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, « ita proposuit ut praemiserit illud: " Hoc autem sentite in « vobis, quod et in Christo Iesu " » - [2]. Bene Haeftenius noster: « " Aspiciamus in auctorem fidei et consummatorem Iesum, « qui factus est obtemperantibus sibi causa salutis aeter- « nae " [3], qui in monte Calvariae universo orbi splendidis- « simum obedientiae exemplar exhibuit, eligens potius vitam « amittere, quam obedientiam ». Et pergit in Christo ostendens gradus illos et qualitates, quae in discipuli humilitate et obedientia exigit S. Benedictus. Quam integram expositionem libentissime transcriberemus, nisi brevitatis lex aliter suaderet [4]. - Egregie pariter Archiabbas Maurus Wolter: « In obedientissimum igitur suspiciens Iesum, cum ipso « expirabis clamans: " Consummatum est! " Iesu Christi enim « Spiritus obediendiae est spiritus, quoniam ipse Salvator

[1] Puto proin aliquid demendum esse verbis Bartholomaei Medinae: « Ad divum « Anselmum respondetur, quod fuit contrariae sententiae; neque enim eius dicta ullo « modo glossari possunt ». (III, Q. XLVII, a. 2).

[2] *Reg. brev.* 116. — *P. G.* XXXI, 1167.

[3] HEBR. XII, 2.

[4] *Disquis. monast.* tract. V. disquis. 4. — Liceat alte commendare scripta huius perdocti et piissimi Abbatis Affligeniensis.

« noster non desiit asseverare: " Descendi de caelo, non ut « faciam meam voluntatem ". - " Non quaero voluntatem « meam, sed voluntatem eius, qui misit me ". - " Sicut man- « datum dedit mihi Pater, sic facio ". - " Ego, quae placita « sunt ei, facio semper ". - " Meus cibus est ut faciam volun- « tatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius ". - " Non « sicut ego volo, sed sicut tu, Pater " [1]. Quae quidem verba « adorandis ornavit atque confirmavit factis. " Subditus enim « erat ", non parentibus tantum, sed " omni humanae crea- « turae " [2]. Nihil hac obedientia ipsi carius, optatius, dulcius, « donec cruci affixus, inter atrocissima mortis tormenta divi- « num caput in obsequii signum inclinavit, spiritus tradens « in manus Patris » [3].

In Corpore. In obedientia Christi sese in victimam offerentis S. Th. excellentiam contemplatur triplicem: 1) maiorem oppositionem respectu ad humani generis lapsum; 2) maiorem perfectionem in ipso affectu sese immolantis; 3) maiorem dependentiam a Deo in ipsa immolatione quatenus nomine ipsius Dei sese immolabat, sicut dux nomine principis, vel miles nomine ducis hostem debellat.

Corollarium I. - Quam in praecedenti dissertatiuncula sententiam propugnavimus, praeter maiorem intrinsecam veri-

[1] Ioann. vi, 38; v, 30; xiv, 31; viii, 29; iv, 34. — Matth. xxvi, 39.

[2] I. Petr. ii, 13.

[3] Op. cit. *Elem.* v. *S. Labor,* p. 495 *. — Ab hac obedientia vita religiosa suam dignitatem derivat: « Ministerium monachi, ait Abbas Hesperichius, est obedientia. « Quam qui possidet, quod poscit, exaudietur et cum fiducia Crucifixo astabit. Etiam « Dominus sic venit ad crucem, factus scilicet obediens usque ad mortem ». Imo huc tota vita religiosa tendat oportet. Ingeniose Bernardus Abbas Montis-Cassini et Card. scribit: « Sicut ovis quae deputata est occisioni ad hoc nutritur, ad hoc pasci- « tur, ad hoc conservatur, ut postmodum occidatur; sic et monachus ab aliis aesti- « matur et in se debet aestimare, quod non ob aliud pascatur in refectorio, non ob « aliud serviatur in infirmitorio, non ad aliud conservetur in claustro, nisi ut sit « Christi hostia, Christi victima, et sub obedientiae gladio moriatur » (*Comment. in Reg. S. Bened.* c. 7. — *P. L.* lxvi, 387. — Alios textus similes lege apud laudatum Wolter., Op. cit. p. 574, sqq.).

* Pergit laudatus auctor adducens obedientiam Christi in Sacramento altaris, hanc conferens obsequio « quod quondam purissimae maximeque benedictae Matri « suae exsultans praestitit ». Si per haec verba intenditur instans Incarnationis, quod ad « Fiat mihi » Deiparae respondet sicut transsubstantiatio ad verba sacerdotis, ista comparatio, — quidquid sit de obedientia a Christo in altaris mysterio praestita, de qua agemus ubi de hoc Sacramento, — claudicare dicenda est. Obedientia Christi dicitur secundum humanam eius voluntatem. Iam vero nonnisi per actum voluntatis divinae Verbum de Virgine caro factum est.

tatem atque conformitatem cum modo loquendi Scripturarum, hoc etiam continet bonum sane non spernendum, quod scilicet spatium meritorum Christi in immensum dilatet. Dum enim alii theologi ex ipsa visione beatifica et impeccantia Christi hoc spatium veluti circumscribunt [1], nos ex neutra illud restringendum censemus. Sicuti enim homo viator eo magis fit meriti capax quo magis agitur a gratia et fit incapax peccati, - quod in Beatissima Virgine Maria praeter Christum maxime elucet, - ita de Christo ipso hoc apprime valere dicendum est [2]. Conditio comprehensoris nihil obfuit libertati radicali viatoris qualis ad meritum requiritur. Quare, cum Scheeben dicendum est, neminem unquam fuisse perfectius liberum Christo, ac proin ad agendum meritorie felicius dispositum [3].

Corollarium II. Ex modo quo thesim nostram vindicavimus, apparet quo iure a theologis primarum sententiarum patronis, afferatur damnata propositio quarta Iansenii: « Ad merendum « et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in

[1] Imo et meritum in adimplendis prophetiis vix agnoscere possunt, quatenus prophetia de Christo continet implicite mandatum ut adimpleatur.

[2] In Deo autem meritum repugnat, quia Deus est tam perfectus ab initio, ut nihil ei accedere possit. Si autem in Deo meritum stare posset, non resultaret modo ex his actibus, a quibus libertas Dei potest temperare, sed nullum esset Deo sublimius meritum actu quo se dicens et amans, est unus et trinus. Unde miror, Cl. Schell, qui in Deo sese causante veluti meritum ponit, de Christi merito e contra depressius sentire.

[3] « Die Freiheit Christi in seinen verdienstlichen Handlungen vorausgesetzt, ist « im Hinblicke auf seine eminente geistige Vollkommenheit die Bethätigung der« selben sogar eine weit umfangreichere und grossartigere, als bei den übrigen « Menschen. Denn 1) dieselbe begann bei ihm schon im ersten Augenblicke seines « Daseins, indem Christus nach den Worten des Apostels schon bei seinem Eintritt « in die Welt zur Vollbringung des göttlichen Willens durch das Opfer seines Lei« bes sich bereit erklärte. 2) Dieselbe dauerte von dort an ununterbrochen bis zum « Ende des Lebens, indem die geistige Thätigkeit Christi nicht einmal durch den « Schlaf unterbrochen wurde. 3) Dieselbe fasste in jedem Augenblicke das ganze « Wirken und Leiden Christi zusammen, weil es von Anfang an vor seinen Augen « stand und beständig in seinem ganzen Umfange von ihm gewollt wurde. 4) Die« selbe erstreckte sich nicht nur auf alle förmlichen Willensakte und alle eigent« lichen Handlungen, die stets in der heiligsten Weise verrichtet wurden, sondern « auch auf alle Gemüthsbewegungen, weil keine ohne weise Zulassung des freien « Willens eintreten konnte; ja sie umfasste nicht nur alle Akte, sondern auch den « ganzen irdischen und leidensfähigen Zustand der Menschheit Christi, weil derselbe « nur in Folge freiwilliger und opferfreudiger Annahme seinerseits entstand und « fortbestand » *.

* Op. cit., § 251, n. 1028.

« homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coac-
« tione ». Ista distinctio sumenda est in sensu ipsius Iansenii. Iam vero toto caelo differt illa mutilata natura, intrinseca necessitate in malum prona vel in bonum acta, quam inducebat Iansenius, ab hac beata et integerrima activitate naturae Christi supernis donis collustrati, et sancta spontaneitate iuxta eandem ex amore divino tota voluntate agentis [1].

ARTICULUS III.

UTRUM DEUS PATER TRADIDERIT CHRISTUM PASSIONI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si Christus ex obedientia passus est et crucem subiit, iam sequitur Patrem fuisse passionis ac mortis Filii sui causam efficientem, non solum quatenus ea non impedivit, sed quatenus, volens ipsum mori, carnificibus Filium tradidit. Inde apparet quantopere solutio huius articuli praecedentem doctrinam illustret. Inde in *Corpore* S. Thomas primo loco ponit rationem ex praeordinatione desumptam.

2) Porro adverte, τὸ *tradere* dupliciter dici posse, sicuti in art. 1 causa vidimus: *directe* et *indirecte*. *a*) Directa traditio

[1] Placet rursus de hoc argumento audire SCHEEBEN: « Uebrigens ist uns der « Begriff der Freiwilligkeit des Handelns bei der Unausbleiblichkeit desselben, wo « die letztere auf einer durch Liebe begründeten Bereitwilligkeit beruht, auch auf « natürlichem Gebiete nicht ganz fremd. Bei einer wohlgearteten Mutter z. B. sind « manche durch die Bedürfnisse ihres Kindes geforderte Handlungen in allen ihren « Umständen durch die natürliche Liebe zu demselben so bestimmt, dass sie in die- « sen Umständen wenigstens mit moralischer Unfehlbarkeit gesetzt werden. Gleich- « wohl wird niemand diesen Handlungen die zur Dankeswürdigkeit nothwendige « Freiheit absprechen; im Gegentheil werden dieselben um so mehr geschätzt, ie « mehr die Liebe der Mutter den Eintritt derselben sicher stellt. Und so pflegt man « auch im gewöhnlichen Sprachgebrauche die durch Liebe begründete Nothwendig- « keit des Handelns nicht als eine Nöthigung des Willens zu betrachten, vielmehr « ein solches Handeln im Gegensatz zu einer aufgenöthigten erst recht als ein zwang- « loses und freies anzusehen. Indess wollen wir diese Analogie nicht urgiren, da « bei der Mutter ihre Liebe selbst doch nicht so natürlich ist, dass dieselbe nicht « mit Freiheit unterhalten würde, oder aber dort, wo sie als natürliche schlechthin « herrscht und wirkt, auch einen instinktmässigern Charakter hat. Zugleich aber « dürfte zu erinnern sein, dass man bei der Freiheit zum Verdienste ebensowenig « in Bezug auf die Form, wie in Bezug auf den Grund desselben ganz denselben « Masstab anlegen darf, wie bei der zum Missverdienste nothwendigen Freiheit » *.

* Op. cit., § 250, n. 1023.

est damnantium et prodentis; *b*) indirecta est consentientis, non prohibentis, consensum inspirantis. Quid autem dicendum de traditione praeordinantis? aliquid utriusque videtur habetur: *directae*, propter finem intentum et ordinatum; *indirectae* propter causam immediatam malam, quae ex toto a praeordinante Deo directe moveri nequit.

3) Adverte rursus, quomodo Christus semetipsum tradiderit aliter uti Deus, aliter uti homo. Uti Deus, eadem voluntate qua Pater; uti homo, ex charitate et obedientia. Quare non abs re Anselmus explicat illud: « Oblatus est quia « ipse voluit », non solum de voluntate humana, sed et de divina. Imo quo magis urgetur mandatum Patris, eo securior manet interpretatio huius loci iuxta voluntatem Christi divinam; non exclusa tamen voluntate humana.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad voluntariam oblationem quam ipse Deus Filio suo immolando inspiravit.

2. Obi. Non considerat in ipso Christo duplicem se tradentis voluntatem.

3. Obi. Non considerat diversum respectum quem habet traditio Christi, iuxta radicem diversam a qua processit.

Sed contra est. Haec traditio Patris, - quae non involvit, uti voluit impie Calvinus, iussionem delicti eorum qui Christum damnarunt atque occiderunt, sed permissionem cum ordinatione ad finem Redemptionis, - intenditur per verba Psalmistae: « Tu vero repulisti et despexisti; distulisti Chri- « stum tuum... Exaltasti dexteram deprimentium eum, laeti- « ficasti omnes inimicos eius. Avertisti adiutorium gladii eius, « et non es auxiliatus ei in bello. Minorasti dies temporis eius; « perfudisti eum confusione » [1]. Hanc traditionem ac derelictionem ipse Christus expressit exclamans de cruce: « Deus, « Deus meus, quare me dereliquisti! ».

In Corpore. S. Thomas tres rationes evolvit per gradationem decrescentem: 1) Ratio petita ex divina praeordinatione habet aliquid directi et positivi. - 2) Ratio desumpta ex voluntate Christi habet, licet indirecte, et ipsa aliquid positivi. - 3) Ratio desumpta ex gubernatione circumstantiarum est simul negativa et indirecta.

[1] Ps. LXXXVIII, 39, sqq..

Neque solum ordo logicus est, sed et historicus. Prius enim Deus ordinavit Filium suum incarnatum pro nobis moriturum; dein ipsi homini-Deo inspiravit voluntatem sese offerendi pro generis nostri salute; tandem circumstantias gubernavit, unde haec voluntas in effectum duceretur.

Solutio obiectionis tertiae transitum facit ad sequentes articulos, in quibus consideratur causalitas mortem Christi directe efficiens.

ARTICULUS IV.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM PATI A GENTILIBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Potestas Patris ordinantis passionem Filii sui, omnes huius passionis circumstantias ita disposuit, ut nihil circa eam casu factum sit habendum; ergo quod non solum a Iudaeis, sed et a Gentilibus passus sit, tum *in se*, tum *ordine* quo factum est, providum censere debemus. *a*) Iam vero *in se* ratio symboli patet. Iudaei ex una parte, Gentiles ex altera exprimunt universalitatem operis salvifici, secundum illud psalmi: « Postula a me, et « dabo tibi gentes haereditatem tuam » [1]. *b*) *Ordo* etiam veritati respondet. Sicuti enim Christus per seipsum Iudaeis, Gentibus autem nonnisi per Apostolos regnum Dei annuntiavit, ita incepit pati a Iudaeis, consummavit autem passionem a Gentibus.

2) In quo attente considera *misericordiam* et *figuram*. *a*) *Misericordiam* quidem, quia Christus non passus est tormenta sibi inferri, nisi a Gentilibus. Milites quippe Pilati, pagani natione, et flagellis Iesum excruciarunt, et spinis coronarunt, et clavis cruci affixerunt. Quid autem horrendius, quam ipsum Deum hominum manibus tam atrociter plecti atque tractari? Unde quo levius fieret tantum scelus, a magis ignorantibus ac proin a minus sontibus haec peragenda misericordia divina disposuit.

b) Sed et in hoc agnosce *figuram*. Nam in viciniores sanguis Redemptoris maiorem exercuit vim. Ad praefiguran-

[1] Ps. II, 8.

dam autem abundantem salutem quam mox ipsa Roma erat acceptura, Christus voluit cruci circumstantes, imo ipsi illudentes, ipsumque flagellis caedentes habere milites Romanos.

Ad Textum. - *1. Obi.* Retorquetur argumentum. Eo maior gratia a Cruce probatur obtenta, quo maior venia pro peccatoribus ipsisque tortoribus rogatur.

2. Obi. Procedit ac si carnifex sacerdotium ageret.

3. Obi. Non attendit ad genus mortis quo praeordinabatur Christus moriturus; neque considerat, hoc tempore iudicialem potestatem populi iudaici fuisse vinculatam.

Sed contra est. Factum Christi a Iudaeis et a Gentilibus passuri, iam praefigurabatur in Iosepho, quem fratres primum, deinde Ismaëlitae et Ægyptii iniuste tractaverunt.

In Corpore. Unico argumento S. Thomas comprehendit, quae tum de ipsa re, tum de rei ordine supra diximus.

Resp. ad 3m. Ultima responsio caeteris praeferenda est quoad rationem historicam; penultima autem quoad ordinem praedestinationis divinae.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTI PERSECUTORES EUM COGNOVERINT.

De ipsa Quaestione. - 1) Ad rectam huius quaesiti solutionem quaedam distinguenda occurrunt. *a*) In *persecutoribus* triplex est gradus: α) *maiores* ex Iudaeis, β) *minores* ex Iudaeis, γ) *Gentiles*. - *b*) Pariter in cognitione distinguenda est: α) cognitio *perfecta*, β) cognitio *imperfecta* per passionem obnubilata, quae et ipsa gradus comportat, γ) *ignorantia* totalis.

2) *Perfectam* cognitionem neminem ex Christum tradentibus habuisse, variis ex locis Scripturae constat. *a*) *De daemonibus* habemus verba S. Pauli: « Si cognovissent, nunquam « Dominum gloriae crucifixissent » [1]. Quomodo autem hi non plene cognoverint, etiamsi in eo viderint impleri omnes prophetias, S. Thomas intelligendum putat de dignitate divina,

[1] I. Cor. II, 8.

quam, per se quippe invisibilem, diabolus non potuit nisi subintelligere, ac ope conclusionis credere.

b) De *Iudaeis*, tum minoribus, tum maioribus, eadem veritas patet ex verbis S. Petri: « Scio quod per ignoran- « tiam fecistis, sicut et principes vestri » [1]. Quod quo gradu et quomodo intelligendum sit, mox investigabimus.

c) Demum de *Gentilibus*, non exclusis aliis, idem constat ex oratione ipsius crucifixi Domini: « Pater, dimitte illis: « non enim sciunt quid faciunt » [2].

3) *Imperfecta* autem cognitio per gradus in persecutoribus tenenda est. Ad quod demonstrandum inserviunt verba S. Pauli, qui in uno loco se ignoranter egisse contra Christianos dixit [3], et nihilominus alio in loco se maxime inde culpabilem damnat [4]. Quod a Paulo certe ad *maiores* populi Iudaici extendere licet. Non cognoverunt Christum, quia illum agnoscere *noluerunt*. Optime enim eum cognoscere potuissent, quemadmodum Christus ipsis testificatus est, inexcusabilem eorum affirmans incredulitatem ac pertinaciam [5]. - Idem, sed gradu minori, dicendum est de populo, utpote teste miraculorum et praedicationis Christi. Cf. *Corpus* art.

Cuius culpabilis ignorantiae merces legitima fuit obcaecatio illa, quam Paulus ita describit: « Sed obtusi sunt sen- « sus eorum. Usque in hodiernum enim diem, idipsum vela- « men in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, « (quoniam in Christo evacuatur), sed usque in hodiernum « diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor « eorum » [6].

4) Porro *ignorantiam* plenam in Gentilibus admittere licet, saltem in vulgo militum, qui poenam in Christum latam executi sunt. Herodes autem et Pilatus, ex fama de Christo accepta et ex colloquio cum eodem habito, aliquid sane supra hominem in Christo suspicari potuerunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si quaevis cognitio

[1] Act. III, 17.
[2] Luc. XXIII, 34.
[3] I. Tim. I, 13.
[4] I. Cor. XV, 9.
[5] Ioann. XV.
[6] II. Cor. III, 14, 15.

Christi ut Messiae promissi, in plenam cognitionem eiusdem divinitatis conduceret.

2. Obi. Non attendit, τὸ nolle videre, esse aliquo modo videre, si odium praesertim impediat, quominus consideretur obiectum quod cernebatur, et a quo penitius examinando mens impie oculos avertit.

3. Obi. Non considerat, ex eadem mala voluntate ignorantiam non excusari.

Sed contra est. Contra hanc doctrinam egit Bucerus dicens: Christum non esse verum illum Iudaeis promissum, sed alium esse expectandum. Quod aperte in Scripturis confutatur per omnes illos textus, in quibus, praesertim apud S. Matthaeum, Vetus Test. Christo applicatur. - Pariter hic refutatur Theodorus contendens de Christo nihil expresse dictum fuisse in Veteri Testamento. Quae assertio eodem argumento confunditur, necnon ex universa expectatione populi Israël. Sed de his breviter egemus in appendice de Messianitate Christi [1].

In Corpore. Doctrina Sancti Thomae ad haec reducitur. Maiores Iudaici populi, sicuti et daemones, clare cognoverunt Iesum esse Christum, non autem (ex culpa sua) eum esse Deum. Minores vero neutrum agnovere, cum aliqua sed minori culpabilitate; quae imo potuit in aliquibus ex toto abesse.

ARTICULUS VI.

UTRUM PECCATUM CHRISTUM CRUCIFIGENTIUM FUERIT GRAVISSIMUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Gravitas peccati crucifigentium Dominum, - sumendo hanc vocem latiori sensu pro omnibus qui huius crucifixionis partem habuerunt, scilicet Iudas, Iudaei (maiores et minores), Pilatus, Gentiles, - desumenda est *a*) a cognitione quam de Christo habuerunt, *b*) a causa impulsiva eorum participationis ad necem Domini, *c*) a fine intento. Ratione *a*) maior cognitio maiorem culpam constituit; ratione *b*) quo maior fuit libertas, aut vilior vel

[1] Fusius hoc argumentum reassumemus in tractatu de vera Religione.

perversior causa, eo maior fuit et culpa; demum ratione *c*) quo crudelior finis, eo gravior culpa.

2) Itaque *Iudae* peccatum maximum fuit *a*) ratione perfectioris cognitionis quam habuit Domini sui; *b*) ratione vilitatis causae impulsivae, nempe avaritiae; *c*) ratione proditionis et quidem per osculum completae [1]; - non autem ratione finis: sperabat enim Christum manus Iudaeorum evasurum, unde in desperationem actus, vitam sibi ademit [2].

3) *Sacerdotum,* seu maiorum Iudaici populi, peccatum fuit maximum *a*) ratione finis: directe enim volebant mortem Prophetae, nec solum Prophetae, sed et operis eius; - *b*) causa quoque pessima erat, scilicet invidia liberrime concepta; cognitio Christi minor quidem cognitione quam habuit Iudas, attamen satis distincta ad gravissimum peccatum constituendum.

4) *Pilati* autem peccatum fuit longe minus. Etenim *a*) mortem Christi non intendit, sed permisit; - *b*) insuper quasi nolens permisit, triplici prius tentata via, ut se ab eius damnatione liberaret: α) proponendo electionem inter Iesum et Barabbam, β) transmittendo Iesum ad Herodem, γ) flagellis eum plectendo; - unde quem damnabat Iesum, innocentem declaravit; - *c*) motivum autem respectus humani minus scelestum est invidiâ; - *d*) demum ignorantia circa Christi dignitatem longe maior.

De reliquis quid censendum sit, satis est manifestum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit, hanc orationem Christi eodem titulo pro omnibus valuisse, quod falsum est ex dictis in art. praec.

2. Obi. Non attendit, causalitatem in Christi occisione maxime respicere principes Sacerdotum. Inde eloquenter exclamat S. Augustinus: « Si reus, quia fecit vel invitus; illi inno-

[1] Hinc Iudas in aevum manet archetypus moralis ignominiae atque vilitatis. Quod et Dantes Aligherius in suo poëmate expressit, collocando proditorem in ipso centro carceris infernalis:

« *Quell'anima lassù che ha maggior pena,*
« *Disse il Maestro, è Giuda Scariotto* ».
(*Inf.,* Cant. XXXIV, 61, sq.).

[2] Inde antequam laqueo se suspendit, iustitiae Christi testimonium reddidit.

« centes, qui coëgerunt ut faceret? Nullo modo.... Et vos, o « Iudaei, occidistis » [1].

3. *Obi.* Dupliciter peccat: *a*) supponit Christi voluntatem morti suae consentientis eamque volentis, sese extendisse ad peccatum seu actionem suorum carnificum; *b*) supponit unicam causam iustitiae ac nequitiae in homicidio esse violatam voluntatem vivere cupientis. Duplici vitio obiectionis S. Thomas in duplici parte responsionis occurrit.

Sed contra est. Gravitas delicti gentis deicidae probatur ex gravitate punitionis, iuxta illud: « Pro mensura peccati « erit et plagarum modus » [2]. Quam punitionem Christus haud semel, et cum lacrymis, praedixit; et historia excidii Ierusalem inaudita strage sancivit.

Specialem gravitatem peccati crucifigentium Dominum expressit ipse Christus oratione speciali pro carnificibus facta, ut huius sceleris veniam impetraret. Idem insinuat planctus universae naturae. Eleganter S. Bernardus, distincto triplici peccato originali, personali et singulari, de hoc ultimo ait: « Singulare vero est gravissimum, quod commissum est « in Dominum maiestatis, cum viri impii virum iustum iniu- « ste occiderunt, et sacrilegas manus in ipsum Dei Filium « iniecerunt crudelissimi homicidae: imo, si fas est dicere, « deicidae. Quid duo praecedentia ad tertium? Ad hoc expal- « luit et expavit tota machina mundialis, et pene in antiquum « chaos sunt omnia revoluta » [3].

Gravitatem autem peccati Iudae praedixerat historia Absalon, necnon psalmus ille quem David in ministrum suum infidelem fremens eructavit [4]. Idem demonstrat sententia terribilis quam de proditore Christus protulit: « Ex vobis unus « diabolus est » [5]; « Vae homini illi, per quem Filius hominis « tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille » [6]. Inde cum moesta indignatione absque ullo spei radio Petrus loquitur: « de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehende-

[1] Super ps. LXIII.

[2] DEUTER. XXV, 2.

[3] Serm. *de Passione Dom.*, n. 7. — *P. L.* CLXXXIII, 266.

[4] Ps. CVIII; cf. XL, 10.

[5] IOANN. VI, 71.

[6] MATTH. XXVI, 24. Adverte illud « bonum erat *ei* », non utique nobis, nec Christo, nec Deo.

« runt Iesum », et qui de apostolatus ministerio « praevari- « catus est... ut abiret in locum suum » [1].

In Corpore. Tres gradus S. Thomas constituit: maiores, minores populi Iudaici, Gentiles. Omnium peccatum fuit *genere* gravissimum, quia summa iniustitia in summum Iustum commissa. Propter diversos autem ignorantiae gradus, malitia fuit diversa.

Nihil quidem Angelicus hic dicit de Iuda, neque de Pilato; sed hoc complet in resp. ad 2m. Iudas autem minus directe huc spectat, quia non tradidit Christum crucifigendum.

Corollarium. - Intuitu impiorum, qui iustam damnationem in improperium Iesu verterent, vide quam provide factum sit, ut quotquot in hac causa partes egerint, innocentiam Victimae proclamarint. Proditor fatetur, se tradidisse sanguinem iustum. Pilatus protestatur, se nullam in eo invenire causam; quin et manus sibi lavat, ne tanti sceleris reus ipse teneatur. Pontifices Christum quidem accusant, sed adductis falsis testibus, et ipsi modo religionem, modo rationes politicas adducunt, ut damnationem Iesu, tandem per iniectum praesidi metum extorqueant. Herodes Iesum spernit, vesteque alba indutum ad Pilatum remittit. E sociis poenae alter innocentiam Iesu e cruce confitetur; ipseque centurio declarat, Victimam hanc sublimem esse vere Filium Dei. Agnosce Providentiam Dei tam mirabiliter cuncta ordinantis; agnosce et amorem Patris, dilecto Filio, etiam ubi ob amorem nostri eum tradit in mortem, tot innocentiae testimonia procurantis!

APPENDIX.

De specie ac symbolismo crucifixi Domini.

Placet heic nonnulla ascetica imo et artistica adiungere de specie ac symbolismo crucifixi Domini.

Suavitatem Iesu, veluti Sponsi in cruce decumbentis, Anselmus hisce eloquentibus ac piissimis verbis depingit: « Dul- « cis Iesus in inclinatione capitis et morte, dulcis in extensione

[1] Act. I, 16, 25.

« brachiorum, dulcis in apertione lateris, dulcis in confixione « pedum clavo uno. Dulcis in inclinatione capitis: inclinans « enim caput in cruce, quasi dilectae suae dicere videtur: « O dilecta mea, quoties desiderasti frui osculo oris mei, « nuntians mihi per sodales meos, " osculetur me osculo oris « sui? " [1]. Ego paratus sum, caput inclino, os porrigo, oscu- « lare quantumlibet: nec dicas in corde tuo, illud osculum « non quaero, quod est sine specie et decore; sed istud glo- « riosum, quo semper frui desiderant angelici cives. Noli sic « errare, quia, nisi primo osculata fueris istud os, ad illud « omnino pervenire non poteris. Igitur osculare istud os, « quod tibi nunc offero, quoniam, etsi sine specie et decore « est, tamen non sine gratia. Dulcis in extensione brachio- « rum: extendens enim brachia nobis insinuat quod amplexus « nostros ipse desiderat, et quasi dicere videtur: O vos qui « laboratis et onerati estis, venite, et reficimini [2] inter bra- « chia mea, inter amplexus meos: videte quia paratus sum « intra brachia mea congregare vos, venite ergo omnes: « nullus timeat repelli, quia nolo mortem peccatoris, sed ut « convertatur et vivat [3]. Deliciae enim meae sunt esse cum « filiis hominum [4]. Dulcis in apertione lateris; apertio siqui- « dem illa revelavit nobis divitias bonitatis suae, charitatem « scilicet cordis sui erga nos. Dulcis in confixione pedum « clavo uno; quia per hoc nobis quasi ita loquitur: Ecce si « putatis quia fugere debeam, et ideo ad me accedere tar- « datis, scientes quia sum nimis velox, et sicut hinnulus; « videte quia pedes mei clavo uno confixi sunt ita ut omnino « non possim fugere vos, quia misericordia me omnino liga- « tum tenet; nec fugiam vos ut meruerunt peccata vestra, « quia manus meae clavis confixae sunt ».

Unde S. Doctor in haec pia prorumpit: « Benigne Iesu, « humilis Domine, pie Domine, dulcis in ore, dulcis in corde, « dulcis in aure, inscrutabiliter et inenarrabiliter amoenus, « pius et misericors, potens, sapiens, benignus, largus sed « non prodigus, valde dulcis et suavis. Solus es summum

[1] Cant. I, 1.
[2] Matth. XI, 28.
[3] Ezech. XXXIII, 11.
[4] Prov. VIII, 31.

« bonum, speciosus forma prae filiis hominum [1], pulcher, et « decorus, et electus ex millibus [2], et totus desiderabilis [3]. « Pulchrum pulchra decent. O mi Domine, nunc tota anima « mea desiderat in amplexus tuos, et oscula ». Et contemplationem claudit per hanc pulcherrimam professionem amoris puri: « Nihil quaero nisi teipsum, quamvis nulla merces « repromitteretur; licet infernus et paradisus non essent, « tamen propter dulcem bonitatem tuam, propter te ipsum « adhaerere vellem tibi. Tu continua meditatio mea, verbum « meum, opus meum. Amen » [4].

Et in alia meditatione ingeniosissime evolvit symbolismum crucis, postquam exclamavit: « Illam divinissimam cru« cem mihi impone, cuius latitudo est charitas super omnem « creaturam se extendens, cuius longitudo est aeternitas, « cuius sublimitas est omnipotentia, cuius profundum est in« scrutabilis sapientia. Confige illi manus meas et pedes meos, « et totam formam passionis tuae servo tuo indue ». Igitur clavi manuum et pedum figurant virtutes cardinales: clavus scilicet sinistrae manus, temperantiam; dexterae, iustitiam; clavus dexteri pedis, prudentiam; sinistri, fortitudinem [5]. Corona spinarum est figura stimulorum poenitentiae, compassionis atque zeli. Spongia aceto plena symbolum est inanitatis mundi et amaritudinis voluptatum. Vinum myrrhatum suspectum habet, quum id ipse Dominus recusaverit: « forte quia « nimiam acerbitatem crucifixorum tuorum indicabat ». Tunc de Domini morte ait: « Tuae quoque vivificae morti servum « tuum configura, faciens in me ut moriar quidem peccato « secundum carnem, vivam autem iustitiae secundum spiri« tum ». Et pergit de lancea et sindone: « Ut autem inte« gram crucifixi imaginem portare me glorier, illud quoque, « quaeso, quod post mortem tuam insatiabilis malitia impio-

[1] Ps. XLIV, 3.

[2] CANT. V. 10.

[3] Ibid. 16.

[4] Medit. X, *de Passione Christi*. — *P. L.* CLVIII, 761, sqq.

[5] Forte quis mirabitur, S. Anselmum hic enumerare quatuor clavos, dum in meditatione paulo superius citata, bis affirmat utrumque pedem fuisse cruci affixum « clavo uno ». Num forte haec est una e rationibus ob quas ista meditatio IX reperitur interdum inter opera S. Bernardi? Caeterum, quidquid sit de clavo uno vel gemino, certum est, in hoc clavo etiam singulari posse quoad utrumque pedem considerari duplicem respectum.

« rum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vul-
« neret cor meum vivus et efficax sermo tuus penetrabilior
« omni lancea acutissima, et pertingens usque ad interiora
« animae meae [1], producat ex ea, tanquam a dextro latere
« meo, vice sanguinis et aquae amorem tuum, et fratrum
« meorum. Postremo et munda sindone primae stolae spiri-
« tum meum involve, in qua requiescam ingrediens ad te in
« locum tabernaculi admirabilis [2], et abscondens me, donec
« pertranseat furor tuus » [3]. Et de resurrectione adiungit:
« Die autem tertia, post diem laboris, post diem simplicis
« gloriae, mane prima Sabbati perpetui inter filios tuos me
« indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem
« tuam, et adimplear laetitia vultus tui » [4].

Eloquentem hanc Crucis pulchritudinem ars poëtica simul et plastica certatim celebravit. Quam tenere Venantius Fortunatus exclamat:

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis:
Nulla sylva talem profert
Fronde flore, germine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinet! [5].

Nec minus eleganter Calderon de la Barca Crucem appellat:

Arbol, donde el cielo quiso
Dar el fruto verdadero
Contra el bocado primero,
Flor del nuevo paraiso
Arco de luz, ancho aviso
En pielago mas profundo,
La paz publica del mundo,
Planta hermosa, fertil vid,
Harpa del nuevo David,
Tabla del Moises segundo:
Pecador soy, tus favores
Pido por justicia yo [6].

Quin et ipsis modernis poëtis, vel superbia, vel prava

[1] Hebr. iv, 12.
[2] Ps. xli, 5.
[3] Is. xxvi, 20.
[4] Ps. xv, 11. — Medit. ix, *De humanitate Chr.*, loc. cit. 758, sqq.
[5] Hymn. « *Vexilla regis prodeunt* ». Haec stropha D. Laurentium Perosi exquisite inspiravit in musico opere cui titulus: « *La Risurrezione di Cristo* ».
[6] *Devot. erga S. Crucem* tert. dies, scena 3.

voluptate in dubium, ne dicam in impietatem proiectis, Crux sublimia carmina inspiravit. Quis nesciat hoc tetrastichum a Victore Hugo imagini Crucifixi subscriptum?

Vous qui pleurez, venez à ce Dieu, car il pleure;
Vous qui souffrez, venez à lui, car il guérit;
Vous qui tremblez, venez à lui, car il sourit;
Vous qui passez, venez à lui, car il demeure.

Et sane, si carmina huius poëtae transibunt multa, haec ad finem usque temporum cum admiratione citabuntur. Necnon et ista levissimi at ingeniosissimi Musset, gloriam Christi veluti emortuam primum sceptice describentis, at subitaneo afflatu in sublime desiderium sese erigentis.

Les clous du Golgotha te soutiennent à peine;
Sous ton divin tombeau le sol s'est dérobé!
Ta gloire est morte, ô Christ, et sur nos croix d'ébène,
Ton cadavre céleste en poussière est tombé....
Eh bien! qu'il soit permis d'en baiser la poussière
Au moins crédule enfant de ce siècle sans foi,
Et de pleurer, ô Christ, sur cette froide terre
Qui vivait de ta mort, et qui mourra sans toi!
Oh! maintenant, mon Dieu, qui lui rendra la vie?
Du plus pur de ton sang tu l'avais rajeunie;
Jésus, ce que tu fis, qui jamais le fera?
Nous, vieillards, nés d'hier, qui nous rajeunira? [1]

Inde felix fuit cogitatio, renascentiae verae auspicium, ut, ineunte saeculo vicesimo, quod Leo XIII Christo Redemptori fauste dicavit, in hac Italia, ab insula Sicula usque ad Pedemontanas oras, cacumina montium tot Crucifixi imaginibus resplenderent.

Artis autem christianae Crucifixi imago, licet stadia varia cognoverit, centrum tenet usque gloriosum [2]. Quis enumerabit picturas, sculpturasve vere sublimes, quas superhumana emorientis Dei figura excitavit? Porro Christus si artem enutrivit e cruce, quid dicam de moribus populorum, de

[1] Integra etiam hic adducenda esset meditatio Lamartine cui titulus *Le Crucifix*.

[2] In exordiis enim crux sine Victima divina figurabatur; dein Christus in cruce repraesentabatur ipse, at uti Rex ac triumphator; postea iam dolores passionis expressius delineabantur; demum, instaurato neopagano cultu formae corporalis, Christus affixus cruci argumentum princeps remansit, ne dicam, praetextus, ad pulchram humani corporis figuram exhibendam arte docta confectam. Duo enim sunt argumenta sacra, quae sculptores pictoresve inde semper in se magis pronos invenerunt: Christus affixus cruci, et S. Sebastianus palo alligatus.

mente, de corde Sanctorum? Ne nimia fiat haec digressio, remitto ad egregium librum P. J. Hoppenot, cui titulus: « *Le* » *Crucifix dans l'histoire, dans l'art, dans l'âme des Saints,* « *et dans notre vie* » [1].

Caeterum instaurata procella quae, sicut Iconoclastarum saec. VIII et XVII tempore, in imagines Crucifixi publice expositas invehit [2], aequum est ut quotquot in Cruce adorant salutem divinitus partam, Crucis mysterium oculis contemplari laetentur, moribus in se reproducere glorientur.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Directe quidem persecutores Christum occiderunt, indirecte autem se ipsum Christus, quatenus mortem suam non impedivit, quod facere potuisset, sive adversarios cohibendo, sive carnem virtute spiritus a laesione praeservando (art. 1). - 2) Quodsi hoc non fecit, tribuendum est Christi charitati et obedientiae, qua Patris mandatum implevit; quod mandatum fuit conveniens, tum propter reparationem peccati inobedientiae, tum propter maiorem ex meriti obedientia victoriam (art. 3). - 3) Pater autem mandato tradidit Filium suum ad mortem; nec solum mandato, sed et voluntate sese immolandi quam illi inspirabat; insuper eum non praeservando, quin et ictibus persecutorum exponendo (art. 3). - 4) Qui persecutores ob rationem symbolicam convenienter fuerunt primo Iudaei, dein Gentiles (art. 4). - 5) Quorum, etsi nulli perfecte

[1] Société St Augustin. Desclée, De Brouwer et C. Lille, Paris 1901. — Placet e litteris, quas Card. Langénieux ad auctorem scripsit, sequentia depromere verba. « L'Italie a répondu à la parole du Pape en dressant la Croix au sommet des mon- « tagnes, pour rappeler de plus haut au monde perverti, qu'il a été racheté par « elle.

« Votre ouvrage, mon Révérend Père, fait quelque chose de semblable en notre « France. Lui aussi montre la Croix dans une splendeur nouvelle, avec son histoire « sanglante, et son culte dix-neuf fois séculaire, avec ses beautés artistiques, avec « sa puissance de sanctification sur les âmes d'élite, avec ses effets merveilleusement « salutaires dans notre vie et dans notre mort ».

[2] Quousque haec impietas massonico instigante gubernio hodiedum saeviat apud Gallos, recentia facinora, blasphemiae monstra, in scholis, in plateis, in nosocomiis, in ipsisque templis a novis Vandalibus dirutis, eheu! nimis testantur. Et haec quidem ad « libertatem » reipublicae a « clericali tyrannide » tuendam! Nonne de talibus hypocritis valet illud Praecursoris: « Genimina viperarum? » (Luc. III, 7).

Iesum ut Christum et Deum cognoverunt, tamen Iudaei, praesertim maiores, ignorantia affectata, non excusante, scelus perpetrarunt (art. 5). - 6) Eorum autem peccatum fuit gravissimum genere, insuper peccatum maiorum ex Iudaeis, fuit gravissimum malitia (art. 6).

CAPUT III.[1]

DE MODO PASSIONIS CHRISTI QUANTUM AD EFFECTUM.

QUAESTIO XLVIII.

Ordo Capitis patet. - Hucusque de passione Christi *in se* (Q. XLVI) et in *causa efficiente* (Q. XLVII). Nunc de passionis *effectu*. Et primo quidem de effectu, in fieri considerato, in *modo efficientiae* (Q. XLVIII); secundo de effectu considerato in termino, seu de *ipso effectu* sive *fructu* (Q. XLIX). Unde vide nexum inter has tres Quaestiones: prima considerat causam efficientem, aliquo modo principium motus; secunda ipsum motum; tertia terminum motus.

Ordo Quaestionis huius est manifestus. Primus articulus ponit *nexum meriti* inter Christum patientem et illos pro quibus passus est. Sequentes articuli considerant successive in opere salvifico rationem *satisfactionis, sacrificii* et *redemptionis* (ubi proprietas tituli Redemptoris perpenditur); quae tria ordine gradationis inter se coniungi, in argumenti evolutione patebit. Demum consideratur in his *modus efficientiae*.

ARTICULUS I.

UTRUM PASSIO CHRISTI CAUSAVERIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM MERITI.

De ipsa Quaestione. - 1) Meritum in passione Christi dupliciter considerandum occurrit: *a*) meritum Christi sibi; *b*) meritum Christi nobis. De primo iam diximus supra. Re-

[1] Errore typi omissum est *Caput II* in titulo p. 716. Cf. tabellam p. 3.

sultat quippe ex perfectissimo modo quo viator usus est gratia sibi a primo instanti abundantissime collata. Sed hoc meritum non sufficit operi salvifico. Ut enim meritum Christi non modo sibi, sed et nobis applicabile sit, oportet ut inter nos et Christum stabiliatur nexus.

2) Iam vero iste nexus in hoc consistit, quod Christus est *caput corporis,* cuius nos sumus membra. In quo duo explicanda sunt: *a*) quomodo Christus caput, *b*) quomodo membra nos.

a) Christus caput est, quia eiusdem nobiscum humanae consors naturae a Patre destinatur, ut in ordine salutis pro toto genere humano sit illud ipsum, quod Adam fuit ex gratia Dei in ordine naturae, et ex culpa sua, in quantum ad nexum, in ordine lapsus. Haec autem destinatio Patris est in Christo origo gratiae capitis, gratiae scilicet quae non solum habeat respectum personalem ad ipsum Christum, sed etiam respectum socialem ad genus nostrum. Unde meritum ex hac gratia acquisitum habet ex se, vi huius gratiae capitis, destinationem ut sit meritum generis nostri. Quare a parte Christi uti fundamentum naturale habemus assumptam nostram ex Adamo naturam; uti fundamentum supernaturale, gratiam capitis a Patre Christo collatam in ordine ad meritum non modo ipsi sed et nobis acquirendum.

b) Ast aliquid amplius requiritur ut nos simus membra, non solum in potentia, sed et actu. Oportet scilicet ut incorporatio supernaturalis accedat. Quemadmodum enim per nativitatis vinculum ab Adamo participamus simul naturam et culpam; ita requiritur nativitas nova supernaturalis ut a Christo vitam gratiae derivare possimus. Nativitati ex carne et sanguine respondeat oportet nativitas ex aqua et Spiritu. Inde Christus Nicodemo ianuam revelans regni caelorum, ait: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu « Sancto, non potest introire in regnum Dei » [1]. Id est, ut merita Christi, in potentia ad omnes extensibilia, actu applicentur singulis, oportet ut membra in potentia fiant membra actu, per actualem incorporationem cum capite.

3) Iam vero haec incorporatio, quum non possit fieri nisi

[1] Ioann. iii, 5.

per medium supernaturale [1], ut Christus nobis mereri efficaciter potuerit, oportet ut etiam hoc medium sit eius meriti fructus. Proin meritum Christi continet tum media incorporationis membrorum cum capite, tum effusionem meritorum a capite in membra. Utrumque Ioannes profunde complexus est in exordio Evangelii sui, ubi ait: « Quotquot autem rece- « perunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui « credunt in nomine eius, etc. » [2]. Etenim pro adulto accedente ad Christum ecce via completa participationis meritorum Christi: praecedit praedicatio, quae, si bona voluntate (ex gratia initiali) accipitur, iam accedit instrumentum conferens potestatem renascendi, sacrum nempe baptisma, quo renascuntur filii Dei, utpote membra veri Filii Dei, Iesu-Christi capitis membrorum suorum, quae per applicata ipsis merita sua redemit.

4) Porro, sicuti initium participationis meriti Christi est actualis incorporatio cum capite, vel via ad ipsam, ita conditio sine qua non fructus salutis est conservatio vinculi quo membra mystici corporis capiti colligantur, scilicet *charitatis*.

Haec doctrina de Christo capite et de membris ipsi gratuito inserendis et organico nexu iugiter coniungendis, ut meriti ipsius fiant participes, continetur duplici comparatione, altera S. Pauli: « Si radix sancta, et rami.... Tu autem « cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, « et pinguedinis olivae factus es » [3]; altera ipsius Christi: « Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in « eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis « facere. Si quis in me non manserit; mittetur foras sicut « palmes, et arescet » [4].

5) Consequens autem huius doctrinae est, Christum non solum nobis, sed et *omnibus hominibus*, potentialiter scilicet, meruisse. Hoc contra Calvinistas et Iansenistas, imo et Donatistas prius, de quibus eloquenter Augustinus: « Valde ingrati

[1] Quia hoc non vidit, Nicodemus tam crassam obiectionem contra Christi assertum movit.

[2] I, 12.

[3] Rom. xi, 16, sq.

[4] Ioann. xv, 5, sq.

« sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut « illud (pretium, scil. Christi sanguinem) tam parum esse ut « solos Afros emerit, aut se tam magnos esse pro quibus « solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant: « *pro toto dedit, quantum dedit* » [1].

6) Et re quidem vera, quum nulla limitatio sit a parte pretii infiniti, de quo infra directius; limitatio deberet apponi vel in voluntate Patris destinantis et acceptantis, vel in voluntate ipsius Filii. Iam vero utrumque est aperte contra dogma Redemptionis.

Quod breviter ostendendum est, indirecte quidem et directe. *a*) *Indirecte* habemus: α) *fundamentum universale* in assumpta nostra humana natura omnibus communi, unde Paulus ut ostendat omnes, tam Gentes quam Iudaeos, in Christo salvari, provocat ad communem originem omnium hominum, quatenus unum Deum conditorem habent [2]. Assumens proin hanc naturam, Christus salutis universalis fundamentum posuit. - β) *Gratia capitis* fuit pariter absque limitatione Christo collata unde Ioannes dicit: « De *plenitudine* eius, nos *omnes* « accepimus » [3]. - γ) *Medium* demum *incorporationis* nullam limitationem per se accepit, uti constat ex comparatione *vitis*. Unde Christus mittit Apostolos ad *omnem creaturam* [4], fide et regeneratione salvandam.

b) Sed *directius* de utraque voluntate Patris et Christi universaliter salvifica constat ex verbo Apostoli: « Deus « *omnes homines* vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis « venire » [5]. Et sane α) Patrem pro omnibus tradidisse Filium, habemus in ipsis Filii verbis: « Sic Deus dilexit *mun-* « *dum*, ut Filium suum unigenitum daret; ut *omnis* qui credit « in eum, *non pereat*, sed habeat *vitam aeternam* » [6]. - β) Filium autem se pro omnibus obtulisse, habemus ex hoc ipso quod Patris mandatum impleverit; hoc autem non implevisset, nisi pro omnibus seipsum tradidisset. Sed quia implevit, potuit dicere de seipso, in eodem sermone: « Sicut Moyses exalta-

[1] Cf. off. pretiosissimi Sanguinis.
[2] Rom. iii, 29, sq.
[3] Ioann. i, 16.
[4] Marc. xvi, 15.
[5] I. Tim. ii, 4.
[6] Ioann. iii, 16.

« vit serpentem in deserto », (cuius aspectu *omnes,* qui fiduciam habebant, curati sunt); « ita exaltari oportet Filium « hominis, ut *omnis,* qui credit in eum, non pereat, sed « habeat vitam aeternam » [1]. Ubi vides, eamdem voluntatem salvificam universalem de Patre et de Filio eisdem prorsus verbis praedicari.

Repones. Utique Pater tradit Filium, Filius pariter seipsum pro credituris; sed quid de non credituris? - *Resp. a*) Aliud est, quod se tradat, seu tradatur unice pro credituris; aliud, quod se tradat, seu tradatur pro omnibus, ita tamen ut conditio efficaciae, seu applicationis salutis ad singulos, sit uniuscuiusque fides. Prius non continet in se meritum Christi pro omnibus; sed hoc alterum tale meritum continet. Atqui textus adducti hoc alterum evincunt. Ergo.

Haec destinatio universalis ex universali merito confirmatur per hoc, quod medium regenerationis a Christo institutum pro omnibus indifferenter infantibus valet; quod esse non posset, nisi merita Christi omnibus *per se* destinarentur.

c) Quando proin Christus Apostolos suos misit *in universum mundum* praedicare Evangelium *omni creaturae* [2], expressit simul et Patrem Filium suum in mundum pro omnium salute misisse, et Filium pro omnibus sanguinem suum effudisse. Quod utrumque rursus continetur in hoc versu psalmi Messianici: « Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem « tuam » [3].

Et haec satis sint. Quae superius in tractatu *de Deo uno* [4] exposuimus de voluntate Dei salvifica universali, fusius applicabimus in tractatu de gratia et de praedestinatione.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit passionem exterius illatam et voluntatem interius acceptantem.

2. Obi. Negligit omnes considerationes quibus superius vidimus, Christum debuisse per passionem, imo per crucem genus nostrum reparare. Abstrahit insuper a praeordinatione divina et ab oeconomia strictae reparationis et redemptionis.

[1] Ioann. 14, sq.
[2] Marc. xvi, 15.
[3] Ps. ii, 8.
[4] T. ii, p. 252, sqq.

3. Obi. Eodem vitio laborat.

Sed contra est. Ex toto capite [1] modo allato apparet, Christum in solemni passionis hora causam nostram a sua propria causa non separasse. « Et pro eis ego sanctifico « meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro « eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt « per verbum eorum in me. Ut omnes unum sint, sicut tu « Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint « unum, sicut et nos unum sumus » [2].

Unde apparet universale meritum Christi singulis per fidem applicandum, ut membra corpori in salutem inserantur. Doctrinam hanc iuxta utrumque aspectum egregie declarat Concilium I apud Carisiacum anno 853 contra Gotescalchum habitum: « Christus Iesus D. N., sicut nullus homo est, fuit « vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus « est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet « non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod vero « omnes passionis eius mysterio non redimantur, non respi- « cit ad magnitudinem et pretii copiositatem: sed ad infide- « lium et ad non credentium ea fide, quae per dilectionem « operatur, respicit partem; quia poculum humanae salutis, « quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina, « habet quidem in se, ut omnibus prosit: sed si non bibitur, « non medetur » [3]. - Pariter contra similem Novatorum errorem Concilium Tridentinum ait: « Etsi ille (Christus Iesus) « pro omnibus mortuus est, non omnes tamen eius beneficia « recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius « communicatur. Nam sicuti revera homines, nisi ex semine « Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti; cum

[1] Ioann. xvii.

[2] Vers 19-22. — Confirmatur doctrina praesens, (a qua Sancti fiduciam absolutam sibi semper hauserunt, fiduciam inquam cum maxima humilitate coniunctam), per factum quod ita narratur in vita S. Bernardi: « Aliquando graviter infir- « matus, visus est sibi ante tribunal Domini praesentari; ubi, cum Satan eiusque « satellites multa contra eum dixissent, ipse nihil territus respondit: " Fateor non « sum dignus propriis meritis obtinere regnum caelorum, sed duplici titulo obtinens « illud Dominus meus, haereditate scilicet Patris, et *merito passionis*, altero ipse « contentus, *alterum mihi donavit.* Cuius dono illud mihi vindicare non confundor ". « Ad haec confusus, inimicus cum suo conventu discessit ».

[3] Cap. 4. — Denzinger op. cit. n. 282.

« ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam « iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, « nunquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum « passionis eius gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur » [1]. Unde Ecclesia damnavit quintam propositionem Iansenii: « Semi- « pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino ho- « minibus mortuum esse aut sanguinem fudisse » [2].

In Corpore. Argumentum ita complectere: Christus per passionem meritus est sibi. Atqui nos cum ipso unum sumus, tanquam capitis membra. Ergo non sibi tantum, sed et nobis Christus per passionem meritus est. - In textu τὸ « *ad ipsum* » intellige hominem.

Resp. ad 2m. Adde ex supra iam dictis, nihil impediri quominus eadem res multiplici titulo debeatur.

ARTICULUS II.

UTRUM PASSIO CHRISTI CAUSAVERIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM SATISFACTIONIS.

De ipsa Quaestione. - 1) Quaedam praevia sint de nexu inter sequentes articulos. In peccato protoparentum, unde ruina gentis nostrae prodiit, considerari potest tum offensa Dei, tum consequens istius offensae. Unde in salute nostra per Christum completa considerare oportet tum id quod respondet offensae, tum id quod respondet consequenti offensae. Consequens autem offensae rursus respectum habet ad Deum, quem constituit homini inimicum, et ad hominem, quem constituit captivum delicti ac poenae. Pariter ergo in salute, quatenus respondet consequenti offensae, habemus respectum ad Deum placandum, et ad hominem liberandum.

2) Ex dictis iam patet articulorum sequentium vis et ordo. Passio Christi, quatenus consideratur ut respondens *offensae* Dei, salutem causat per modum *satisfactionis;* quatenus

[1] Sess. VI, *Decret. de iustif.* c. 3. Ibid n. 677.

[2] Ibid. n. 970. Censura sonat; « Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scan- « dalosa; et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum « mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haere- « tica ».

respondet *consequenti* offensae *a parte Dei placandi*, causat salutem per modum *sacrificii;* a parte *hominis liberandi,* per modum *redemptionis.*

3) Iam vero in satisfactione pro offensa hoc singulare occurrit, prae satisfactione pro damno accepto, quod etiamsi aequivaleat obiective offensae, imo eam superet, potest tamen ab offenso recusari. Unde acceptatio satisfactionis semper continet in se aliquid gratuiti.

Ex quo facilius intelligitur, quomodo ille, qui potuisset satisfactionem pro nobis oblatam recusare, possit etiam eam cui voluerit, ex secretis suis consiliis applicare per gratuita gratiarum dona. Inde ille ipse, cui tribuuntur Filii datio pro humani generis salute et acceptatio satisfactionis ab illo praestitae, ipse est idem, apud quem Scriptura et Filius secreta praedestinationis reponunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit: *a*) Non attendit fundamentalem veritatem in art. 1 acquisitam, qua Christus unum corpus cum suis membris efformat. - *b*) Insuper confundit satisfactionem quae aliquid exterioris actus habet, cum actu mere interno. Non ideo tamen negetur, vim ipsius satisfactionis esse in actu interno, in charitate scilicet qua actus externus ponitur.

2. Obi. Non attendit ad valorem vere infinitum huius charitatis. Unde quum *a*) ex una parte, propter rationes superius fuse expositas, Christus mori debuerit morte violenta; haec autem mors, - (praesertim quum debuerit esse mors illata ob causam publicam et quidem sacram totum opus salvificum respicientem), - non potuerit inferri nisi a persecutoribus Christum propter hoc ipsum opus damnantibus; et quum *b*) ex altera parte satisfactio fuerit superior omni delicto humano possibili: consequens est, peccatum gravissimum crucifigentium nihil amplius facere, quam augere satisfacientis charitatem et condonantis misericordiam.

3. Obi. Considerat dumtaxat naturam, in qua Christus passus est; non autem personam, quae passa est. Cf. Q. XLVI, art. 12.

Sed contra est. Veritas huius doctrinae continetur in sequentibus versibus rhythmi *Adoro te:*

Pie Pellicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Diserte proclamatur in epist. ad Romanos, ubi, facta comparatione inter *delictum* et *donum*, Apostolus concludit: « Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia ». De quo loco diximus in Quaest. I, a. 4 [1].

Solent haeretici sufficientiam reparationis ex passione solius Christi negantes, opponere S. Paulum dicentem: « Adim- « pleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro « corpore eius, quod est Ecclesia » [2]. - *Resp.* Hic locus est sane efficacissimus contra omnes illos qui, cum Luthero et Protestantibus passim, negant efficaciam propriorum meritorum, thesaurum spiritualem Ecclesiae, et applicationem huius thesauri ad fideles per indulgentias factam. Nihil autem haec verba probe intellecta efficiunt contra praesentem veritatem. Apostolus in eo est, ut doctrinam de corpore mystico exponat. Paulo ante dixerat de Christo: « Ipse est caput « corporis Ecclesiae » [3]. « Reconciliavit in corpore carnis « eius per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, « et irreprehensibiles coram ipso » [4]. Ergo in hoc eodem loco Paulus fundamentum sternit. (Cf. art. 1 et 2 huius Quaestionis). Sed quum corporis unitas ponat mutuam compassionem inter membra ad invicem et maxime ad caput, inde addit: « Nunc gaudio in passionibus pro vobis » [5].

Cur autem gaudet? quia, ut ipse ait: « Adimpleo etc. ». Igitur his verbis Apostolus proclamat necessitatem ut corpus mysticum capiti compatiatur, quemadmodum alio loco dicit: « Si tamen compatimur, ut et conglorificemur » [6]. Neque solum proclamat *necessitatem* compatiendi, sed et *efficaciam* compassionis, quatenus ab uno membro se extendit ad cor-

[1] T. IV, p. 55.
[2] COLOSS. I, 24.
[3] Vers. 18.
[4] Vers. 22.
[5] Vers. 24.
[6] ROM. VIII, 17.

pus et ad alia membra. Inde enim gaudebat Paulus in passionibus, quia merita acquirebat compassionis « pro corpore » Christi, « quod est Ecclesia ». Quae tota doctrina quatuor comprehendit: 1) Christus meretur pro nobis, quia sumus corpus, cuius ipse est caput. - 2) Christus pro toto corpore in carne sua et per mortem suam ex plenissima charitate [1] satisfecit. - 3) Ita tamen, ut nos quoque pro nobis in carne nostra compati debeamus. - 4) Imo, ex eodem vinculo membrorum eiusdem corporis, merita compassionis nostrae toti corpori sunt applicabilia et applicanda.

Vide quomodo ex hoc ultimo corroboretur resp. ad 1m; insuper quomodo doctrina indulgentiarum exinde immediate effluat.

In Corpore. Adverte nexum inter tres rationes hic allatas. Ratio charitatis tanta est, ut potuisset sine passione et morte sufficere ad reparandam offensam. - Ratio vitae infiniti valoris est tanta, ut sufficeret iam et amplius sine tot exquisitis tormentis. Fatendum tamen summam vim, in ratione secunda contineri, quatenus haec ratio magis immediate radicatur in unione hypostatica, unde desumitur virtus infinita satisfactionis Christi.

Insuper adverte nexum inter has tres rationes et sequentes articulos: continent enim in se sacrificium et redemptionem. - Victima quippe Christus fuit, quum igne charitatis suae (1), vitam fudit (2) inter extrema holocausti supplicia (3). - Redemptionis pretium solvit, quum per charitatem destruxit *culpae* reatum (1), et per mortem et supplicia dedit ipse *poenas* peccati (2, 3).

Quare omnia simul complectens, pulchre orat S. Anselmus: « Respice, Domine, sancte Pater de sanctuario tuo, et « de excelso caelorum habitaculo, et intuere hanc sanctam « hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus « puer tuus Dominus Iesus pro peccatis fratrum suorum, « et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae. Ecce « vox sanguinis fratris nostri Iesu clamat ad te de cruce. « Quid enim Domine, quid pendet in ea? Pendet, quia « praeterita tanquam praesentia coram te sunt. Cognosce, « Pater, tunicam veri filii tui Ioseph haec est: fera pessima

[1] Vide tres rationes *Corporis*.

« devoravit eum [1], et conculcavit in furore suo vestimentum « eius, et omnem decorem illius reliqui corporis inquinavit. « Ecce quinque scissuras lamentabiles in eo reliquit » [2].

Resp. ad 2m. Non erit abs re rursus audire S. Anselmum de hoc subtili argumento cum Bosone disserentem. « *B.* Sed « nunc video aliud quaerendum. Nam si tam malum est eum « (Christum) occidere, quam bona est vita eius, quomodo « potest mors eius superare et delere peccata eorum qui « eum occiderunt? Aut si alicuius eorum peccatum delet, « quomodo non potest aliorum quoque hominum aliquod « delere? Credimus enim quia et multi ex illis salvati sunt, « et innumerabiles alii non salvantur. - *A.* Hanc quaestio- « nem solvit Apostolus, qui dixit: quia " si cognovissent, « nunquam Dominum gloriae crucifixissent » [3]. Tantum nam- « que differunt scienter factum peccatum, et quod per igno- « rantiam fit: ut malum, quod nunquam facere possent pro « nimietate sua, si cognosceretur, veniale sit » (intellige venia dignum) « quia ignoranter factum est. Deum enim occidere « nullus homo unquam, scienter saltem, velle posset: et ideo « qui illum occiderunt ignoranter, non in illud infinitum pec- « catum, cui nulla alia comparari possunt peccata, prorue- « runt. Nam non consideravimus eius magnitudinem ad viden- « dum quam bona esset vita illa, secundum hoc quod igno- « ranter factum est; sed quasi scienter fieret quod nec « unquam fecit aliquis, nec facere potuit » [4].

Hoc intellige de daemonibus quoque dictum, non quidem ex defectu malitiae, sed ex ipsa natura delicti. Qui enim perfecte sciret, verum veri Dei Filium esse Illum quem occidere velit, sciret quoque ipsum mori non posse, imo impassibilem esse, uti Deum; nec ut hominem posse mori, nisi propter summum bonum inde acquirendum; cui bono iam ex malitia sua contribuere nollet.

Dupliciter ergo Christus usus est ignorantia se persequentium: *a*) ut eorum peccatum minueretur, et *b*) ut passionem et mortem possibilia redderet.

[1] Gen. xxxvii, 20.
[2] Medit. ix. — *P. L.* clviii, 756, sq.
[3] I. Cor. ii, 8.
[4] *Cur Deus homo* ii, 15. — Ibid. 415, sq.

Ad Anselmi autem argumentum observa, non posse a parte subiecti seu peccantis dari malitiam proprie infinitam. Unde, dato quod persecutores Christum plene cognovissent, adhuc reparatio per oblatam Christi vitam superaret delictum, quum, ratione unionis hypostaticae, vita Christi Hominis-Dei habeat valorem proprie infinitum.

De rigore autem satisfactionis a Christo praestitae nonnulla addemus in articulo quarto, agentes de titulo redemptionis.

ARTICULUS III.

UTRUM PASSIO CHRISTI OPERATA SIT PER MODUM SACRIFICII.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Conceptus sacrificii est alius latissimus, alius latus, alius strictus. *a*) *Latissime* sumptum, sacrificium est quaevis actio sacra *in obsequium Dei* completa. Quare in hoc sensu ad essentiam religionis pertinet in quovis statu possibili creaturae relate ad Creatorem. - *b*) *Late* sumptum, sacrificium est quaevis actio sacra completa in obsequium Dei *ad ipsum placandum*. Hoc sensu vox *sacra* habet sensum strictiorem, significat devotionem rei in ordine ad placandum Deum. Ita sumptum sacrificium est de essentia religionis in statu naturae lapsae cum reparationis spe ac debito culpae atque poenae. - *c*) *Stricte* sumptum, sacrificium est talis actio sacra ad placandum Deum completa, *cum immolatione* vel rei vel personae.

In hoc articulo proceditur a definitione sensus lati, cum applicatione secundum sensum strictum. Et re vera Christi sacrificium omne habuit in se quod stricti, imo strictissimi sacrificii est [1].

2) Quin Sacrificium Christi fuit unicum perfectum sacrificium, quia per hoc sacrificium Christus factus est, non solum de iure, sed de facto unus perfectus Mediator. Etenim, iuxta profundam Augustini doctrinam, quam S. Thomas suam in hoc *Corpore* facit, in Christo Homine-Deo se ipsum pro salute humani generis immolante habemus simul: *a*) *Deum* placandum atque placatum; *b*) *Pontificem*

[1] De conditionibus ad sacrificium verum requisitis fusius, Deo dante, disputabimus in tractatu de SS. Eucharistia.

victimam Deo mactantem; *c*) *Victimam* publico cultu oblatam Deo; *d*) demum, propter organicum vinculum quo totum corpus mysticum mirabiliter colligatur, *populum* Deo reconciliandum.

3) Sacrificiorum usus ortus est in primordiis historiae humanae a culpabilitatis sensu spe veniae communionisque permixto. Fundamentum habuit protoevangelium, ac proin ipsum Christum in eodem promissum. Substitutio creaturae irrationalis pro rationali erat figurativa Filii Dei insontis pro sontibus hominibus olim substituendi. Quae substitutio praesignificabatur per Isaac moribundum, qui benedixit Iacobo pellibus caprinis induto; Filii autem immolatio figurabatur per Abraham a Deo iussum ut proprium unigenitum in monte immolaret.

Pulchre id paucis exponit Bossuetius: « Tout est sang « dans la loi, en figure de Jésus-Christ et de son sang qui « purifie les consciences » [1].

4) Ast daemones notionem sacrificii deturpantes, instigarunt homines, ut humanas vitas idolis mactarent. In quo erat duplex scelus: *a*) falsis diis cultum exhibendi, *b*) victimas humanas offerendi [2]. Hoc alterum ideo scelestum erat,

[1] *Elévations* IX, 9. — At parum laudanda quae Loisy de his verbis scribit: « Grande idée, interprétation théologique et rétrospective *que n'ont pas soupçonnée* « les innombrables mortels qui, depuis le commencement du monde, ont offert à « leurs dieux et *dont les Israélites eux-mêmes n'ont pas eu connaissance* ». Et pergit alias rationes sacrificiorum adducendo, quin hanc primordialem significationem nec in vero cultu Dei ante Christum admittat. Caeterum in hoc scripto iste auctor religionem Israeliticam in sua origine ita exponit, ut nisi quis sciret scribentem esse sacerdotem catholicum, potius cum viro rationalistico rem habere putaret. *(La religion d'Israel. — Revue du Clergé français* XI, n. 142, p. 357. sqq.).

Bene de hac schola laudatus P. Höpff: « Die luftigen Hypothesen von der rein « natürlichen Evolution des israelitischen Volksgeistes und religiösen Bewusstseins « können höchstens den befriedigen, der auf alles Ubernatürliche Verzicht geleistet « hat. Wir sind geneigt, Wellhausens biblischen Ausdruck zu dem unseren zu Machen « und zu behaupten, die Kritiker haben uns mit ihren Resultaten statt des Brotes « einen Stein gegeben, den wir mit Recht von uns werfen ». (Op. cit. I, 5, p. 28).

[2] Hinc gravia verba quibus, sive in psalmis, sive a prophetis hoc facinus damnatur: « Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servie- « runt sculptilibus eorum et factum est illis in scandalum. Et immolaverunt filias « suas daemonibus; et effuderunt sanguinem innocentem; sanguinem filiorum suo- « rum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan, et infecta est « terra in sanguinibus, etc. » (Ps. CV, 35, sqq.). « Super quem lusistis, super quem « dilatastis os, et eiecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax? « Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in

quia Deus tales nolebat sibi immolari victimas; quas tamen, utpote Dominus vitae ac mortis, exposcere potuisset, sicuti Abrahamo ostendit. Imo specialis primogenitorum consecratio in Lege praescripta, erat quasi latens professio huius absoluti iuris Domini in suas creaturas.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit alteram rationem propter quam Deus in Vet. Lege noluit humanis victimis praefigurari immolationem Filii sui.

2. Obi. Sicuti ipsum cruentum Christi sacrificium habuit valorem suum ab invisibili charitate et divinitate se immolantis, ita signum est sacrificii spiritualiter ac proin invisibiliter a nobis immolandi.

3. Obi. Non attendit ad distinctionem superius datam inter actum carnificum et actum Christi.

Sed contra est. Potuisset S. Thomas huius doctrinae veritatem illustrare provocando tum ad ritus Vet. Legis, qui figurabant sacrificium Christi, tum ad pontificatum Christo promissum in ps. CIX, et de ipso data opera demonstratum a S. Paulo in epistola ad Hebraeos. Pariter indirecte praesens doctrina constat ex ipso dogmate de sacrificio Missae. Quomodo enim Missa hoc nomen iure acciperet, nisi ipsa cruenta immolatio Christi, quam commemorat et reproducit, verum esset sacrificium? [1].

Et sane doctrinam de vero sacrificio Christi alta voce proclamat tum oeconomia figurativa Antiqui Testamenti [2], tum Liturgia sacrificii Missae. Inter utrumque enim « stat « Crux dum volvitur orbis ». Unde Ecclesia in sequentia Solemnitatis Resurrectionis Domini intonat: « *Victimae* paschali laudes *immolent* Christiani » [3].

Porro vix operae pretium est huc coacervare testimonia

« torrentibus, subter eminentes petras? Numquid super his non indignabor? » (Is. LVII, 4, sqq.). Porro quantopere hoc diabolicum vitium apud gentes ethnicas etiam excultiores sparsum fuerit, docet v. gr. historia subacti imperii Mexicani; quin et apud barbaros populos Africanos, aliosque iugiter saevit.

[1] Vide de hoc argumento tractatum de *SS. Eucharistia*.

[2] Hanc oeconomiam egregie evolvit card. Franzelin (op. cit., th. XLIX, 428).

[3] Attende quam pulchre initium huius liturgici cantus tres titulos exprimat de quibus agitur in artic. 2, 3 et 4 huius Quaestionis: « *Victimae* paschali laudes, etc. » en tit. *Sacrificii* (a. 3); — « Agnus *redemit* oves », en tit. *redemptionis* (a. 4); — « Christus innocens Patri *reconciliavit* peccatores; — « en tit. *satisfactionis* (a. 2).

perplura Scripturae, Liturgiae et Patrum quae in Christo victimae rationem evolvunt. Vix ulla veritas elucet in traditione catholica apertior atque frequentior.

Satis sit afferre sequentia. 1) Ex *Scripturis* *a*) Antiqui Testamenti, praeter figuralem rationem totius oeconomiae sacrificiorum, verba Isaiae: « Omnes quasi oves erravimus, « unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus « in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est (נִגַּשׁ) quia « ipse voluit; sicut ovis ad occisionem ducetur, si posuerit pro « peccato (אָשָׁם — sacrificium pro delictis) animam suam, « videbit semen longaevum » [1]. Quam prophetiam Christum respicere ex apostolatu diaconi Philippi manifestissimum est [2]. Iam vero in verbis exprimuntur α) necessitas universalis reparationis propter universale delictum, β) substitutio unius victimae pro omnibus, γ) libera oblatio huius victimae nomine totius generis, δ) fructus salutis ex hac oblatione colligendus.

b) Ex Nov. Test. α) ipse Christus sacrificium suum clare proclamavit. « Pro eis ego sanctifico meipsum » [3]; « Maiorem « hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis « pro amicis suis » [4]. β) Apostoli idem diserte praedicant. « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis obla- « tionem et hostiam Deo in odorem suavitatis » [5], quo in loco per « oblationem » (προσφορὰν) indicatur sacrificium in genere, per « hostiam » (θυσίαν) sacrificium cruentum. Quod sacrificium maxime per agnum Paschalem figurabatur: « Pascha « nostrum immolatus est Christus » [6]. Est enim « propitiatio « pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam « pro totius mundi ». Nam « in hoc apparuit charitas Dei in « nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mun- « dum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi « nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos « et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris » [7].

[1] Is. LIII, 6-10.

[2] De indole messianica huius vaticinii lege inter alios Knabenbauer (*Comm.* h. l. p. 325. seq.).

[3] Ioann. XVII, 19.

[4] Ioann. XV, 13.

[5] Ephes. V, 2.

[6] I. Ioann. II, 2.

[7] Ibid. IV, 9, sq.

Huc spectat titulus Agni Dei quo Ioannes Praecursor Christum in exordio ipsius vitae publicae salutavit, et quem alter Ioannes in Apocalypsi pluries celebrat. Huc maxime spectat, uti diximus, epistola ad Hebraeos, quae esset quasi ex integro adducenda.

2) E *Liturgia* satis sit afferre textum Praefationis Resurrectionis Domini: « Vere dignum et iustum est, te quidem « Domine omni tempore, sed in hoc potissimum gloriosius « praedicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus [1]. « Ipse enim verus est Agnus qui abstulit peccata mundi. Qui « mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo « reparavit ». Quam figurationem in Missae sacrificio propter ipsum sacrificium Crucis Ecclesia celebrat in festo Corporis Domini:

In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novae Legis
Phase vetus terminat...
Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam....
In figuris praesignatur
Cum Isaac immolatur,
Agnus Paschae deputatur, etc. [2].

3) *Patres* unaminiter dogma sacrificii Christi proclamarunt. Ad typum Isaac appellat Barnabas [3], textum S. Pauli ad Ephesios adducit martyr Ignatius [4]; iuxta Clementem Romanum Christus « tradidit carnem pro carne nostra, ani- « mam pro anima nostra » [5], ipse Pontifex sempiternus, ut

[1] Liceat hic per transennam corripere quosdam scriptores historicae exegesi eo usque addictos, ut ex pruritu naturalis rerum originis explicandae, ab oculis dimittunt ea quae sunt altioris finis et sensus. Ita de agno Paschali scribit praecitatus Loisy: « La Pâque est la fête du printemps et de la nouvelle année qui commençait « avec le mois de Nisan (mars avril),... l'interprétation spirituelle est venue après « coup. L'immolation de l'agneau pascal... est le sacrifice de famille pour la nou- « velle année. C'était le temps où naissaient des agneaux; la victime, un agneau du « dernier printemps, se trouvait à point pour inaugurer le nouvel an. Le sang sur « la porte marque la consécration du domicile et de toute la famille, des biens et « des personnes; etc., etc. » (Ibid. p. 360). Et haec, tam lugendo modo deprimens, salutatur exegesis altior!

[2] Sequent. *Lauda Sion.* De vi dogmatica hymnorum S. Thomae lege M. Grabmann *(Die Theologie der eucharistichen Hymnen des hl. Thomas von Aquin. — Der Katholik* xxv, 1902, p. 385-399).

[3] Ep. c. 7.

[4] Ep. *ad Ephes.* n. 1.

[5] Ep. *ad Cor.* I, n. 21, 49.

ait S. Polycarpus [1]. Ritum de gemino hirco Iustinus sacrificio Christi applicat [2]; et Tertullianus Isaiam citans, scribit: « Christum oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, « qui tamquam ovis ad victimam ductus est » [3].

Pro sequentibus Patribus loquatur S. Augustinus paucis verbis totum argumentum miro acumine complectens: « Verus ille mediator in quantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Iesus, « cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo « et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit « esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc et « sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium: « quae cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum « discit offerre. Huius veri sacrificii multiplicia variaque « signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum « per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una « diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic « summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt » [4].

Hanc oblationem Christi cum suo respectu ad Patrem, ad ipsum Christum et ad totam Trinitatem S. Anselmus bene evolvit his verbis: « Honor utique ille totius est Trinitatis: quare, quoniam idem ipse est Deus Filius Dei, ad « honorem suum seipsum sibi, sicut Patri et Spiritui sancto « obtulit, id est, humanitatem suam Divinitati suae, quae « una eadem trium personarum est. Ut tamen in eadem « ipsa veritate manentes apertius loquamur quod volumus, « dicamus, sicut usus habet, quia Filius sponte seipsum Patri obtulit: hoc namque modo apertissime dicitur, quia et « in una persona totus Deus, cui secundum hominem se obtulit, intelligitur; et per nomen Patris et Filii immensa quae-

[1] Ep. n. 12.

[2] *Dial.* n. 40.

[3] *Adv. Iud.* n. 13. — Plura huiusmodi vide apud PETAVIUM (op. cit., l. XII, c. 11), KNOLL (P. III, l. II, c. 2, a. 2).

[4] *De Civit. Dei* l. X. c. 20. — *P. L.* XLI, 298. Quanti ponderis sit hic locus ad vindicandam in Missa rationem sacrificii, nemo non videt.

« dam in cordibus audientium, cum Patrem Filius hoc modo « postulare pro nobis dicitur, pietas sentitur » [1].

Ex dictis hucusque vides quantopere erraverint Sociniani, qui, haeresim Pelagii temeritatemque Abaelardi instaurantes, in morte Christi recusarunt veram indolem sacrificii, quatenus scilicet Christus moriens nonnisi exemplo nos ad poenitentiam provocavit, Patremque per orationem ad condonandum adduxit. In hanc impietatem non pauci Protestantes moderni abierunt, uti docet, v. gr., sententia Harnack superius allata. Impietatem dico, nam deperditio totius generis nostri ex una parte, et oblatio Victimae divinae pro eo ex altera, sunt duo cardines Christianismi. Inde canit Ecclesia:

« O magnum pietatis opus, mors mortua tunc est,
« In ligno quando mortua vita fuit » [2].

In Corpore. S. Thomas prius dat definitionem sacrificii late sumpti. - Dein hanc applicat passioni Christi ex charitate seipsum tradentis Deo pro nobis. - Demum, iuxta Augustinum, excellentiam huius sacrificii prae omnibus aliis evolvit.

Resp. ad 1m. Observa considerationem quae spectat simul ad SS. Eucharistiam, utpote in qua per manducationem participatio ad victimam ritu externo et sociali exprimitur.

ARTICULUS IV.

UTRUM PASSIO CHRISTI OPERATA SIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM REDEMPTIONIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vindicatur in hoc articulo titulus *Redemptoris.* Iam vero redemptor duo dicit: *a*) *explicite* operationem illius qui captivum vel libertate orbatum, soluto pretio, liberat; *b*) *implicite* statum servitutis vel captivitatis illius qui redimitur. Utrumque hic considerandum est. Et primo quidem perpendendus est status redempti generis nostri ante opus salvificum Christi.

2) Vidimus supra in Quaest. XXII, a. 3, - quae integra huc revocetur, - statum peccati duo continere, *maculam culpae*

[1] *Cur Deus Homo,* l. II, c. 20. — *P. L.* CLVIII, 428.
[2] Contra Socinianos docte disputavit inter alios Billuart (Diss. XIX, a. 4).

et *reatum poenae*. Haec duo constituunt duplicem adspectum servitutis peccati. *a*) *Macula poenae* reddit hominem orbum filiationis divinae, et servum tum peccati seu vitii, cui consentiendo se subdidit, tum diaboli, cuius suggestioni assensit, et cui consequenter, Deo derelicto, adhaesit.

b) *Reatus poenae* pariter constituit hominem servum supplicii sibi ex culpa debiti, necnon diaboli, infernalis tortoris, imo saepe in hac ipsa vita immanis exactoris.

Haec omnia in deperditae gentis nostrae historia indicantur. Protoparentes e paradiso filiationis extorres, uti servi colendo solo affiguntur; rebellem sibi sentiunt pudendam concupiscentiam, et vocantur serpentis semen; demum morte atque aerumnis plectuntur.

3) Sed e contra protoëvangelium iam promittit Redemptionem a servitute peccati per inimicitias inter serpentem cum semine suo, ex una parte, et mulierem cum suo semine ex altera; necnon liberationem a iugo daemonis per contritionem capitis serpentini.

Semen autem mulieris est Christus, qui assumens sibi poenas non debitas, pro *poenae reatu* pretium solvit; et offerens Patri voluntatem a peccato liberrimam, charitate flagrantissimam, *culpae maculam* sustulit. *Pretium* inde liberationis nostrae *sanguis Christi* est, ex infinita in Deum ac nos charitate effusus.

4) Porro si Christus, inspirante Patre, pretium solvit, iam sumus a servitute et captivitate diaboli in servitutem et captivitatem Christi translati. Quemadmodum igitur Christus caelum gloriosus conscendens, triumphator opus consummavit; ita quoque secum uti trophaea bellica attulit captivos illos beatos pretio infinito ab infinita miseria redemptos. Inde in Ascensionis festo cum Psalmista canit Ecclesia: « Ascendens Christus in altum, *captivam* duxit *captivitatem* ». Creationis et adoptionis titulo homo erat servus simul et filius Dei; per peccatum cecidit in captivitatem diaboli; per Redemptionem surrexit in captivitatem Christi.

5) Ex quo iam sequitur culpabilitas specialis illius, qui per infidelitatem erga redemptionem, sanguinem Christi conculcat, et quasi praedam passionibus imo diabolo tradit. Hoc enim est proprie sanctum dare canibus, gemmasque tradere

porcis, daemoni scilicet proiicere pretium salutis, atque concupiscentiae immolare sanguinem Filii Dei. Longe ergo maior erit damnatio Christiani, quam non Christiani; eiusque conditio peior priore: corruptio quippe optimi pessima.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit duos modos distinctos quibus creatura est Dei: *a*) titulo creationis, qui nunquam amitti potest; *b*) titulo gratiae, qui erat restituendus.

2. Obi. Non attendit superius dicta: iuste hominem peccatorem, a parte Dei permittentis in poenam peccati, subesse daemoni tyranno et tortori, licet a parte sua iniuste vexanti.

3. Obi. Non considerat diaboli dominium in hominem fuisse a parte diaboli iniustum; unde nihil illi erat solvendum.

Sed contra est. Praesentem doctrinam Ecclesia confitetur in Festo Omnium Sanctorum. « *Redemisti* nos Domine Deus, « *in sanguine tuo,* etc. ». Pariter in invocatione: « Adoramus « te Christe et benedicimus tibi, quia per crucem tuam *rede-* « *misti mundum* ». Ubi rursus vide operis salvifici universalitatem quippe quam exprimit *Redemptoris mundi* titulus. Diserte id docet S. Paulus in epist. ad Hebraeos: « Neque « per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed *per proprium* « *sanguinem* introivit semel in sancta *aeterna redemptione* « inventa » [1]. Figurabatur ritu annuo pontificis cum sanguine victimae sancta sanctorum introeuntis [2]; insuper actione symbolica Moysis sanguine universum testamenti populum aspergentis [3].

Huc spectant inter tot textus inspiratos et liturgicos, verba institutionis mysterii altaris: « Hic est sanguis meus novi « Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem pec- « catorum » [4]; necnon initium hymni eucharistici:

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

[1] Hebr. ix, 12.
[2] Ibid. 7, sq.
[3] Ibid. 20, sq. — Cf. Exod. xxiv, 8; xxx, 10; Levit. xvi, 2.
[4] Matth. xxvi, 27. Sanguis autem ponitur pro signo immolationis perfectae.

Confer quae iam de hoc argumento diximus ubi evolvimus titulum Redemptoris. Qui titulus quoties in Scripturis, Liturgiis, Patribus et Ecclesiae definitionibus recurrit, toties praesens veritas inculcatur.

In Corpore. S. Thomas 1) explicat duplicem servitutem quam incurrit homo peccator; et 2) demonstrat quomodo Christus ab utraque, soluto pretio, genus nostrum liberaverit. Comple quae in *Corpore* de captivitate daemonis quoad servitutem peccati dicuntur, per ea quae de eadem in resp. ad 2m. quoad servitutem poenae adduntur.

De cultu pretiosissimi Sanguinis D. N., necnon Sacratissimi Cordis Iesu nonnihil in fine proximae Quaestionis addemus.

APPENDIX.

De rigore satisfactionis a Christo praestitae sive pretii per eius sacrificium soluti [1].

Quum argumentum in praecedentibus articulis evolutum pertineat ad essentiam Christianismi, operae pretium est parumper sedulius perpendere, quid in hoc erronee asserant haeretici, et in quo discrepent inter se ipsi theologi catholici. Inde bipartitio huius appendicis.

I. Praeter antiquos Manicheos et Arianos, ipsosque Nestorianos, qui veram incarnationem Dei negabant; praeter Pelagianos, qui recusabant cum dogmate peccati originalis necessitatem verae reparationis; praeter Abaelardum et Socinianos [2], de quibus modo dictum est; corripiendi sunt heic non pauci Protestantes, qui eosdem errores instaurant, sicuti errant circa peccatum originale, et circa ipsam constitutionem Christi.

[1] De hoc argumento fuse scripsit Doerholt *(Die Lehre von der Genugthuung Christi).*

[2] En verba Laelii Socini († 1604): « Censeo ego et orthodoxam sententiam esse « arbitror, Iesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quod salutis aeternae « viam nobis annuntiarit, confirmarit, et in sua ipsius persona tum vitae exemplo, « tum ex mortuis resurgendo, manifeste ostenderit, divinae autem iustitiae, per « quam nos peccatores damnari meremur, pro peccatis nostris neque illum satisfe- « cisse neque, ut satisfaceret, opus fuisse ». (*De Christo Servatore.* c. s.) In hac utique doctrina Christus nequit esse *Salvator,* sed ad summum est aliqualis *servator.*

a) Verum quidem est, non deesse Protestantes « *orthodoxos* », qui admittunt veram satisfactionem a Christo praestitam; sed et isti deficiunt circa necessitatem ut per medium Ecclesiae haec satisfactio singulis applicetur. Opus capitis agnoscunt, in communionem autem corporis mystici offendunt [1].

b) At Protestantes dicti « *liberales* », quorum castra iugiter dilatata, iam ad ipsam usque Dei negationem sese protendunt, theoriam de satisfactione Christi veri Mediatoris inter hominem et Deum non credunt esse genuinam, sed a S. Paulo maxime inductam, ex praeiudicio Gamalielano, et inde a Patribus et Scholasticis, imprimis ab Augustino et Anselmo excultam [2].

c) Fundamentali Socinianorum errori non parum appropinquavit *Hermes*, qui contendit, misericordiae divinae repugnare ut Deus pro peccato satisfactionem exigat, ac proin Christi mortem eo dumtaxat spectare ut horrorem peccati hominibus incutiat. Poenas caeteroquin hominibus inflictas medicinales agnoscit, non vero vindicativas [3].

d) Mitius, at nihilominus graviter erravit *Güntherus*, totam satisfactionem Christi reducens ad restitutionem aequilibrii moralis inter Deum et genus humanum; quatenus aequilibrium per inobedientiam primi Adami ruptum, per obedientiam secundi Adami instaurautum est [4]. Pomposa sane verba; at quae nihil explicant, nisi rationem exhibeant ob quam vetus Adam pro omnibus aequilibrium rupit, et novus Adam idem restaurare potuit.

Missis Hermesio et Günthero, quorum commenta in Protestantismo radicantur, contra « liberales » Protestantes superfluum est demonstrare, post ea quae superius diximus,

[1] SCHÖBERLEIN (*Real. Encycl. für potest. Theologie. v.* HERZOG und PLITT ed. 2. *Erlösung*. p. 303, seq.).

[2] Cf. v. gr. O. PFLEIDERER (*Religionsphilosophie* II, ed. 2. Berol. 1884, p. 197, seqq.; 461, 467, sq.).

[3] *Dogmatik*. 3, 355.

[4] « Kraft einer Idee, in welcher der erste und der zweite Adam demselben Gan- « zen angehören, hebt der freie Gehorsam des zweiten den freien Ungehorsam des « ersten Urmenschen auf, die Menschheit steht als Gattung für die Anschauung Got « tes ohne Widerspruch mit Gott da ». (*Vorschule* II, 343. - De utroque lege KLEUTGEN *Theologie der Vorzeit* III, n. 390, 397).

quantopere doctrina de vera satisfactione Christi e Scripturis et ex Christianismi medulla effluat.

Sufficit ut illi concedant hanc doctrinam esse S. Pauli, quo sane vix aliquid manifestius. Porro fingere in hoc fundamentali dogmate discrimen substantiale inter doctrinam S. Pauli et Evangelii aut aliorum Apostolorum, absurdum est; eo vel magis quod S. Pauli praedicatio, uti iam diximus, his verbis contineatur tota: « Ego accepi a Domino, « quod et tradidi vobis ».

Sed audiatur, quaeso, S. Petrus: « Scientes, quod non « corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana « vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso « Sanguine quasi Agni immaculati Christi et incontaminati »[1]. Scilicet: « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, « iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo »[2]. - Audiatur uterque Ioannes idem brevissime proclamans: « Ecce Agnus Dei, « ecce qui tollit peccatum mundi »[3]; « Scitis quia ille appa- « ruit, ut peccata nostra tolleret »[4]. - Imo audiatur Christus de se: « Pro eis ego sanctifico meipsum »[5], id est, pono meipsum in victimam expiationis. Quare cum Christo, cum Praecursore, cum caeteris Apostolis omnino concordat Paulus, quando ait: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus « pro nobis maledictum »[6].

Doctrinam proin evangelicam et apostolicam S. Augustinus contrahit, quando scribit: « Morte sua, uno verissimo « sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat, unde « nos principatus et potestates ad luenda supplicia iure deti- « nebant, purgavit, abolevit, exstinxit »[7]. Et alibi oeconomiam Redemptionis per Incarnationem breviter describit: « Nam « neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei et « hominum Iesum Christum, nisi esset et Deus.... Cum vero « genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per « Mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, occi-

[1] I. Petr. i, 18; Cf. simillima apud S. Paulum (I. Cor. vi, 20; vii, 23).
[2] Ibid. iii, 18.
[3] Ioann. i, 29.
[4] I. Ioann. iii, 5.
[5] Ioann. xvii, 19.
[6] Gal. iii, 13. Cf. Windeschmann (*Erklär. des Briefes an die Gal.* p. 76).
[7] *De Trin.* iv, 13, 17. — *P. L.* xlii, 899.

« sus est, reconciliari nos oportebat Deo usque ad carnis « resurrectionem in vitam aeternam » [1]. Eamdem oeconomiam simul austeram et dulcem ita illustrat S. Gregorius Magnus: « Mediator noster puniri pro semetipso non debuit, quia « nullum culpae contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam « mortem non susciperet, nunquam nos a debita morte libe- « raret. Pater ergo, cum iustus sit, iustum puniens, omnia « iuste disponit, quia per hoc cuncta iustificat, quod eum, « qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat » [2]. Idem docet unanimis caterva Patrum; idem, duce S. Anselmo, qui forte necessitatem huius oeconomiae nimis urget, evolvunt nullo excepto Scholastici catholici, quorum doctrina catenatione continua in ipsis Evangelii Apostolorumque verbis radicatur.

Rectissime proin Concilium Trid. antiquam, imo unicam veram doctrinam christianam expressit his verbis: « Hunc « proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius « pro peccatis nostris, non autem pro nostris, sed etiam pro « totius mundi » [3].

II. Iam rigorem huius satisfactionis penitius investigemus. Quaeritur nempe utrum satisfactio Christi fuerit in se condigna, superabundans, infinita, in rigore iustitiae.

Antequam per partes respondeamus, duo praemonenda videntur. 1) Distinguenda est constitutio Mediatoris, seu oeconomia Dei-Hominis Mediatoris in esse, ab operatione huius Mediatoris in esse constituti. - 2) Distinguenda est satisfactio praestita ab eiusdem acceptatione et applicatione. Ratio et momentum utriusque distinctionis in decursu expositionis apparebunt. His praemissis per quatuor conclusiones respondemus.

I. **Conclusio**. - Satisfactio Christi fuit *ex se condigna*. Haec conclusio est contra Nominales, Durandum, et non paucos Scotistas [4], qui putant satisfactionem Christi non

[1] Serm. 174, 1; Enchir. 108; cf. 41.

[2] *Moral*, III, c. 14, n. 27. *P. L.* LXXV, 613. — Plura huiusmodi testimonia lege apud Petavium (op. cit., l. XII, c. 9).

[3] Sess. VI, c. 7. — Cf. Catech. Rom. p. I, c. 5, q. 15.

[4] De vera sententia Scoti (In III, dist. 19, Q. 1): « Quantum ad sufficientiam » non constat inter Scotistas. Mastrius Subtilem aliter explicat (In III, dist. 4, Q. 3, n. 112).

fuisse ex se condignam, sed ut talem a Patre acceptatam [1]. Hanc conclusionem post S. Thomam, S. Bonaventuram, etc., docent plerique theologi magni nominis [2]. Etenim passim tum in Scripturis [3], tum apud Patres satisfactio Christi talis exhibetur quae vere solverit pretium. Et sane, si, uti mox ostendemus, satisfactio Christi habuit valorem infinitum, non potuit non esse condigna. Egregie S. Basilius: « Quid enim tantum « reperire homo potest, ut det pro redemptione animae suae? « Sed inventum est unum pro omnibus simul liberandis homi- « nibus, quod in redemptionis animarum nostrarum pretium « est impensum: sanctus videlicet ac pretiosus Sanguis D. N. « I. C., quem pro nobis omnibus effudit. Unde et pretio re- « dempti sumus » [4]. Quae est ipsissima doctrina S. Petri superius allata.

II. **Conclusio.** - Satisfactio Christi fuit *superabundans*. Hic iam urgetur conclusio praecedens. Superabundasse autem pretium a Christo solutum, S. Paulus disertissime proclamat: « Non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto « multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in « gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et « non sicut per unum peccatum, ita et donum; nam iudi- « cium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem « ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto « mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gra- « tiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regna- « bunt per unum Iesum Christum » [5]. De pleno sensu huius loci in alio tractatu disputabimus. Interim satis sit haec verba illustrare per comparationem a S. Ioanne Chrysostomo suggestam: « Quemadmodum, » ait magnus ille interpres Pauli, « si quis decem obolos debentem in carcerem « coniiciat, nec ipsum solum, sed cum eo pariter coniugem « ipsius et filios et servos illius causa; tum alius veniens « non decem obolos tantum numeret, sed innumera talenta « auri largiatur, ac vinctum istum in palatium introducat

[1] Cf. Biel (In III, dist. 19, Q. 1, concl. 3).
[2] Cf. Chr. Pesch (op. cit., n. 428).
[3] Cf. testimonia in praecedentibus allata.
[4] In Ps. XLVIII, 8, n. 4. — *P. G.* XXIX, 440, sq.
[5] Rom. V, 15, sqq.

« et in supremi magistratus solium, participemque summi « honoris et reliqui splendoris faciat, non iam foenerator « mentionem amplius facere possit decem obolorum illorum: « ita et in nobis factum est: nam multo plura quam debe- « bamus, persolvit Christus, quanto stillam exiguam immen- « sum pelagus excedit » [1].

III. **Conclusio.** - Satisfactio Christi fuit *infiniti valoris,* et quidem non solum secundum quid, ut contendit Mastrius, sed simpliciter. Ratio est in promptu. Actiones sunt personarum: atqui in Christo non datur duplex persona, altera humana, altera divina; sed una et eadem, humanos quidem et divinos actus ponens, at semper actus Dei. Hunc valorem infinitum diserte proclamat Clemens VI: « Unigenitus « Dei Filius non corruptibilibus auro et argento, sed sui « ipsius Agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine « nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus, non « guttam sanguinis modicam, quae tamen *propter unionem* « *ad Verbum* pro redemptione totius humani generis suffe- « cisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur « effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis « nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, « ut nec supervacua, inanis, et superflua tantae effusionis « miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acqui- « sivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit « *infinitus thesaurus* hominibus, quo, qui usi sunt, Dei ami- « citia participes effecti sunt » [2].

Nec obiicias, actiones humanas Christi non posse poni in eodem ordine cum actionibus eius divinis, ac proin non dici infinitas. Non sunt quidem infinitae entitative, concedo; subiective ac meritative, nego. Optime Caietanus: « Actiones « Christi humanae, scil. amare Deum, voluntarie pati, et « huiusmodi, habent duas conditiones. Altera est, quod sunt « res *creatae,* et sic sunt finita entia simpliciter: non enim « sunt Deitas. Altera est, quod sunt res *personae divinae,* « ut proprii suppositi cuius sunt, et sic sunt *infinita* entia

[1] In Rom. v, 15. Homil. x, n. 2. — *P. G.* lx, 477. Plura huiusmodi testimonia lege apud Thomassinum, op. cit., l. ix, c. 9.

[2] *Extrav. comm.,* l. v, t. 9, c. 2.

« personaliter; et sunt *infinitae efficaciae* in tali genere, puta « meriti seu *satisfactionis,* ex hoc quod sunt opera ipsius « Dei, ut propriae personae exercentis opera » [1].

Porro observa discrimen inter malitiam infinitam quam peccatum mortale dicitur habere ratione personae offensae, et infinitam dignitatem quam habent humanae actiones Christi ratione personae. Prima infinitas non est nisi secundum quid, altera est proprie dicta.

IV. **Conclusio.** - Satisfactio Christi fuit infinita *secundum rigorem iustitiae.* Haec conclusio, modo bene circumscribatur, fluit immediate ex praecedenti principio. Et nihilominus de ista conclusione non amplius conveniunt theologi nonnulli, qui hucusque nobiscum consentiunt. Ratio forsan unice provenit ex modo diverso problema ponendi.

a) Alii negant, inter Deum et Christum intercedere posse iustitiam proprie dictam. Ita Vasquez [2], de Lugo [3], Molina [4], Amicus [5], et inter coaevos Cl. Billot [6].

b) Alii cum Mastrio [7] concedunt, Christi satisfactionem fuisse quidem secundum iustitiam proprie dictam, at negant fuisse secundum iustitiae *rigorem.*

c) Alii admittunt et rigorem iustitiae. Ita Thomistae passim, Gregorius de Valentia [8], Suarez [9], Tanner [10], Alvarez [11], Lessius in aliquo loco [12], et inter recentiores ac coaevos Card. Franzelin [13], Chr. Pesch [14], Einig [15], Paquet [16], etc.

[1] Comm. in III, Q. I, a. 2.
[2] Disp. VII, c. 1, n. 1.
[3] Disp. III, sect. 1, n. 4.
[4] In I, Q. XXI, a. 1.
[5] Disp. VI, sect. 7, n. 227.
[6] Op. cit., th. LI.
[7] Disp. IV, Q. 4, n. 135 et n. 148. Multos doctores Mastrius pro hac sua sententia adducit.
[8] Disp. I, Q. 1, p. 5.
[9] Disp. IV, sect. 5, n. 5; sect. 6, n. 2.
[10] Disp. I, Q. 2, dub. 5 et dub. 7.
[11] Q. I, a. 2, disp. 4, n. 8, sqq.
[12] In III, Q. I, a. 2, dub. 2, n. 35.
[13] Op. cit., th. XLVII.
[14] Op. cit., prop. XXXV.
[15] Op. cit., th., XXIX.
[16] Op. cit., hoc loco art. 2.

Huic ultimae sententiae subscribimus, modo tamen problema intelligatur de valore satisfactionis Christi consequenter ad oeconomiam Redemptionis a Deo stabilitam, et antecedenter ad applicationem huius satisfactionis singulis faciendam. Ratio huius determinationis residet in duplici distinctione quam secundae parti huius disputationis praemisimus.

Et sane, si ad hoc quod Christi satisfactio dici possit secundum rigorem iustitiae, requiratur, ut illud ipsum ex quo procedit non sit opus gratuitae bonitatis, aut saltem omne debitum excedens, repugnat satisfactio secundum rigorem iustitiae praestita, etiam a Christo. Ratio patet. Etenim in hac satisfactione multum, imo totum procedit a divina bonitate ac largitate: scilicet *a*) ipsa voluntas salvandi genus humanum; *b*) Incarnationis medium ac ordinem ad hanc salutem dignissime procurandam; *c*) solidaritas Christi cum genere humano, sive formalis habitudo capitis ad membra; *d*) insuper omnes gratiae Christo collatae, imprimis voluntas qua se pro nostra salute immolavit; *e*) demum, - quum ageretur de reparatione laesi honoris, - voluntas acceptandi satisfactionem ab Homine-Deo pro salute humani generis praestitam.

Haec omnia sane sunt non modo extra rigorem iustitiae, sed sunt opus gratuitae largitionis respectu ad nostrum genus, imo in ipso Christo uti est homo et caput nostrum. Quare si sermo fit de satisfactione Christi secundum rigorem iustitiae, debet haec propositio contrahi ad valorem actus satisfactorii Christi, posita ipsa constitutione Christi et oeconomia salutis per Christum obtinendam.

Insuper debet ab hoc rigore excludi applicatio ad singulos qui effectum huius satisfactionis percipiunt. Nam in quavis applicatione ad singulos gratia suas partes habet; et ubi adest gratia, iam non potest proclamari iustitiae rigor.

At praeter haec duo, non video quid satisfactioni Christi deesse possit, ut secundum rigorem iustitiae praedicetur. Est quippe valoris infiniti, ob infinitam dignitatem personae agentis. Nec inde laeduntur ullo modo independentia Dei et infinita distantia quae Deum separat a creatura, ob quae S. Thomas: « Manifestum est autem quod inter Deum et

« hominem est maxima inaequalitas, et totum quod est homi-
« nis bonum est a Deo » [1]. Nam praeterquam quod iuxta praedicta hoc plene agnoscimus in casu, satisfactio a Christo praestita hoc singulare habet [2], quod, quum valor eius infinitus proveniat a divina persona agentis, ista satisfactio est in ipso ordine divinitatis, et constituit veluti debitum Dei sibi. In quo nihil est quod independentiam Dei offendat, si ipse liberrime constituit conditiones ob quas ille homo Christus potuit agere virtute divina, quia simul Deus. Quare, cum duplici restrictione modo facta, tum quoad constitutionem oeconomiae reparationis, - id est, personae Hominis-Dei Redemptoris sub iugi influxu Dei agentis, - tum quoad applicationem satisfactionis a capite praestitae ad membra, puto nihil obesse prorsus, quominus satisfactio Christi praedicetur secundum rigorem iustitiae.

ARTICULUS V.

UTRUM ESSE REDEMPTOREM SIT PROPRIUM CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Recolenda sunt hic quae diximus in Quaest. praecedenti de causalitate efficiente Patris relate ad mortem Filii. Eatenus enim Pater, ac proin tota SS. Trinitas, cum Christo participat titulum Redemptoris, quatenus causaliter et efficienter cooperata est immolationi Christi pro genere humano. Iam vero ibi, in art. 3, triplicem cooperationem invenimus: *a*) mandatum iniunctum ut se immolaret, *b*) inspiratam voluntatem sese immolandi, *c*) gubernationem externam causarum directe passionem ac mortem causantium. Quae ad rem praesentem eodem iure pertinere, liquet.

2) Ut autem rem reddat manifestiorem, ac simul titulo Redemptoris plenius correspondentem, S. Thomas distinguit in redemptione *actum* solutionis et *pretium*. Quomodo utrum-

[1] I-II. Q. CXIV, a. 1. P. BILLOT nimis urget hunc textum, ać si S. Thomas in hoc loco de praesenti argumento ageret.

[2] Conditionem hanc omnino singularem meriti Christi non satis videtur proclamare CHR. PESCH, dum in quovis iusto titulum strictae iustitiae ad mercedem admittit. Quod S. Thomas in praecitato loco recusat.

que Christus *immediate* ut *homo* praestiterit, ex praecedentibus sat lucide apparet. Utrumque pariter, licet mediate, SS. Trinitatem praestitisse, facile demonstratur: *a*) *actum* quidem, quia Filium *tradidit,* triplici modo supra explicato; *b*) *pretium* quoque, quia vita Christi prae omnibus rebus creatis Deum habebat auctorem et Dominum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter titulum immediatum et mediatum Redemptoris.

2. Obi. Eodem vitio laborat.

3. Obi. Confundit profectum ex exemplo, exhortatione, et communicatione meriti, cum profectu ex redemptione proprie dicta.

Sed contra est. Duplex veritas hoc articulo contenta exprimitur in epistola ad Colossenses, ubi dicitur de Deo Patre: « Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in « regnum Filii dilectionis suae » [1]. Cur Pater dicitur transtulisse, nisi quia ipse est primus nostrae Redemptionis auctor? Cur dicitur nos transtulisse in regnum Filii sui, nisi quia Filius Homo factus est eiusdem Redemptionis auctor immediatus?

In Corpore. Post iam dicta nulla superest difficultas. Attende, S. Thomam in *Corpore* vocare SS. Trinitatem causam Redemptionis *primam* et *remotam,* ita tamen ut in resp. ad 1m. et ad 2m, eam appellet *principalem* et *primordialem.* Utrumque Paulus supra exprimit, necnon ipse Christus (ap. Ioannem III, 16): « Sic Deus dilexit mundum, ut *Filium suum* unigenitum *daret* ». Etenim eo magis causa principalis, primordialis Redemptionis Deus dicendus est, quo magis virtus infinita oblationis Christi ab ipsa Christi divinitate petitur.

Unde iam via sternitur ad art. ultimum huius Quaestionis.

Corollarium. - Ex dictis superius, - ubi de dignitate divinae maternitatis - et in hoc articulo, rursus apparet quo sensu et quousque B. V. Maria possit nuncupari *Co-redemptrix.* Quatenus scilicet *a*) libero assensu facta est Mater Dei; *b*) quatenus suam voluntatem generosissime univit non solum Filii voluntati implentis mandatum Patris, sed et Patris ipsius

[1] Coloss. I, 13.

Filium tradentis; *c*) quatenus omnia adiuncta passionis et mortis Filii sui de manu Patris ita disponentis accepit. Adde rationem ex mediatione ac distributione gratiarum petitam, quemadmodum ibidem evolvimus.

ARTICULUS VI.

UTRUM PASSIO CHRISTI OPERATA SIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM EFFICIENTIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quotiescumque plures causae concurrunt eidem effectui, oportet vel ut diversa causalitatis specie influant, vel, si eadem, ut harmonice in communem effectum agant. Quum igitur ex praecedentibus habeamus Christum ut hominem, necnon SS. Trinitatem efficienter Redemptionem complevisse, oportet ut harmonice hoc idem sint operati. Iam vero non datur nisi duplex modus harmonice agendi simul efficienter in effectum: vel *a*) cooperatione ad modum unius in eadem linea agentis, sive mediate sive immediate; vel *b*) operatione subordinata, principali alia, alia instrumentali. Prior modus supponit agentes eiusdem ordinis, et proin in casu nequit admitti. Remanet igitur alter modus, quo principalis auctor salutis nostrae sit Deus, humanitas autem Christi instrumentum divinitatis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, in Christo infirmitatem carnis uniri virtuti Dei; unde utrumque de opere passionis praedicari posse, secundum quod alterum vel alterum consideratur.

2. Obi. Non distinguit inter contactum materialem et spiritualem.

3. Obi. Confundit efficientiam instrumentalem in genere cum aliqua eiusdem specie, scilicet merito.

Sed contra est. Huc quoque spectant loca superius allata ad exprimendam virtutem operis salvifici seu passionis Christi tum a parte Dei, tum a parte Christi.

In Corpore. Observa magis contrahi rationem instrumentalem ad humanitatem Christi, quam proprietatem tituli Re-

demptoris. Hic enim habet in toto Christo aliquid singulare propter unionem hypostaticam.

Resp. ad 3m. Cave ne nimis exclusive intelligas, quae in hac pulchra synthesi congeruntur. Et re quidem vera: *a*) *satisfactionem* S. Thomas in art. 2 non solum considerat a parte carnis Christi; *b*) neque *redemptionem* in art. 4 considerat solummodo a parte liberationis a servitute poenae. Manent ergo integrae considerationes, quas in exordio art. 2 fecimus circa nexum syntheticum sequentium articulorum independenter ab hac responsione. Ratio autem cur S. Doctor argumentum ita contraxerit, duplex esse videtur: 1) claritatis ac brevitatis causa in quovis titulo consideravit elementum magis obvium; 2) hac synthesi viam sibi paravit ad Quaestionem sequentem, ubi iam directe de ipsis effectibus passionis inquirit.

Corollarium. Ex dictis in hoc articulo necnon in Quaestione praecedenti, vides doctrinam catholicam de ratione mediationis Christi mediam esse inter errorem Francisci Stancari et Calvinistarum ac Lutheranorum. Stancarus enim iuxta Bellarminum [1], « ita soli homini Christo tribuit officium « Mediatoris, ut non videatur suppositum divinum requirere « ullo modo, nec saltem ut principium quod illius operis ». Est defectus inclinans in Nestorianismum. - « Alter error « priori contrarius » - quem errorem docuerunt Calvinus, Bullingerus, Petrus Martyr, Melanchton, etc. « est eorum qui « contendunt, Christum exercere officium Mediatoris secun- « dum utramque naturam, divinam et humanam » [2]. Est excessus deflectens in Monophysitismum.

Veritas catholica affirmat, Christum esse Mediatorem in quantum est Deus-homo, agens ut Deus sed secundum naturam humanam opus conciliationis inter homines et Deum. De quo lege egregiam expositionem doctissimi simul ac piissimi Cardinalis [3].

[1] *De Christo capite* l. v, *de offic. et merito Mediatoris*, c. 2.

[2] Ibid. c. 3.

[3] Recole quoque exposita in nostra Christologia t. iv, p. 825, sqq. — Cf. et S. Augustinum (Serm. 127, c. 6).

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Christus non sibi solum per passionem meruit, sed, propter gratiam capitis et unionem cum membris, *omnibus membris* salutem *meruisse* dicendus est (art. 1). - 2) Iam vero ex infinita *charitate* quacum se obtulit, ex infinito pretio *vitae* oblatae, ex immensitate *doloris* quo oblata fuit, superabundantem praestitit Deo pro offensa *satisfactionem* (art. 2). - 3) Quatenus autem Christus intendit Deum placare, passio verum fuit *sacrificium*, utpote per quam perfectissimi mediatoris partes implevit (art. 3). - 4) Sed et *Redemptor* fuit Christus a duplici captivitate culpae et poenae et a servitute daemonis, soluto pretio, genus lapsum liberans (art. 4); ipse quidem *immediate* ut homo; Deus, vel SS. Trinitas *mediate* per ipsum (art. 5); - 6) nam humanitas Christi salutem operabatur *instrumentaliter*, Deus autem *principaliter* (art. 6).

QUAESTIO XLIX.

DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam effectus passionis Christi S. Thomas considerat in membris corporis Christi et in ipso capite.

1) In *membris*:
- *a) negative*, i. e., quoad *liberationem* a servitute:
  - α) peccati (art. 1),
  - β) daemonis (art. 2),
  - γ) poenae (art. 3);
- *b) positive*, quoad *redintegrationem*:
  - α) in amicitiam Dei (art. 4),
  - β) in haereditatem caelestem (art. 5);

2) In *capite*, scilicet quoad Christi *exaltationem* (art. 6).

Nexus huius Quaestionis cum praecedenti apparet. Magna divisio procedit iuxta principium fundamentale in art. 1 praecedentis Quaestionis expositum. - Art. 1, 2, 3, respondent titulo redemptionis; art. 3, titulo satisfactionis; art. 4, titulo sacrificii; art. 5, summam rei complectitur. Quae omnia loco suo manifestius elucebunt.

ARTICULUS I.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS LIBERATI A PECCATO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Liberatio a peccato tria continet: 1) actionem redimentis, 2) actionem condonantis, 3) applicationem redemptionis ad singulos. Inde triplex respectus sub quo passio Christi consideranda est.

1) Relate ad *actum redimentis,* continet ipsa pretium infiniti valoris solutum pro omnibus hominibus. In quo spectandus est *a*) valor intrinsecus ex pretio rei oblatae et ex charitate quacum oblata est; insuper *b*) efficacia pro omnibus hominibus propter organicum vinculum membra cum capite colligans.

2) Relate ad *actionem condonantis,* passio Christi est instrumentum coniunctum divinitati; ex qua coniunctione, licet in se corporalis ac sensibilis, habet ut possit agere in spiritualia et in futura.

3) Relate ad *applicationem* ad singulos, efficientia passionis continet *a*) institutionem mediorum socialium quibus applicatio haec fiat, praesertim baptismi medii primordialis, quo actu membra capiti uniuntur; *b*) stimulos fidei, spei, charitatis, per quas virtutes peccator ab iniquitate sua recedit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad dicta n. 2) in initio.

2. Obi. Non attendit ad dicta n. 2) in fine.

3. Obi. Eodem vitio laborat. Negligit insuper 1) et 3), quatenus non considerat valorem universalem nec applicabilitatem universalem passionis.

4. Obi. Negligit dicta n. 3), imprimis *a*).

5. Obi. Negligit pariter 3), praesertim *b*).

Sed contra est. Hanc operis Christi efficaciam ad delenda peccata acclamat Ecclesia in die Ascensionis Dñi: « *Æterne* « *Rex* altissime, - *Redemptor et fidelium,* - quo mors soluta « deperit - *datur triumphus gratiae* » [1]; quae stropha tria argumenta huius *Corporis* colligit. Hanc efficaciam proclamabat Baptista, quum Christum indigitans vaticinabatur: « Ecce

[1] Hymn. ad Matut. diei.

« Agnus Dei, ecce *qui tollit peccatum mundi* » [1]; eamdem Paulus demonstrat in epist. ad Hebr.: « Quanto magis san-
« guis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit
« immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab
« operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi » [2]. Ubi rursus tria invenis: pretium solutum, Deum per Christum operantem, homines a peccato per passionem revocatos.

Christum per mortem suam omnia peccata delevisse, S. Bernardus, arguendo a maiori ad minus, ita concinne evolvit: « Argumentum mihi est a maximo, quod duo mi-
« nora sunt explosa. Et ecce argumentum. Peccatum mul-
« torum tulit, et pro transgressoribus rogavit, ut non perirent:
« " Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt " [3]. Volat
« irrevocabile verbum tuum, Domine, nec revertetur ad te
« vacuum, sed faciet ad quod misisti. Vide nunc opera Do-
« mini, quae posuit prodigia super terram. Flagellis caesus
« est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo,
« opprobriis saturatus: omnium tamen dolorum immemor,
« Ignosce, ait illis. Hinc multae miseriae corporis, hinc mul-
« tae misericordiae cordis, hinc dolores, hinc miserationes,
« hinc oleum exultationis, hinc sanguinis guttae decurrentis
« in terram. Misericordiae Domini multae, sed et miseriae
« Domini multae. Vincentne miseriae misericordias, an mi-
« sericordiae miserias superabunt? Vincant misericordiae
« tuae antiquae Domine, vincat sapientia malitiam. Magna
« enim illorum iniquitas, sed numquid non maior pietas tua,
« Domine? Multum per omnem modum. " Numquid redditur
« pro bono malum, ait, quia foderunt foveam animae meae? " [4].
« Plane foderunt impatientiae foveam, occasiones indignatio-
« nis plurimas et quam maximas ministrantes. Sed quid ho-
« rum fovea ad abyssum mansuetudinis tuae? Retribuentes
« mala pro bonis foveam foderunt; sed charitas non irrita-
« tur, non praecipitatur, nunquam excidit, non in foveam
« ruit, et pro retributis malis cumulat bona » [5].

[1] Ioann. i, 29.
[2] Hebr. ix, 14.
[3] Luc. xxiii, 34.
[4] Ierem. xviii, 20.
[5] Serm. *de Pass. Dom.*, n. 8. — *P. L.* clxxxiii, 267 A B.

In Corpore. Quae supra evolvimus *a*), *b*) et *c*), habes, licet non eodem ordine, in his tribus argumentis. Nos incepimus ab ipso pretio soluto, ac dein consideravimus istud pretium in sua relatione ad Deum per Christum operantem, et ad hominem, cui debet applicari. S. Thomas incipit ab hoc ultimo, ut inde assurgat usque ad operationem Dei per instrumentum passionis Christi.

ARTICULUS II.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS LIBERATI A POTESTATE DIABOLI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Quemadmodum in liberatione a peccato, ita et in liberatione a potestate diaboli, triplex respectus considerandus est: respectus quippe 1) ad *nos,* 2) ad *Deum,* 3) ad *diabolum* ipsum.

1) *Homo* per peccatum suum, Deo ita iuste ordinante, sub potestatem cecidit illius, qui eum seduxit. Cuius subiectionis causa peccatum est. Unde sublata causa rationabiliter tollitur effectus. Atqui causam tolli, ex articulo praecedenti habemus. Ergo. Ut autem plena huius argumentationis virtus appareat, considerandum est, peccatum non remitti singulis nisi per charitatem, quae ex natura sua talis est, ut non solum peccatum tollat, sed et principium communicet prorsus incompossibile cum servitute diaboli; est quippe principium filiationis divinae, cum qua servitus diabolica intrinsece pugnat.

2) *Deus* pariter hominem diabolo tyranno subiecerat, ad ostendendam suam iram in peccatorem. Iam vero, si passio Christi vere Deo reconciliavit genus lapsum, consequens est ut, ira cessante, cesset vindicta. Hanc efficaciam reconciliatricem passionis Christi S. Thomas nondum directe probavit; imo ad quartum articulum huius Quaestionis appellat. Attamen rationes quas ibi affert, continentur in iam demonstratis. Unde stat firma via qua incedit. Porro consideratio modo addita quoad primum, valet quoque de hoc secundo.

3) *Diabolus* demum suo dominio in hominem pulsus est, quia in Christi morte, limites est praetergressus, quos Deus

ipsi statuerat. Poterat quippe in genus lapsum, in omnes debitores mortis saevire. In Christum autem, sicuti nihil inveniebat in eo quod esset suum, ita nihil poterat agere, nisi praeter ipsam potestatem a Deo in hominem receptam. Quemadmodum ergo fur a dominio usurpato pellitur, ita in Christi morte regnum mortis fuit destructum. Utrumque habes expressum in verbis Domini: « Venit princeps huius « mundi, et *in me non habet quidquam* »: ecce iniustam aggressionem diaboli: « Nunc princeps huius mundi eiicietur foras »: ecce iustam inde regni diabolici eversionem [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit potestatem quam quis permittente Deo exercet, et potestatem quam exercet independenter a Deo. Haec altera in diabolo negatur; prior autem ponitur.

2. Obi. Non distinguit inter diaboli servitutem et diaboli molestias; neque considerat vim retroactivam quam passio Christi habuit, ut tentati vincere quidem diabolum possent, quin tamen caelos valerent intrare. Unde requirebatur descensio Christi ad inferos.

3. Obi. Eodem vitio laborat quoad tempora praesentia et futura. Regnum diaboli in radice destructum est, quia per passionem Christi regnum caelorum est fundatum, et parata luctantibus armatura ad Zabulum debellandum. Reliquum difficultatis spectat ad occulta iudicia Providentiae et praedestinationis.

Sed contra est. Liberationem generis humani a potestate daemonis imminere, Christus significavit liberando innumeros a daemone oppressos. Ipsi quoque daemones fatum suum praesentire visi sunt, quando porcos ingressi, impetu velocissimo sese proruperunt in aquas. Porro huius articuli veritatem sequentibus verbis Tridentina Synodus proclamat: « Omnes homines... usque adeo servi erant peccati et sub pote- « state diaboli ac mortis, ut non modo Gentes per viam natu- « rae, sed ne Iudaei quidem, per ipsam etiam litteram legis « Moysi, inde liberari aut surgere possent..... Quo factum est « ut caelestis Pater... Christum Iesum, Filium suum... ad ho-

[1] Ioann. xiv, 30; xii, 31.

« mines miserit, ut et Iudaeos liberaret... et Gentes... Hunc « proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius « pro peccatis nostris » [1]. Quam veritatem Paulus docet in epist. ad Romanos et affirmat in epist. ad Coloss.: « *Eripuit « nos de potestate tenebrarum*, et transtulit in regnum Filii « dilectionis suae » [2].

In Corpore. Duo S. Thomas facit: 1) triplicem respectum exponit potestatis diaboli in hominem ante Christi passionem; - 2) exponit quomodo passio Christi nos ab hac triplici potestate liberaverit. Attende ad verba « ante Christi « passionem », quae magis explicantur in resp. ad 2m.

Resp. ad 2m. Servitus diaboli radicitus destructa per passionem Christi, nihilominus de facto quoad individua post passionem Christi adhuc perdurat. Imo quoad nationes, sive hominum collectivitates, nondum cessavit, quatenus vel nondum cognito Christo, adhuc idolis publice inserviunt, vel cognitum Christum publice repudiarunt, ut ordinem naturae ordini gratiae praeferrent, imo, quod summum nequitiae est, cultoribus Satanae se gubernandas traderent. Quo in sceleris culmine nonnulli regnum Antichristi reponunt, signum quippe tenebrosae sectae idipsum bestiae signum esse contendentes, de quo Ioannes in Apocalypsi prophetavit.

Plura de hoc argumento recurrent in mox edendo tractatu de hominis lapsu.

ARTICULUS III.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI HOMINES SINT LIBERATI A POENA PECCATI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Uti in ordine Quaestionis diximus, articulus iste complet praecedentes, quatenus servitus poenae complet servitutis statum, a quo per Christi sanguinem redempti sumus. Sub hoc respectu ostendit in Christo complementum operis *Redemptoris*. - Attamen, quum poenae solutio specialiori modo conceptum *satisfactionis* evocet,

[1] Sess. VI, c. 1, 2. (DENZINGER op. cit., n. 675, sq.).
[2] COLOSS. I, 13.

S. Thomas in *Corpore* huius articuli recurrit ad veritatem demonstratam in art. 2 Quaest. praecedentis.

2) Porro quemadmodum liberatio a iugo peccati et daemonis per passionem Christi radicitus completa, non impedit, quin multi homines adhuc vitiis indulgeant, serviantque daemonibus; ita de liberatione a poena dicendum est, tum quoad poenam aeternam, tum quoad poenas temporales; eo vel magis quod istae post commissa peccata personalia remanere solent ad exprimendam illam compassionem quam quisque complere tenetur, ut poenitentiae debita solvat. Mors autem, quae poena est proprie peccati originalis, post hoc remissum non remittitur, propter conformationem membrorum cum capite, et etiam propter ordinem naturalem quem Deus sibi reliquit, quum non teneretur hominem ita reparare, ut rursus acciperet dotes praeternaturales integrae naturae a gratia supernaturali separabiles [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendet ad vinculum fidei et charitatis quo membra capiti actu colliganda sunt, ut passionis Christi effectum percipere possint.

2. Obi. Negligit principium configurationis cum Christo in ordine ad effectum passionis eius consequendum. Ubi adverte duplicem configurationem: *a*) per symbolismum sacramenti baptismatis pro peccato originali aliisque ante baptismum commissis; et *b*) per personalem satisfactionem, minorem tamen, utpote unitam satisfactioni Christi, pro peccatis post baptisma commissis.

3. Obi. Per responsum ad hanc obiectionem S. Thomas non intendit negare, mortem in unoquoque habere rationem poenae. Potest quippe optime stare simul eam esse poenam, et habere rationem configurationis cum Christo. Caeterum longe minus poena est quam sine passione Christi fuisset; unde Christiani mors alterius longe rationis est ac mors non Christiani. Mors autem B. M. V. nullo modo rationem poenae habuit [2].

Sed contra est. Huc spectat quod canitur in hymno Pa-

[1] De hoc pariter argumento in proxime edendo volumine plura dicentur.

[2] De morte B. Virginis in appendice ad Quaestionem sequentem breviter disseremus.

schali ad Laudes: « Mortis confractis viribus, *Solvit a poena « miseros* ».

In Corpore. Attende ad plenam vim rationis secundae. Inde maior necessitas ut a poena liberemur, quia remissio peccati per positivam infusionem gratiae producitur.

Resp. ad 2m. et 3m. Doctrina configurationis cum Christo hic exposita corroboratur per verba Apostoli: « Quos « praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui » [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS DEO RECONCILIATI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Superius vidimus, passionem Christi habere rationem sacrificii. Sacrificii autem proprium est reconciliare Deo. Unde eatenus sacrificium passionis Christi Deo nos non reconciliasset, quatenus vel *a*) sacrificium fuisset impar obtinendae reconciliationi, vel *b*) licet per se par, nihilominus, quum ageretur de honore laeso, non fuisset a Deo acceptatum. *a*) Primum stare nequit: nam Christus ipse fuit Victima infiniti valoris, immensa charitate oblata. - *b*) Neque magis stat alterum: nam ideo Pater Filium misit in mundum ut mundum sibi reconciliaret. Ergo passio Christi nos Deo reconciliavit, quia fuit verum atque perfecte placans sacrificium.

2) Caeterum quomodo posset Christi passio peccatum mundi tollere, quin nos reconciliaret Deo? Ad cuius argumenti plenam vim intelligendam rursus distingue inter negativum et positivum in peccati remissione. *a*) Negativum est mera destructio peccati et per consequens cessatio irae; *b*) positivum est redintegratio per charitatem in Dei amicitiam. Iam vero nullum remittitur peccatum nisi per charitatis infusionem. Ergo impossibile est, cessare iram quin redeat dilectio. Haec autem dilectio nos vere facit reconciliatos. Ergo passio Christi, eo ipso quod remittit peccatum, nos Deo reconciliat.

3) Conclude inde, opus passionis esse tripliciter opus cha-

[1] Rom. viii, 29.

ritatis: *a*) *dispositive*, quia α) Incarnatio ipsa tendit in reconciliationem: « Sic Deus dilexit mundum, etc. » [1]; et β) Deus ipse Filio inspiravit voluntatem ut se pro nobis traderet: « Hoc mandatum accepi a Patre » [2]. - *b*) *Effective*, quia Filius ex charitate se hostiam pro nostra reconciliatione obtulit: « Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis » [3]. - *c*) *Terminative*, quia fructus passionis est recuperata amicitia Dei: « Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius » [4].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit amorem Dei Creatoris et Dei Redemptoris, triplici sensu indicato n. 2.

2. Obi. Non distinguit inter amorem in sensu *dispositivo*, et in sensu *terminativo*.

3. Obi. Falso supponit, maius fuisse demeritum carnificum quam Victimae meritum.

Sed contra est. Reconciliationem mundi cum Deo S. Paulus pluries describit, et quidem ita per sanguinem Iesu Christi completam, ut conceptus sacrificii Crucis ab efficacia huius reconciliationis separari nequeat. Ad Colossenses de Christo haec scribit: « Complacuit.... per eum reconciliare omnia per « ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in « terris, sive quae in caelis sunt » [5]. Et: « Vos cum mortui « essetis in delictis et praeputio carnis vestrae, convivifica- « vit cum illo donans vobis omnia delicta, delens quod adver- « sus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium « nobis,.. affigens illud cruci: et exspolians principatus et pote- « states traduxit confidenter, palam triumphans illos in se- « metipso » [6]. Quibus ex verbis vides nexum intimum inter articulum praecedentem et praesentem, necnon inter duellum, quo Christus infernum devicit et humano generi veram pacem attulit. Reconciliatio igitur ista est simul plena instauratio. Unde S. Paulus ait ad Corinthios: « Si qua ergo in « Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt « omnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit

[1] Ioann. iii, 16.
[2] Ibid. x, 18.
[3] Ephes. v, 2.
[4] Rom. v, 10.
[5] Coloss. i, 19, sq.
[6] Ibid. ii, 13, sqq.

« sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliatio-
« nis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum recon-
« cilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit
« in nobis verbum reconciliationis » [1]. Inde apostolatus catholici dignitas simul et virtus: « Pro Christo ergo legatione
« fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus
« pro Christo, reconciliamini Deo » [2].

Haec omnia idem Apostolus brevissime complectitur in epistola ad Ephesios: « Nunc autem in Christo Iesu vos, qui
« aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.
« Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et me-
« dium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua,
« legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in
« semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et
« reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem inter-
« ficiens inimicitias in semetipso » [3].

Huc igitur facit illa pax a Prophetis tantopere desiderata, a Christo tam emphatice collata, ab Apostolis tam ubertim singulis optata. Hinc Christus Rex pacificus et princeps pacis [4]. Iure ergo Ecclesia in festo Resurrectionis Domini exclamat:

Victimae Paschali laudes
Immolent Christiani:
Agnus redemit oves,
Christus innocens Patri
Reconciliavit *peccatores.*

Sed et indirecte praesens veritas demonstratur per orationum et sacrificiorum finem, qualis passim in Scripturis exhibetur. Ita Iudaei Ierusalem et in regione Iudeae degentes optant concivibus per Ægyptum sparsis: « Exaudiat
« orationes vestras (Deus), et reconcilietur vobis » [5]. Et post victoriam de Nicanore, Iudaei « communiter ab omnibus
« facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant,

[1] II. Cor. v, 17, sqq.

[2] Ibid. 20. Huius reconciliationis praecipua Sacramenta sunt: effective, Baptismus et Poenitentia *; significative seu terminative, Eucharistia; ministerialiter, Ordo.

[3] Ephes. ii, 13, sqq.

[4] Cf. dicta superius ubi de nominibus Christi.

[5] II. Mach. i, 5.

* Inde apud Italos expressio *riconciliarsi* ad significandum sacramentum confessionis.

« ut in finem servis suis reconciliaretur » [1]. Porro quid est sacrificium, nisi orationis forma solemnior ad placandum Deum? Inde Christus non solum se obtulit Patri hostiam pacis, sed inter orandum, cum lacrymis, vitam pro nobis cum sanguine fudit.

In Corpore. S. Thomas affert, sed ordine inverso, rationes supra expositas n. 1 et 2. Pro virtute primae rationis adverte dicta n. 2.

Resp. ad 2m. Ultima verba huius responsionis continent aliquid non praetereundum. Quatenus enim Christus offert Deo bonum offensâ maius, dicitur offerre « acceptabilius « bonum »; quatenus per hanc oblationem ex perfecta charitate meretur, dicitur hoc bonum « recompensare »; quatenus hoc meritum tendebat in membra, dicitur « reconciliare ».

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli apparet necessitas ut homo cum fratre suo reconcilietur, priusquam ad reconciliationis sacramentum accedat: « Si ergo offers mu- « nus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater « tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum « ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc « veniens offeres munus tuum » [2]. Quum enim munus, sive sacrificium in reconciliandum cum Deo tendant, ipsum sane Deum sibi placandum offenderet, qui prius cum fratre reconciliari nollet. Huc spectat petitio « Dimitte nobis debita nostra, « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ».

Quae remissionis lex eo magis est necessaria, quo plenius tota redemptionis nostrae oeconomia fundatur super solidaritatem membrorum cum Christo, ac proin inter se. Inde excellentia et organica necessitas fraternae charitatis, quam qui offendit, excidit ab ipso Christo, quatenus rumpit vinculum, quo cum Christo et per Christum cum aliis membris humanae familiae coniungitur [3].

[1] II. Mach. viii, 29.

[2] Matth. v, 23, sq.

[3] Hanc fundamentalem legem christianae charitatis nuper egregie exposuit Illmus Antonius Stillemans, Episcopus Gandavensis: « *De la charité envers le « prochain. — Lettre pastorale pour le Carême de 1902* ». — Gand, A. Huyshauwer et L. Scheerder.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTUS SUA PASSIONE APERUERIT NOBIS IANUAM CAELI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum reconciliatio se habet ad remissionem peccati et poenae, ita quoque caelorum ianuae aperitio. Ira enim Dei caelestem beatitudinem hominibus clauserat. Imo ianuam caeli nobis aperiendo Christus complevit simul redemptionem, satisfactionem et sacrificium. Quare in epistola ad Hebraeos S. Paulus exhibet nobis Christum, Pontificem summum atque perfectum, Sancta Sanctorum proprio sanguine ingredientem. Etenim sicuti ritus annuus in Exodo [1] et Levitico [2] descriptus ostendebat « non« dum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore taber« naculo habente statum », ita Christus « per proprium san« guinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione « inventa » [3].

2) Ubi iam adverte, hanc aperitionem ianuae caelorum dupliciter intelligi posse: *a*) ita ut omnes ante Christum passum, vi passionis eius, tum reconciliationem tum gloriam caelestem obtinuerint; *b*) ita ut gratiam quidem et eatenus reconciliationem (credentes quidem in Christum et bene viventes) obtinuerint, non autem nisi cum Christo, eum sequentes, in caelum introire potuerint. Hoc ultimo pleniore sensu doctrina praesens est intelligenda. In passione quidem Christus salvatis obtinuit ius introeundi in haereditatem Patris; sed nonnisi post Christum et cum Christo in eam ingredi potuerunt.

3) Haec oeconomia figurabatur per exilii poenam, qua in Lege mulctabatur homicida, usquedum, mortuo sacerdote magno, in domum suam redire sineretur. Continetur quoque in psalmo Ascensionis, ubi Christus exhibetur ascendens in altum et captivam ducens captivitatem. Decebat quippe ut ille introduceret in patriam beatos quos antece-

[1] Cap. XXX.
[2] Cap. XVI.
[3] HEBR. IX, 8, 12. Lege hanc integram expositionem.

dente influxu passionis suae per gratiam de morte liberaverat. Primogenitus quippe gloriae esse debebat Filius Unigenitus Dei carne nostra indutus.

II. **Ad Textum.** - Difficultates contra hanc doctrinam motae possunt sequenti schemate cum responsionibus comprehendi:

Caeli ianua aperta est:	I) *ante* Christum:	*a*) Sancti *Patres* (obi. 1)	fide Christi caeli introitum meruerunt, sed non ante Chr. adepti sunt;
		b) *Elias* (obi. 2)	raptus est in caelum aëreum;
	II) tempore Christi:	*a*) ante passionem *in baptismate* (obi. 3)	fuit significatio efficaciae operis salvifici;
		b) post passionem, *in ascensione* (obi. 4)	impedimentum remotum in passione; sed ingressio facta in ascensione.

Sed contra est. Praeter testimonia et figuras S. Scripturae iam allata, praesens veritas demonstratur per verba Domini: « In domo patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus « dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum » [1]. Inde nexus intimus inter Christi passionem et ascensionem, in qua solemnis ingressio in caelum facta est, iuxta illa psalmi XXIII: « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeter- « nales, et introibit rex gloriae. - Quis est iste rex gloriae? - « Dominus fortis et potens; Dominus potens in praelio.... Do- « minus virtutum, ipse est rex gloriae » [2].

Hinc in festo Ascensionis Dominicae Ecclesia recolens mysterium Redemptionis completum, post dulcem invocationem: « Iesu, nostra Redemptio », et descriptum salvationis opus, canit:

Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris residens [3].

Nexum autem inter Christi passionem et aperitionem caeli Ecclesia proclamat in hoc versu hymni *Te Deum:* « Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cae-

[1] Ioann. xiv, 2.
[2] Ps. xxiii, 7, sqq.
[3] Hymn. Vesp.

« lorum ». Qui credentes de utroque Testamento intelligendi sunt, ab Abele iusto ad ultimum usque fidelem praedestinatorum numerum completurum.

Eloquenter S. Leo Magnus: « Quia igitur Christi ascensio « nostra provectio est; et quo processit gloria capitis, eo spes « vocatur et corporis, dignis, dilectissimi, exultemus gaudiis, « et pia gratiarum actione laetemur. Hodie enim non solum « paradisi possessores firmati sumus, sed etiam caelorum in « Christo superna penetravimus; ampliora adepti per ineffa- « bilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invi- « diam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi feli- « citate deiecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dextram « Patris collocavit » [1]. Sed de Ascensionis mysterio mox sermo redibit.

In Corpore. Ad totam vim argumenti percipiendam adverte, reatum poenae peccati originalis totam humanam stirpem respicere; ac proin non satis fuisse sanctificationem personalem, - utique per merita Christi et fidem in Christum, - ad hoc obstaculum universale removendum.

Nota. - Ordinem Quaestionis distribuimus in partem negativam et positivam. Cave autem ne hanc distinctionem perperam intelligas. Etenim, tum prima pars habet elementum positivum, nempe gratiae dona quibus Deus operatur peccati remissionem et ea quae inde sequuntur; tum altera pars habet elementum negativum, nempe remotionem obicis qui impedit ab ingressu in regna caelorum animas iustas ante Christum vita functas.

Nihilominus quum per se conceptus peccati atque servitutis sit aliquid negativi et privativi; amicitiae vero Dei atque beatae visionis aliquid maxime positivi, stat fundamentum partitionis superius indicatae.

ARTICULUS VI.

UTRUM CHRISTUS PER SUAM PASSIONEM MERUIT EXALTARI.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Ter iam superius egimus de merito Christi sibi. Primo in Quaest. XIX, art. 3, ubi quae-

[1] Serm. I, in *Ascens. Domini.* — *P. L.* LIV, p. 396.

sivimus utrum Christus secundum operationem humanam aliquid sibi meruerit; dein in Quaest. XXXIV, art. 3, investigantes utrum in primo instanti conceptionis Christus potuerit mereri; demum in initio huius Sectionis, tractantes de necessitate passionis Christi. Hic autem directe quaerimus de effectu passionis quoad Christi exaltationem; sive quoad transitum de statu simul viatoris ac comprehensoris, ad statum simpliciter comprehensoris, adepta gloria plena, relate ad quam obtinendam Christus erat in via.

2) Iam vero triplex est in Christo exaltatio aliter et aliter se habens ad meritum: *a*) exaltatio *unionis hypostaticae,* quae, sicuti antecedit omne meritum, ita pariter omne meritum excedit, nec potest sub meritum cadere; - *b*) exaltatio *animae beatae,* quam nullum praecedit meritum, quam tamen a primo instanti meritum comitatur, ita ut, non excedens meritum, sub meritum cadat; - *c*) exaltatio *corporis gloriosi,* quam meritum praecessit, et iuxta mensuram suam causavit. De hac tertia exaltatione hic movetur quaestio.

3) Ubi iam adverte, hanc exaltationem, licet corporis vocetur, totum tamen hominem afficere, animam cum corpore, imo personam cum natura. Etenim quum sit praemium meriti, oportet ut sit remuneratio illius rei quae substratum meriti fuit. Iam vero hoc substratum in Christo non fuit solum corpus passionibus ac morti expositum, sed et anima opprobriis saturata, imo divina dignitas conculcata. Materia nihilominus, ut ita dicam, humiliationis fuit in corpore; quare a corporis glorificatione compensatio sese aliquo modo materialiter ad totum Hominem-Deum extendit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit exaltationem animae beatae cum exaltatione corporis gloriosi.

2. Obi. Non attendit ad dicta in fine n. 3.

3. Obi. Negligit statum singularem in quo Christus vitam mortalem degens, comprehensor simul erat et viator.

Sed contra est. Praeter locum S. Pauli ad Philippenses a S. Thoma hic allatum, ex Scriptura adduci potest ipsa ultima oratio Christi in Coena: « Pater, venit hora, clarifica « Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te... Et nunc clarifica « me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui prius

« quam mundus fieret apud te » [1]. De quibus verbis optime disserit S. Augustinus: « Ut mediator Dei et hominum « homo Christus Iesus resurrectione clarificaretur, prius « humiliatus est passione. Non enim a mortuis resurrexisset, « si mortuus non fuisset. Humilitas claritatis est meritum, « claritas humilitatis est praemium. Sed hoc factum est in « forma servi. In forma vero Dei semper fuit, semper erit « claritas; immo non fuit, nec erit quasi nondum sit; sed « sine fine, semper est claritas. Quod ergo ait: " Pater, venit « hora, clarifica Filium tuum " sic intelligendum est, tan- « quam dixerit: Venit hora seminandae humilitatis, fructum « non differas claritatis ».[2].

Eamdem claritatem per passionem obtinendam resonant verba Iesu ad discipulos: « Nunc clarificatus est Filius ho- « minis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus « est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, et conti- « nuo clarificabit eum » [3]. Propter hanc glorificationem mox obtinendam ait Iesus: « Si diligeretis me, gauderetis utique, « quia vado ad Patrem » [4].

Hanc claritatem praefigurabat transfiguratio Christi in monte. Unde tum Moyses et Elias cum Christo de proxima passione loquebantur, tum Iesus vetuit discipulis, ne hanc gloriam ante eius resurrectionem publicarent.

In Corpore. Posito remunerationis principio, S. Thomas in exaltatione Christi quatuor respectus invenit, respondentes scilicet:

Quadruplici humiliationi:

1) morti inter tormenta	*respondet*	resurrectio gloriosa;
2) sepulturae et descensui ad inferos	»	ascensio in caelum;
3) confusioni ac opprobriis	»	consessus paternae dextrae et glorificatio divina;
4) traditioni in potestatem humanam	»	potestas iudiciaria.

Resp. ad 3m. In hac responsione unitas habes tres exaltationes de quibus n. 2 diximus:

[1] Ioann. xvii, 1, 5.
[2] In Ioann. tract. civ, 3.
[3] Ibid. xiii, 31, sq.
[4] Ibid. xiv, 28.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Passio Christi liberavit nos a peccato, a potestate diaboli et a poena peccati. A *peccato,* quia charitas provocat charitatem, capitis merita purificant membra, et humanitas Christi instrumentum est divinitatis (art. 1); - a *potestate diaboli,* quia tollitur servitutis causa, reconciliatur homo Deo, et diabolus ipse iniustus aggressor depellitur (art. 2); - a *poena* demum *peccati,* quia passio abunde satisfacit et ipsum peccatum delet (art. 3).

2) Porro liberati triplici a servitute Deo perfecte *reconciliati sunt* per Christi passionem, tum quia haec peccatum removit, tum quia, uti sacrificium perfectum, directe Deum placavit (art. 4). *Ianuam* inde paradisi per culpam clausam *aperit,* quia utrumque impedimentum sustulit, peccatum scilicet originale et actuale (art. 5).

3) Propriam demum *exaltationem* Christus per passionem sibi merito procuravit, et quidem quadruplicem iuxta quadruplicem ipsius humiliationis respectum.

APPENDIX.

Dissertatiuncula de cultu SS. Redemptoris.

Quemadmodum de Christologia tractantes, post demonstratam divinitatem Christi, cultum latriae ipsi debitum vindicavimus [1], ita quoque in Soteriologia faciendum est. Exposuimus in praecedentibus Quaestionibus varios aspectus operis salvifici, ac proin varios titulos Christi Redemptoris. Æquum est ut praecipuas formas breviter exhibeamus cultus eidem Redemptori debiti, ut exinde appareat vitalitas catholicae fidei in solidam simul ac teneram pietatem sese iugiter evolventis.

Sunt autem hae formae praecipuae: 1) devotio erga pretiosissimum Sanguinem; - 2) devotio erga plagas Domini [2]; - 3) devotio erga SS. Cor Iesu; - 4) devotio erga septem verba a Christo de Cruce prolata. Sit igitur consideratio de

[1] T. IV, p. 781, sqq.

[2] Maxime erga *quinque plagas* principaliores, necnon erga *cruentatam Faciem* Domini.

singulis, sed brevissima, ne moles huius voluminis immoderate excrescat.

I. De devotione erga pretiosissimum Sanguinem.

Quum Sanguis Christi in passione ad ultimam guttulam usque pro nostra salute generosissime effusus, pretium sit redemptionis nostrae, - uti testantur non solum disertae sententiae S. Pauli et S. Petri, sed ipsa formula consecratoria mysterii altaris, necnon typi perplures Antiqui Testamenti, - nil mirum, si tantus semper in Ecclesia catholica fuerit pretiosissimo Sanguini cultus exhibitus. Qui cultus per plura saecula cum ipsa celebratione Eucharistiae identificatus, postea sese specialius evolvit, tum in Liturgia Maioris Hebdomadae, tum in festivitate peculiari consecrata huic Redemptionis aspectui, quem S. Paulus vocabat sanguinis aspersionem « melius « loquentem quam Abel » [1]. Imo, sicut mensis Iunii SS. Cordi devovetur, ita per mensem Iulii mysteria solent fideles pretiosissimi Sanguinis expressius recolere.

Huc adducendi forent hymni festi in prima Dominica eiusdem mensis quotannis celebrati [2]; in quibus hymnis tum praecipuae figurae Vet. Test. evocantur, tum plures effusiones divini Sanguinis usque post Victimae mortem celebrantur, tum mirabiles huius Sanguinis fructus, supremae charitatis pignora, describuntur [3].

[1] Hebr. xii, 24.

[2] « *Festivis resonent compita vocibus* » (Vesp.); « *Ira iusta Conditoris* » (Matut.); « *Salvete Christi vulnera* » (Laud.).

[3] Liceat et rhythmum adducere a nobis olim de hoc argumento confectum, in quo typica vaticinia pretiosissimi Sanguinis, et adiuncta varia in quibus Christus sanguinem suum pro nobis effudit, synthetice collegimus.

Vitae fontem et salutis
Celebremus Sanguinem,
Mundi culpis quo dilutis,
Renovans originem,
Iugo solvit servitutis
Reum Deus hominem.

Holocaustis prophetatur
A primaevo tempore;
Per Abelem figuratur,
Qui, mactato pecore,
Ipse saevo immolatur
Innocens facinore.

Sed electae pater gentis
Petra circumciditur,
Et figurae vi latentis
Data salus creditur,
Oriunda quae portentis
Abrae stirpe panditur.

Joseph, culpae revelator,
Fit exosus fratribus;
Vili mox ut somniator
Venditur a sontibus;
Tinctam dulcis nati sator
Togam rigat fletibus.

Inter Patres et scriptores asceticos qui hoc mysterium tractarunt, satis sit afferre S. Chrysostomum, S. Augustinum, et Bossuetium.

1) Solemne est apud S. Chrysostomum evolvere tria ubi de pretiosissimo Christi sanguine agitur: *a*) symbolismum agni paschalis, cuius cruore Hebraeorum postes ungebantur; *b*) symbolismum vulneris SS. Cordis, e quo lancea perforato exierunt aqua et sanguis; *c*) mysterium eucharisticum, ex quo per orbem quotidie Christi Sanguis mystice effunditur. Audi quam pulchre primum cum tertio coniungat: « Sicut regnan-

Iam cruore agni postes
Ungi Moyses imperat,
Quo quot carent, tot sunt hostes,
Angelus quos vulnerat;
Inde die Pentecostes
Sanguis foedus consecrat.

Sacerdotem in Sanctorum
Sancta post bis menses sex
Cum cruore vitulorum
Semel vetus ducit Lex,
Proprio dum caeli chorum
Verus intret Pontifex.

Tandem vitae praeparatur
Liquor Matre Virgine;
Caelum terrae collaetatur,
Orto divo germine;
Verbum Jesus *appellatur,*
Primo fuso sanguine.

Siste, Puer, iam fecisti
Pio satis muneri:
Quaevis stilla quam dedisti,
Mundum rapit funeri;
Nostro vulnus quod tulisti,
Fert medelam vulneri.

Instat nova Lex amoris:
Mori cupis victima...
En, in horto te angoris
Premit nox teterrima:
Guttas rubri, heu! sudoris
Stillat tristis anima.

Serve carnis, nudum, age,
Vide caesum ungulis:
Ictus strident, tument plagae,
Cruor fluit rivulis;
Humi stratum, haustum strage
Siccis cernis oculis?

O superbe, Dei datum
Qui frustraris, propera:
Spinis caput coronatum
Intuens, considera
Christi vultum cruentatum,
Tot quem foedant vulnera!

Jam Athletam generosum
Cum Maria sequere,
Et ad montem dolorosum
Tundens pectus gradere,
Sanguinemque pretiosum
Lambens in itinere.

Exaltatur crux!... Iesusque
Clavis pendens stipite,
Fundit palmis pedibusque
Et cruorem capite.
O redempti, mortem usque
Quam vos amet, capite!

Ultra sed defuncti mira
Movet cor dilectio:
Stillam cuspis urget dira:
Scatit fonte pervio;
Amans ensem, mersum ira,
Retrahit centurio.

Bone Jesu, *tam amari*
Per labores operis,
Quanti cura recordari
Fratres nos redemeris;
Tibi fisos ne damnari
In aeternum siveris!

Honor Patri, qui mactavit
Unicum pro homine;
Nato laus, qui saecli lavit
Sacro sordes sanguine;
Flamini par, qui formavit
Vite merum Virgine. Amen *

* *Revue Bénédictine* v, 1888, p. 296.

« tium statuae, quae sine causa sunt et sermone, nonnunquam « ad se confugientibus hominibus, anima et ratione decora- « tis, subvenire consueverunt, non quia sunt aere confectae, « sed retinent imaginem principalem; ita et sanguis ille, « qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit, « non quia sanguis fuit, sed quia huius Sanguinis ostendebat « adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos po- « stes atque aditus pervideret, transiecit gressus, et non « ausus est intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non po- « stibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucen- « tem sanguinem veritatis [1] Christi templi postibus dedica- « tum, multo magis se substrahet » [2].

2) Symbolismum alterum S. Augustinus, concors cum S. Ioanne, non solum refert ad modum quo prima mulier creata est, sed et ad arcam diluvii: « Vigilanti verbo Evange- « lista usus est, ut non diceret latus eius percussit, aut vul- « neravit, aut quid aliud, sed, aperuit: ut illic quodammodo « vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae ma- « naverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non « intratur. Ille sanguis qui fusus est, in remissionem fusus « est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; « haec et lavacrum praestat et potum [3]. Hoc praenuntiabat, « quod Noë in latere Arcae ostium facere iussus est, quo « intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus « praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta « est de latere viri dormientis, et appellata est mater vivo- « rum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum « praevaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato ca- « pite in Cruce dormivit, unde formaretur ei coniux, quae « de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui revi- « viscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto

[1] Quam praeclarum testimonium ad realem praesentiam Christi in Eucharistia vero sacrificio demonstrandam!

[2] Homil. in II Noct. off. pretiosissimi Sanguinis. — Cf. Homil. XIII et XXVII in epist. *ad Hebr.*

[3] S. Augustinus sanguinem et aquam illustrat eo ordine quo leguntur exiisse (IOANN. XIX, 34, καὶ εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ); dum S. Chrysostomus symbolismum Baptismi et Eucharistiae urget ex ordine quo prior aqua et deinde sanguis effluxisse dicuntur. Unde suadetur, aliam lectionem, dum haec proferret, S. Chrysostomum prae oculis habuisse.

« salubrius? » [1]. Et sublimi eloquentia pergit Augustinus pretium infinitum huius Sanguinis exaltans, et necessitatem ut unusquisque bonis moribus Sanguinis illius universaliter salutiferi fructum applicet sibi. Quam pulchra sunt et haec verba: « Habuit ille Sanguinem, unde nos redi-
« meret, et ad hoc accepit Sanguinem, ut esset, quem pro
« nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini tui, si vis,
« datus est pro te; si nolueris esse, non est datus pro te [2].
« Forte enim dicis: Habuit Sanguinem Deus meus, quo me
« redimeret; sed iam cum passus est, totum dedit: quid illi
« remansit, ut det pro me? Hoc magnum: qui semel dedit,
« et pro omnibus dedit. Sanguis Christi volenti est salus,
« nolenti supplicium. Quid ergo dubitas, qui mori non vis,
« a secunda potius morte liberari, qua liberaris, si vis tollere
« crucem tuam, et sequi Dominum? quia ille tulit suam, et
« quaesivit servum » [3]. Ex quo iam vides fructum altioris devotionis erga pretiosissimum Domini Sanguinem, non esse dumtaxat gratitudinis aut compassionis mere affectivae, sed imitativae, quatenus quo viciniori gressu Christi servus suam crucem baiulans, Magistrum Cruce onustum insequitur, eo abundantiorem in se salutiferi Sanguinis effusionem accipit.

3) Hunc divinum sanguinem e toto vulnerati Iesu corpore veluti tot fontibus prosilientem, Bossuetius ita compellat: « O
« Sang, qui découlez soit de la tête percée, soit des yeux
« meurtris, soit de tout le corps déchiré; Sang précieux,
« que je vous recueille! " Terra, ne operias sanguinem
« meum: Terre, ne couvre pas mon sang " [4], disait Job. Eh!
« que m'importe le sang de Job! Mais, ô terre, ne bois pas
« le Sang de Jésus! Oh! que je me lave dans ce Sang, que
« je le mette dans mes veines; que je m'inocule la pureté,
« la force, le mérite de ce Sang! » [5].

[1] In Ioann. tract. cxx. — Mirare hic rursus, quanta lux Veteri Testamento ex altiori symbolismo Novi Testamenti accedat (Cf. dicta in Prologo).

[2] Profunde in una sententia S. Augustinus ab utroque excessu cavet: *a)* eorum qui, cum Donatistis et Iansenio, negant Christum pro omnibus effudisse Sanguinem; et *b)* eorum qui cum Gotescalcho negant eum perire posse, pro quo Christus Sanguinem effudit (De hoc ultimo errore, ad quem valde appropinquant Calvinistae, imo et Lutherani, fidem unice exigentes, lege Petavium, (op. cit. xiii, 9).

[3] Ibid.

[4] Iob. xvi, 19.

[5] I. *Sermon sur la Passion.*

Huc spectat, at in sensu ab intentione Iudaeorum prorsus diverso, iste clamor populi: « Sanguis eius super nos et super « filios nostros » [1]. Huc maxime tendit mysterium eucharisticum iuxta verba Domini: « Qui manducat meam carnem « et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego « resuscitabo eum in novissimo die » [2].

Ut ergo brevissime concludam: devotio erga pretiosissimum Sanguinem consistit *a*) in adorando pretio pro mundi salute effuso; - *b*) in colendo per filialem gratitudinem amorem Dei, qui hoc pretium procuravit, et acceptavit, atque Christi, qui idem obtulit; - *c*) in appropriando sibi fructum huius pretii, per fidem et bonos mores, maxime per virtutem eiusdem sanguinis in altari mystice effusi ac in communione percepti [3]; - *d*) in compatiendo efficaciter Christo patienti; - *e*) in allaborando per spiritum zeli, ut Sanguis Christi pro omnibus effusus, quam plurimos in vitam perducat; - *f*) in colendo plagas Christi, e quibus pretiosissimus Sanguis scaturivit, necnon obiecta quae contactu huius sanguinis sunt consecrata [4], aut vestigia eiusdem Sanguinis quomodocumque servata [5]; maxime autem SS. Cor, quod pretiosissimum Sanguinem aluit [6], e quo, tanquam amoris sede, usque ad ultimam stillam, vulnere accepto post mortem, totus effluxit. Sed de his ultimis specialius mox agendum erit.

Devotionem erga pretiosissimum Sanguinem ars chri-

[1] Matth. xxvii, 25.

[2] Ioann. vi, 55.

[3] Inde ista brevis invocatio: « Sanguis Christi inebria me! ».

[4] Brevitatis causa ab evolvendo hoc argumento abstinemus. Cf. festa S. Spineae Coronae, S. Lanceae et Clavorum, et SS. Sindonis. — De hac ultima dumtaxat aliquid dicemus ubi de Christi sepultura.

[5] Quid de reliquiis pretiosissimi Sanguinis censendum sit, iam diximus superius (T. iv, p. 816, sq.), necnon de sanguine miraculose ex imagine Crucifixi effluxo. Factum princeps in hoc ordine memoria prostat apud Athanasium Bibliothecarium, iuxta orationem S. Athanasii. Ex imagine Crucifixi a Iudaeis inter blasphemias mutilati, abundantissimus sanguis effluxit, quo experimenti causa ab eisdem collecto, innumeri de eorum gente mox aegroti curati sunt; unde turmatim in Christum crediderunt *.

[6] Quousque haec consideratio in B. V. M. redundet, manifestum est. Sed caute hic respectus est adhibendus. Excellentia quippe infinita ob unionem hypostaticam in Christi Sanguine colenda, sistit in Christo, et non nisi indirecte redundat in Matrem. Idem dic de relatione inter SS. Eucharistiam et Beatissimam Virginem.

* Cf. *P. G.* cxxix, p. 283, sq.

stiana expressit figurando Crucem undequaque circumdatam Angelis divinum liquorem pia cura colligentes. Interdum sub cruce a dextris stat Ecclesia sanguinem Cordis in calicem recipiens, dum a sinistris Synagoga aspicit veluti petrificata. Prostat, in pago Wechselburgensi apud Saxones, sculpta imago e XIII saeculo, notatu digna. Sub cruce iacet Adamus, et Sanguinem qui defluit de cruce, in calicem recipit. Efficax imago ad exprimendum id quod canit Ecclesia:

Amor coëgit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat[1].

II. De devotione erga plagas Salvatoris.

Rationem immediatam huius devotionis iam tetigimus. Inde in ipsa liturgia pretiosissimi Sanguinis Ecclesia canit:

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.

Sicut enim per apertum os loquitur homo, ita per aperta corporis vulnera amor Verbi incarnati innotuit. Et sicut S. Paulus exaltat Christi Sanguinem melius loquentem quam Abel, ita Christi vulnera altius quovis sermone intonant. Porro ista vulnera habent singula veluti suam eloquentiam propriam, iuxta symbolismum qui eis, ob ipsa corporis membra, veluti inhaeret.

Praeter vulnus SS. Cordis, de quo mox sermo redibit, stigmata spineae coronae docent humilitatem, obedientiam et gaudium in ignominiis cum Christo tolerandis. Vulnus genae colapho tumentis praedicat patientiam et taciturnitatem in offensis. Vulnera utriusque manus praedicant intentionem puram in operibus bonis et aversionem ab operibus malis. Vulnera utriusque pedis zelum apostolatus et stabilitatem in servitio crucifixi Domini. Vulnus scapulae patibulo onustae, proclamat crucem cum Iesu fideliter ferendam.

[1] Hymn. « *Auctor beate saeculi* », in Vesp. Festi SS. Cordis Iesu,

Vulnera utriusque genu crucis pondere flexi constantiam commendat in angustiis. Vulnera dorsi flagellis lacerati alte clamant mortificationem carnis.

Quinque autem **plagae,** Cordis scilicet, utriusque manus ac pedis, inter omnia ista vulnera speciali devotione coli solent [1], quia modo synthetico supplicium crucis comprehendunt. Cum hoc tamen discrimine, quod Cordis vulnus sine dolore inflictum est, dum alia quatuor cruciatu fuerunt acerbissima.

Has plagas iam antiqui scriptores, uti Origenes et Ambrosius, fontes vocabant unde effluxere sacramenta [2], iuxta illud Isaiae: « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Sal- « vatoris » [3].

Sancta Facies pariter decoratur devotione peculiari, a tempore imprimis ven. viri Dupont Turonensis, in dies magis magisque florente. Exstitit tamen a remotissima aetate. Quin et originem suum habere videtur a dolentis faciei signo, quod Christus in Golgotha pergens sudario piae Veronicae impressum reliquisse traditur [4]. Quam faciem augustam pictores mediae aetatis, - Flandri imprimis, - tam libenter arte pia depingebant, canticis quoque in ecclesiis celebrabat populus fidelis. Quis nesciat tenerrimum hymnum Germanis iure carum:

« O Haupt voll Blut und Wunden »,

a Sebast. Bach [5] sublimi modulatione adornatum?

[1] Inde festum liturgicum Quinque Plagarum; et usus totidem *Pater*, *Ave* et *Gloria* extensis brachiis orandi.

[2] Prostat Troiae apud Gallos vetrum coloribus depictum, quod crucem repraesentat in media piscina erectam; e quinque vulneribus Domini aqua defluit in piscinam, e qua per totidem foramina descendit in septem calices humi per gyrum positos.

[3] Is. XII, 3.

[4] Hinc S. Facies melius depingitur tanquam huic impressa velo, ne a corpore Christi avulsa coli videatur. S. Faciei notissima est tabula, reproductione iam per orbem sparsa, qua pictor Flander Ios. JANSSENS nuper repraesentavit B. Virginem, circumdatam Ioanne, Petro, utraque Maria, dum extensis amore, desiderio et admiratione brachiis, materno oculo intuetur imaginem S. Faciei, quam suo velo impressam Veronica ei in vigilia Paschatis pia cura defert, atque tacita veneratione demonstrat. Est veluti prima ostensio huius insignis reliquiae, quam thesaurus Basilicae Vaticanae possidere dicitur, ac maioribus certis diebus e reliquiarum podio sub tholo inter campanarum concentum solemni ritu exhibet.

[5] Nativitate quidem ac coetu Protestans, at mente et arte Catholicus Bach dicen-

Sed praeter vulnera cruore manantia in S. Facie colitur symbolismus Capiti sicuti et Cordi proprior. Caput enim sedes est sapientiae, sicut Cor amoris. - Adde, per oculos, uti per fenestras emicare amorem, quo vocatus Matthaeus telonium reliquit; sanctumque poenitentiae stimulum, quo actus Petrus culpam deflevit. - Adde, faciem Christi uti Dei-Hominis respicere genus nostrum nomine Dei, et Deum nomine nostri. Isto modo, ad Patrem nostri nomine clamat: « Respice in me, « et miserere mei » [1]; altero modo applicari potest singulis fidelibus: « Respice in faciem Christi tui! » [2]. - Adde, os vere aureum et mellifluum Christi esse organum, unde tot sublimes orationes, tot amoris suspiria exierunt. - Adde, faciem exhibere amicorum effigiem, cuius aspectu desiderium absentis temperatur, et dilecti stimulatur memoria. Quid iam de facie, quae summum benefactorem figurat in ipso actu, quo amoris sui usque ad mortem pignus supremum dedit?

Vides quot rationes concurrant, ut devotio erga S. Faciem patientis Domini fidelium pietati commendetur.

III. De devotione erga SS. Cor Iesu [3].

Fundamentum latriae cultus SS. Cordi Iesu debiti iam in praecedenti volumine vindicavimus [4]; hic locus est ut huius nobilissimae devotionis *obiectum* consideremus et *finem*.

I. De obiecto devotionis erga SS. Cor Iesu.

Praemissa distinctione inter obiectum materiale et formale, dicimus devotionis erga SS. Cor Iesu 1) obiectum materiale esse Cor physicum Iesu Christi Dei-Hominis, et qui-

dus est, uti demonstrant eius opera nobiliora: *Missa* atque *Passio Domini*. Quippe cuius pietatem ardentiorem quam ut frigida forma cultus Lutherani contineretur, Liturgia catholica maxime inspiravit.

[1] Ps. XXIV, 16.

[2] Ps. LXXXIII, 10.

[3] Inter alia opera perplura de hoc argumento conscripta satis sit attulisse tractatus GALLIFET (*De cultu SS. Cordis Dei ac D. M. I. Chr.* Romae 1726); L. LEROY (*De SS. Corde Iesu eiusque cultu* - Leodii 1882); NIC. NILLES (*De ratione festorum SS. Cordis Iesu* et *purissimi Cordis Mariae* - Ossiponte 1885); TERRIEN (*La dévotion au S. C.*), etc.

[4] T. IV, p. 807, sq.

dem Cor physicum lancea transverberatum; 2) obiectum formale esse amorem Christi erga nos, cuius amoris idem divinum Cor symbolum, imo iuxta non paucos organum est.

De utraque parte huius propositionis breviter dicendum.

1) Voluerunt quidam, imprimis Iansenistae a cultu SS. Cordis removere ipsum Cor carneum Iesu. Sed perperam [1]. Ex ipsa historia tum apparitionis Iesu ad B. Margaritam, tum approbationis Festi SS. Cordis, imo ex ipsa Liturgia eiusdem festi apparet, ipsum Cor Iesu hac devotione coli, at uti est Cor Dei, imo Cor Dei-Hominis viventis [2] nec a toto corpore, nec ab anima, nec a divinitate Christi seiunctum [3]. Imo in hoc Corde solet coli vulnus quod in cruce pertulit [4].

a) *Cor ipsum Christi-Dei* invocati diserte declarat hymnus ad Vesperas, cuius prima verba: « Auctor beate saeculi, « Christe Redemptor omnium, etc. » assurgunt usque ad ipsum Verbum in sinu Trinitatis. Unde quando inferius dicitur: « Non Corde discedat tuo, vis illa amoris inclyti », divinitas eiusdem SS. Cordis expresse affirmatur.

b) Iam vero istud Cor colitur uti *amore nostri vulneratum*. Ita in eodem hymno canitur:

Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera;
Ut nos lavaret sordibus,
Unda fluente et sanguine.

[1] Cf. documenta citata t. IV, loc. cit.

[2] Potuit quidem etiam Cor Iesu adorari et coli per stadium quo iacuit in sepulchro; at iste respectus mere historicus non solet intrare in cultum SS. Cordis uti nunc in Ecclesia viget.

[3] Cf. Pium IX, in Brevi beatif. B. Margaritae.

[4] Recte monet Cl. Parayre, * improbandas esse devotiones quae membra Christi colunt seiuncta a toto. Hoc sensu dicebat S. Bonaventura: « Christus, utut est, totus « adorandus est, et non per partes singulatim sumptas ». At nihil inde contra devotionem erga SS. Cor Iesu recte intellectam. Vitandae tamen sunt repraesentationes, quae in hunc falsum conceptum conducunt. Quare minus placet imago SS. Cordis a Christi corpore seiuncti; nec arridet imago Christi Cor suum e pectore avulsum manu gestantis. Recta e contra est repraesentatio SS. Cordis in ipso divino pectore pulsantis. Sed haec ingratum est pictoribus argumentum. Sunt enim res, quae verbis quidem optime dicuntur, lineamentis autem coloribusque vix fingi possunt. Inde inter tot imagines SS. Cordis tam paucae exhibent pulchritudinem arte dignam. Elegantius videtur mysterium exprimi, si super vestimentum Christi, in medio pectore Cor figuretur quale B. Margaritae apparuit, et Iesus, v. gr., sinistra hanc imaginem indigitat, dum dextra fidelibus Cor suum pie colentibus benedicit.

* *L'Université catholique.* — Année 1902, n. 6. p. 300.

Et in utroque hymno ad Matutinum et ad Laudes idem fusius evolvitur [1].

Ratio autem ob quam in Liturgia SS. Cordis tantopere sermo fit de Corde vulnerato, petitur tum ex fundamento historico, tum ex ratione symbolica huius vulneris.

α) Fundamentum *historicum* habetur non solum in narratione Ioannis, quae in Evangelio festi adhibetur, sed in duplici praefiguratione typica, ex qua apparet, cultum SS. Cordis esse de illis devotionibus maxime dogmaticis, quarum prophetica lux iam ante lapsum hominis praesentitur. In gemina enim scena humani generis conditi et servati occurrit figura Cordis vulnerati Redemptoris. α') Eva enim educta e latere Adami typus erat Ecclesiae de vulnere Cordis Christi exiturae:

Ex Corde scisso Ecclesia
Christo iugata nascitur [2].

β') Apertura arcae idem praefigurabat:

Hoc ostium Arcae in latere est
Genti ad salutem positum [3].

Qui symbolismus constanti traditione in Ecclesia agnitus est, quemadmodum demonstrant fragmenta S. Chrysostomi, S. Augustini et S. Bonaventurae, quae in liturgia huius festi leguntur.

γ') Adde figuram arcae in qua Legis tabulae continebantur:

Cor, arca legem continens,
Non servitutis veteris,
Sed gratiae, sed veniae,
Sed et misericordiae [4].

δ') Imo ipsum Sanctum Sanctorum, cuius velum scissum est quando lancea Cor Iesu ferivit:

Cor sanctuarium novi
Intemeratum foederis,
Templum vetusto sanctius
Velumque scisso utilius [5].

[1] Hymnus ad Vesp. magis est syntheticus et theologicus de Christo Deo et Homine Redemptore. Hymnus ad Matutinum magis evolvit respectum Hominis, et habet insuper aliquid magis symbolici, quod et valet de hymno ad Laudes.

[2] Hymn. Vesp.

[3] Ibid.

[4] Hymn. Laud.

[5] Ibid.

Et sane, si totum Christi corpus erat templum Dei Ierosolimitano templo figuratum, pars secretissima atque sanctissima huius templi erat symbolum eloquens divini Cordis Iesu. In corde enim mundo, amorisque pleno cultus Dei exhibetur in spiritu et in veritate.

3) Unde iam vides, fundamentum historicum cum ratione *symbolica* intime connecti. De qua ratione symbolica mox dicemus, ubi de obiecto formali et de fine huius devotionis.

Interim animadverte modum quo ipse Iesus voluit emblema sui sacratissimi Cordis exhiberi [1]. E cordis vulnere flammae amoris prosiliunt; ipsumque Cor spinarum diademate circumductum insignitur cruce. Quare a devotione SS. Cordis semovere Christi passionem, est simul in historiam et in sensum huius devotionis offendere.

Obiectum igitur materiale devotionis erga SS. Cor Iesu est ipsum Cor humanum Iesu Christi, non quidem a caetero corpore avulsum, tanquam speciali tamen ratione honoratum, Cor Dei-Hominis-Redemptoris hypostatice Verbo unitum ac proin adoratione dignum, et in cruce symbolico vulnere transverberatum.

2) Sed non hic sistendum est. *Formale* obiectum huius devotionis est ipse amor Iesu, cuius istud Cor fuit ardentissima fornax, ac proin efficacissimum symbolum, quin et nunc in caelo et in mysterio altaris fornax et symbolum iugiter permanet.

Disputent inter se physiologi utrum cor sit revera sedes et organum vitae affectivae, sicut cerebrum est sedes vitae intellectualis [2]. Unum constat apud omnes populos, et apud omnes linguas: quae amoris sunt, in corde sentiri, et de corde praedicari. Inde privilegium fuit aliquorum Sanctorum quibus uti S. Philippo Nerio, S. Petro de Alcantara, S. Aloysio, etc., Deus vehementiorem sui amorem indidit, ut cor aestuans usque ad adustionem vel dilatationem in pectore gestarent. Cor igitur Iesu colitur, quia sedes aut saltem

[1] Cf. de mystica significatione huius emblematis concionem a me nuper editam, cui titulus: « *Amour et Souffrance* » (Romae, Typ. *Tata Giovanni,* 1902).

[2] Quia in prima festi SS. Cordis postulatione Galliffet id nimis uti certum affirmaverat, *Promotor fidei,* qui tunc erat Card. Lambertini, futurus Benedictus XIV, petitioni non annuendum censuit. (Cf. *De Servor. Dei Beatif.* l. IV, p. 2, c. 31).

naturale symbolum fuit amoris Iesu Christi, qui amor obiectum formale cultus SS. Cordis dicendus est.

Porro in hoc amore varios licet intueri aspectus, a respectu magis humano, sicut fuit illa praedilectio quam Iesus erga Ioannem habuisse legitur, usque ad ipsum amorem Dei, qui Verbum induxit ut pro salute nostra carnem et cor indueret, iuxta stropham iam superius alia ratione allatam:

Amor coëgit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat [1].

Respectus autem proprius est amoris Dei-Hominis-Redemptoris. Ex quo iam vides, quam intimo nexu opus passionis cum hoc amore coniungendum sit.

In hoc igitur amore Cordis Iesu consideratur imprimis: *a*) amor quo Christus se in victimam pro nostra salute Deo obtulit. Huc spectat antiph. ad *Benedictus,* ex Isaia desumpta: « Vulneratus est propter iniquitates nostras, etc. ». Hoc est primum inter « praecipua in nos charitatis bene« ficia », quae Collecta liturgica monet in hoc festo recolenda. Praeclare S. Bernardus: « Et propterea vulneratum est, ut « per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. « Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non « solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari « permisit? Carnale ergo vulnus spiritale ostendit » [2].

b) Sed et in hoc amore per Cor expresso Ecclesia intuetur fontem omnium gratiarum; ita ut veluti ex apertura SS. Cordis symbolice effluant. Quae gratiae possunt considerari dupliciter: α) in genere, tanquam peccatorum condonatio, iuxta stropham:

Non Corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti;
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam [3].

β) specialius, tanquam institutiones perennes gratiarum, scilicet ipsa Sacramenta, iuxta alteram stropham:

[1] Hymn. Vesp.
[2] Serm. 3, *de Pass.* — Lect. 7, *off. SS. Cordis.*
[3] Ibid.

Ex hoc perennis gratia
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine [1].

c) Hic autem assurgimus ad maximum ex his Sacramentis, utpote in quo non solum continetur pignus excellentissimum amoris Cordis Iesu, sed et hoc ipsum Cor cum toto suo amore iugiter praesens ac sese incruento ritu offerens Patri. Inde in devotione SS. Cordis specialissime recolitur et honoratur mysterium Eucharistiae. Utramque simul charitatem Christi patientis et altaris sacramentum instituentis Ecclesia non solum coniungit ponendo festum SS. Cordis immediate post octavam Corporis Domini, sed expresse copulandam proclamat his verbis: « Quam charitatem Christi patientis, « et pro generis humani redemptione morientis, atque in « suae mortis commemorationem instituentis Sacramentum « Corporis et Sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cor- « dis symbolo devotius ac ferventius recolant, eiusdemque « fructus uberius percipiant, Clemens XIII ipsius sacra- « tissimi Cordis festum nonnullis Ecclesiis celebrare con- « cessit, etc. » [2].

Ex dictis de utroque obiecto materiali et formali huius devotionis apparet ratio, qua SS. Cor Iesu directe invocatur, uti in Litaniis: « Cor Iesu, miserere nobis ». Si obiectum proximum cultus sit ipsum Cor carneum [3], tales invocatio-

[1] Hymn. Matut.

[2] Hic nexus intimus inter SS. Cor Iesu et passionem et SS. Eucharistiae institutionem duas alias devotiones connexas peperit: devotionem ad *Cor Iesu agonizans,* ad intercedendum maxime pro sorte aeterna tot hominum quovis instante ex hac vita migrantium; et devotionem erga *Cor eucharisticum Iesu.* Quam alteram devotionem, ob insolitam, imo parumper periculosam terminologiam, Roma nonnisi post quasdam haesitationes tandem accepit. Et sane si per *Cor eucharisticum* intelligis ex una parte amorem quo Iesus hoc Sacramentum instituit, ex altera vitam SS. Cordis in ipso Sacramento, quippe in quo se sistit Patri, pro nobis interpellat et nobiscum commoratur, haec devotio sane est fundatissima, aptaque valde quae fideles cum Iesu Corde in Missa et in Tabernaculo coniungat. Si autem intelligis modum eucharisticum quo Cor Iesu est sub velo sacramentali praesens, nihil habet iste modus cur in Corde magis quam in aliis Christi membris celebretur. Quare, nisi caveatur, terminologia huius devotionis in errorem sat crassum inducere potest.

[3] Hanc sententiam propugnavit F. X. Leitner (*Ein Wort über den Gegenstand der Andacht zum heiligsten Herzen Jesu.* Freiburg, 1874, p. 17 sqq.).

nes per modum personificationis habent utique aliquid vehementioris, sed et tunc servari possunt, quum istud Cor non consideretur ab anima Christi nec a toto Christo Deo-Homine avulsum; unde invocatio « Cor Iesu », idem dicit ac « Iesu, Verbum incarnatum, per Cor tuum miserere nobis ». Si autem obiectum proximum cultus SS. Cordis dicitur ipse amor Iesu, cuius hoc divinum Cor symbolum agit [1], tunc huiusmodi invocationes sunt naturales valde, quum ipse amor identificetur cum amante. Sensus proin invocationis est: « Iesu, Filii Dei Redemptor, per amorem tuum, quem « in Corde tuo colimus, miserere nobis ».

Ex modo quo superius obiectum materiale et formale descripsimus, patet quid de hac controversia sentiamus. Utrumque scilicet simul coli dicimus et ipsum Cor carneum et ipsum Christi amorem, per modum alicuius obiecti compositi, cuius amor sit veluti anima et cor veluti corpus.

Et haec de obiecto huius devotionis satis sint. Iam ad eiusdem finem gressum moveamus.

II. De fine devotionis erga SS. Cor Iesu.

Ut ordine procedamus, finem devotionis SS. Cordis Iesu consideremus 1) relate ad eum ipsum qui eam nutrit; 2) relate ad alios homines; 3) relate ad Christum; 4) relate ad Deum, 5) relate ad universum.

1) Tantae virtutis est devotio erga SS. Cor Iesu, ut per triplicem viam purgativam, illuminativam et unitivam usque ad commercium maxime intimum cum Christo perducat. Quae triplex via significatur per flammas a Corde Iesu erumpentes: flamma enim mundat, lucet, et emolliendo conflat in unum.

a) *Via purgativa* incipit a poenitentia de propriis peccatis, stimulante amore initiali, qui mox transit in charitatem. Iam α) quid efficacius ad contritionem nutriendam, adspectu Cordis pro nostris peccatis tam dire sauciati?

[1] Hanc alteram sententiam defendit I. Jungmann, S. I. (*Fünf Sätze zur wissenschaftlichen Erklärung der Andacht zum göttlichen Herzen Jesu.* Th. Zeitss. Innsbruck an. 1869; — *Die Andacht zum heiligsten Herzen Jesu und die Bedenken gegen dieselbe.* Innsbruck, 1871, p. 27 sq., 37, sq.).

Huc spectat strophà superius allata: « Percussum ad hoc est lancea, etc. » [1]; idemque egregie dicit haec altera:

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra diringunt;
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit [2].

Unde iam prope est motus poenitentiae:

Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent [3].

β) Quid ergo? Poenitentia intuitu SS. Cordis concepta, ecce parit amorem:

Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices [4].

Bene exclamat S. Bernardus: « Quis illud Cor tam vul-« neratum non diligat? quis tam amans non redamet? Quis « tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore « manentes, quantum possumus, amemus, redamemus, am-« plectamur vulneratum nostrum, cuius impii agricolae fode-« runt manus et pedes, latus et Cor: stemusque, ut cor « nostrum durum adhuc et impoenitens, amoris sui vinculo « constringere, et iaculo vulnerare dignetur » [5].

b) *Illuminativa via* per SS. Cor Iesu miro splendore collustratur. Est quippe thesaurus omnis sapientiae et scientiae [6]; est exemplar omnium virtutum. Ipse Christus scholam sui Sacratissimi Cordis nobis commendavit, dicens: « Discite « a me, quia mitis sum, et humilis corde » [7]. Culmen autem huius magisterii pertingit usque ad lumen ipsum Dei: « Beati « mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt » [8]. Quare S. Paulus totum perfectionis stadium, quo magis magisque illuminati ad solem Christi tendimus, his verbis expressit: « Fra-« tres, hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu » [9], quasi

[1] Hymn. Vesp.
[2] Hymn. Matut.
[3] Ibid.
[4] Ibid.
[5] Loc. cit. — Cf. *Breve Beatificationis B. Margaritae.*
[6] Cf. invoc. *Litan. SS. Cordis Iesu.*
[7] MATTH. XI, 29. — Cf. 1 ant. Vesp. *off. SS. Cordis.*
[8] MATTH. V, 8.
[9] PHILIPP.

diceret: huc conspirent conamina vestra, ut cor vestrum efformetis conforme Cordi Iesu. Nonne iam hoc orabat Propheta, dicens: « Cor mundum crea in me, Deus? » [1]. Quis unquam perscrutari poterit, quantas ascensiones in corde suo disposuerint Sancti [2], qui oculis firmiter Cordi Iesu affixis, expediti a mundanis curis et affectibus, eum secuti, qui « exul- « tavit ut gigas ad currendam viam » [3].

c) Bravium autem illuminativi agonis iam in praesenti stadio est *via unitiva,* quae per devotionem erga SS. Cor mirifico modo nutritur. Hanc unionem exprimit vulnus ipsum, quod nos invitat, ut in se, spretis aliis gaudiis, requiem inveniamus. Ideo Ieremias ait: « Estote quasi columba nidificans in « summo ore foraminis » [4]. Quantopere Iesu Sponso placeat anima sponsa in ipsius Corde amanter inhabitans, dicunt verba Cantici: « Columba mea in foraminibus petrae, in caverna « maceriae, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in « auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora » [5].

En unionis culmen ad quod per gradationem tendit Bernardus, quando ait: « Hoc igitur Corde tuo et meo, dulcis- « sime Iesu, invento, orabo te Deum meum; admitte tantum « in sacrarium exauditionis tuae preces meas; immo me totum « trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime « Iesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo « munda me: ut purificatus per te » (en viam purgativam), « ad « te purissimum possim accedere » (en viam illuminativam), « et in Corde tuo omnibus diebus vitae mea merear habi- « tare, et ut videre simul et facere tuam valeam voluntatem » (en viam unitivam). « Ad hoc enim perforatum est latus « tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est « Cor tuum, ut in illo et in te ab exterioribus perturbatio- « nibus absoluti, habitare possimus » [6]. Similibus affectibus abundabunt illi Sancti quorum pietas speciali nardo unionis sponsalis fragrabat; qualem eructant imprimis orationes S. Gertrudis Magnae.

[1] Ps. LX, 12.
[2] Ps. LXXXIII, 6.
[3] Ps. XVIII, 7.
[4] IEREM. XLVIII, 28.
[5] CANT. II, 14.
[6] Ibid.

Gradus supremus huius unionis est mutua illa veluti compenetratio Sponsi et sponsae, quasi ineffabilis cordium permutatio. Tunc verificatur mystice, quod in officio eiusdem eximiae propagatricis cultus SS. Cordis canitur [1]:

Amore Christum vulneras;
Hic te vicissim vulnerat:
Tuoque cordi propria
Inurit alte stigmata.
O singularis charitas,
Et mira commutatio!
Hic Corde respirat tuo!
Tu vivis huius spiritu [2].

Ne autem quis putet, haec piam quamdam exaggerationem redolere Apostolum audiat, de seipso dicentem: « Vivo autem « ego, iam non ego, vivit vero in me Christus » [3]. Haec sunt stigmata Domini Iesu, quae in corpore se portare gloriabatur quatenus amoris vulnus cor sponsae feriens, unitiva victoria est sauciati Cordis Iesu.

2) Sed et in alios haec devotio tendit, maxime in peccatores Deo per SS. Cor Christi reconciliandos. Hunc aspectum exhibet oratio post Litanias SS. Cordis dicenda: « Omnipo- « tens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, « et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum « tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus tu « veniam concede placatus in nomine eiusdem Filii tui Iesu « Christi ». - Sed et fideles omnes haec devotio complectitur. Hunc fructum eloquenter exprimebat S. Paulus ad Philippenses scribens: « Testis est mihi Deus, quomodo cupiam « omnes vos in visceribus Iesu Christi » [4].

Quantopere autem et animae in purgatorio poenas luentes precibus ad SS. Cor et per SS. Cor ad Deum factis leventur, ex eodem principio manifestum est.

3) Altius iam assurgendum est. Ipsum Christum laudes nostrae respiciunt, quando Cor eius divinum colimus, idque maxime tripliciter.

[1] Cf. 4. Ant. ibidem. Quantum de devotione SS. Cordis post S. Paulum et S. Augustinum, cum S. Bernardo meruerint SS. Gertrudis, Mechtildis et Hildegardis, res est nota nimis, quam ut hic ostendi debeat.

[2] Gal. ii, 20.

[3] Ibid. vi, 17.

[4] Philipp. i, 8.

a) Gloriando in SS. Corde Christum summopere honoramus idipsum celebrantes quod Pater intuitus in Filio sibi complacuit. Etenim sicut in Domini Cruce, ita in Domini Corde nobis gloriandum est. Inde in oratione Festi SS. Cordis nos profitemur Deo « in sanctissimo dilecti Filii (sui) tui « Corde gloriantes ».

b) Inde nihil gratius ipsi Iesu, quam ut eum iubilo proprii Cordis celebremus. Quam ardenter S. Gertrudis Sponsum alloquitur: « Iubilet tibi tuum mellifluum deificatum Cor, « quod in morte pro me rupit amor. Iubilet tibi tuum beni« gnissimum et fidelissimum Cor, in quo lancea mihi viam « fecit, ut intrans ibi repauset meum Cor. Iubilet tibi Cor « dulcissimum, incolatus mei unicum refugium, quod tam « pie semper est de me sollicitum, nec unquam quiescit in « siti post me, donec me perpetuo recipiat ad se » [1].

c) Quomodo autem anima coniuncta SS. Cordi ita non doleret de offensis eidem iugiter illatis? Hic finis devotionis erga SS. Cor eo magis attendendus est, quo expressius Christus ipse eum commendavit.

Exposita enim ingratitudine qua tot homines immensum suum amorem rependunt, Iesus ad B. Margaritam ait: « Itaque a te requiro, ut feria sexta, quae octavam Corpo« ria mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter « sit dedicata; qua die ad sacram mensam accedendo iniu« riae Cordi meo in altaris mysterio inflictae, eo maxime « tempore quo palam fidelium venerationi expositus sum, « violati honoris reparatione sarciantur » [2]. Inde Ecclesia in Antiph. ad *Magnif.* in I. Vesperis Festi SS. Cordis adducit verba Psalmistae: « Improperium exspectavit Cor meum et « miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, « et qui consolaretur et non inveni » [3].

4) Sed in totam SS. Trinitatem redundat haec devotio. Est quidem SS. Cor Iesu organum totius Divinitatis. Audiantur hic verba quae Christus ipse dignatus est proferre ad S. Gertrudem, dum ista imbecillitatem suam in divina laude deplorabat: « Cuius moestitiam Dominus non sufferens prae-

[1] *Sextum Exercit.*

[2] Cf. NILLES, (op. cit., t. I, p. 35).

[3] Ps. XLVIII, 21.

« sentavit illi quasi propriis manibus suis Cor suum deifica-
« tum in similitudine lampadis ardentis, dicens: " Ecce Cor
« meum, dulcissimum semper venerandae Trinitatis orga-
« num, oculis mentis tuae praetendo, cui omnia, quae per te
« minus supplere sufficis, fiducialiter pro te supplenda com-
« mendabis. Et sic omnia coram oculis meis apparebunt
« summe perfecta. Quia ad similitudinem sicut servus fide-
« lis, qui semper domino suo ad quaeque beneplacita para-
« tus assistit [1], sic Cor meum deinceps semper aderit tibi ad
« hoc, ut omnes negligentias tuas qualibet hora pro te sup-
« pleat " » [2].

5) Inde iam patet SS. Cor Iesu esse centrum universi. Quatenus, sicut in corpore nostro sanguis iugiter ab extremis membris ad cor vegetandus affluit, et a corde ad extrema usque membra refluit vegetior, ita dona Dei per SS. Cor Iesu ad universum diffunduntur, et universum per SS. Cor Iesu in Deum redundat. Hoc olim ita experta est eadem S. Gertrudis: « In Missa quam Dominus Iesus » ei « decantavit: « ipsa per desiderium attraxit sibi omnem delectationem... « et illam per primum Kyrie eleison a corde suo in Cor divi- « vinum quasi in originem propriam refudit, unde omne dele- « ctamentum totius creaturae processit. Et hoc fiebat per « quemdam mirabilem influxum Dei in animam et refluxum « animae in Deum, ita quod per singulas notas descendentes « Cor divinum ineffabili delectatione flueret in animam, et « per notas ascendentes anima cum omni delectamento suo « reflueret in Deum » [3]. Idem sub forma parumper diversa innotuit S. Mechtildi. « Inter Missam, post elevationem, vidit « de Corde Dei exire citharam. Cithara autem illa erat Do- « minus Iesus, chorda vero omnes electi, qui in Dei unum « sunt per amorem. Tunc summus omnium cantorum Iesus « citharam percussit, et sono dulcisono insonabant omnes « Angeli, deinde omnes Sancti cantabant in Deo dulci har- « monia » [4]. Hic respectus, quem iam praesentabant primi Christiani utpote, qui erant « Cor unum et anima una », est in

[1] Cf. ps. CXXII, 2, 3.
[2] *Legat. div. piet.*, l. III, c. 25.
[3] Ibid. l. IV, c. 59.
[4] *Lib. special. grat.* l. II, c. 2.

cultu SS. Cordis omnium celsissimus, utpote aeternus, aliquo modo ab ordine Redemptionis abstrahens, et ad Angelos usque sese pertingens [1].

Imo summa et prope infinita dignitas huius aspectus movit theologos non paucos, ut Incarnationem putent absolute a Deo praedestinatam antecedenter ad praevisionem lapsus generis nostri, ac proin SS. Cor Dei-Hominis absolute praedestinatum esse, ut fieret universi centrum, in quo non solum omnis creatura suum organum haberet nobilissimum, sed Deus et creatura subsistentialiter coniungerentur [2].

Et haec de hac augustissima devotione pro scopo nostro satis [3]. Quae protulimus, abundanter sufficere putamus ad ostendendum quantopere devotio erga SS. Cor Iesu, licet sub hac forma recentior, quoad substantiam et altius obiectum radicetur, teste S. Paulo, « in visceribus Iesu Christi » [4].

IV. De devotione ad septem verba a Iesu de Cruce prolata.

Quod Rex David in sponsali cantico intonat: « Eructavit « cor meum verbum bonum: dico opera mea Regi » [5], de verbis maxime valet a Iesu de Cruce prolatis, quippe quae veluti tot sacramenta de Iesu Corde effusa, supremi amoris erga Patrem et nos prostant augustissimum testamentum. Inde in Ecclesia vigens devotio erga has Domini sententias, brevissimas quidem, at affectu altiorique sensu gravissimas [6].

[1] Cf. de hoc recentissimum opus P. Deodati De Basly (*Grandes thèses catholiques*. I. *Le Sacré-Cœur. Conférences selon la doctrine du vénérable Jean Duns Scot*).

[2] Inde alibi diximus, motum SS. Cordis Iesu per infinita saecula ventura fore mensuram caelestis aevi (T. I, 380).

[3] Cf. inter theologos qui recentius hoc argumentum pertractarunt, Stentrup (op. cit., th. XLV); Franzelin (op. cit., th. XLV); Chr. Pesch (op. cit., Prop. XVII); Einig (op. cit., th. XII, 3.); etc.

[4] Philipp. I, 8. — Caveant proin sedulo scriptores catholici, ne, dum invehunt in certas quasdam devotiones modernas, ita loquantur, quasi et hanc devotionem spernendam ducant. Lege de hoc cultu eloquentem sermonem quem habuit Illmus Ben. Bonazzi O. S. B. Archiep. Benevent. in congressu in honorem SS. Cordis nuperrime Neapoli celebrato.

[5] Ps. LC, 1.

[6] Solent in Urbe, feria VI in Parasceve, fideles ab hora sexta ad nonam in templis commorari, ibidemque per hoc spatium (*le tre ore d'agonia*) inter alterna cantica et sermones de hisce septem Domini verbis pie meditari.

Antequam de singulis aliquid dicamus, oportet investigare de eorum numero et ordine. Quod problema inde nonnihil subtilitatis habet, quod nullum ex his verbis a pluribus Evangelistis refertur, dempto ultimo verbo: « Pater, in ma- « nus tuas, etc. », quod a Luca expresse relatum [1], apud Matthaeum et Marcum implicite indicari videtur per clamorem magnum quo emisso Iesus expiravit [2]. Apud hos duos Evangelistas non occurit nisi unum et quidem idem verbum Domini: « Deus meus, Deus meus, etc. » [3]. Uterque alius Evangelista [4] tria at diversa Iesu verba profert. Lucas verba: « Pater, dimitte illis, etc. », « Amen dico tibi, etc. », « Pater, « in manus tuas, etc. » [5]; Ioannes autem: « Mulier, ecce filius « tuus;... Ecce mater tua », « Sitio », « Consummatum est » [6].

De numero igitur verborum constat. Ordo autem eorumdem non tantopere patet. Tenendus quidem est ordo apud utrumque Lucam et Ioannem exhibitus. At quomodo haec terna verba sese compenetrant ad invicem; et quo loco ponendum est verbum ab aliis Evangelistis allatum? Adiuncta quidem et indoles ipsorum verborum plura dubia tollunt; non ita tamen ut nulla supersit haesitatio.

Et sane modus quo S. Lucas refert verba Domini: « Pa- « ter, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt », necnon sensus huius exclamationis suadent, hoc fuisse primum Iesu verbum veluti in ipsa crucifixione prolatum. Ex opposito ultimum fuit: « Pater, in manus tuas, etc. »; ac penultimum verbum: « Consummatum est »; quod verbum rursus praeparavit exclamatio: « Sitio ».

Restant ergo tria verba: « Amen dico tibi: hodie mecum « eris in paradiso »; « Mulier, ecce filius tuus, etc. », « Deus « meus, Deus meus, etc. »; quae, utpote magis independentia, et a diversis scriptoribus sacris allata, non tam facile ordinantur. Putamus tamen rationes non deesse ad vindicandum ordinem ipsum quo ea enumeramus. Et quidem motus

[1] Luc. xiii, 46.

[2] Matth. xxvii, 50; Marc. xv, 37.

[3] Matth. xxvii, 46; Marc. xv, 34.

[4] Pulchrum est videre, Lucam Mariae consuetudine usum, et Ioannem sub cruce mortis Domini testem, uberius haec facta narravisse.

[5] Luc. xxiii, 34. 43, 46.

[6] Ioann. 26, sq. 28, 30

ille gratiae in anima alterius e latronibus, nonne productus fuit a primo illo verbo quod Iesus tam sublimi magnanimitate eructaverat? - Ex opposito exclamatio « Deus meus, Deus meus », coniungenda est cum exclamatione « Sitio ». Secus enim vix non intelligitur quomodo Matthaeus et Marcus, post dicta verba « Deus meus, etc. » narrent milites spongiam tinctam aceto arundinique impositam ori Iesu admovisse [1], quod Ioannes ab eisdem factum narrat, audito verbo « Sitio » [2]. Porro in quo ultimo connexio est manifesta; in altera vero deest, nisi haec exclamatio suppleatur, utpote post breve intervallum prolata.

Restat ergo ut verba Iesu ad Matrem et Ioannem dicta sint tertio loco, post promissionem factam latroni poenitenti. Et sane post primam commotionem crucifixionis, primamque explosionem clamorum eorum qui patibulo adstabant, per instans veluti mystica e quietes videntur haec verba prolata fuisse, sicuti procellae tempore inter tonitruum series, imber solet audiri leniter cadens in terram.

His de verborum numero et ordine praelibatis, iam de unoquoque verbo pauca:

I. « *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* ». Sufficeret hoc verbum Iesu, ad iustificandum assertum philosophi J. J. Rousseau: Socratis quidem mortem fuisse sapientis; Iesu autem, Dei. O verbum sane bonum, eructatum a Corde Redemptoris, quo opus suum dicavit totum immortali Regi! Huc enim spectabat tota vita Christi, ut veniam nobis impetraret. Et ecce in primo instanti, quo inter terram et caelum exaltatus, mediationis opus est consummaturus, id alta voce orat, quod ipse de Cruce clamat Sanguis effusus. Quae vox, etsi omnes peccatores omnium saeculorum respiciens, speciali tamen modo intendebat ministros ipsius mortis Domini. Unde pro summo scelere solemnior deprecatio intercessit.

Quantam admirationem haec oratio Christi apud primos Christianos provocaverit, testatur heroica mors S. Stephani. Iesum sibi astantem intuens, protomartyr vitam

[1] MATTH. XXVII, 48, « Et continuo currens etc. »; MARCUS. XV, 36. « Currens autem unus etc. »

[2] IOANN. XIX, 29. « Vox ergo erat etc. »

fudit iterando hanc ipsam orationem sui Magistri. Vox Christi de Cruce convertit latronem; vox Stephani, Saulum.

Sed et in Missae Sacrificio Christus eamdem vocem iugiter renovat Patri. Optima proin praxis est, si ad elevationem SS. Hostiae et Calicis haec oratio cum Christo pro salute et incolumitate mundi iteretur, ad deprecanda fulgura divina tot quotidie sceleribus provocata. Ecquis sciat, num mundus iste blasphemiis lutoque saturatus, adhuc subsisteret, nisi iugiter de mystico Golgotha fortior clamore hostili intonaret vox sublimis: « Pater, dimitte illis! »

II. « *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso* ». Paucae scenae tantopere commovent, sicut breve hoc colloquium inter latronem et Iesum. A blasphemiis, - nam initio Christum conviciis uterque impetiverat, - ictu gratiae ad pietatis et contritionis sensa conversus, silentium imponit socio, fatetur se iuste damnari, innocentiam autem Iesu proclamat. Tunc, veluti hac professione levatus, ad ipsum Christum paucis totum quod sperat, summa humilitate commendat: « Domine » (en fidem), « memento mei » (en spem modestissime expressam), « cum veneris in regnum tuum » (en veluti latentem amorem, quo cupit regni huius sub Domino tam dulci fieri particeps).

Quanta autem maiestas simul et bonitas in responso Domini! « Amen dico tibi »: loquitur ex cathedra summi magisterii, ex cathedra salutis; - « hodie »: nulla interposito mora; - « mecum eris in paradiso »: sicut latro sortem Christi habuit in poena, Iesus eum sibi sociat in gloria. Quasi diceret: Non modo tui recordabor, sed inseparabiliter te mihi coniungam. Ita latro ille beatus primitiae fuit vaticinii: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad « meipsum » [1].

Nec te moveat quaestio, quomodo eodem die Christus fuerit cum latrone in paradiso, quum anima Christi descenderit ad inferos. Iesus enim inferorum partem in qua se patribus ac iustis monstravit, per hoc triduum in paradisum convertit.

[1] Ioann. xii, 32.

III. « *Mulier* [1], *ecce filius tuus; ... Ecce Mater tua* ». Verba quibus Ioannes induxit hanc vocem, tenerum eiusdem simul et altum sensum insinuant: « Quum vidisset ergo Iesus Ma- « trem et discipulum stantem, quem diligebat » [2]. Spectaculum doloris, quo Regina Martyrum sub cruce cum Filio commoriebatur, Iesum intimis visceribus commovet. Quid solaminis afferet cordis agoniae materni? Ecce filium alterum ei dabit, filium electum ex millibus et praedilectum; virginem filium, Virgini Matri; filium imprimis, qui figuret omnes fratres, quorum Iesus ipse est primogenitus, ac proin ostendat foecunditatem novi partus sub Cruce. Ioanni autem commendabit Matrem, ut curam deinceps eius agat; et vicissim in Ioannis persona omnibus suis fratribus filialem cultum in suam eorumque Matrem commendabit.

Docilitatem Apostoli demonstrant verba: « Et ex illa hora « accepit eam discipulus in sua » [3]. Docilitatem Ecclesiae testatur devotio filialis in Matrem Dei, Matrem suam. Quis porro Mariae ipsius docilitatem declarabit? Quis promptitudinem dicet mentis et cordis, qua ancilla Domini sub Cruce per novum, sed tacitum: « Fiat mihi secundum verbum tuum », denuo Mater tot parturivit, quot Ioannes filios figurabat? [4].

IV. « *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* » Sed ecce post brevem veluti amoris oasim, aridius semper evadit passionis desertum. Circa crucem non desinunt latrare canes. Novus iugiter adveniens populus ludibria multiplicat. Sanguis a tot vulneribus de cruce stillat in terram. Cruore foedatus, pallore exhaustus, « candidus et rubicundus » [5], Iesus oculos attollit ad Patrem. Sed densae nubes irae atque vindictae paternam faciem velare non desinunt. Christus se usque sentiens pro mundo factum maledictum, erumpit in

[1] Hae vox « Mulier » nihil habet quod duritiem exprimat. Est appellatio reverentialis, quasi diceretur: « Domina ». S. Augustinus, advertens eamdem appellationem hic occurrere, qua in Canae nuptiis Iesus Matri respondit, putat hanc in Cruce fuisse horam, quam ibi aiebat nondum advenissse.

[2] Ioann. xix, 26.

[3] Ibid. 27.

[4] Hoc mysterium mutui amoris et solaminis eloquenter illustravit pictor Godefridus Guffens in pariete ecclesiae Dominae Nostrae Sancti Nicolai apud Flandros.

[5] Cant. v, 10.

hunc gemitum mysterio gravidum atque dolore. Totius passionis est veluti culmen. Brevius de hoc verbo hic loquimur, quum de eo superius iam bis sermo fuerit.

Quot animae angustiis depressae ab hac Christi exclamatione robur excepere! Gemant cum Sponso, dummodo submisso corde ut ille! Quoties ipsa Ecclesia, procellis veluti obruta, eumdem clamorem ad caelum emisit! Scit, sibi thesaurum vitae esse commissum; scit, certam sibi promissam victoriam; et tamen, ab hostibus undique iniuste impugnata, quo magis vi cedere iura coguntur, quo securius impii de triumpho gloriantur, eo instantius, - a Summo Pontifice in aedibus suis captivo, ad tot evangelicae perfectionis sequaces tyrannicis legibus patrio solo extorres, - sperando gemit, et gemendo sperat Ecclesia: « *Deus meus, Deus meus, ut* « *quid dereliquisti me?* »

V. « *Sitio* ». Ratio huius exclamationis sufficientissima reperiretur in supplicio crucifixionis, quo sanguis effluit e quatuor vulneribus ipso pondere corporis iugiter dilatatis, nisi perfectius esset pati in silentio, quam clamore manifestare tormentum. Inde Ioannes mysterium explicat: « Sciens Iesus « quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura « dixit: Sitio » [1]. Quaenam Scriptura, nisi v. 22, psal. LXVIII: « Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea, potaverunt « me aceto? » Quare in hoc facto exemplum habemus insigne ad demonstrandam obedientiam qua Christus prophetias de se implendas curavit.

Sed et haec sitis altiorem etiam sensum habet: « Beati qui « esuriunt et sitiunt iustitiam! » [2]. Nonne haec erat sitis, qua Christus in cruce eo violentius agebatur, quo magis videbat perdurare hanc Patris viam quae praecedentem ei clamorem inspiravit? [3]. Sane sitis reconciliationis et pacis animam Christi maxime urgebat, iuxta illud Psalmistae: « Sitivit in « te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea » [4]. Imo

[1] Loc. cit., v, 28.

[2] Matth. v, 6.

[3] Nexus inter verbum hoc quintum et quartum potest forte insinuari ex hoc, quod a psalmo xxi Christus transierit ad psalmum lxviii, et quod ad versum 22 hanc vocem emiserit. Cf. dicta superius de ps. xxi.

[4] Ps. lxii, 2.

haec utraque sitis, corporalis et spiritualis tam directe significantur per hoc verbum Christi, ut nesciam, num forte ex hoc loco possit efficaciter vindicari sententia, cuius suasibilitatem alibi propugnavimus, duplicis sensus litteralis in eadem sententia Scripturae contenti [1].

Sit igitur vox illa *sitio* vox tolerantiae in dolore vel in poenitentia corporali, sed imprimis suspirium zeli animarum et desiderii patriae caelestis.

VI. « *Consummatum est* ». Si quartum Christi verbum fuit summae angustiae clamor, si quintum aestuantis affectus, haec vox supernam eructat pacem. Est sublimis vitae Christi veluti completorium, cui vox « Ecce venio » veluti invitatorium matutinum praeluserat.

Solemnis declaratio! Quaecumque Moyses et Prophetae scripserunt de me, implevi. Salus mundi, ob quam in mundum veni, operatus sum: « Consummatum est! » Felix ille, qui Christi Patrisque voluntati in omnibus per ardua quaeque adhaerens, morti proximus emisso hoc testimonio caput inclinare potest! Infelix e contra, qui peccando mensuram longanimitatis Dei consummavit, et quem emensum gratiarum tempus in iniquitate deprehendit!

In ultimo autem iudicio tota maiestas huius vocis Domini apparebit: quando Christus ipse, discretis malis a bonis, temporis terreni spatium claudet, et Angeli, beatarum catervarum duces, intonabunt illud: « Procedamus in pace », cui electorum chori respondebunt exsultantes: « In nomine Chri-« sti, amen! ».

VII. « *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* ». Est ultima oratio Christi morientis. Pax rediit. Loco « Deus « meus, Deus meus » - Iesus dicit fiducialiter « Pater ». Triumphat Christus, et tamen nondum mortuus est. Ideo spiritum suum Patri commendat, quia per triduum, inter mortem et resurrectionem istud Ego humanum, - in quantum est distinctum personalitate divina naturam humanam sustentante, - per ipsam mortem mutabitur. Anima

[1] Cf. t. I, p. 73, sqq.

enim separata non est simpliciter τὸ Ego eamdem Deo commendans.

Haec ultima oratio ostendit summam pietatem, dependentiam Christi-Hominis erga Patrem suum. Sed et vigorosa imo tonitruans, vox qua emissa est, demonstrat Christum ex obedientia, non debilitate victum animam deposuisse, iuxta ea quae superius de hoc argumento exposuimus. Unde vox illa septima Christi, quae mysticum numerum complet, semper habita est tanquam sublimis expressio sensus filialis quo anima vere fidelis et Deo perfecte devota ex hoc saeculo migrat.

Qui plura de his septem Christi verbis quaerit, legat inter alia opusculum Card. Bellarmini [1].

Sunt quidem et aliae formae devotionis erga SS. Redemptorem, imprimis devotio ad ipsam Passionem in se consideratam, devotio ad Agoniam Christi, ad Iesum Nazarenum, ad viam Crucis, ad S. Sepulchrum; sed obiectum harum devotionum, iam tetigimus, si ultimam demis, mox ex ipso argumento sepulturae Domini illustrandam.

Corollarium I. - Ex titulis plurimis quibus Christus sibi cultum supremum ab humano genere vindicat, facile est videre, quam pulchra et debita fuerit agnitio illa publica Christi summi Regis, quae erat civitatis Christianae per longa saecula fundamentum et forma. Hinc tessera illa: « Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat ». Hinc sublimis ille conatus quo Hieronymus Savonarola, invadentem paganismum strenue debellans, - utinam semper armis tanta causa dignis! - Christum Florentiae civitatis Regem praesidemque ab unanimi prope populo proclamandum curavit. Sed neo-paganismus, Renascentiae nomine, magis magisque serpens [2], mox ps.-Reforma stimulatus, antiquam Christianae reipublicae formam mutavit. Nedum regnare sinatur Christus in ipsis regionibus, quae Catholicum nomen externe retentum, a legum charta nondum eradere

[1] *De septem verbis a Christo in cruce prolatis.*

[2] De indole et influxu huius ps.- Renascentiae severe at optime scripsit Dr. Alb. Ehrhard in recenti libro *Der Katholizismus*, etc.

sunt ausae, Christus in suo capite visibili et in suis membris debellatur; nec sinitur sub ipse eucharistico velamine per plateas et vias pacifice triumphare. Imo in hac ipsa Urbe, Catholici nominis sede, nulla sunt in mysteria nostra, aut in ministros sacrae religionis calumniosa vituperia, quae moderatores civitatis non modo non impediant, sed clandestino favore non excitare videantur [1]. Quare inter tot ignaviae impietatisque monstra, laudandus sane est fidei animus quo Germanorum Caesar nuper in solemni concione Aquisgranis habita, Christum Salvatorem veluti unicum imperii praesidium salutavit, populumque suum, exercitum, imperialem domum, res totas Cruci mancipavit.

Corollarium II. - Praecipuis formis devotionis erga SS. Redemptorem, placet adnectere consimiles tres formas cultus erga Beatissimam Virginem.

1) Cultui SS. Cordis Iesu respondet cultus **Purissimi Cordis Mariae**; qui cultus, sicuti praecedens, habet suum obiectum materiale et formale. *a*) Materiale obiectum est ipsum cor carneum B. Virginis, in quo tanquam in organo purissimo formatus est sanguis, quo, - modo superius exposito, - corpus Christi fuit per Dei virtutem conceptus, et per parturitionis tempus iugiter nutritum. - *b*) Formale obiectum

[1] Contra haec scandala Leo XIII in ultimo consistorio, die 9 Iunii huius anni 1902 habito, eloquentissime protestatus est: « Rem attingimus plus nimio cognitam. In hac « sede principe eademque arce catholici nominis provisa constitutaque divinitus, « cernere est ad perniciem catholici nominis grassantes impune teterrimas cupidi- « tates, eodemque tempore, qui locum in republica altiorem obtinent, institutorum « christianorum oblivione aut taedio captos. Hinc tamquam magnam aliquid adep- « turi, cogitatione relabuntur ad miseram vetustatem, Christi Redemptoris beneficio « depulsam: quodque indiciis apparet non paucis neque dubiis, expetunt iam et, « quantum in ipsis est, conantur refingere ingenium Urbis, christianaque obscuranda « sensim forma, ritus ac mores ethnicorum restituere. Utique defensurus a civitate « sua est Deus optimus maximus infandum malum; interea tamen tradita populo « romano divina fides, cuius incolumitas tot laboribus stetit ac tanto sanguine, pes- « simo cuique ludibrium quotidianum relinquitur. Hic, in oculis prope Nostris, « pravarum haereseon liberiora contagia: concionatorum popularium adversus augu- « stissima dogmata licentia solutior: impiarum ephemeridum nullo nec pudore nec « modo exultans audacia. Ad ludos scenicos, in scholis, per compita, per vias qua- « cumque vestigium ponas, parata licentius pietati populari discrimina, iniuriasque « rerum sanctissimarum inultas videas. Atqui fidem dederant, debitam religioni « verecundiam, salvam per ipsos in Urbe fore » *.

* Alludit praecipue Pontifex ad ritum in honorem Deae Palae hoc anno die Natalis Urbis, archeologico titulo dicam an praetextu, inter ruinas Palatini collis instauratum.

est ipsa puritas singularis et immaculata, qua Cor Mariae fuit Cordi divini sui Filii simillimum. Quare sub symbolo huius devotionis coluntur omnes Deiparae virtutes, maxime autem virtutes quae in corde sedem habere putantur. Inter quas eminet amor ille purissimus, quo Maria flagrat in Deum, in Christum et in nos [1].

2) Affinis est devotio erga **Nostram Dominam SS. Cordis,** quae nisi caute exhibeatur non modo petita longius, sed et ambigua dicenda est. Domina tamen SS. Cordis optime vocari potest Maria, quatenus tanta apud Filium gratia pollet, ut quasi claves eius Cordis accepisse videatur. Est igitur haec devotio forma quaedam sub qua invocatur potentissima mediatio Deiparae apud Filium, quam mediationem exprimit oratio: « Sub tuum praesidium »; necnon invocatio: « Memo- « rare » [2].

3) Devotioni erga septem verba Domini vicina est devotio erga **Septem Dolores B. M. V.,** [3] iuxta illud Simeonis ad Mariam: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius » [4]. Qui gladius mystico vulnere cor Matris ferivit, ab instanti quo haec verba audivit, usque ad horam luctus quando, a sepulchro redux, in cor Ioannis planctum effudit. Tota itaque vita B. Virginis martyrium fuit materni amoris. In honorem tot dolorum B. Virgo institutum speciale Servorum sibi condi voluit, quos gratiis ab ipsa fundatione singularibus cumulavit. Quot autem opera artis « Mater dolorosa » inspiraverit, nemo est qui ignoret. Satis sit in arte plastica provocare ad effigiem Michaëlis-Angeli in Basilica Vaticana summa admiratione servatam, et in arte poëtica ad rhythmum:

Stabat Mater dolorosa
Iuxta Crucem lacrimosa,
Dum pendebat Filius;

cuius elegiae pulchritudo, concentu melodico duplicata, suf-

[1] Sub hoc titulo Deipara praecipue colitur in sanctuario Issoudun, apud Gallos.

[2] Cavendum ab imaginibus quae hanc devotionem indiscrete exhibent. ac si B. Virgo Christo dominaretur. Periculum provenit ab imagine originali, quae non erat nisi iuxtapositio B. V. Immaculatae, et pueruli Iesu benedicentis.

[3] De cultu Dolorum B. M. V. lege P. Morini O. Serv. M. V. (*Origini del culto alla Addolorata*, Roma 1893); — Aug. Albergotti (*Della vita e del culto della Madre di Dio Maria SS.* t. II, c. XIV, sqq. not. ad c. XXIII).

[4] Luc. II. 35.

ficit ad eius auctorem Iacoponem Todensem inter principes lyrismi sacri collocandum.

Placet corollarium simul et appendicem claudere his versibus ex eodem rhythmo desumptis:

Eia, Mater, istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide! [1].

MEMBRUM II.

DE MORTE CHRISTI.

QUAESTIO L.

Ordo Quaestionis. - S. Th. circa factum mortis Christi tria considerat:

1) *Convenientiam* (1);

2) *Modum:*
- *a*) quoad *unionem* hypostaticam:
  - α) relate ad carnem (2),
  - β) relate ad animam (3);
- *b*) quoad *praedicationem:*
  - α) hominis (4),
  - β) eiusdem (5).

3) *Efficaciam* (6).

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM MORI.

De ipsa Quaestione. - 1) Duo hic distinguenda sunt. *a*) Alia convenientia antecedens, alia consequens. *b*) Alia efficacia mortis a parte naturae humanae quae dissolvitur, alia efficacia mortis a parte personae quae moritur.

2) Iam vero si rem *antecedenter* consideramus, nihil minus conveniens fuit quam mori Christum, quum nulla unio post

[1] Inter alias praecipuas devotiones erga B. Virginem liceat saltem veluti per transennam commendare triplicem salutationem matutinam, meridianam et serotinam ad campanae pulsationem ter iterari solitam. De quo pio usu nuper erudite disseruit Rm̃us P. Thomas Esser O. P.

unionem hypostaticam, et unionem gratiae et naturae in Christo, sacratior fuit unione animae et corporis in Christo homine vivente.

3) At re perpensa *consequenter,* scilicet ad finem Incarnationis, seu ad ordinem Redemptionis, mors Christi fuit convenientissima tum *a*) relate ad ipsum Christum, tum *b*) relate ad nos.

a) Relate ad *ipsum Christum,* nam Christus per mortem α) implevit mandatum Patris, β) sibi acquisivit gloriam, et uti ait propheta, « semen longaevum ».

b) Relate ad *nos,* idque multipliciter: α) radicaliter, quia per mortem suam Christus nobis vitam reddidit; - β) exemplariter, quia mors eius est exemplar mortis nostrae, idque: α′) in sensu materiali, quia Christus moriendo docuit nos quomodo et ipsi sancte moriamur; β′) in sensu spirituali, quia docet nos peccato moriendum, et quidem ita ut a peccato in vitam animae non amplius amittendam resurgamus; - γ) adde, Christum per mortem suam virtutes in nobis stimulasse, imprimis theologales: α′) fidem, ostendendo per mortem veritatem sui corporis; β′) spem, erigendo nos in desiderium resurrectionis vitaeque futurae; γ′) charitatem, dando nobis supremum amoris argumentum. - De aliis virtutibus vide dicta superius.

4) Princeps omnium harum rationum est ratio illa radicalis relate ad nos, quatenus Christus per mortem suam nobis vitam reddidit. Ne autem haec ratio perperam intelligatur, adducenda est altera distinctio superius praemissa. Haec efficacia mortis Christi non fuit in quantum est ipsa separatio animae et corporis, sed in quantum fuit expiatio infiniti valoris, et quidem talis, quae pro iniuria Deo a protoparentibus et ab omnibus hominibus ad eorum exemplar illata, satisfactionem exhibuit strictae iustitiae, iuxta ea quae superius de hoc argumento exposuimus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* negligit dicta n. 1.

2. Obi. Non attendit ad discrimen inter defectus indetractibiles et detractibiles. Nec considerat in morbis defuisse convenientiam illam consequentem, quam in morte adfuisse n. 3. exposuimus.

3. Obi. Arguit de oppositis, per se consideratis; sed non valet si agatur de eorum habitudine per accidens.

Sed contra est. Huc recolenda sunt quaecumque superius diximus de convenientia passionis Christi et quidem mortis in cruce. Praesentem veritatem eloquenter exprimit Liturgia: « Mors et vita duello conflixere mirando: Dux vitae mor- « tuus regnat vivus »; « O mors, ero mors tua! » « Qui mor- « tem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo repa- « ravit ». « O magnum pietatis opus: mors mortua tunc est, « in ligno quando mortua Vita fuit ». Sed de his redibit sermo in fine Quaestionis.

Factum mortis Christi multipliciter in Scripturis expressum, saepius est ab Ecclesia definitum, uti in anathematismis Damasi, in Conc. Ephesino, in professione fidei ab Innocentio III Waldensibus praescripta, in concilio Viennensi, etc., etc.

Efficaciam autem huius mortis non desumendam esse ab ipsa morte, seu dissolutione humanae naturae in se, sed a divinitate morientis, praeclare illustrat S. Augustinus: « Fi- « lius Dei in semetipso; filius hominis ut esset, a nobis ac- « cepit. De suo Filius Dei, de nostro filius hominis. Quod « minus est, a nobis accepit; quod plus est, nobis dedit. Nam « et mortuus est, ex illo quod filius hominis est, non secun- « dum illud quod Filius Dei. Mortuus est tamen Filius Dei; « sed secundum carnem mortuus, non secundum Verbum « quod caro factum est et habitavit in nobis. Ergo quod « mortuus est, de nostro mortuus est: quod vivimus, de illo « vivimus. Nec ille potuit mori de suo; nec nos vivere de « nostro » [1]. Vides efficaciam mortis Domini a divinitate morientis derivari, non ab eius humanitate, nisi sensu minus proprio, infra determinando.

In Corpore. S. Thomas affert quinque rationes in brevissima Synopsi collectas, quarum sane prima est tantopere princeps, ut sola abundanter sufficeret. Adverte nexum inter rationes secundam et quintam, quatenus utraque spectat ad roborandam nostram fidem, tum in veritatem corporis humani Christi per eius mortem, tum in virtutem divinam Christi per eius resurrectionem, quae mortem supponit et exposcit.

[1] Serm. CXXVII, c. 6, n. 9. — *P. L.* t. XXXVIII, 710.

ARTICULI II ET III.

UTRUM IN MORTE CHRISTI DIVINITAS FUERIT SEPARATA A CARNE AUT AB ANIMA.

De ipsa Quaestione. - Nexus intimus inter hos duos articulos suadet ut simul exprimantur. Ex articulo precedente habemus Christum esse mortuum; ac proin animam et corpus Christi fuisse vere ab invicem separata, iuxta verba S. Augustini. « Quid fecit passio, quid fecit mors, nisi corpus ab « anima separavit? » [1].

2) Hic autem oritur quaestio: quid per mortis tempus de unione Verbi cum anima et corpore? Cuius quaestionis variae solutiones possibiles sunt; nec possibiles modo, sed de facto exstiterunt.

a) Prima solutio, contra fidem apertius, dicit Verbum deseruisse tum corpus, tum animam. Imo non defuerunt qui hanc devolutionem in initio passionis factam statuerint, aut saltem quando Christus exclamavit: « Deus meus, Deus « meus, etc. ». Ita Vitalis et Constantius Hispani in epistola ad Capreolum Carthaginensem: « Sed et hominem purum « dicunt pependisse in cruce: comprehensum, aiunt; recessit « Deus ab eo. Quibus parvitas nostra dicit: nunquam Deus « recessit ab homine assumpto, nisi quando dixit de cruce: « Heli, heli, lamma sabactani ». Peiorem itaque errorem, per alium adhuc manifestum depellunt.

b) Mitior sententia, sed adhuc erronea, hanc separationem non admittit, nisi in ipsa morte. Petavius putat, in hac sententia fuisse probabilius ipsum S. Ambrosium, aut potius ps. Ambrosium. De anima enim Christi loquens, haec ille ait: « De hac ergo, quae per omnia nostrarum animarum similis « est, Salvator ait: " potestatem habeo ponendi animam « meam, et iterum sumendi eam "; et: " Nemo eam tollet a « me, sed ego ponam a meipso ". Haec beata anima, quae in « cruce ad divinitatem clamavit, dicens: " Deus, Deus meus,

[1] *In Ioannem.* tr. LXVII — Haec directe faciunt contra Apollinaristas; quare Patres Graeci solent horum errorem confutare ex ipsa morte Christi, utpote quae animam supponit. — Cf. PETAVIUM (op. cit., l. XII, c. 19, n. 5, 6).

« quare me dereliquisti? " clamavit homo divinitatis separa-
« tione moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique
« mors esse non poterat, nisi vita discederet: quia vita divi-
« nitas est, quae nunquam patitur vel mortem, vel corruptio-
« nem. Immortalis enim semper et incorruptibilis est. Deus
« autem, qui Verbum et spiritus est, qui ubi vult spirat,
« carnem humanam animamque susceptam non deseruit invi-
« tus, sed quia voluit, ubi voluit, quomodo voluit, et quando
« voluit, relinquens posuit eam, et iterum assumpsit eam.
« Non ergo cuiuspiam iure, ac potestate exutus est carnem,
« sed ipse se exuit. Nam qui potuit non mori, si noluisset;
« procul dubio quia voluit, mortuus et. Quod ita esse com-
« probans Apostolus ait: spolians se carne, principatus et
« potestates expoliavit » [1].

Si in hoc loco per carnem intelligitur dumtaxat corpus, non potest inde probari, S. Ambrosium fuisse in sententia, quod in morte Christi corpus et anima fuerint seiuncta a divinitate. Tunc verba: « clamavit homo divinitatis sepa-
« ratione moriturus », debent explicari: « divinitatis separa-
« tione a corpore ». Si autem, quod totus contextus magis suadet, caro significat hic naturam humanam, iuxta illud Ioannis: « Et Verbum caro factum est », magis urget interpretatio Petavii [2]. Nisi tamen admittatur solutio benignior, quam mox suggeremus.

c) Propius ad veritatem accederet, qui diceret divinitatem non remansisse cum utraque parte humanae naturae Christi, sed solum cum corpore. Sed haec positio tam arbitraria est et stulta, ut nemo eam admiserit [3]. Quare eam tantummodo exprimimus ad exhaurienda gradationis membra [4].

d) Adhuc propius ad veritatem accedit sententia quae dicit, divinitatem non reliquisse quidem animam, at tantummodo corpus. Hoc opinati videntur Epiphanius et Leporius, idemque sensisse ipse S. Hilarius.

α) Epiphanius haec habet: « Tertio die cum sancto suo
« corpore resurgit, quod quidem corpus *cum divinitate* con-

[1] *De Symbolo,* c. 13. — *P. L.* XVII, § 525.
[2] Loc. cit. n. 2.
[3] Quantopere haec positio differat a theoria Apollinaristarum, patet.
[4] Inde S. Thomas in art. 3 eam a fortiori post art. 2. depellit.

« iunxit, non amplius dissolvendum, nec amplius perpessio-
« nibus obnoxium, etc. » [1]. Et alibi exclamationem Domini:
« Deus, Deus meus, etc. » hoc modo explicat: « Videns divi-
« nitatem in procinctu quodam esse, *ut sanctum corpus dese-*
« *reret*, ex ipsius hominis Dominici persona » verba haec
protulit [2].

β) S. Hilarius de eadem exclamatione quasi eodem modo
ait: « Clamor vero ad Deum corporis vox est, *recedentis a*
« *se* Verbi Dei contestata dissidium » [3].

γ) Leporius de eadem mysteriosa voce sollicitus ait: « Ut
« vere manifesteque Filius Dei secundum carnem se osten-
« deret moriturum et velut carnis ipsius voce utens, ponens
« praeteritum pro futuro, quia per mortem crucis necessario
« terrenum *corpus erat a Deo pro tempore relinquendum;*
« non solum a Deo, verum etiam ab anima sua, quae erat
« unita cum Deo, hoc ipsum priusquam fieret, nobis moriens
« testaretur.... Divinitas cum unita sibi anima non crucifi-
« xum hominem reliquit in poenam: sed exanimem carnem
« deseruit ad tempus » [4]. Quae ultima verba, dum praece-
dentem errorem expresse depellunt, alium tamen errorem
tenent.

e) Hic tamen error longe mitigaretur, si derelictio divi-
nitatis contraheretur ad solum Sanguinem in salutis pretium
a Christo effusum. Imo hic iam stamus in argumento libe-
rae discussionis, saltem de quo auctoritas suprema iudicium
decisivum ferre noluit [5]. Praeter ea quae superius de hac
quaestione diximus, placet afferre textum S. Thomae in favo-
rem sententiae quam ibi vindicavimus: « Sanguis ille », ait
Angelicus, doctrinam S. Pauli commentans, « in passione effu-
« sus humanum genus sanctificavit, secundum illud: " Iesus,
« ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra por-
« tam passus est " [6]. Humanitas autem Christi salutiferam
« virtutem habuit ex virtute Verbi sibi uniti. Unde manife-

[1] *Haeres.* 20. — *P. G.* t. XLI, 275.

[2] Ibidem 69. — *P. G.* XLII, 306.

[3] *In Matth.* can. 33. — *P. L.* t. IX, 1074, sq.

[4] *Libell. Emendat,* n. 9. — *P. L.* t. XXXI, 1228, sq. — Huic libello S. Augustinus aliique Episcopi subscripserunt.

[5] Cf. t. IV, p. 816.

[6] HEBR. XIII, 12.

« stum est quod sanguis in passione effusus, qui maxime « fuit salubris, fuit divinitati unitus » [1].

3) Vera igitur sententia docet, per Christi mortem divinitatem nec ab anima nec a corpore fuisse separatam. Quae sententia demonstrari potest *a*) ex Symbolo, *b*) ex Liturgia, *c*) ex doctrina Patrum, *d*) ex rationibus theologicis.

a) Validissimum argumentum desumitur ex *Symbolo,* ob identitatem subiecti de quo praedicatur passio, sepultura et descensus ad inferos. Ut unam saltem formulam adducam, Romanum Symbolum habet: « Et in Iesum Christum Filium « eius unicum Dominum nostrum: qui conceptus est de « Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio « Pilato, crucifixus, *mortuus* et *sepultus: descendit ad infe-* « *ros* ». Ex quibus verbis instituitur hoc facile argumentum. In sepulchro non iacuit nisi corpus Christi; ad inferos non descendit nisi Christi anima. Atqui nihilominus Filius Dei dicitur esse sepultus et ad inferos descendisse. Ergo per triduum mortis anima quidem et corpus fuerunt seiuncta ab invicem, non autem a divinitate.

b) *Liturgia* eamdem veritatem praedicat. In festo enim sanctae Sindonis Ecclesiae canit:

Salve caput cruentatum
Spinis, cuius dulcis vultus
Immutavit suum florem,
Quem coeli tremit curia.

Porro si caelestis curia tremit vultum emortui corporis Iesu, istud corpus, licet exanime, non cessavit esse vultus divinus ob inhabitantem iugiter divinitatem. Et sane cultus huius S. Sindonis longe aliam accipit dignitatem, sicut et cultus S. Sepulchri, si Deus ipse in eo fuit involutus et reconditus. De quo culto mox dicemus.

c) Diserte *Patres* tum Graeci, tum Latini hanc veritatem proclamant.

α) Ex *Graecis* eminent S. Athanasius, S. Gregorius Nyssenus et S. Ioannes Damascenus. - Contra Apollinaristas disputans, S. Athanasius haec optima habet: « Quemnam spiritum

[1] *Quodl.* v, a. 5.

« putatis a corpore fuisse seiunctum; ex quo consecuta sit « mortificatio? Dixistis enim carnem extantia carentem sibi « admiscuisse Verbum, et sic vere et rationalem, ac perfec- « tum hominem exhibuisse. Igitur, si Verbum recessit a cor- « pore, et ita mortificatio facta est, contra Deum praeva- « luerunt Iudaei, hoc ipso quod indissolubilem mixtionem « solverunt » [1]. Ergo iuxta Athanasium unio inter divinitatem et corpus in Christo tam indissolubilis est, ut mors nil in illam potuerit. - Disertius adhuc S. Gregorius Nyssenus eamdem doctrinam vindicat contra Eunomium: « Divinita- « tem porro et ante carnem, et in carne, et post passionem « eodem modo se habere semper; ut quod erat natura, per- « petuo sit et in aeternum maneat, quae in humanae natu- « rae perpessione pro nobis dispensationem implevit, cum ad « tempus animam a corpore disiunxit » (id enim exigit Christi mors, nihil amplius); « adeo ut neutra eorum quibus com- « mixta fuerat, seiuncta fuerit, et rursus dissociata coniun- « xerit » [2]. Et alibi ait: « Caeterum divinitas nec a corpore « nec ab anima divulsa est ». Unde concludit: « Et prop- « terea corpus ipsum Dominus appellatur ob insidentem ipsi « divinitatem » [3]. Quid clarius? - S. Ioannes Damascenus non solum diserte idem affirmat: « Etsi mortuus est tanquam « homo, et sancta illius anima ab illibato corpore divisa est; « at divinitas ab utroque minime separata remansit, anima « scilicet et corpore »; sed et subtilem difficultatem contra hanc doctrinam moveri solitam, solide ac subtilius solvit [4]: « Ac ne sic quidem una hypostasis in duas est hypostases « divisa. Nam et corpus et anima simul a principio in hypo- « stasi Verbi extantiam habuerunt, et in morte a se mutuo « distracta ipsorum singula manserunt, unam Verbi hypo- « stasim habentia. Ita una hypostasis Verbi, fuit Verbi et « animae et corporis hypostasis. Nunquam enim nec anima, « nec corpus, propriam habuerunt hypostasim praeter hypo- « stasim Verbi. Porro una semper est hypostasis Verbi, non « duae. Idcirco una semper est hypostasis Christi. Quamvis

[1] *De salut. adventu I. Chr.* — *P. G.* t. XXVI, 1159. — Cf. et textum in *Sed contra est* art. 5.

[2] *Contra Eunom.*, 1.

[3] Epist. *ad Eustat. et Ambr.* — *P. G.* t. XLVI, 1022.

[4] Est princeps difficultas a S. Thoma in art. 3 allata.

« enim secundum locum corpus ab anima separatum fuerit « secundum hypostasim tamen per Verbum erat unitum » [1].

β) E *Latinis* Patribus placet afferre S. Augustinum, S. Fulgentium et B. Alcuinum. S. Augustinus ex forma Symboli eloquentissime arguit: « Et ipse Dominus Christus dictus est « sola caro. Quomodo, inquit, probas? Audeo dicere: et sola « caro Christi dictus est Christus. Credimus certe non in « solum Deum Patrem: sed et in Iesum Christum Filium « eius unicum, Dominum nostrum. Modo totum dixi: in Iesum « Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. Totum « ibi intellige: et Verbum, et animam, et carnem. Sed utique « confiteris etiam illud, quod habet eadem fides, in eum Chri- « stum te credere, qui crucifixus est et sepultus. Ergo etiam « sepultum Christum esse non negas, et tamen sola caro « sepulta est. Si etenim ibi erat anima, non erat mortuus. « Si autem vera mors erat, ut eius vera sit resurrectio, sine « anima fuerat in sepulcro: et tamen sepultus est Christus. « Ergo Christus erat etiam sine anima caro; quia non est « sepulta nisi caro » [2]. Et alibi diserte de anima et de carne proclamat: « Sicut ergo potuit recte dici Dominus gloriae « crucifixus [3], cum ad solam carnem illa passio pertineret; « ita recte dici potuit: " Hodie mecum eris in Paradiso [4], cum « iuxta humanam humilitatem, per carnem in sepulcro; per « animam in inferno illo die futurus esset » [5]. - Pulcherrime S. Fulgentius: « Ab ipso namque virginalis conceptionis « exordio sic in Christo personalis unitas mansit, et utrius- « que naturae inconfusae veritas perduravit, ut nec homo « a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari: « nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum « in aliquo permutaret: et licet in Christi morte carnem mo- « rientem fuisset anima desertura, divinitas tamen Christi « nec ab anima, nec a carne posset separari suscepta » [6].

[1] Lib. III, c. 27. — *P. G.* t. XCIV, 1097. — Quantopere haec doctrina Damasceni concordet cum modo quo formale unionis hypostaticae superius evolvimus, superfluum est monere.

[2] Loc. cit.

[3] I. COR. II, 8.

[4] LUC. XXIII, 43.

[5] Epist. *ad Dardanum.* — *P. L.* XXXIII, 831. — cf. Ctr. FELICIAN. ARIAN., c. 14.

[6] *Ad Trasim.*, l. III, c. 16; — *P. L.* LXV, 280. — cf. Resp. ad Quaest. prim. FERRANDI. — Ipsius FERRANDI egregium locum mox adducemus.

Pulcherrime B. Alcuinus noster: « Non tamen alicubi « divinitas humanitatem, ex quo in unitatem suae personae « assumpta est, deseruit, verum etiam de eodem matris « utero idem Deus homo factus exivit, et in cruce idem « Deus homo factus pependit, et in sepulchro idem Deus « homo factus iacuit. Sed in sepulchro secundum solam car- « nem idem Deus homo iacuit, et in infernum secundum « solam animam descendit, etc. Iam vero cum Christus uno « eodemque tempore et in sepulchro iacuit, et in infernum « descendit, quis non inseparabile naturae utriusque opus « videat? » [1].

Nulla prorsus deinceps apud catholicos scriptores haesitatio apparet: « Quisnam est derelictus in inferno? » quaerit S. Petrus Damiani: « Christus Iesus; sed in anima sola. Quis « resurrecturus iacuit in sepulchro? Christus Iesus; sed in « carne sola. Ergo in his singulis Christus, et in omnibus « duo, sed unus est Christus » [2]. Et S. Bernardus in hac indissolubilitate triumphum divinae potentiae agnoscens, exclamat: « Quid divinitate potentius? Inde est, quod nec morte « intercedente, ullatenus intercidi haec unitas potuerit, etsi « carne et anima ab invicem separata » [3].

d) Et sane *ratione theologica* potest veritas huius doctrinae fortiter vindicari tum negative, tum positive.

α) *Negative,* quia nulla potest assignari ratio, ob quam divinitas in Christi morte recessisset a corpore. Non quasi iste recessus per se impossibilis fuisset; sed sine ratione irrationabiliter affirmatur. Iam vero mors Christi non involvit nisi separationem corporis ab anima, nihil amplius. Quare in morte Christi, quidquid praeter hanc separationem ponitur, gratis ponitur.

Quod igitur ait S. Ambrosius, divinitatem recedere debuisse, ut mors intrare posset, si intelligitur de recessu amovente unionem hypostaticam a partibus separatis humanae naturae Christi, falso asseritur: est enim confusio transferens ad elementum naturae divinae, quod in Christi morte spectat dumtaxat ad naturam humanam. Si autem per istud

[1] *De Trin.,* III, c. 16. — *P. L.* CI, 48.
[2] Opusc. 1, c. 7.
[3] *De Consid.,* l. V, c. 9. — *P. L.* CLXXXII, 800, sq.

recedere non intenditur (et hoc forsan unice intendunt Ambrosius aliique quorum verba superius attulimus) nisi relaxatio efficaciae vitalis, quam secum fert unio hypostatica: tunc verum aliquid dicitur, imo aliquid valde profundum; sed quod nullo modo veritatem praesentis doctrinae infirmat. Scilicet Verbum caro factum, involvit per se carnem viventem, hominem vivum. Unde quamdiu virtus unionis hypostaticae sese exercere voluisset, etiam circa unionem corporis ad animam, nulla vis creata potuisset Christo inferre mortem. Eatenus ergo mors Christi possibilis fuit, quatenus diversa virtus Christi hominis sese quoad vitale vinculum inter corpus et animam relaxavit. At haec relaxatio nullo modo involvebat separationem divinitatis ab alterutro elemento, quo constituitur humana natura Christi.

Hinc patet sensus huius verbi Christi: « Nemo tollit ani-
« mam meam a me, sed ego pono eam a meipso; et potestatem
« habeo ponendi eam: et potestatem habeo iterum sumendi
« eam » [1]. Nam vel anima sumitur hic in sensu coniunctionis vitalis vi cuius homo vivit, et tunc sensus est manifestus; vel sumitur in sensu principii superioris compositi humani, et tunc sensus redit ad ultima Christi verba: « Pater, in manus
« tuas commendo spiritum meum » [2].

Praeclare Hugo Victorinus: « Scriptum est: " Et clamans
« Iesus voce magna tradidit spiritum " [3]. Quis tradidit? Iesus.
« Quid tradidit? Spiritum. Cui tradidit? Patri. Non Iudaeus
« eiecit, non Pater extraxit; sed ipse sponte tradidit. Non
« violenter ablatus est, sed sponte datur: " Potestatem, inquit,
« habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam " [4].
« Ipse anima, ipse est spiritus. Ipsa ergo anima emissa est
« potestate morientis, non violentia occidentis. Emissa est
« anima. Ille emisit, cuius fuit. Unde emisit? Ex carne. Quo
« emisit? Ad Patrem. Recessit anima, et mortua est caro.
« Mortuus est Christus, quia caro Christi mortua est; sicut
« mortuus est Deus, quia mortua est humanitas Dei, ita
« mortuus est homo, quia mortua est caro hominis. Sola

[1] Ioann. x, 18.
[2] Luc. xxiii, 46.
[3] Matth. xxvii, 50.
[4] Ioann. x, 18.

« caro mortua est, et carne mortuus est homo, cuius caro « fuit. Mortuus est etiam Deus, quia Deus homo fuit. Sepa- « ratio animae mors carnis fuit. Sola caro mortua est, a qua « anima separata est; anima mortua non est, nec divinitas « mortua est, sed sola caro mortua est, quia separata est « anima ab ea, vita eius. Anima ad infernum descendit, caro « in sepulcro iacuit, divinitas cum utroque permansit. Neque « enim caro et anima personam destruere potuerunt sepa- « rata, quam non fecerunt et coniuncta » [1].

Nec obiicias, corpus Christi fuisse assumptum mediante anima [2]; ac proin, cessante medio, iam cessare ipsam assumptionem. Haec obiectio quidem valeret, si haec medietas esset materialis, aut instrumentalis; non autem in casu valet, quum haec medietas nihil aliud dicat, nisi Verbum assumpsisse totum hominem, et corpus non habere nisi ab anima, ut sit decenter assumptibile, utpote pars totius compositi humani. Imo haec formalitas quam corpus habet ab anima, non omnino perit in morte, quum corpus sit resurrectioni destinatum, et corpus Christi insuper ab omni corruptione fuerit praeservatum. Sed de hoc aspectu in articulo quinto data opera dicetur.

β) *Positive* iam illustranda est permanentia unionis hypostaticae in utraque parte humanae naturae Christi.

α') Quoad animam haec demonstratio est apertissima. Monstruosum enim esset, si Christus post tot merita per acerbissimam mortem acquisita, in instanti mortis mercedem accepisset àblationem summi boni, scilicet unionis hypostaticae, quum haec ablatio nullum in se bonum involvere potuisset. Est absurdum nimis.

Sed et haec demonstratio valet et pro corpore Christi, licet minori evidentia. Valet, inquam, non solum quia bonum unionis hypostaticae divinitatis cum corpore etiam mortuo redundat in bonum animae, quae ad corpus servat affectum suae dignitati proportionatum. Sed insuper quia corpus Christi destinabatur proximae resurrectioni gloriosae, ac proin destitutio ab unione hypostatica mox restituenda, fuisset

[1] *De Sacram. Fidei*, l. II, p. I, c. 11. — *P. L.* CLXXVI, 401, *B. C.* Lege hanc integram expositionem; necnon caput praecedens.

[2] Cf. t. IV, p. 312, sqq.

summa peioratio, post novos mercedis titulos. Etenim si Sanctorum corpora merentur gloriam et gaudia eo maiora, quo generosius fuerunt in hac vita pro Deo mortificata: haec lex apprime pro Christi corpore valeat oportet.

II. **Ad Textum.** - Pauca sufficiant de littera utriusque articuli.

Ad II. Art. - *1. Obi.* Quomodo modus loquendi S. Ambrosii et aliorum salvari possit, superius diximus.

2. Obi. Falso intelligitur assertum de assumptione corporis mediante anima, quasi medio ligante.

3. Obi. Confundit unionem hypostaticam substantialem, cum unione vitali formali.

In Corpore. Argumentum hoc supponit resurrectionem corporis. Unde et in sanguinem redundat, utpote in corpus vivum a Christo reassumendum.

Ad III. Art. - *1. Obi.* Non attendit ad facillimam explicationem huius loci superius datam.

2. Obi. Confundit quaestionem de partibus singulis cum quaestione de toto [1].

3. Obi. Non attendit ad significationem hypostaseos, quam habet vox concreta *homo,* et qua carent voces *anima* et *corpus.*

4. Obi. Negligit, unitatem hypostaticam desumendam esse ab unitate principii assumentis, non a pluralitate elementorum assumptorum [2].

In Corpore. Adverte gradationem, ob quam, ut diximus, fuerunt quidem qui admiserint unionem permansisse dumtaxat cum anima; nemo autem, - praeter negantes ipsam animam Christi, - qui eam dumtaxat cum corpore permansisse affirmarint.

Corollarium I. - Ex dictis vides, quam centralis sit doctrina huius gemini articuli. 1) Contra Nestorianos efficacissime vindicat unitatem personae Christi. Nisi enim unitas fuisset in Christo personalis, quatenus Verbum factum est homo, deesset ratio cur unio hypostatica permansisset in

[1] Cf. dicenda in Quaest. sequente art. 3.

[2] Cf. solutionem S. Damasceni superius ex integro allatam.

corpore separato ab anima. Et sane illa unio summe moralis, quam admittebat Nestorius, animam ita respiciebat, ut ad corpus ab anima seiunctum nullatenus extendi deberet. - 2) Contra Monophysitas haec doctrina egregie in Christo distinguit duplicem naturam perfectam, divinam et humanam, et quidem ita distinctam, ut ista possit in elementa solvi, quin ullum inde detrimentum capiat unio superioris cum utroque elemento separato inferioris. - 3) Contra Arianos demonstrat divinitatem Verbi, quum tanta dignitas Christo ob unionem cum Verbo accesserit, ut corpus eius emortuum adhuc supremo cultu esset adorandum. - 4) Contra Doketas demonstrat veritatem corporis Christi, utpote quod ab anima separatum, tantam realitatem servaverit, ut ipsius Dei corpus esset dicendum.

Corollarium II. - Agnosce pariter, ex hac doctrina corroborari modum quo in praecedenti volumine hypostaticam unionem exponere conati sumus. Quo magis enim haec unio radicatur in ipsa subsistentia Verbi, eo facilius intelligitur, hanc unionem in utraque parte humanae naturae per stadium mortis indissolubiliter permansisse.

Corollarium III. - Demum agnosce, quam caute accedendum sit ad interpretationem S. Scripturae. Ecce Epiphanius, Hilarius, Ambrosius, Leporius, - nisi explicentur mitiori modo quem suggessimus, - in praesentem doctrinam offenderunt, quia nimis materialiter intellexerunt vocem Domini: « Deus « meus, Deus meus, quare me dereliquisti ». Unde, si praesens doctrina demonstrat, hanc derelictionem nullo modo significari de unione hypostatica, curnam cum quibusdam modernioribus ex hac voce demonstraretur saltem carentia visionis tam intime cum ipsa hypostatica unione coniunctae? Si littera huius exclamationis unice attenditur, veritas stat non solum a parte Ambrosii (utique ad litteram intellecti), sed et a parte eorum, quorum excessum referunt Vitalis et Constantius. Porro si sub littera attenditur spiritus, moderniorum sententia nullatenus hac exclamatione fulcitur.

Nexus inter hos duos articulos et duos sequentes praestabiliendus est antequam ad utrumque accedamus.

[1] Idem valet de Apollinaristis, in Christo animam humanam denegantibus.

Sunt enim consequens utriusque, quatenus articulus quartus connectitur potius cum tertio, et quintus cum secundo, hac scilicet ratione. 1) Si anima et corpus Christi remanserunt unita cum divinitate, num ideo Christus per triduum, sicut persona, ita et remansit homo? Quae quidem quaestio non abstrahit a permanentia unionis hypostaticae cum corpore, sed magis petitur a parte animae. - 2) Altera autem quaestio mere petitur a parte corporis: num propter unionem hypostaticam idem numero fuerit corpus mortuum ac corpus vivens. - Iam ad utrumque articulum.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS IN TRIDUO MORTIS FUERIT HOMO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) De nexu huius quaesiti modo diximus. Monemus autem ab initio, alium esse modum loquendi proprium, alium minus proprium.

Si igitur quaestio est de modo loquendi proprio, quaestio reducitur ad haec duo: *a*) Quid requiritur ad hoc, ut aliquid possit proprie dici homo? *b*) Fuitne unio hypostatica divinitatis cum utraque parte separata humanae naturae Christi huiusmodi, ut hanc legem praedicandi mutaverit?

3) Naturaliter loquendo, homo proprie dicitur compositum ex anima et corpore vitaliter ad invicem coniuncta ea quidem vita quae est compositi.

Quare *a*) homo non est mera anima, ratione dignitatis; *b*) homo non est confundendus cum persona hominis: quod utrumque non satis percepit Hugo Victorinus, ex quo in appendice nonnulla depromemus. - Nec satis: *c*) homo non solum constat anima et corpore, sed ad invicem humano vinculo vitaliter coniunctis, quod non satis attendit Magister Sententiarum.

Quare Christus per triduum mortis non fuit proprie dicendus homo, quum eius anima et corpus, rupto nexu humanae vitae, per hoc triduum fuerint ab invicem seiuncta.

4) Nec dicas, ambo remansisse cum Verbo hypostatice coniuncta, et hunc nexum sufficere ad conservandum in Christo titulum hominis. Id cum Lombardo putare visus est

Hugo Victorinus, sed perperam. Remansit quidem propter hanc rationem eadem persona, scilicet Verbi; sed non ideo remansit proprie loquendo homo. Vinculum enim hypostaticum est vinculum subsistentiale, personale, non autem vinculum supplens unionem vitalem animae cum corpore [1].

5) Hucusque de locutione simplici absoluta. Si tamen minus absolute, id est, cum additamento dicatur, v. gr., Christum per hoc triduum fuisse hominem mortuum, nihil est quod huic modo loquendi obsit, quum additum « mortuus », contrahat sensum vocis « homo ».

6) Improprie insuper dici potest Christus per hoc triduum homo, iuxta conciliationem quam S. Bonaventura [2] suggerit inter positionem Lombardi, Hugonis Victorini et positionem communiter tunc a doctoribus Parisiensibus receptam.

Scilicet, si agatur de homine secundum *esse actuali,* Christus non fuit homo per triduum mortis; fuit tamen homo, si agatur de homine secundum esse *aptitudinali,* quia remanebant partes corporis, et haec praedicatio valet de quocumque homine mortuo; - fuit etiam homo in sensu *partim actuali et partim aptitudinali,* quatenus remansit persona, et remanserunt partes in aptitudine ad vitalem unionem; quae praedicatio non valet nisi de Christo, ob modum singularem quo partes ab invicem vitaliter seiunctae remanebant unitae in persona Verbi. Lege hanc integram expositionem S. Bonaventurae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Auctoritas S. Augustini a Lombardo iam allata, non est ad rem.

2. Obi. Falso arguit a principali ad totum; a locutione impropria ad propriam.

3. Obi. Non considerat, hominem esse sacerdotem ratione animae. Quanto minus ergo Christus per mortem suam

[1] Potest tamen dici, Christum per triduum mortis plus fuisse hominem quam alium hominem mortuum; quatenus, licet ruptum sit vinculum vitae humanae, quo colligari deberent anima et corpus ut homo sit vivens, nihilominus hae partes unitae remanebant vinculo non solum personali, sed summe vitali, licet non ad modum vitae humanae simpliciter dictae. Ita intellectae, sententiae Lombardi et Hugonis non sunt omnino improbandae.

[2] III. Sent. Dist. XXII, art. unic., q. 1.

desinit esse sacerdos quum, per ipsam suam mortem obtulerit Patri sacrificium sui?

Sed contra est. Arguit hic S. Thomas ut philosophus, et recte quidem. Nam quaestiones huiusmodi dirimuntur applicando ad problemata fidei principia certa [1] philosophiae. Quare cum magna cautela legendus est Lombardus, ubi ait: « Fidei sacramentum a philosophicis argumentis est libe- « rum » [2]. Nec huc spectat textus S. Ambrosii quem ibidem adducit: « Aufer argumenta, ubi fides quaeritur. In ipsis « gymnasiis suis iam dialectica taceat; piscatoribus creditur, « non dialecticis » [3]. Si utique piscatores, praedicassent Christum per hoc triduum mansisse hominem, credendum ipsis foret, et dilatandus modus loquendi de Christo, ob permanentiam unionis hypostaticae, in qua corpus et anima coniuncta manebant. Sed quum illi piscatores de hoc nihil dixerint, et de Christo per hoc triduum non praedicaverint nisi mortem, quaestio utrum iste mortuus adhuc potuerit proprie dici homo, non potest per piscatorum illorum auctoritatem dirimi, nisi admoto lumine philosophiae.

In corpore. S. Thomas duo agit. 1) Sententiam communem demonstrat ope definitionis philosophicae ad doctrinam de vera Christi morte admotae. 2) Duas alias sententias, Hugonis et Lombardi, vi eiusdem definitionis reiicit. Ubi forsan sententia Lombardi parumper exaggeratur, quasi Magister putaverit de quovis homine mortuo, cuius cadaver adhuc prostat, valere id quod tenebat de Christo. Cf. verba Lombardi mox afferenda.

Mitius proin S. Bonaventura statum quaestionis hoc modo exponit. « Circa haec fuit triplex modus dicendi. Primus est, « quod non solum vere Christus in triduo possit dici homo, sed « etiam hoc potest dici de quolibet homine mortuo. - Secun- « dus vero modus dicendi est, quod hoc non solet concedi « de aliis, potest tamen concedi de Christo. - Tertius modus « dicendi est, quod illud non debet concedi de Christo, nec « de aliis hominibus. Et primum modum dicendi tenuit Ma-

[1] Hic processus non valet nisi applicando principia omnino certa. Quare caute est adhibendus; ne veritates fidei confundantur cum placitis Scholarum.

[2] III. Sent. dist. XXII. — *P. L.* t. CXCII, 803.

[3] *De fide*, l. I, a. 13, n. 84.

« gister Hugo de Sancto Victore; secundum modum tenuit « Magister Sententiarum; tertium vero tenet communis opi- « nio doctorum Parisiensum » [1].

Appendix de mente Hugonis Victorini et Magistri Sententiarum.

Ob celebritatem huius controversiae placet ipsa verba audire utriusque famosi Magistri.

I. In prima parte secundi liberi *De Sacramentis fidei Christianae* Hugo demonstrare aggreditur, Christum, etiam separata anima a corpore, mansisse personam Deum et hominem. In evolvenda hac propositione recurrit ad definitionem personae et hominis. In quo sane excessisse dicendus est, nimis tribuens parti superiori compositi humani, et non satis concedens elemento corporis.

« Secundum nos ergo dicamus: Persona est individuum « rationalis substantiae. Quae est rationalis substantia nisi spi- « ritus rationalis? Haec est enim proprie rationalis substantia, « spiritualis substantia quae sola rationis capax est; quia in « ea sola ratio esse potest. Nam si homo rationalis substantia « esse dicitur, non propter totum dicitur, sed propter animam « solam, quae proprie rationalis substantia dicitur. Homo « enim secundum animam tantum rationalis est; quia ipse « animam rationalem habet. Anima autem secundum se ra- « tionalitatem, id est rationis capacitatem habet. Sic itaque « rationalis substantia proprie et secundum se non est nisi « spiritus rationalis, qui individuum vere est, et in quantum « natura, simplex est, compositionem partium non habens, et « naturae simplicis est, eiusdem proprietatis plura non conti- « nens. Hic itaque spiritus rationalis proprie persona dicitur, « et numero discretus, et ratione discernens » [2].

Unde sententiam aliorum reiicit, inter alia his verbis: « Quid stultius est quam dicere quod tunc homo esse desi- « nat, quando vere esse incipit, et tanto utique verius est,

[1] Sent. III, Dist. XX, 9, 1. — Hugonem partim incidere etiam in positionem Lombardi, mox videbimus.

[2] Loc. cit. c. 11. — *P. L.* CLXXVI, 406 *A B*.

« quanto est verius in quo esse incipit [1]; » alludens ad verba Apostoli cupientis « dissolvi, et esse cum Christo » [2].

Urget autem suum modum dicendi ex argumentatione a fortiori, sane speciosiori quam solidiori. « Ergo, inquis, homo « est anima? Quidni? Nonne tu dicis quod homo est corpus, « et dicere times homo est anima? » [3].

Huic autem fundamentali rationi, quae de quovis homine mortuo valet, accedit et altera, scilicet unio hypostatica perdurans tam cum corpore quam cum anima, vi cuius Christus eadem singularis persona indissolubiliter fuit ante et post mortem, quae erat per triduum.

« Sicut ergo corpus rationali spiritui iunctum, non dat illi « ut sit persona, sed iunctum illi accipit ab illo ut ipsum sit « una persona cum illo; sic humanitas iuncta verbo non qui« dem illi dedit ut esset persona, sed unita illi accepit ab illo « ut una esset persona cum illo.

« Considerandum vero est, quod cum Verbum et homo una « sit persona in Christo; recte tamen per se dicimus Ver« bum est persona; et iterum recte per se dicimus, homo « est persona. Et recte dicimus, quod simul homo et Ver« bum non duae sunt, sed una persona. Quia enim Verbum « et ante assumptum hominem persona fuit, et post as« sumptum hominem persona fuit, et post assumptum ho« minem persona esse non desinit: ideo recte per se dici« mus Verbum est persona; et quia rursum inter hominem « assumptum et Verbum maior et excellentior quam inter « animam et corpus unio fuit, nihilominus recte per se dici« mus, homo est persona. Homo quippe, id est, corpus et « anima simul iniuncta, persona esse habet, non tamen alia « quam Verbum, quia una persona homo et Verbum. Unio « quippe unum facit. Caro namque et anima simul iuncta « persona fuissent, si una cum Verbo persona non fuissent. « Propterea recte dicimus, quod Verbum est persona; et ite« rum recte dicimus, quod homo est persona; et similiter « recte dicimus, quod Verbum et homo non sunt duae, sed « una persona. Iterum recte dicimus quod Verbum, ex quo

[1] Ibid. 407 B.
[2] PHILIPP. 1, 23.
[3] Ibid. 408 *A*.

« homo factum est, nunquam postea homo esse desiit; quia « se nec in morte carnis suae ab assumpta humanitate un- « quam divisit. Quapropter Christus etiam in morte carnis « suae nec Deus esse desiit, quia in vera Deitate immortalis « permansit; nec persona esse desiit, quia Verbum fuit; nec « homo esse desiit, quia divinitas eius ab humanitate sua non « recessit. Sola anima a carne ad tempus divisa est, sed divi- « nitas nec ab anima nec a carne separata est; Christus ergo « et vere mortuus fuit propter mortuam carnem; et vere « vivus permansit propter immortalem divinitatem; et verus « Deus simul et verus homo fuit propter separabilem divi- « nitatis et humanitatis unionem » [1].

Apparet autem rationem hanc esse specialem pro Christo, et non valere pro alio qualicumque homine mortuo. Unde sub hoc respectu sententia Hugonis valde similis est sententiae Lombardi. Imo haec ratio est ipsi Hugoni potior, nam de prima fatetur usum vix ferre, ut anima separata, quae, iuxta eum persona remanet, remaneat et homo [2].

II. Ecce autem verba ipsius Magistri: « Hic quaeritur, « utrum in illo triduo mortis Christus fuerit homo. - Quod « non videtur quibusdam, quia mortuus erat, et homo mortuus « non est homo. Addunt etiam, quod si tunc erat homo, vel « mortalis, vel immortalis. Sed mortalis non, quia mortuus; « nec immortalis, quia tantum post resurrectionem.

« Quibus respondemus, quia, licet homo mortuus fuerit, « erat tamen in morte *Deus-homo,* nec mortalis quidem, nec « immortalis, et tamen vere erat homo. Illic enim et huius- « modi argutiae in creaturis locum habent, sed fidei sacra- « mentum a philosophicis argumentis est liberum ». Et allato textu S. Ambrosio [3], sententiam suam ita illustrat: « Dicimus « ergo, in morte Christi Deum vere fuisse hominem, et tamen « mortuum. Et hominem quidem nec mortalem, nec immor- « talem, quia *unitus erat animae et carni seiunctus.* Alia « enim ratione dicitur Deus homo vel homo Deus, quam

[1] Ibid. 411, sq.

[2] « Remanet itaque anima separata a carne, eadem persona spiritus rationalis, « quae, licet fortassis secundum usum loquendi homo iam non dici possit, quia id « quod de terra sumptum erat, iam sibi unitum non habet, non tamen ideo minus « persona est ». (Ibid. 411 B).

[3] Cfr. *Sed. ctr. est.*

« Martinus vel Ioannes. Homo enim dicitur Deus et e converso « propter susceptionem hominis, id est, animae et carnis. Unde « Augustinus: " Talis erat illa susceptio, quae Deum homi- « nem faceret, et hominem Deum " [1]. Cum ergo illa susceptio « per mortem non defecerit, sed Deus homini, et homo Deo « sicut ante [2], unitus erat vere; et tunc Deus erat *homo* et « e converso, *quia unitus animae et carni;* et *homo mor-* « *tuus* erat, quia *anima e carne divisa erat. Propter sepa-* « *rationem animae, a carne mortuus. Sed propter utriusque* « *semper secum unionem homo* ».

Et claudens concedit quidem Christum per hoc triduum non fuisse hominem sicuti alios homines; at existimat hunc defectum unionis vitalis per aliud unionis principium sat fuisse compensatum, ut nihilominus adhuc diceretur homo. « Non autem sic erat homo, ut ex anima et carne simul iunctis « subsisteret, ex qua ratione dicitur aliquis alius homo. Et « ipse forte [3] ante mortem hoc etiam modo erat homo, et post « resurrectionem fuit; in morte vero *homo* erat tantum pro- « pter animae et carnis *secum unionem,* et *mortuus* propter « inter illa duo divisionem » [4]. Ergo iuxta Lombardum Christus ante mortem et post resurrectionem dicitur homo duplici titulo, altero communi cum aliis hominibus, ob corpus et animam vitaliter inter se coniuncta; altero specialissimo Christo soli, ob corpus et animam unita substantialiter personae Verbi. Per triduum mortis cessavit quidem titulus prior communis; remansit tamen alter, ac proin Christus non desiit esse homo.

ARTICULUS V.

UTRUM FUERIT IDEM NUMERO CORPUS CHRISTI VIVENTIS ET MORTUI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si modo exposita doctrina Lombardi excedit quoad praedicationem absolutam hominis de

[1] *De Trin.* I, c. 13, n. 28.

[2] Hic cavillatio: nam in modo huius unionis aliqua mutatio per mortem obvenerat.

[3] Istud *forte* melius esset omissum. Nam dubium esse nequit, Christum etiam ob unionem vitalem inter corpus et animam fuisse hominem ante mortem, et esse in aeternum a quo tempore resurrexit. At, - et hoc forte Lombardus insinuat, - haec unio non dabat Christo esse hominem in quantum homo dicit personam.

[4] Loc. cit. *P. L.* t. CXCII, 803.

Christo mortuo, plura tamen optima continet, quorum consequens hic evolvendum est. Et sane recte dicit, *a*) aliter de Christo mortuo ac de alio homine mortuo esse loquendum, propter partes remanentes unitas non quidem inter se, sed cum divinitate; *b*) ita quidem eas unitas remansisse cum divinitate, ut idem suppositum maneret numero singulare ante mortem et in morte. Quaeritur ergo utrum propter huius permanentiam suppositi, corpus Christi dicendum sit unum numero in stadio vitae et mortis.

2) Antequam huic quaesito respondeatur, duo praemittenda sunt. *a*) *Idem numero simpliciter* potest duplici modo intelligi: α) *absolute,* et ad hoc sufficit identitas suppositi, utpote ex quo res habet suam numericam unitatem simpliciter; - β) *omnino,* seu *totaliter,* et ad hoc requiritur insuper permanentia omnium praedicatorum essentialium.

b) Corruptio pariter duplici modo intelligi potest: α) transitus a statu vitae ad statum mortis, propter separationem animae a corpore; - β) dissolutio corporis in elementa quibus constat. Primo sensu corruptio est inseparabilis a morte; altero sensu non sequitur necessario mortem, sed potest per virtutem divinam impediri.

3) His positis, iam patet solutio quaesiti.

a) Intelligendo unum numero simpliciter in sensu « absolute », corpus Christi mortuum remansit idem numero simpliciter cum corpore Christi vivo, propter immutabilitatem eiusdem hypostaseos. Quae pars conclusionis est consequens doctrinae in art. 2 expositae.

b) Intelligendo unum numero simpliciter in sensu « omnino totaliter », non remansit corpus Christi mortuum idem numero simpliciter, quia propter corruptionem radicalem inseparabilem a vera morte, corpus Christi de vivo factum est mortuum, et proin amisit τὸ esse vivens, quod est praedicatum essentiale corporis viventis. Quae pars conclusionis est consequens verae mortis Christi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso arguit ab aliis corporibus humanis mortuis ad corpus Christi. Nam in aliis deest haec ipsa ratio ob quam in Christo identitas numero simpliciter manet.

2. Obi. Confundit τὸ idem numero, cum τῷ idem specie. Quae utique ambo simul eunt, ubicumque suppositum et natura sunt eadem numero. In Christo autem una est persona et duplex natura. Unde a parte naturae potuit Christi corpus non amplius esse idem specie, et tamen a parte personae remanere idem numero.

3. Obi. Non distinguit inter corruptionem radicalem seu primam, et corruptionem secundam. Adverte nihilominus corruptionem secundam non esse per se incompossibilem cum permanentia unitatis numericae ratione permanentiae unionis suppositi ob unionem hypostaticam. Sed de hoc dicetur in art. 3 Quaest. sequentis.

Sed contra est. Doctrina huius articuli impugnari potest per excessum, et per defectum.

1) Per excessum eam offendunt *a*) qui negant divinitatem Christi, ac proin unionem hypostaticam; *b*) qui putant per stadium mortis corpus non amplius fuisse divinitati coniunctum.

2) Per defectum *a*) qui adhaerent errori Iuliani et Gaiani, quia incorruptibilitatem corporis Christi exaggerantes, neque radicalem corruptionem admittere volebant, quae a vera morte seiungi nequit; - *b*) insuper qui putant, corpus vivum et mortuum in instanti mortis non differre nisi accidentaliter, quatenus anima non dat corpori ipsam formam corporeitatis, sed tantummodo qualitatem vitalitatis. Quae positio est philosophiae Scotisticae [1].

In Corpore. En schema huius argumenti:

Corpus Christi viventis et mortui sunt unum numero simpliciter:	1) absolute,	conc.: propter idem unum suppositum Verbi (haec identitas non valet nisi de Christo);
	2) omnino seu totaliter,	nego: transiit enim a vita ad mortem, et hic transitus non est mere accidentalis (contra errorem Gaiani).

Corollarium de forma cadaverica. - Consequens praesentis doctrinae est, iuxta philosophiam Thomisticam, - quum nulla substantia materialis existere possit sine composito ex

[1] Sufficiat hic per transennam ad hanc opinionem alludere; in tractatu proxime edendo *De Homine* data opera hanc positionem investigabimus.

materia et forma, et in vitae stadio anima sit tantopere forma corporis ut ei tribuat ipsam formam corporeitatis; - recedente anima, in ipso instanti mortis Christi advenisse formam quamdam, dictam cadavericam; quae utique immobilis permansit, quia corpus Christi liberum fuit a dissolutione. Porro ob permanentem unionem hypostaticam, haec forma assumi hypostatice debuit, quum esset constitutiva corporis mortui.

In instanti autem resurrectionis, redeunte anima haec forma recessit. Nec in hoc offenditur axioma: « Quod Ver- « bum semel assumpsit, nunquam dimisit ». Hoc enim axioma non valet nisi de his quae non sunt de sua natura transeuntia. Secus dicendum esset per assimilationem ciborum et humorum successionem, Christum nihil per stadium viae nec sibi adiunxisse, nec a se dimisisse.

Et tamen qui theoriam scholasticam de anima dante corpori formam etiam corporeitatis impugnant, ex hoc consequente de forma cadaverica a Verbo assumendo, non raro triumphare leguntur. Caveamus a tragica quadam illusione verborum. Nonne primo intuitu valde dure sonat vox: *Deus mortuus?* Quidni accipitur et illa: forma cadaverica a Deo assumpta, si haec sit consequens huius stupendae veritatis, iacuisse scilicet in sepulchro cadaver divinum?

ARTICULUS VI.

UTRUM MORS CHRISTI ALIQUID OPERATA SIT AD NOSTRAM SALUTEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ne redire cogamur ad ea quae iam superius exposita sunt, oportet ab initio prae oculis habere distinctionem summi momenti: *a*) alia est mors in fieri; *b*) alia mors in facto esse.

a) Mors *in fieri* est ipsa passio Christi tendens in mortem, et clauditur per ipsum instans mortis, iuxta ultimum clamorem Domini: « Pater, in manus tuas commendo spiritum « meum ». Quum in hac morte in fieri agens sit ipse Christus totus, cum divinitate, anima et corpore, efficientia huius

mortis in fieri potuit etiam habere rationem meriti, a parte operantis animae.

b) Mors in *facto esse,* est status mortis; proin excludit animam, ac operationem meriti. Remanet autem ibi, ob unionem hypostaticam, tota activitas divinitatis operantis per ipsum corpus mortuum sibi hypostatice coniunctum.

2) Quid ergo est operata efficiens virtus huius mortis in facto esse? Id totum quod per ipsam mortem Christi figurabatur. Quid autem est hoc, nisi duplex mors, a qua Christus nos liberaturus vitam fudit? Quemadmodum igitur agens principale utitur instrumento ad producendum effectum cum quo instrumentum habet virtualem proportionem; ita Christus, ut Deus, per mortem suam operatus est salutem nostram tum corporalem, tum maxime spiritualem, iuxta profundam sententiam S. Augustini ab Angelico partim allatam, quae doctrina valet tum de morte, tum de resurrectione propter geminum symbolismum correlativum: « Una ergo mors nostri « Salvatoris duabus mortibus nostris saluti fuit. Et una eius « resurrectio duas nostras resurrectiones praestitit, cum cor- « pus eius in utraque re, id est, in morte et in resurrectione, « et sacramento interioris hominis nostri, et exemplo exte- « rioris, medicinali quadam convenientia ministratum est » [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a virtute divinitatis corpus Christi mortuum inhabitantis.

2. Obi. Confundit mortem in fieri, cum morte in facto esse; et arguit ac si in hac altera poneretur id, quod non potuit esse nisi in priori.

3. Obi. Eodem vitio simul laborat ac praecedentes ambae.

Sed contra est. Totum quod hoc articulo continetur, exprimit illa prima antiphona ad Laudes Sabbati Sancti: « O « mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne! » Recole et alios textus similes in art. 1 huius Quaestionis allatos.

Virtus autem praesentis doctrinae apparet ex omnibus locis, ubi S. Paulus arguit de morte et resurrectione Christi ad nostram resurrectionem quoad corpus et animam [2]. Sed haec melius differuntur ad finem Quaest. III.

[1] *De Trin.* l. IV, c. 3. — *P. L.* XLII, 892.

[2] Cf. imprimis I COR. XV.

In Corpore. En argumenti schema.

- Mors Christi operata est nostram salutem
  - 1) in fieri
    - per modum meriti et efficientiae (Cf. dicta de passione).
  - 2) in facto esse
    - *a*) non per modum meriti, ob absentiam animae;
    - *b*) sed per modum efficientiae, ob virtutem divinitatis:
      - α) removendo mortem animae,
      - β) et mortem corporis.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Decuit Christum mori, ut *a*) pro nobis satisfaceret, *b*) veritatem assumptae naturae nostrae comprobaret, *c*) a timore mortis corporalis nos liberaret, *d*) nos spiritualiter mori doceret (art. 1). - Porro quum mors sit solutio unionis animae cum corpore, non autem unionis utriusque ad Verbum, in Christo, nullo accedente per mortem demerito, quin summo merito, Verbum remansit tam cum carne quam cum anima substantialiter unitum (art. 2 et 3). - Non ideo tamen Christus per hoc triduum homo fuit, quum unio vitalis corporis cum animae sit de essentia hominis (art. 4). - Idem nihilominus mansit corpus vivum et mortuum, propter eamdem in Verbo subsistentiam. Non autem totaliter mansit idem, propter intrinsecam mutationem quam, etiam ante ullam corruptionem, quae in Christi corpore non fuit, mors per se inducit (art. 5). - Mors ista Christi, si consideratur in fieri pro actu moriendi, fuit salutis causa meritoria; si consideratur in facto esse, pro statu mortui, fuit causa efficiens nostrae salutis propter efficaciam virtutis divinae, ad removendum illud ipsum quod, mortis instar, saluti nostrae contrariatur (art. 6).

Appendix de morte B. M. Virginis.

Breviter heic adnectimus nonnulla de morte B. Virginis Mariae, argumentum sex conclusionibus contrahendo.

I. **Concl.** - *B. Virgo Maria vere mortua est.* Non defuerunt quidam qui dixerint B. Virginem non esse vere mortuam,

quos legere est apud Franciscum Macedo [1]. Sed, licet Scriptura non expresse affirmet Deiparae mortem, tam aperta est de hoc facto traditio catholica, ut haec mors theologice certissima sit habenda. Et sane, uti mox apparebit, mirabilis assumptionis Deiparae cultus huic facto superstruitur. Inde Patres in affirmandam veritatem mortis Mariae conveniunt. « O quomodo, exclamat S. Damascenus, quae pariendo na- « turae leges excesserat, nunc eius legibus cedit, et corpus « immaculatum morti subiicitur? » [2] Unde facto veluti incon- cusso supposito, rationem facti investigat. Nisi enim tam aperta fuisset haec traditio, sane nullum festum sub nomine *dormitionis*, *pausationis* B. Virginis institutum fuisset.

Equidem scio, Epiphanium in quodam loco ita locutum esse, ac si de morte B. Virginis dubitasset. « Non autem « omnino definio hoc, et non dico quod immortalis mansit; « sed neque affirmo an mortua sit ». Ast haec non sunt nisi ad hominem dicta contra Antidicomarianitas, qui perpetuam virginitatem B. Virginis inde negabant, quod in Scripturis non inveniretur expresse affirmata. Unde concludit: « Sive « igitur mortua est, non novimus, sive sepulta est: non copu- « lata fuit carni. Absit! » [3] Caeterum etiamsi S. Epiphanius de morte B. M. V. vere dubitasset [4], non ideo minus standum esset veritati, quam Patres et Liturgia certatim proclamant. Audiatur de facto Assumptionis Collecta olim a S. Gregorio edita: « Veneranda nobis, Domine, huius diei « festivitas opem conferat salutarem, in qua Sancta Dei Geni- « trix mortem subiit temporalem, etc. »; necnon secretalis oratio hodiedum dici solita: « Subveniat, Domine, plebi tuae « Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis mi- « grasse cognoscimus, etc. ».

[1] *De Clar. Petri.* l. IV, p. II, *De peccat orig.* sect. 3. — Cf. SERRY (*Exercit. crit.* Exerc. 66).

[2] Orat. 1. *in Deip. dormitionem.* — *P. G.* t. XCVI, 714. — Princeps scriptorum qui hunc excessum nuper instaurarunt, est Dominicus Arnaldi *(Super transitu B. M. V. Deiparae, expertis omni labe culpae originalis, dubia propositio).* Quorum exaggerationes strenue confutavit Alph. M. Iannucci (*Firmitudo cath. veritatis de psychosomatica Deiparentis Assumptione.* ΣΥΜΒΟΛΗ *contra neologos A. Deiparae mortem inficiantes,* pp. 478, sqq.).

[3] *Haeres.* 78- *P. G.* t. XLII, 738. — Cf. Baronium H. E. *Ann.* 48, n. 4.

[4] Forte dubio S. Epiphanii nimis tribuit Terrien, quando ait: « Jadis S. Epiphane « en a douté ». (Op. cit. t. II, p. 317).

II. **Concl.** - *B. M. Virgo non est mortua in poenam peccati, nec actualis, nec originalis.* Haec propositio constat ex doctrina superius exposita tum de Immaculata Conceptione B. M. Virginis, tum de eius confirmatione in gratia. Huc facit septuagesima tertia propositio Michaëlis Baii a S. Pio V, Gregorio XIII, et Urbano VIII damnata: « Nemo praeter Christum est absque peccato originali, hinc B. Virgo mortua « est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque eius « afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt « ultiones peccati originalis vel actualis » [1]. Quare vides quam leviter argumentati sint auctores illi, qui ex morte B. Virginis ad eius conceptionem in peccato originali concludebant.

Hic autem sedulo adverte, aliud esse ut dicas, B. Virginem mortuam esse, quia ipsa peccatum originale contraxerat, quae assertio est haeretica; aliud ut affirmes, B. Virginem moriendo poenam solvisse in peccatum originale latam, quae assertio cum debito moderamine intellecta, non solum sustineri potest, sed et debet [2]. Etenim, quaeso, essetne mortua Beata Virgo, nisi Adam peccasset? Quare sicut immunitas a morte non erat consequens necessarium conceptionis immaculatae, ita quoque Virgo potuit moriendo solvere, non sibi, sed generi poenam illam quae sine generis peccato non exstitisset. Hoc sensu intelligendus est S. Augustinus, - saltem in mente eorum qui tenent, hunc Patrem agnovisse exemptionem B. Virginis a labe originali, - quando ait: « Etenim, ut celerius dicam, Maria ex Adam mortua (est) propter peccatum Adae, Adam mortuus est propter peccatum, « et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata » [3].

Caeterum nisi exstaret quaedam connexio inter mortem B. Virginis et peccatum Adae, quomodo possent theologi cum Suarezio [4] arguere ex universali lege moriendi ad mortem B. Virginis adstruendam? Non affirmo strictum valorem huius argumenti: potuisset enim B. Virgo eximi a morte

[1] Denzinger (op. cit. n. 953).
[2] In prima affirmatione poena intelligitur formaliter; in altera, materialiter.
[3] Enarr. in ps. xxxiv, serm. 2. n. 3.
[4] Q. xxxvii, Disp. 21, art. 3, sect. 1.
[5] Cf. p. 541.

sicuti exempta fuerat a contagio, quin ideo universalis illa lex detrimentum cepisset; - sed modus iste arguendi ostendit saltem, in mente horum auctorum posse optime stabiliri nexum inter mortem B. Virginis et poenam universalem in genus nostrum a Deo latam, quin inde privilegium Immaculatae Conceptionis ullatenus offendatur.

Quousque autem nexus inter peccatum Adae et mortem Mariae tenendus sit, ex sequentibus apparebit. Equidem existimo, hunc nexum non esse nisi indirectum.

III. **Concl.** - *B. Virgo non est mortua ex morbo, sive dolore physico.* Haec conclusio est intime connexa cum praecedentibus verbis. Etenim eatenus nexus inter mortem B. Virginis et peccatum Adami dici posset directus [1], quatenus B. Virgo fuisset quidem exempta a labis contagio, quin tamen fuisset in statum integritatis primaevae restituta. Iam vero superius vidimus hanc restrictionem non esse admittendam simpliciter. De integritate originali B. Virgo habuit immunitatem non solum a concupiscentia sed et a morborum infirmitatibus. Unde licet mortalis, quatenus mori potuerit; erat tamen immortalis, quatenus potuerit non mori.

Huc recolenda sunt [1] quae superius de Christi mortalitate et immortalitate diximus. Non quasi eosdem in Matre et in Filio titulos ponamus; sed ad ostendendum quomodo haec duo componi possint et debeant: mortem B. Virginis fuisse simul in eius natura, ita tamen ut ex morbo physico vel dolore mori non debuerit; solaque mors digna statu integro Deiparae fuerit mors ex amoris martyrio sub cruce, aut ex placida forsan senectute, qualem admittebat Augustinus, in ipso Christo « nisi iuvenis fuisset occisus » [3].

Recte igitur scripsit Clithoveus, celeber ille adversarius Lutheri: « Crediderim eam (B. V.) non decubuisse lecto more « aegrotantium et qui morbo pressi claudunt hanc vitam « (cum venia pictorum et sculptorum!) cum neque infirmi- « tate vexata credi potius debeat neque debilitate prostrata » [4].

[1] Materialiter quidem hoc dictum intellige.

[2] Cf. t. IV, p. 541.

[3] *Ctr. Faust,* XIV, 2. — *P. L.* XLII, 296.

[4] Cf. MOLANI *historiam SS. Imaginum,* l. III, 32.

In hac sententia conveniunt passim theologi catholici [1]. Inde tritum veluti effatum: « Concepta sine peccato, concipiens sine corruptione, pariens et mortua sine dolore » [2].

IV. **Concl.** - *B. Virgo potuisset non mori, si voluisset.* Hanc conclusionem, debito limite circumscriptam, solidis argumentis fulciri putamus.

Et sane *a*) B. Virgo, utpote immunis a peccato originali, integritatique primaevae restituta, cur non participasset et hoc privilegium protoparentum, ut sine morte de stadio viae transire potuisset ad patriam? - *b*) Nec obiicias mortem ipsius Christi. Nam Christi mors necessaria erat ad salutem mundi. Unde quemadmodum primarium triumphum mors Christi de peccato retulit in Immaculata Conceptione Matris, ita princeps triumphus mortis Christi de morte fuisset liberatio Matris a peccati poena, id est, a morte. Qui triumphus, etsi ob rationes mox afferendas, de facto non adfuit, de iure tamen a Christo obtentus est.

c) Nec obiicias, B. Virginem habuisse debitum contrahendi peccati originalis, ac proin eam debitum quoque habuisse subeundae mortis. Nam debitum moriendi non respondet debito peccati, sicuti mors ipsa peccato. Debitum moriendi causatur a contractione peccati, non a mero debito illud contrahendi, nisi in ordine hypothetico. Et sane debitum contrahendi peccati originalis non est aliquid reale, sed mere logicum, cui quum nihil reale a parte rei in B. Virgine respondeat, deest quoque in Maria reale substratum debito moriendi.

V. **Concl.** - *B. Virgo elegit mori ut Filio suo conformaretur, suamque mortem morti Redemptoris pro mundi salute coniungeret.*

Putamus, Christum nullum Matri dedisse mandatum ut moreretur, sed eam plene liberam reliquisse, ut eligeret quid sibi magis placeret; Mariam autem ex amore in Deum, in

[1] Cf. Suarez, (*De Myst. vitae Christi,* D. 21, S. 1).

[2] Porro B. Virginem morte violenta non obiisse, gladiumque ei a Simeone promissum, intelligendum esse in sensu spirituali, manifestum est: « Nec littera nec historia « docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse: non enim anima, « sed corpus materiali gladio transverberatur » (S. Ambr. *in Luc.,* l. II, n. 61. — *P. L.* XV, 1574).

Filium et in nos, id elegisse quod magis in Dei gloriam redundaret, ipsam Filio conformiorem redderet, nobisque magis prodesset. Hoc sensu synodus Hierosolymitana anno 1672 contra Calvinistas adunata, sua fecit haec verba Cyrilli Lucaris: « Verum eam gratiam (B. Virgo) obtinuit, ut mortem, « si ita voluisset, nunquam obiret, sed caelo etiamnum vitae « compos inferretur; hac tamen praerogativa uti noluit ».

Et sane nonne in promptu est admittere, Christum, dum caelos gloriosus conscenderet, dilectae Matris obtulisse, ut, si vellet, secum triumphans Regina Caelorum superna peteret, simul elevanda, iuxta illud Cantici: « Quae est ista quae « ascendit de deserto, deliciis affluens, enixa super dilectum « suum » [1]; simul coronanda, iuxta illud Psalmi: « Astitit « Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varie- « tate » [2]?

Rationem obsequii in Deum et conformitatis cum Filio exprimit breviter S. Ioannes Damascenus: « Hodie vitae « thesaurus, gratiae abyssus vivifica morte obtegitur... cedit « legi ab eo latae quem genuit: et ut filia veteris Adam, « paternam sententiam subit. Nam et eius Filius, qui vita « ipsa est, eam non recusavit » [3]. - Rationem utilitatis nostrae evolvit S. Ioannes Constantinop.: « Migrasti ab humanis.... « ut tuo illo a temporaneis ac saeculo discessu, qui ex te « natus est Deus, perfectus nihilominus ex vera Matre cre- « deretur processisse Filius, quae nimirum necessitatum na- « turae legibus subiaceret » [4]. Adde, servata proportione, rationes exempli, compassionis, aliasque, quas in morte Domini contemplati sumus.

VI. **Concl.** - *Si modum mortis B. Virginis quaeris, sub Cruce cum Filio dolore commortua esset, nisi tunc divinitus fuisset roborata; ex ardore autem amoris divini veluti extatica morte obiisse censenda est.*

a) Prima pars huius conclusionis patet ex verbis Ieremiae: « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et

[1] Cant. viii, 5.

[2] Ps. xlvi, 10.

[3] Homil. ii, *in Dormit.* — *P. G.* xcvi, 726.

[4] Orat. i, *in Dormit.* — *P. G.* xcviii, 346. Necessitates has intellige cum moderamine superius apposito.

« videte, si est dolor sicut dolor meus » [1]. Porro si historia refert matres ob nimium dolorem exanimatas, quis unquam maternus affectus simile martyrium subiit? « Cui comparabo « te, vel cui assimilabo te, Filia Ierusalem? Cui exaequabo te « et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est enim velut « mare contritio tua » [2].

b) Superata tamen hac cordis agonia ope iuvaminis divini, B. Virgo, amplexa diuturnius exilium, quo magis Ecclesiae nascenti prodesset, venerabilem, uti ferunt, adepta canitiem, non aliter potuit ex hac vita decentius migrare, nisi impellente amore, iuxta illud Cantici: « Fulcite me floribus, sti« pate me malis, quia amore langueo [3] ». Placet audire Bossuetium: « Si vous m'en croyez, saintes âmes, vous ne « chercherez point d'autres causes de la mort de la Sainte « Vierge; son amour étant si ardent, si fort et si enflammé, « il ne poussait pas un soupir qui ne dût rompre tous les « liens de ce corps mortel; il ne formait pas un regret qui « n'en dût dissoudre toute l'harmonie; il n'envoyait pas un « désir au ciel qui ne dût tirer après soi l'âme toute entière. « Je vous ai dit, chrétiens, que sa mort est miraculeuse; je « suis contraint de changer d'avis: la mort n'est pas le mi« racle, c'en est plutôt la cessation. Le miracle continuel, « c'était que Marie pût vivre séparée de son bien-aimé.... « Ainsi point d'autre cause de la mort de Marie, que la « vivacité de son amour » [4].

Utrum B. Virgo Hierosolymis an Ephesi obierit, et quanam aetate, inter eruditos disputandum relinquimus. - De conditione corporis Deiparae per spatium inter mortem eius et assumptionem, in Quaestione sequente verbulum addemus [5].

[1] Thren. I, 12.

[2] Ibid. II, 13. De martyrio doloris B. M. V. lege Leonem XIII (Encycl. *Magnae Dei Matris*, 8 Sept. 1892; *Iucunda Semper*, 8 Sept. 1894. — Cf. plura testimonia Patrum piorumque scriptorum apud Terrien (op. cit. p. 238, sqq.).

[3] Similia habet non uno loco S. Franciscus Salesius.

[4] II. *Sermon sur l'Assomption*, 2. Point. — Simili modo Clicthoveus ait: « Cre« diderim.... (B. V.) flexis reverenter genibus et sublatis in caelum manibus, inter « orandum acceptissimum Deo spiritum commendasse, quemadmodum Paulum pri« mum eremitam obiisse tradit Hieronymus » (loc. cit.). Adde, quemadmodum S. Benedictum, Occidentalium monachorum Patriarcham, animam efflasse narrat Gregorius Magnus.

[5] Lege de hoc argumento inter recentissimos Terrien (op. cit., II, l. VIII, ch. 1): Lépicier (op. cit., p. 244, sqq.).

MEMBRUM III.

DE SEPULTURA CHRISTI.

QUAESTIO LI.

Ordo Quaestionis. - Convenientiam sepulturae S. Th. considerat sub quadruplici respectu 1) *facti* in se (1); - 2) *modi* quo facta est (2); - 3) *status* corporis Christi in tumulo (3); - 4) *temporis* quo iacuit in sepulchro (4). - Est simul ordo logicus et historicus.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM SEPELIRI.

I. **De ipsa Quaestione**. - Convenientia Christi sepulturae potest demonstrari indirecte et directe.

1) *Indirecte* apparet ex convenientia ipsius mortis Domini. Si enim, posita Christi morte, cuius convenientiam supra ostendimus, inconveniens fuisset Christum sepeliri, convenientius dicendum esset, corpus eius mortuum vel permansisse insepultum, quo sane nihil absurdius; vel immediate surrexisse, quod mox ostendetur falsum.

2) Sed et *directe* haec convenientia ostenditur, considerando in sepultura Christi respectum historicum, respectum dogmaticum et respectum mysticum.

a) Respectus *historicus*, respondens in Christi sepultura termino *a quo,* consistit in facto hominis certo mortui, cuius corpus sepulchro committitur. Quare haec sepultura, praesertim adhibitis cautelis solitis, quales in casu Evangelium adhibitas esse narrat, est argumentum solidissimum ad demonstrandam veritatem mortis Christi. Cuius argumenti momentum elucet ex evasionibus quas increduli omnium temporum quaesierunt et usque quaerent, ad veritatem resurrectionis cum aliqua specie rationalis suasibilitatis inficiandam.

b) Respectus *dogmaticus* (qui nec a praecedenti abest) respicit potius terminum *ad quem*. Sepultura enim Christi est via ad resurrectionem; unde spes resurrectionis per ipsam Christi sepulturam affirmatur simul et nutritur. Vi huius spei vere dogmaticae ipsa Christianorum corpora, quando terrae committuntur, sunt, iuxta pulcherrimam doctrinam S. Pauli, semen immortalitatis [1].

c) Respectus *mysticus* constituit ipsum medium inter sepulturam et resurrectionem. Est scilicet ipse status absconditus, procul a mundanis oculis, in quo vivat oportet ille, qui cum Christo spiritualiter mortuus est peccatis; quatenus si vita abscondita Iesu in sinu Matris suae figurat clausuram innocentiae, status absconditus Christi in sepulchro est symbolum clausurae poenitentiae [2].

3) Nec obiicias indecentiam, sive inutilitatem sepulturae Christi. Nam *a*) *indecens* esse non potuit, quidquid erat consequens operis salutis per mortem Filii Dei obtinendae. Si in sepultura Christi esset indecentia, et mors eius et passio longe maiorem indecentiam haberent. Quod si appellationes uti Deus mortuus, Deus sepultus, cadaver divinum, habent quod primo intuitu quasi conturbet; non ideo intelligendae sunt ac si haec de Deo dicerentur ratione naturae divinae. Secus, quomodo B. Virgo posset dici Mater Dei? Quare hic removendae sunt omnes falsae illae imaginationes, quas Augustinus ad Volusianum scribens, tam eloquenter depellit, et quae ab ipsa conceptione Filii Dei in sinu Virginis, usque ad requiem Filii Dei in sinu terrae pertingunt. Quod igitur Ecclesia canit: « Tu ad liberandum suscepturus hominem, non hor- « ruisti Virginis uterum », comple: « nec horruisti tumuli « uterum ».

b) Nec *inutilis* fuit haec Christi sepultura, imo efficacissima, ob rationes quas in articulo praecedenti exposuimus; quae, sicuti de morte Christi in facto esse, ita de eius sepultura valere dicendae sunt, quum haec sepultura symbolismum utriusque mortis corporalis et spiritualis in se contineat.

[1] I Cor. xv.

[2] Hanc vitam absconditam utinam interdum melius intelligerent, qui de strepitosa vita mala ad religionis agnitionem perveniunt!

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* De textu hic allato adverte, verba ultima referenda esse potius ad sequentia, nec vocem « liber » habere proprie sensum ex quo efficaciter in casu argui possit: « Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, « factus sum sicut homo sine adiutorio. Iaceo inter mortuus « derelictus, sicut vulnerati dormientes in sepulchris, etc. ». Quare hic textus, nedum contra Christi sepulturam agat, eam potius strenue vindicat.

2. Obi. Non considerat dicta n. 3) *b*).

3. Obi. Praeterit exposita n. 3) *a*).

Sed contra est. Huc facit prophetia Isaiae: « In die illa « radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes « deprecabuntur, et erit sepulchrum eius gloriosum » [1]. Huc facit sermo Petri die Pentecostes habitus, in quo commendat Christi sepulchrum; de quo sermone mox in art. 3 dicetur.

In Corpore. S. Thomas exponit tres rationes quas in n. 2 evolvimus. Adverte symbolismum Baptismi non solum ad tertiam applicari posse, sed et ad duas alias. Tria enim momenta in ritu baptismali consideranda sunt: *a*) instans immersionis, figurans mortem actumque sepeliendi; *b*) instans sub aquis, figurans vitam absconditam et tempus quo corpus in sepulchro manet; *c*) instans emersionis, figurans resurrectionem e tumulo in vitam.

Corollarium de cultu S. Sepulchri. - Ob divinitatem quae coniuncta remansit cum corpore emortuo iacente in sepulchro, sepulchrum Christi, utpote sepulchrum Dei, participat de cultu illo summo qui redditur Cruci [2]. Id pulchre ostendit S. Ioannes Damascenus: « At ipsum pretiosum reipsa « Crucis lignum et venerandum, in quo semetipsum in sacri- « ficium pro nobis obtulit Christus, tanquam sancti corporis « et sanguinis tactu sanctificatum, merito est adorandum: « necnon clavi, lancea, vestes, et sacra illius habitacula, cuius- « modi sunt praesepe, spelunca, Golgotha, crux, *vivificum* « *sepulchrum* [3]. » Inde peregrini summa semper veneratione sepulchrum Domini prosecuti sunt, a Paula illa, de qua Hie-

[1] Is. XI, 10. — Cf. Rom. XV, 12.

[2] Cf. quae de hoc cultu diximus in t. IV, 812, sqq. — Lege et homiliam 61 S. Chrysostomi.

[3] Lib. IV, c. 12.

ronymus scribit: « Ingressa sepulchrum resurrectionis, oscu- « labatur lapidem » [1]. usque ad illos Christianorum exercitus Christi sepulchro, Turcarum dominatione polluto, collatis signis, animosa devotione potitos. Quorum gesta Torquatus Tassus decantaturus poëma inchoat:

Canto l'armi pietose, e il Capitano
Che il gran Sepolcro liberò di Cristo [2].

Corollarium II. de cultu S. Sindonis. - Dignitatem sepulchri Domini maxime participat S. Sindon, de qua Evangelium narrat: « Ioseph mercatus sindonem, et deponens eum involvit « Sindone » [3]. Quae S. Sindon, officio liturgico decorata, fertur in sacello palatii regii Augustae Taurinorum asservari, quin et vestigia ostendere sacri corporis, quod involvit. Quae vestigia, utrum pia fraude, si tamen fraude, a pictore apposita sint, an revera ab ipso Domini corpore sint olim impressa, magna inter viros eruditos et arte scientiisve naturalibus peritos controversia est. A qua controversia, quum res nondum sat matura videatur, satius abstinendum ducimus [4].

[1] Epist. 108, n. 9. — *P. L.* t. XXII, 884.

[2] *La Gerusalemme liberata.* Cant. I, 1, 2.

[3] MARC. XV, 46.

[4] Quatuor abhinc annis, quum Augustae Taurinorum magna artis sacrae haberetur exhibitio, S. Sindonis, quae tunc temporis publicae venerationi patebat, effigies processu, ut aiunt, photographico, curante peritissimo viro reproducta est, tantamque ob maiestatem vultus ubique provocavit admirationem, ut acutiori calamo hinc inde lis inferbuerit. Nuper Lutetiae Parisiorum problema instantius tentavit viros scientiis naturalibus deditos. E quibus Paulus Vignon post minutissimas ingeniosissimasque investigationes ad authentiam imaginis conclusit; quatenus, uti fuse argumentatur in opere cui titulus: « *Le linceul du Christ* » imago est negativa, et quidem qualem pictor conficere non potuerit, imo qualis per solum contactum corporis obtineri non possit. Quare contactus supplendus est per emanationem chimicam in ipsam sindonem unguentis ad hoc phaenomenon provide aptatam. Quibus observationibus scientifice suffultis, Vignon ex ipsa aesthetica imaginis pulchritudine thesim suam corroborat. Argumentum nullatenus esse spretu dignum, ostendit modus quo elucubrationem Vignon excepit doctorum iste coetus, a piis exaggerationibus, ut minus dicam, alienissimus (Cf. v. gr. quod scripsit Yves Delage in ephemeride *Revue Scientifique*). Praematuram esse conclusionem Vignon existimat A. L. DONNADIEU (*Etude scientifique sur le* « Linceul du Christ » *de M. Paul Vignon.* — *L'Université catholique,* 1902. — 15 Juin, p. 209, sqq.); ac nuperrime ex rationibus theologicis thesim Pauli Vignon impugnavit VAN STEENKISTE.

Haud decet S. Sindonem Augustae Taurinorum servatam, examini chimico minutissimo submittere. At, si id fieri posset, constaret hanc imaginem S. Sindoni impressam esse authenticam, non solum pictores sculptoresque de statura deque lineamentis vultus et corporis Christi nonnulla genuina possiderent; sed et veracitas narrationis

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTI MODO CHRISTUS FUERIT SEPULTUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Convenientia sepulturae Christi sub triplici respectu praecipue considerari potest: historico scilicet, dogmatico et mystico. De singulis pauca. Narrationem evangelicam supponimus notam.

2) *Historice* re considerata, nihil convenientius modo quo Christi corpus sepulchro commissum est. Apparet enim *a*) summa pietas eorum, qui ultimum hoc officium Christo praestitere; - *b*) summa dignitas ipsius mortui, quippe qui ab instanti mortis veluti in iura suae glorificationis intravit; - *c*) perfecta insuper conformitas moribus populi, ita ut localis color, uti aiunt, totam narrationem perlustret; - *d*) nec inutilis ibi pompa mundanum cultum sapit; sed omnia sunt valde honorifica simul ac discreta.

3) *Dogmatice* re perpensa, *a*) oppositio inter ignominiosam mortem Domini et honorificam eius sepulturam, demonstrat Christum passum esse pro nobis quia pati volebat, Deumque Filium tradidisse quidem ad mortem, quia id exigebat opus Redemptionis; sed non ultra, quia oppositum exposcebat glorificatio Redemptoris. - *b*) Ipsa aromata quibus corpus Christi conditur, demonstrant nullam tunc amicos Iesu praeoccupasse intentionem auferendi corpus, nec valde tunc eos fuisse sollicitos de proxima eius resurrectione: haec enim aromata eo spectabant, ut servaretur corpus in loco ubi deponebatur. - *c*) Monumentum novum facilius reddebat argumentum resurrectionis, quia nullum aliud corpus in eodem sepulchro iacebat, nec iacuerat. - *d*) Insuper monumentum in petra excisum, absurdam reddebat hypothesim corporis

Evangeliorum de passione Christi, deque tempore quo corpus eius in sepulchro iacuit, corroboraretur. — Cf. de hoc argumento, maxime sub historico aspectu: Arthur Loth (*Le S. Suaire Lirey-Chambéry-Turin et les défenseurs de son authenticité. — Le portrait de N. S. J. C. d'après le S. Suaire de Turin*); — P. G. Sanna Solaro (*La S. Sindone che si venera a Torino, illustrata e difesa*); — Ulysse Chevalier (*Le S. Suaire est-il un original ou une copie? Etude critique; — Réponse aux observations de Mgr. Emm. Colomiatti; — Etude critique sur l'origine du S. Suaire de Lirey-Chambéry-Turin*).

per effossam viam internam furtim ablati. - *e*) Lapis ingens obvolutus ad ostium monumenti difficiliorem reddebat accessum ad corpus ibidem depositum. - *f*) Demum sigillum appositum lapidi, custodumque vigilia, tum callidam fraudem, tum violentam aggressionem aeque impediebant. - *g*) Quare modus quo Christi corpus sepultum fuit et custoditum, licet a parte amicorum Iesu a fide in proximam resurrectionem eiusdem nullatenus inspiratus, et a parte inimicorum Iesu contra fraudulentum resurrectionis rumorem directus, gubernante tamen Providentia, confirmandae eidem resurrectioni mirabiliter inserviit. Unde per Christi sepulchrum illustratur egregie haec veritas apprime dogmatica, Deum cuncta, etiam pravorum consilia, in fines a se intentos suaviter simul ac fortiter disponere atque moderari, altissima, saepe absconsa, at semper adoranda, victrice sapientia. - Absit tamen ut ex hac Providentia meritum sibi acquirant illi, quorum prava conamina Deus in suos sanctissimos fines convertit [1]. - *h*) Adde ex hac sepultura apparere quam pie ac sancte impendantur, quae ad Dei cultum ordinantur. Inde Christus Mariam laudans de unguento in suum caput effuso, ad proximam sepulturam suam alludit. Quo exemplo patet, Ecclesiam catholicam laudandam esse de tot thesauris artisque operibus, quibus cultum Dei et Christi adornat; e contra Iudae spiritu agi illos, qui, specie beneficentiae in populum, Ecclesiae bona dilapidant atque furantur.

4) *Mystice* autem plura in sepultura Christi elucent. E quibus duo maxime praestant. *a*) Christi corpus involutum in sindone munda ostendit, Sacramentum Corporis Christi nonnisi in puro corde esse suscipiendum. – *b*) Sepulchrum virgineum in quo corpus Iesu reconditum est, figuram gerit B. Virginis, quae intacta Virgo Christum concepit, por-

[1] Optime laudatus Illmus Barbieri loquens de spoliatoribus Romanae Sedis ait: « Encolerizados ante su fracaso los impios han gritado desvergonzadamente: " Nosotros somos los que hemos acrecentado las grandezas del Papado ". Si, ¿ pero de « qué modo? Del mismo que los hebreos, levantando la cruz sobre el Calvario, « dieron al mundo el espectaculo del amor infinito de un Dios hecho hombre, y de « su poder triunfando de la muerte, en virtud de cual la cruz ha sido plantada en « todas las regiones del mundo como signo glorioso del rescate umano, de la libertad « cristiana, y como prenda de la futura gloria * ».

* Op. cit., p. 6.

taque mansit in conceptione, in partu, post partum semper clausa, utpote Spiritus Sancti sigillo munita atque dicata.

II. **Ad Textus.** - *1. Obi.* Non attendit ad diversam providentiam de Christo in passione et post passionem completam.

Sequentes obiectiones negligunt convenientias simul historicas et mysticas.

Reliqua patent.

ARTICULUS III.

UTRUM CORPUS CHRISTI IN SEPULCHRO FUERIT INCINERATUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Veritas catholica in hoc argumento, sicut in tot aliis, stat media inter duplicem excessum, seu inter excessum ac defectum. *a*) Ex una parte Severiani et Corrupticolae seu Phthartolatrae dicebant, corpus Christi, haud secus ac alia corpora mortua, in elementa per dissolutionem abiisse. *b*) Ex altera Iulianistae, seu Incorrupticolae, sive Aphthartodoketae, ducibus Iuliano et Gaiano, asserebant, Christi corpus nedum in elementa esse dissolutum, neque illam agnovisse corruptionem radicalem, in qua consistit ipsa mors [1]. Contra utrosque doctrina catholica docet, corpus Christi amisisse quidem vitalem nexum cum anima, attamen in sepulchro permansisse incorruptum.

2) Et sane id docet expresse Sanctus Petrus. Allato psalmo XV, unde desumuntur verba: « Quoniam non dere-« linques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum « videre corruptionem ». Apostolus, postquam demonstravit, haec verba ad sepulchrum ipsius Davidis referri non posse, ait: « Propheta igitur cum esset (David), et sciret quia iureiu-« rando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super « sedem eius, providens locutus est de resurrectione Christi, « quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit « corruptionem » [2].

3) Porro si rationes theologicas huius privilegii inquiris, recole quae superius diximus de defectibus indetractibilibus

[1] Cf. t. IV, p. 73 et 539.

[2] Act. II, 30, sq.

a Christo assumptis. Eatenus enim corpus Christi debuisset in elementa dissolvi, quatenus haec dissolutio vel *a*) fuisset consequens inseparabile a vera eius morte, vel *b*) contulisset ad Redemptionis opus per eamdem mortem completum. Iam vero utrumque falso asseritur.

a) Inseparabilis quidem a morte est illa corruptio mortis, quam Iulianus et Gaianus negabant; non autem illa putredinis corruptio, quam tenebant Severiani.

Nec dicas, hanc putredinem fluere ex ipsa morte et esse poenam mortis. Hae duae considerationes sunt quidem efficaces quoad corpora aliorum hominum, utpote qui in Adamo peccaverunt, et in quibus post mortem non remanet per se insita virtus divina. Nullum autem habent valorem quoad corpus Christi, quum Christus non in poenam sibi debitam sed in solvendam expiationem pro aliis mortem gustaverit; et corpus eius remanserit unitum divinitati.

b) Nec aliquid salutis nostrae contulisset haec resolutio in elementa; quum α) ex una parte ad fidem resurrectionis nostrae adstruendam sufficiat resurrectio e tumulo, a statu mortis ad statum vitae; et β) ex altera parte fides nostra corroboretur, si virtus divina tam potenter corpus mortuum Christi possederit, ut a quavis dissolutione illud servarit immune; ac proin si appareat Christus non ex impotentia, sed ex summo dominio in mortem et vitam, ipse suam pro nobis vitam fudisse.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones procedunt 1) ex poena peccati, 2) ex natura hominis, 3) ex inculcanda spe resurrectionis. Deficiunt: prima arguit ac si Christus in poenam peccati mori sibi debuisset; secunda confundit in Christo meritum cum natura, et abstrahit a permanenti virtute divina; tertia arguit ac si resurrectio de morte non sufficeret ad spem nostram erigendam, ob eamdem virtutem quae resuscitat de cineribus sicut de morte simpliciter.

Sed contra est. Huc revocanda est brevis sententia S. Fulgentii: « Fuit quippe (caro Christi) in corruptione mortis, sed « non in corruptione putredinis » [1].

[1] Epist. XVIII ad Reg. c. 4, n. 7. — *P. L.* LXV, 495.

In corpore. Exposito phaenomeno dissolutionis, quod in corporibus mortuis de lege communi naturae producitur, S. Thomas hanc dissolutionem a corpore Christi removet, ut appareant: *a*) mors eius voluntaria, *b*) virtus divina corpus inhabitans.

Quae hic adducuntur ex S. Chrysostomo, cum moderamine intelligenda sunt. Etenim nonnisi in fine agoniae Christi in cruce omnia moesta versa sunt in clariora.

Corollarium de B. M. Virgine. - Conveniunt Patres scriptoresque sacri B. Virginem participasse privilegium Christi quoad praeservationem corporis eius a dissolutione sepulchri [1]. Et sane, servatis servandis eaedem rationes de ea ac de Christo valent; quin et in B. Virgine rationes insuper speciales inveniri possunt.

1) Mors B. Virginis non fuit peccati poena; nulla igitur necessitas aderat ex hac parte, ut corpus eius per putredinem sepulchri dissolveretur. - 2) Ratio assimilationis Matris cum Filio, ob quam B. Virgo mori optavit, harmonice exposcit ut ipse Filius hanc similitudinem ad servatam materni corporis integritatem extenderit. - 3) Pietas filialis veluti exigit, ut Christus exuvias Matris ab ultimo mortis rigore potenter praeservaverit. - 4) Id demum exposcit proportio donorum B. Virgini collatorum. Miraculum enim quo Christus nascendo integritatem physicam Matris violari non sivit, exigit ut post mortem idem corpus ab ignominia putredinis vindicarit. Rectissime proin exclamat S. Ioannes Damascenus: « Hanc vere beatam, quae Dei verbo aures praestitit, « et Spiritus Sancti operatione repleta est, atque ad Archan- « geli spiritalem salutationem sine voluptate et virili con- « sortio Dei Filium concepit, et sine dolore aliquo peperit, « ac totam se Deo consecravit, quonam modo mors devo- « raret? quomodo inferni susciperent? quomodo corruptio « invaderet corpus illud, in quo vita suscepta est? » [2].

Scholion. - Quum rigiditas cadaverica sit veluti primus effectus corruptionis mortuum corpus invadentis, decet pic-

[1] Imo Iulianistae ad B. Virginem extendebant exaggerationem de absoluta incorruptione corporis Christi.

[2] Orat. 2. de dormit. B. Mariae. — Cf. ibidem sub fine.

tores et sculptores corpus Iesu sive de cruce depositum, sive in sinu dolorosae Matris reconditum, sive in tumulo iacens ita repraesentare, ut nihil in adspectu huius corporis sive per nimiam rigiditatem, sive per colorem iam nimis decompositum corruptionis dissolutionem insinuet.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT IN SEPULCHRO SOLUM UNA DIE ET DUABUS NOCTIBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duo hic praestanda sunt: 1) factum debet stabiliri; 2) ratio facti investigari.

1) *Factum* exhibet evangelica narratio: Christus sub vespere feriae sextae sepultus, primo mane diei dominicae ex tumulo surrexit. Unde licet non constet omnino, quam diluculo Christus e sepulchro gloriosus exierit, - de quo argumento agemus in art. 2 Quaest. LIII, - dicendum est, Christum in sepulchro mansisse unam integram noctem naturalem, integrum diem, et alteram noctem, si minus omnino, saltem quasi integram.

2) *Ratio* autem facti potest considerari relate ad prophetias implendas, et relate ad symbolismum exprimendum.

a) Relate ad *prophetias,* - quae caeteroquin et symbolismum antecedenter involvunt, - Christus debuit per mortem, sepulturam et resurrectionem suam implere magnam prophetiam Ionae, quam interpretatus erat ipse de se: « Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus » [1].

Sed ecce ex his verbis obiectio non mediocris exsurgit. Transeat de tribus diebus, quum prima in finem vergens et tertia inchoans, sumantur integre, uti mos enumerandi invaluit. Quid autem de noctibus?

Haec difficultas movet quosdam ut dicant, tenebras in

[1] MATTH. XII, 39. sq.; Cf. XVI, 4. — Lucas habet: « Sicut fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti » (LUC. XI, 30).

morte Christi factas pro prima nocte esse habendas. Quae solutio ut valeat, dicendum est, Christum tumulo fuisse compositum, dum haec miraculosa obtenebratio adhuc saeviret; dein lucem vespertinam rediisse ante noctem naturalem, et hanc lucem pro prima die sepulturae reputari. - Alii existimant, locutionem « tribus diebus et tribus noctibus » non esse ita urgendam, quum dies et nox per modum unius numerentur. - Imo sunt qui putent principium S. Augustini: « a parte « extrema totus (primus dies) computabitur, sicut tertius a « parte prima » [1] valere non solum ad salvandos tres dies, sed etiam ad explicandas tres noctes, quatenus Iudaei a nocte ad diem numerabant. - Solutionem meliorem eligat peritior.

b) Relate ad *symbolismum*, α) sumendo duas noctes naturales et unum diem plenum, placet cum S. Thoma in die considerare ipsam mortem Domini, quae utpote ex charitate suscepta, non habuit rationem tenebrarum, sed lucis. In utraque autem nocte agnoscere geminam mortem corporis et animae, a qua Christus nos liberavit [2].

β) Si iam numerum horarum perpendis, quae vel mortem Domini ab eius resurrectione separarunt, vel per quas Christi corpus in tumulo iacuit, habes probabiliter quadraginta et triginta sex. Primo numero, ut animadvertit S. Augustinus, « congruit etiam vita eius super terram post resurrectio- « nem in quadraginta diebus » [3]. In altero numero idem S. Doctor reperit rationem senarii cubati; et sumendo duodecim et viginti quatuor « illam rationem simpli ad duplum, « ubi est coaptationis maxima consonantia »; coaptationis scilicet Christi ad nos. « Duodecim ad viginti quatuor simplo « ad duplum conveniunt, et fiunt triginta sex, nox tota, cum « die toto et nocte tota. Neque hoc sine illo sacramento quod « supra memoravi. Non absurde quippe spiritum diei compa- « ramus; corpus autem nocti. Dominum enim corpus in « morte a resurrectione, et spiritus nostri figuram et cor- « poris gerebat exemplum » [4].

[1] *De Trin.* l. IV, c. 6. — *P. L.* XLII, 894.

[2] Parumper aliter S. Augustinus, uti ex loco mox afferendo patet.

[3] Ibidem 895.

[4] Ibid. Ne autem putes, leviter has mysticas investigationes esse tractandas, audi S. Augustinum: « Horum quidem numerorum causas, cur in Scripturis sanctis

II. De **Textus** explicatione nihil amplius dicendum videtur, nisi sententiam allatam in *Sed contra est* non inveniri ita ad verbum in S. Augustino. Est conflata ex duabus sententiis, quae parvo intervallo distant. - Quod in fine responsi ad primum ex eodem S. Doctore adducitur, est expositio verborum S. Pauli. Placet audire totum discursum S. Augustini: « Nox usque ad diluculum, quo Domini surrec-
« tio declarata est, ad tertium diem pertinet: quia Deus
« " qui dixit de tenebris lucem clarescere " [1], ut per gratiam
« Novi Testamenti et participationem resurrectionis Christi
« audiremus: " Fuistis enim aliquando tenebrae, nunc autem
« lux in Domino " [2], insinuat nobis quodam modo, quod in
« nocte dies sumat initium. Sicut enim primi dies propter
« hominis lapsum a luce in noctem [3], ita isti propter hominis
« reparationem a tenebris ad lucem computantur » [4].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Christum sepeliri decuit *a*) ad comprobandam veritatem mortis eius, *b*) ad dandam nobis per Christi resurrectionem resurgendi spem, *c*) ad docendam absconditam in Deo vitam, quae morti peccati succedere debet (art. 1). - Ita autem Christum sepeliri decebat, ut nullum de eius morte et resurrectione dubium superesse posset, pietas circa ipsum demonstraretur, atque Christo commori doceremur (art. 2). - Quum autem mors Christi nullam habuerit causam ex infirmitate naturae, fuisset inconveniens corruptio corporis, praesertim corporis substantialiter Verbo uniti; quin ab ipsa morte ini-

« positi sint, potest alius alias indagare, vel quibus istae quas ego reddidi, praepo-
« nendae sint, vel aeque probabiles, vel etiam istis probabiliores: *frustra* tamen eos
« esse in Scripturis positos, et *nullas* causas esse mysticas cur illic isti numeri com-
« memorentur, *nemo tam stultus ineptusque contenderit*. Ego autem quas reddidi
« vel ex Ecclesiae auctoritate a maioribus traditas, vel ex divinarum testimonio
« Scripturarum, vel ex ratione numerorum similitudinumque collegi. Contra ratio-
« nem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo
« pacificus senserit » (Ibid.).

[1] II Cor. iv, 6.

[2] Ephes. v, 8.

[3] Gen. i. 4, sq

[4] Ibid. 894.

tium sumi debebat glorificationis (art. 3). - Nec mysterio vacat tempus quo Corpus Christi in sepulcro iacuit; dies integer figurat in Christo charitatem, qua, sine naturae debito, seipsum obtulit; duplex nox, mortem animae et corporis, a qua nos per mortem suam liberavit (art. 4).

MEMBRUM IV.

DE DESCENSU AD INFEROS.

QAESTIO LII.

Ordo Quaestionis. - Haec quaestio in duas partes dividitur.

I) Quaeritur de *facto:*	*a*) in genere (4);	
	b) in specie:	α) quoad locum (2), β) quoad subiectum (3), γ) quoad tempus (4);
II) Quaeritur de rebus *actis* a Christo in inferis, seu de *effectu* huius descensus:	*a*) circa Sanctos Patres (5). *b*) circa damnatos (6), *c*) circa pueros in pecc. orig. defunctos, *d*) circa animas purgatorii.	(Distributio completa).

Brevius istam Questionem absolvemus, tum ne moles huius voluminis nimis excrescat, tum quia plura quae hic tanguntur, in tractatu de Novissimis redibunt.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS, CHRISTUM AD INFEROS DESCENDERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Primo intuitu verba Domini. « Hodie mecum eris in paradiso, » et: « Pater, in manus tuas « commendo spiritum meum », excludere videntur descensum animae Christi ad infernum. Et sane, si mere debitum spectas, Christus nullatenus tenebatur post mortem sese ad

inferos usque humiliare. Neque id exigebat absolute oeconomia salutis.

2) Nihilominus si meram convenientiam, non necessitatem spectas, apparet convenientissimum fuisse, ut Christi anima ad inferos descenderit. Triplicem rationem afferre sufficiat. *a*) Harmonia mortis Domini hoc veluti exposcebat. Sicut enim pro corpore Christus sepulchrum non abhorruit, ita pro anima infernum recusare non debuit. - *b*) Virtus salutifera Christi id expostulat. Sicuti enim in morte Christi « mors et « vita duello conflixere mirando », ita istud duellum urgetur, si anima Christi animas in inferis detentas victoriosa virtute liberat, quemadmodum per divinam sepulchri Dominici virtutem corpora in ultima die reviviscent. - *c*) Idem exigit triumphus de potestate tenebrarum. Sicuti enim magis se victum sentit hostis, cuius principem sedem victor depraedaverit, ita per animae Christi praesentiam in ipso regno infernali operosam, daemon magis expertus est virtutem Redemptoris suamque irremediabilem ruinam.

3) Mirum igitur non est, si hic descensus animae Christi ad inferos, licet in Evangeliis non appareat, tam strenue in Symbolis exprimatur; quatenus separato corpore ab anima in morte Christi, utriusque locatio temporalis ad modum aliorum mortuorum fuit veluti consequens perfectae eius humanitatis, ac ultimae eius humiliationis, necnon terminus a quo potentissimi eius triumphi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Sententia Augustini nullam difficultatem parit. Nam in eadem epistola ait ipse: « Et domi- « num quidem carne mortificatum venisse in infernum, satis « constat.... Quis ergo nisi infidelis negaverit, fuisse apud « inferos Christum » [1].

2. Obi. Dupliciter deficit. *a*) Quoad divinam naturam non attendit ad unionem hypostaticam. Si Dei Verbum ob incarnationem dici potest descendisse de caelis, cur non et ad inferos? - *b*) Confundit necessitatem cum convenientia.

3. Obi. Insulse arguit iuxta motum corporalem. Si Angeli

[1] Epist. *ad Evodium* (164), c. 2, n. 3. — *P. L.* XXXII, 709, sq. — Quae epistola summi momenti est pro interpretatione famosi loci S. Petri (I PETR. III, 18-21).

dicuntur ascendere ac descendere, cur non descendere potuisset anima Christi?

Sed contra est. Huc afferenda est concio S. Petri in die Pentecostes habita. Loquens de Christo ait: « Quem Deus « suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile « erat teneri illum ab eo » [1]. Ad quod confirmandum affert Psalmistae verba: « Quoniam non derelinques animam meam « in inferno » [2]. - Et alibi idem Apostolus veritatem eamdem expressius affirmat: « Quia et Christus semel pro peccatis « nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, « mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo « (id est spiritu) et his qui in carcere (scilicet infernali) erant « spiritibus veniens, praedicavit » [3].

S. Paulus idem proclamat arguens ex altero psalmorum loco: « Propter quod dicit: " Ascendens in altum, captivam « duxit captivitatem, dona dedit hominibus " [4]. Quod autem « ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in infe- « riores partes terrae? » [5]. Nec obiicias, ascensionem Christi non exigere descensum in infernum. Hoc quidem verum est absolute; non autem amplius verum est de ascendente qui secum ducit captivitatem; hoc enim supponit, eum adiisse locum in quo detinebantur captivi.

Porro inutile est hic afferre symbola, quae certatim hanc veritatem proclamant. Athanasianum habet: « Qui passus est « pro salute nostra, descendit ad inferos ». Quem descensum de vera praesentia intelligendum esse, patet ex capitulo decimo octavo Abaelardi a Concilio Senonensi (a. 1140) damnati: « Quod anima Christi per se non descendit ad inferos, « sed per potentiam tantum » [6]. Idem vindicat Concilium Lateranense IV (a. 1213) contra Albigenses: « Descendit ad « inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in caelum; sed « descendit in anima, et resurrexit in carne » [7].

E Liturgia satis sit afferre haec verba hymni Vesp.

[1] Act. ii, 24.
[2] Ps. xv, 10.
[3] I. Petr. iii, 18, sq.
[4] Ps. lxvii, 19.
[5] Ephes. iv, 8, sq.
[6] Denzinger, op. cit., n. 327.
[7] Ibid. n. 356.

Ascensionis: « Inferni claustri penetrans, - tuos captivos « redimens ».

Reliqua patent.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS DESCENDERIT AD INFERNUM DAMNATORUM.

De ipsa Quaestione. - Plura de hac quaestione dicenda forent, tum ad investigandam doctrinam Vet. Testamenti, imprimis libri Iob de inferno, tum ad discutiendam doctrinam S. Petri de praedicatione a Christo facta his « qui increduli « fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in « diebus Noë, cum fabricaretur arca » [1]. Sed haec remittimus ad tractatum de Novissimis. Impraesentiarum pauca sequentia sufficiant.

2) Descensus, sicuti praesentia, - utpote quae est eius terminus ad quem, - dupliciter intelligi potest: *a*) entitative, et *b*) effective.

a) *Entitative* igitur anima Christi descendit in locum ubi detinebantur iusti; non autem in locum ubi iacent in aeternum damnati. - *b*) *Effective* autem operatus est in omnes regiones infernales; aliter tamen et aliter, iuxta conditionem unicuique regioni propriam, de quo vide schema *Corporis*.

3) Ad difficultates praecipuas solvendas iuvant distinctiones sequentes. *a*) Inferior potest locus infernalis dici dupliciter, vel relate ad terram, vel relate ad alias partes inferni. Primo sensu absque ulla difficultate concedi potest, Christum in inferiora terrae descendisse. Altero sensu potest concedi de purgatorio, quatenus purgatorium est inferius limbo in quo Patriarchae detinebantur, et non repugnat animam Christi entitative quoque purgatorium visitasse, quum ibi non haberentur nisi animae iustae in gloriam destinatae. Repugnat autem animam Christi in profundissima inferni, in damnatorum scilicet infernum descendisse, nisi tantum effective. - *b*) Dolores inferni pariter distinguendi sunt aeterni et temporales; qui rursus subdistinguendi sunt in dolorem causa-

[1] Loc. cit.

tum a mera dilatione gloriae, et dolorem causatum a passione poenae. Christi ergo anima non solvit poenas aeternas; temporales autem quoad utrumque respectum solvere potuit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit duplicem modum descensus sicut et praesentiae.

2. Obi. Non attendit ad distinctiones 3) *b*).

3. Obi. Arguit ac si iste locus Petri non posset intelligi nisi de praedicatione vera cum fructu conversionis, facta illis qui ob incredulitatem detinebantur in inferno.

Duplex praesertim patet solutionis via: *a*) ut cum Damasceno sermo esse dicatur non de praedicatione tendente in conversionem, sed de manifestatione in confusionem; - *b*) ut cum S. Augustino dicatur, agi hic non de descensu in infernum, sed de praedicatione a Verbo Christo facta in tempore Noë per occultam gratiae virtutem.

Quid autem si quis contendat, incredulos illos, ad quos Christus in carcere infernali praedicavit, fuisse quidem incredulos, non tamen ita graviter culpabiles, ut inde in aeternum damnari meruerint? Sed hoc subtilius argumentum differre placet ad tractatum de Novissimis.

4. Obi. Eodem vitio laborat, quo secunda.

5. Obi. Non considerat dicta 3) *a*).

Sed contra est. Non sine inconveniente haec verba Iob intelliguntur de inferno damnatorum proprie dicto. Nam agitur de loco in quem Iob se mox iturum expavescit. Iam vero quomodo simul potuisset et de sua innocentia protestari, et se damnandum affirmare? Nonne forte haec dicta sunt iuxta horrorem vagum quem antiqui illi habebant de tenebris τοῦ שְׁאוֹל?

In Corpore. En argumentum schemate contractum.

Christus descendit:	1) per suum *effectum,*	in totum infernum: *a*) damnatos confundens, *b*) in purgatorio detentos consolans, *c*) iustos visione beans;
	2) per suam *essentiam*	in partem solam ubi detinebantur Sancti.

Adverte quod dicit S. Thomas: « Sanctis Patribus, qui « pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen

« aeternae gloriae infudit ». Quare ab instanti quo anima Christi ad eos pervenit, paradisus pro eis incipit. Inde verba ad latronem: « Hodie mecum eris in paradiso ».

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS FUERIT TOTUS IN INFERNO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaestio haec moveri non potest ab his qui falso putaverunt, divinitatem per triduum mortis non remansisse cum anima Christi. Quomodo enim tunc Christus, qui utique est Deus, fuisset totus in inferno? Idem dic de corpore in sepulchro; nam praesens quaestio moveri potest, de utraque parte compositi humani Christi, licet de sola anima expresse a S. Thoma moveatur.

2) Iam vero quaestio potest poni duplex *a*) utrum *totus* Christus fuerit in inferno aut in sepulchro; *b*) utrum *totum* Christi in utroque loco fuerit. *a*) Primo quaesito respondendum est affirmative, quia *totus* dicit hypostasim, quae in casu fuit tota (nam indivisibilis est persona Verbi) cum anima Christi in inferno et cum corpore Christi in sepulchro. - *b*) Alteri quaesito respondendum est negative, quia *totum* dicit naturam seu partes naturae, et anima et corpus Christi fuerunt per triduum mortis ab invicem seiuncta.

II. **Ad Textum.** Ex dictis vitium obiectionum iam est manifestum. Confundunt enim totalitatem ratione personae et ratione naturae. Valent de toto in quantum dicitur *totum* hominis; non autem in quantum dicitur *totus*.

Sed contra est. Doctrinam praesentem egregie illustrat Ferrandus: « *Totus* ergo Christus ubique est secundum Verum, sed non *totum* ubique est; quia non est ubique anima « rationalis et caro, cum quibus est *totum* totus Christus. Apud « inferos fuit secundum animam rationalem; sed non totum, « quia caro non fuit, cum qua totum est. Totus Christus in « sepulchro fuit secundum carnem: sed non totum, quia « anima rationalis ibi non fuit, cum qua est totum. Verbum « tamen Dei et cum anima fuit apud inferos, et cum carne « sua in sepulchro fuit: quia naturaliter ubique diffusum,

« nec animae suae, nec carni suae aliquando defuit [1]. Sive « igitur Verbum, sive anima rationalis, sive caro significetur, « totus Christus significatur, sed non totum » [2].

In Corpore. Distinctione facta inter *totus* et *totum.* S. Thomas quo diximus modo, argumentum solvit.

Quaeres. - Quid dicendum de formula cum additamento *totus homo?* Fuitne Christus totus homo in inferis, totus homo in sepulchro? Haec locutio ambigua est. Unde quatenus per additam vocem homo, quae adsignificat naturam et non mere dicit suppositum, *totus* videtur involvere etiam *totum,* potest negari propositio: Christus in sepulchro fuit totus homo, quin ideo negetur haec altera: Christus fuit in sepulchro totus.

Inde Hugo Victorinus, qui excedebat in praedicando homine de Christo per triduum mortis limitat praedicationem de *toto homine:* « Ubi haec duo sunt (anima scilicet et caro) « totus homo est. Ubi alterum horum est, pars hominis est. « Propter hoc igitur Verbum totum hominem assumpsit, « quia totum quod hominis erat, assumpsit: animam et car« nem. In sepulchro autem non totus homo jacuit, sed pars « hominis tantum, hoc est caro. Similiter ad infernum non « totus homo descendit, sed pars hominis tantum, hoc est « anima » [3]. Lege hanc longiorem expositionem. Sicuti ergo Christus per triduum mortis non fuit homo absolute, sed homo mortuus; ita in sepulchro et in inferno fuit quidem totus simpliciter, sed non simpliciter totus homo.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ALIQUAM MORAM TRAXERIT IN INFERNO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si mere respicis ad Christi virtutem, nulla mora necessaria fuit, ut anima Christi infer-

[1] Cave, ne imperfecte hoc assertum intelligas, ac si Ferrandus rationem permanentiae Verbi cum separatis partibus humanae naturae Christi peteret unice ab ubiquitate Verbi. Sed haec ubiquitas suasibile reddit, quomodo partes ab invicem seiunctae, potuerint nihilominus manere in Verbo.

[2] Epist. ad Severum. — *P. L.* t. LXVII, 913.

[3] Loc. cit. — *P. L.* CLXXVI, 403. Monere liceat, punctuationem huius tractatus apud Migne esse valde deficientem.

num adiret, indeque captivos secum liberatos educeret; sicuti potuisset Christus resurgere de tumulo in ipso instanti quo erat in eo reconditum, ita ut saxum ad ostium monumenti advolutum, iam nonnisi tumulum vacuum obserasset. Igitur non ex virtute Christi, sed ex harmonica convenientia mysterii praesens quaestio dirimenda est.

2) Porro quid decentius quam ut praesens fuerit anima Christi in inferno per totum id tempus, quo corpus eius iacuit in sepulchro? Nec ullum inde Christo dedecus obvenit. Nam clauso viae stadio, merces plena animam Salvatoris irradians redundabat per infernales regiones, e quibus Oriens lucidior sole, omnes tenebras omnesque pellebat languores. Quin et ineffabilis debuit esse Christo voluptas, iustos illos, qui per tot saecula anhelabant ad liberationis diem, « in ictu oculi » visionis beatae plenitudine inundare; ipsasque animas in purgatorio detentas praesentia aut saltem proximitate sua dulci refrigerio levare.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit moram praesentiae cum mora operationis. Prior adfuit, non ex necessitate, sed ex decentia; altera quoad essentialem liberationem adfuit nulla.

2. Obi. Confundit liberationem a vinculo captivitatis cum egressu e captivitatis loco; nec attendit, hunc locum iam non fuisse carcerem, ab instanti quo plena divinitatis luce inundabatur.

3. Obi. Paradisum intelligit nimis localiter et materialiter, quasi paradisus non esset ubicumque elucet splendor visionis divinae.

Sed contra est. Doctrina huius articuli commendatur per modum quo in Symbolo ad nihil alluditur uti actum a Christo inter descensum eius ad inferos et resurrectionem: « Crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die « resurrexit a mortuis ».

Adde argumentum desumptum ex textu superius allato, ubi agebatur de tempore per quod corpus Christi remansit in sepulchro. Filius enim hominis non est solum corpus eius; ergo et anima eius per idem tempus remansit « in corde terrae » [1].

[1] MATTH. XII, 40.

In Corpore. Adverte moderationem ab Angelico adhibitam. Sicuti in *Sed ctr. est* dixit: « videtur », ita hic ait: « credendum est ». Argumentum autem S. Thomas desumit ex harmonia inter tempus per quod corpus Christi remansit in sepulchro, et per quod eius anima morata est in inferno.

ARTICULI V-VIII.

UTRUM CHRISTUS DESCENDENS AD INFEROS INDE LIBERAVERIT: 1) SANCTOS PATRES, 2) DAMNATOS QUOSDAM, 3) PUEROS CUM ORIGINALI PECCATO MORTUOS, 4) ANIMAS IN PURGATORIO DETENTAS.

Liceat brevitatis causa hos quatuor simul articulos complecti, utpote ad Eschatologiam quoque spectantes.

I. **Concl.** (**Art. V**). - *Christus descendens ad inferos liberavit inde Sanctos Patres;* nam, quum per mortem suam caelorum aperitionem meritus sit, uti superius demonstravimus; et quum isti Sancti Patres, liberi iam a reatu culpae, quin et a reatu poenae pro culpis actualibus debitae, non amplius nisi reatu poenae pro peccato originali detinerentur, Christus hoc vinculum rupit. Non ita quidem, quasi vix infernum ingressus Sanctos illos fecerit inde apertis ianuis exire. Sed ipse impedimentum tollens, se beatifice contuendum illis praebuit, usquedum una cum eis ascenderet in gloriam.

Hi sunt dolores inferni per adventum Christi soluti: suspirans scilicet expectatio Patrum transiit in obiecti adeptionem.

II. **Concl.** (**Art. VI**). - *Christus descendens ad inferos non liberavit inde damnatos.* Haec conclusio in Eschatologia fusius data opera evolvetur. Ratio autem patet. Aut enim neganda est aeternitas poenarum, aut concedenda est veritas huius conclusionis. Nam fundamentum aeternitatis poenarum est praecise status, quo peccatores per graviores culpas sese extra fructum redemptionis posuerunt. Quare nulla ratio afferri potest, quae demonstret, Christi descensum ad inferos hunc effectum esse operatum. Nec hoc tribuendum

est impotentiae Salvatoris, sed conditioni in qua ipsi damnati ex propria culpa versantur. Sed, ut dixi, de hoc alibi fusius.

III. **Concl.** (**Art. VII**). - *Neque pueros cum originali peccato mortuos Christus ab inferis liberavit.* Fundamentum huius conclusionis idem est ac praecedentis. Nexus scilicet salutifer inter Christum et salvandos debet per mortalis vitae stadium, id est, in instanti saltem mortis existere, ut opus Christi post vitam suos effectus exerere possit. Atqui si peccatores decumbunt sine nexu fidei et charitatis, pueri illi e vita cedunt sine nexu baptismatis. Ergo excluduntur in aeternum a regno, quemadmodum peccatores insuper in aeternum damnantur ad poenam. De quo argumento sermo redibit in mox edendo tractatu *De Homine.* Interim animadverte, in sententia Apostoli: « Multo magis gratia Dei et « donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abun- « davit » [1], verba « *in plures* » non sumenda esse comparative, quoad numerum eorum qui de Adamo et de Christo participant; sed absolute, quoad multitudinem immensam, imo iure ac destinatione utrimque universalem.

IV. **Concl.** (**Art. VIII**). - *Christus per suum descensum non liberavit animas a purgatorio.* Ut certa dici possit haec conclusio, intelligenda est de liberatione plena et de omnibus animis. Ratio patet, quia istae animae nondum iustitiae divinae satisfecerunt, et descensus iste Christi non operatus est post mortem ad modum Sacramenti cuiusdam poenitentiae, aut sacrificii satisfactorii. Nihilominus nihil repugnat, Christum in hoc suo adventu veluti per harmoniam praestabilitam [2] plures animas liberasse; et omnibus tormenta reddidisse dulciora per augmentum spei, imo breviora per compensationem ardoris [3].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

I. Conveniens fuit Christum ad inferos descendere, ut homines a poena huius captivitatis, in se eam suscipiendo,

[1] Rom. v, 15.
[2] Cf. Caietanum (hoc loc.).
[3] Cf. dicenda in Eschatologia, ubi de Purgatorio.

diabolumque devincendo liberaret, atque ita potentiam suam sicuti in terra, ita et in inferno monstraret (art. 1). - Per essentiam autem anima Christi non descendit nisi ad locum in quo detinebantur justi, licet quoad effectum suae potentiae infernum totum aliter et aliter visitasse dicendus sit (art. 2). - Totus porro, quia tota persona, Christus in infernum descendit; non autem totum Christi, quia non tota eius humana natura (art. 3). - Unde per totum temporis spatium quo corpus in sepulchro iacuit, probabile videtur, animam Christi in inferno Sanctorum permansisse (art. 4).

II. Effectus porro huius descensus ad inferos, fuit liberare sanctos Patres a reatu poenae peccati originalis, iter ad coelestia reseratum pandendo (art. 5). - Non autem ab inferno liberavit damnatos, quum hi nec fide nec charitate passionis fructum perceperint (art. 6). - Neque liberavit animas puerorum cum originali peccato defunctorum, quum hi nec Sacramento nec gratia hanc labem delentibus eidem passioni coniuncti fuerint (art. 7). - Demum ex animabus in purgatorio detentis non magis tunc quam nunc ad caelos admisit, nisi illas, quas passionis suae virtute ab ipsa hac poena purgando liberavit (art. 8).

SECTIO IV.

DE PERTINENTIBUS AD EXALTATIONEM CHRISTI.

Haec Sectio quatuor Membra comprehendit.

I) De *resurrectione* Christi:
1) de resurrectione ipsa (Q. LIII);
2) de qualitate resurgentis (Q. LIV);
3) de manifestatione resurrectionis (Q. LV);
4) de causalitate resurrectionis (Q. LVI).

II) De *ascensione* Christi (Q. LVII).
III) De *sessione* Christi a dextris Patris (Q. LVIII).
IV) De *iudiciaria potestate* Christi (Q. LIX).

MEMBRUM I.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Ordo Membri ex praecedenti tabella patet.

CAPUT I.

DE IPSA RESURRECTIONE.

QUAESTIO LIII.

Ordo Quaestionis. - S. Thomas considerat in Christi resurrectione: 1) necessitatem, 2) tempus, 3) ordinem, 4) causam.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT NECESSARIUM, CHRISTUM RESURGERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Necessitatem resurrectionis Christi intelligendam esse non absolutam, antecedentem, sed hypotheticam, consequentem, vix monendum est. Etenim eatenus dumtaxat haec potest necessaria praedicari, quatenus necessaria fuit ipsa Christi mors. Quare verus sensus quaestionis est, utrum, posita Christi morte, necessaria fuerit Christi resurrectio.

2) Antequam huic quaesito respondeatur, oportet distinguere in resurrectione corporali id quod est necessarium conceptui resurrectioni, et id quod, licet passim adsit, non tamen necessario ad eam pertinet. *a*) Necessarium est ad resurrectionem: α) quod resurgens vere mortuus fuerit, ac proin quod corpus et anima ab invicem vitaliter seiuncta per mortem, rursus coniungantur in vitam; β) quod resur-

gens quoad naturam quae suae integritati restituitur, per resurrectionem perficiatur. - *b*) Necessarium resurrectioni non est: α) quod terminus a quo sit a parte corporis status resolutionis in elementa; nec β) quod terminus ad quem sit nobilior quantum ad suppositum sive personam [1].

In resurrectione Christi elementum duplex *a*) plene adfuit; elementum autem duplex *b*) adesse non potuit. Non α) propter corpus servatum incorruptibile; non β) propter servatam utrobique supremam dignitatem personalem ratione permanentis unionis hypostaticae.

Negare *a*) α) esset excessus Iulianistarum; negare *a*) β) implicite conduceret ad Monophysitismum; - e regione inficiari *b*) α) esset defectus Severianorum; inficiari *b*) β) implicite tenderet in Nestorianismum.

3) His praemissis declaramus necessitatem resurrectionis: *a*) a parte Dei, *b*) a parte Christi, *c*) a parte humani generis, *d*) a parte daemonis.

a) A parte *Dei,* nam α) Deus, qui Filium suum iustum pro iniustis in mortem tradidit, debuit sibi ut eum a mortis vinculo potentissime et generosissime liberaret. - β) Pater ipse promisit se Filium clarificaturum [2]; oportuit ergo ut solemnem hanc prophetiam adimpleret. - Imo γ) tota oeconomia Redemptionis tendebat in omnia instauranda per Christum [3]; quum ergo resurrectio sit pars huius instaurationis universalis, Deus sibi debuit ut opus tam praecellens in finem adduceret. Ratio α) arguit ex iustitia, β) ex fidelitate [4], γ) ex sapientia.

b) A parte *Christi.* Etenim α) Christus per suam perfectam obedientiam usque ad mortem crucis, meritus est ut exaltationem meritis proportionatam acciperet. Iam vero quomodo potuisset haec merces esse condigna et plena, nisi hanc vitam humanam tam generose immolatam, rursus imo excellentiorem acquireret, nisi illud corpus tot tormentis laceratum speciosiori integritati restitueretur. - β Eo vel

[1] A fortiori non est necessarium id, cuius resurrectio corporalis est symbolum, scilicet resurrectio spiritualis, quae manifesto repugnat in Christo.

[2] Ioann. xii, 28.

[3] Eph. i, 10.

[4] Adde fidelitatem inclusam in prophetia reali Ionae.

magis quod ante passionem suam Christus futuram suam exaltationem instanti oratione a Patre postulavit. Iam vero dignus erat Christus, qui mereretur exaudiri pro sua reverentia. - γ) Deus-Homo destinabatur ut esset centrum universi. Iam vero hoc esse non potuit, seclusa integritate humanae naturae gloriosae. - δ) Christus expresse suam resurrectionem praenuntiavit; unde nisi revera resurrexisset, non solum mercede caruisset, sed pro mercede accepisset confusionem. Haec tamen ratio supponit titulos praecedentes, sine quibus Christus hoc vaticinium non protulisset.

c) A parte *generis humani* α) resurrectio Christi est fundamentum praedicationis ac fidei, non solum quia continet argumentum veracitatis Christi ipsius, sed quia synthetice comprehendit fidem totam. Hoc fortiter dixit Paulus: « Si « Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, ina- « nis est et fides vestra » [1]. β) Resurrectio erigit *spem,* quia est in Christo praeludium illius gloriae, in quam tendimus omnes. - γ) Nutrit *charitatem,* quia demonstrat quomodo per gratiam a morte in vitam restituti, in amore stare debeamus, ne nos iterum laquei mortis involvant. - δ) Demum provocat ad *omnes virtutes,* quatenus implicite nos docet per quamnam viam in gloriam tendere oporteat, iuxta illud ipsius Christi ad discipulos Emmaus: « Nonne haec oportuit « pati Christum et ita intrare in gloriam suam? » [2].

d) A parte *daemonis* resurrectio requirebatur, ne princeps mundi, qui Christum aggressus erat iniuste, aliquid de Christo detinere videretur, nec videretur modo, sed revera detineret; et per Christum partem suae praedae de toto humano genere servaret. Nam, ut Paulus fortiter demonstrat, resurrectio nostra cum resurrectione Christi est tam intime colligata, ut altera alteram appellet [3]. Hinc quod S. Petrus dixit: « Impossibile erat teneri illum ab eo » [4], non tantum de inferno valet, sed et de sepulchro. Quare nisi Christus surrexisset, veritate plena carerent verba S. Pauli: « Delens « quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat

[1] I. Cor. xv, 14.
[2] Luc. xxiv, 26.
[3] I. Cor. xv, 12, sqq.
[4] Act. ii, 24.

« contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud « cruci, et expolians principatus et potestates traduxit con- « fidenter, palam triumphans illos in semetipso » [1]. Chirographum enim mortis non erat solum mortis animae sed et corporis. Ergo nonnisi per resurrectionem suam Christus illud plene delevit, ac palam de infernali principe triumphavit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 2) *b*) α), et in nota ibidem apposita.

2. Obi. Negligit dicta n. 2) *b*) β).

3. Obi. Confundit necessarium primario, cum necessario secundario; quasi id omne quod non est necessarium primario, iam esset inutile. Insuper abstrahit a causalitate passionis resurrectionem quoque involvente.

Sed contra est. Post rationes n. 3 expositas auctoritateque Scripturarum multifariam suffultas, superfluum est huic demonstrationi longius immorari. Neque coacervandi sunt hic textus e Symbolis, e Liturgia, ac Patribus scriptoribusque asceticis desumpti. Fontes cuique patent, nec exhauriri possunt. Totum paucis dicant pulcherrimae istae strophae:

O vere digna hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captivata,
Reddita vitae praemia.
Consurgit Christus tumulo,
Victor redit de barathro,
Tyrannum trudens vinculo,
Et paradisum reserans [2].

In Corpore. S. Thomas quinque rationes affert: commendationem 1) *divinae iustitiae* Christum exaltantis; 2) *fidei* per resurrectionem Christi firmandae; 3) *spei* per eamdem erigendae; 4) *vitae spiritualis,* cuius resurrectio Christi est figura; 5) *salutis consummatae,* quatenus per resurrectionem in aeterna bona promovemur.

[1] Coloss. II, 14.
[2] Hymn. Vesp. *Solemnit. Pasch.*

ARTICULUS II.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM TERTIA DIE RESURGERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Distincto facto a ratione facti, certum est, Christum surrexisse tertia die, sicuti ipse praedixit et sicuti affirmat expresse S. Paulus, cuius verba canuntur in Missa: « Et resurrexit tertia die secundum Scripturas » [1].

Unice quaeri potest, utrum adhuc de nocte, an orto iam sole Christus surrexerit. Ratio dubitandi est modus loquendi Evangelistarum. Marcus ait: « Valde mane, una Sabbatorum « veniunt (utraque Maria cum Salome) ad monumentum orto « iam sole » [2]. Lucas ait: « Valde diluculo » [3]. Ambo ergo perfecte conveniunt. Sed ecce Ioannes ait: « Una autem Sab- « bati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae « essent ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a mo- « numento » [4]. Si Maria Magdalena, quae sola nominatur, iter hoc instituit sola, conciliatio in promptu est. Sed tunc, si verba « venit mane cum adhuc tenebrae essent » dicunt terminum ad quem itineris, et si vox « tenebrae » sumitur in sensu presso, fatendum est, Christum surrexisse quum adhuc esset nox, vergens utique in mane. Si autem hoc iter est idem quod alii Evangelistae narrant uti a mulieribus simul peractum [5], dicendum est, tenebras adhuc fuisse quando mulieres domo egressae sunt, primumque die alborem incepisse dum ad sepulchrum appropinquarent.

2) *Ratio facti* iam quaerenda est. Quum autem in facto, duo considerare possimus, Christum surrexisse *a*) non immediate, sed sat velociter, et *b*) tertia die mane, ratio utriusque aspectus est investiganda.

[1] I. Cor. xv, 4.

[2] Marc. xvi, 2.

[3] Luc. xxiv, 1.

[4] Ioann. xx.

[5] Lucas dicit tantum « venerunt »; Marcus tres nominat: utramque Mariam, Magdalene et Iacobi, ac Salome; Matthaeus duas primas habet, omissa tertia. Potuit ergo Ioannes non nominare nisi primam. — Verba autem Matthaei: « Vespere autem sabbati » eruditus Cozza-Luzzi putat versui praecedenti, ultimo cap. xxvii, esse coniungenda.

a) De primo aspectu nulla difficultas. Christus debuit firmare fidem nostram tum α) circa suam divinitatem, tum β) circa veram suam mortem. Ratione β) non surrexit immediate, ratione α) surrexit parvo interposito temporis spatio.

b) De altero aspectu, quum subtilior sit, subtilior inquisitio. Non deest tamen interpretatio latentis mysterii. α) *Mane* Christum resurgere decuit, ob symbolismum lucis per quam cuncta renovantur; β) *tertia* autem die, tum α') quia post stadium ante Legem et sub Lege, tertium stadium mundi inaugurabat: Evangelii seu gratiae; tum β') quia post figuras Legis et veritatem fidei, inaugurabat vitam aeternae gloriae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit conformitatem in natura et in virtute; nec in eodem corpore attendit proportionem inter caput et membra.

2. Obi. Negligit utilitatem quam habebat parva mora inter mortem et resurrectionem; quae mora, si sit voluntaria, nullo modo imminuit potentiam morantis.

3. Obi. Dupliciter deficit: *a*) non considerat conciliationis vias; *b*) arguit ac si Christus etiam ante lucem resurgens, non possit dici resurgere die tertia.

Sed contra est. Adde hic verba Christi de signo Ionae [1] necnon de templo sui corporis: « Solvite templum hoc, et in « tribus diebus excitabo illud » [2].

Lege de praesenti argumento S. Augustinum subtiliter disserentem [3].

In Corpore. En schema argumenti:

- Christus resurrexit a mortuis
  - 1) non quidem *immediate*, ne in periculum verteretur fides de vera eius divinitate;
  - 2) sed post *parvum* intervallum, ad roborandam fidem in eius divinitatem:
    - *a*) *mane*, ob symbolismum lucis;
    - *b*) die *tertia*,
      - α) ob stadium Evangelii,
      - β) ob tertium statum gloriae.

Veritatem resurrectionis Christi non huius loci est demonstrare. Hoc pertinet ad praeambulum fidei, in quo probatur

[1] MATTH. XII, 40.
[2] IOANN. II, 19.
[3] *De Trin.* loc. cit.

veracitas Scripturarum quoad factum hoc princeps, circa quod veluti cardinem volvitur historia mundi.

Satis sit hic afferre textum quemdam increduli Strauss, ad ostendendum, cum quanta superbae mentis levitate isti homines summa problemata solvant. Quae sane levitas, si in aliis argumentis adhiberetur, actum esset de omni scientifica cultura. Sed in religionem Christianam licent omnia. Quin et ineptissima quaeque tanquam docta atque profunda salutantur. Audiamus iam ipsum Strauss insulse disserentem.

« Formatio mythorum primitivorum Christianismi concor-
« dat cum iis quae de aliis religionibus compertum habemus [1].
« Et in hoc consistit progressus hisce nostris diebus per
« scientiam effectus, ut scilicet intelligatur mythum primiti-
« vum non esse quamdam fictionem individualem praevoli-
« tam et praemeditatam, sed foetum aliquem conscientiae
« generalis unius populi, vel unius sectae religiosae. Mythus,
« ait Welcker, germinat in mente, sicut semen in terra....
« Norunt quod quattuor e discipulis Christi piscatores erant,
« et quod Iesus, iocando in verbis, eos fecit piscatores homi-
« num. Comparatione porro instituta inter piscationem no-
« vam et antiquam, quae vix necessaria vitae suppeditabat,
« nova piscatio inventa est magis proficua, et ut talis fuit a
« multis celebrata; postmodum, transeundo de ore in os,
« forsitan vulgare factum transformatum fuit in piscatio-
« nem miraculosam lacus Genesareth. - Similiter ea quae
« ad resurrectionem Iesu attinent, primo intuitu, videntur
« esse vel documenta vere historica, vel mendacia ex con-
« dicto proposita. Nullo tamen modo. Redeamus ad initia
« Christianismi. In decursu controversiae, unus aut alter
« Iudaeus dicit: Quid mirum si sepulchrum inventum est
« vacuum? Corpus tuleratis. - Tuleramus corpus! respondet
« Christianus; ecqui potuissemus? Nonne apposueratis cu-
« stodes ad ostium monumenti? Et Christianus, haec dicendo,
« existimabat se verum dicere. Alter superveniens, modo
« magis affirmativo asserebat adfuisse custodiam; tum inve-
« niebat apud Danielem, sigillum appositum super os laci
« leonum.... Forsitan, iterum aiebat Iudaeus quispiam, ipse

[1] Mirare a priori hanc propositionem; quasi specialis conditio historica religionis christianae non esset ipsissimum problema.

« vobis apparuit, sed sicut vacuum et inane phantasma. - Sicut « phantasma! respondebat Christianus, nonne retinebat cica- « trices clavorum? Nonne illas nobis ostendit? Alter narra- « tor adiiciebat plagas fuisse etiam a discipulis palpatas; « atque hoc tandem modo, mille eiusdem generis narratio- « nes fide prodire potuerunt, quin unciam continerent veri- « tatis historicae » [1]. Ad quae somnia, scientiae nomine prorsus indigna, lepide Cl. Billot: « O Scientia Critica, quam « puro lumine tuorum collustras mentes electorum! Si modo « dociles invenias animos, quibus, loco rationum, sufficiat « castus amor tui: quos rapis in uno oculorum tuorum, et « in uno crine colli tui! » [2].

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS PRIMO SURREXERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ne verbis ludatur, oportet ab initio monere, quaeri hic non de resurrectione imperfecta de morte quidem in vitam, sed rursus amissibilem, ac proin in aliam mortem; sed de resurrectione perfecta, scilicet de morte in talem vitam, quae non solum amplius non amittatur, sed nec amitti possit.

Priori modo surrexisse plures, historia sacra tum Antiqui tum Novi Testamenti docet. Altero modo Scriptura Christum praedicat primitias dormientium.

2) Hic autem quaestio moveri posset, utrum ad hoc ut Christus tali nomine vocetur, requiratur omnino praecedentia temporalis, an non sufficiat praecedentia iuris atque potestatis; quatenus id dicitur primum, per quod in aliquo ordine alii habent quod habent, aut sunt quod sunt. Si tenes ad primitias hasce sufficere praecedentiam virtutis ac iuris, nulla amplius remanet solvenda difficultas. Quodsi exigas praecedentiam temporis, quid de mortuis illis, qui in morte Christi surrexisse narrantur?

3) En verba S. Matthaei: « Et monumenta aperta sunt; « et multa corpora sanctorum, quae dormierant, surrexerunt;

[1] Strauss, *Nova vita Iesu.* Introd. n. 25. — Iuxta versionem apud Billot.

[2] Op. cit., p. 400, sq.

« et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius vene-
« runt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis » [1]. Iam vero quum ex ultimis verbis constet, apparitiones nonnisi factas esse post resurrectionem, et repugnet corpora illa, postquam in morte Domini resurrexissent, in monumentis mansisse usque ad Domini resurrectionem, verba: « post « resurrectionem eius » dicenda sunt afficere etiam versum praecedentem, quatenus nonnisi post Christi resurrectionem corpora illa surrexerunt. Quod pro quaestione praesenti sufficit. Utrum autem resurrexerint modo perfecto an imperfecto, investigabimus potius in tractatu de Eschatologia.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter resurrectionem perfectam et imperfectam.

2. Obi. Supponit haec corpora surrexisse resurrectione perfecta ante resurrectionem Christi. Quod etiamsi demonstrari posset, remaneret adhuc quaestio quousque ad primitias requiratur praecedentia temporalis praeter praecedentiam iuris atque potestatis.

3. Obi. Non considerat, gratiam esse praeparatoriam ad gloriam.

Sed contra est. Conveniunt passim theologi et exegetae, nullum resurrectione perfecta surrexisse ante Christum; non autem conveniunt de modo interpretandi resurrectionem mortuorum de quibus narrat S. Matthaeus. Ipse S. Thomas alibi inclinat in sententiam, cui hic minus favet [2]. Confer de hoc argumento inter theologos Suarezium [3]; inter exegetas Knabenbauer [4].

In Corpore. Distincta resurrectione perfecta ab imperfecta, S. Thomas quaestionem solvit iuxta dicta n. 1.

Resp. ad 2m. Argumentatio S. Augustini ita breviter contrahi potest. Non est admissibile, inter hos Sanctos qui resurrexerunt in resurrectione Christi, non fuisse Davidem; atqui ex argumentatione S. Petri constat, in die Pentecostes corpus Davidis adhuc iacuisse in suo monumento. Ergo

[1] MATTH. XXVII, 52, sq.
[2] IV *Sent.* Dist. XLIII, Q. I, a. 3.
[3] In Quaest. LIII, a. 53.
[4] In Matth. XXVII.

ista resurrectio non fuit perfecta, sed imperfecta. - Non immerito quis de veritate huius minoris dubitaret. Pone enim corpus Davidis in elementa dissolutum remansisse in suo monumento usque ad resurrectionem Christi, neque tunc exiisse nisi modo occulto, quin id apud populum constaret, adhuc valeret vis argumenti S. Petri, et verba Prophetae non possent intelligi de proprio eius sepulchro dicta.

Quousque autem resurrectio imperfecta, si inserviat ad ministerium apostolatus, dici debeat " magis in tormentum », est pariter quaestio valde controvertibilis.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT CAUSA SUAE RESURRECTIONIS.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Si consulimus modum quo Scriptura de Christi resurrectione loquitur, duo constanter apparent. *a*) Resurrectio Christi ex una parte tribuitur Deo. Ita S. Petrus in prima sua concione loquitur de Iesu Nazareno. « Quem Deus suscitavit » [1]; et in templo ait: « Deus « Abraham et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus patrum no- « strorum glorificavit Filium suum Iesum... Auctorem vitae « interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis » [2]; et coram concilio: « In nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, « quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in « hoc iste astat coram vobis sanus » [3]. - Paulus idem praedicat: « Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis, ha- « bitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, « vivificabit et mortalia corpora vestra » [4]. Imo id Christus ipse professus est quando a Patre suo glorificationem suam impetravit: « Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius « tuus clarificet te » [5].

b) Ex alia parte Christus apparet suae ipsius glorificationis auctor: « Potestatem habeo ponendi eam (animam meam),

[1] Act. ii, 24.
[2] Act. iii, 13, 15.
[3] Act. iv, 10.
[4] Rom. viii, 11.
[5] Ioann. xvii, 1.

« et potestatem habeo iterum sumendi eam »: - [1] « Solvite « templum hoc, et intribus diebus excitabo illud » [2]. - « Ego « sum resurrectio et vita » [3].

2) Conciliantur haec duo, si in Christo distinguitur virtus divina et virtus humana. *a*) Si respicis virtutem humanam, quum nec anima Christi propria virtute humana potuerit rursus vivificare corpus, nec corpus in se revocare animam, resurrectio Christi tribuenda est virtuti divinae. - *b*) At quum ista virtus permanserit hypostatice unita tum animae tum corpori, et idem suppositum permanserit immutabiliter idem ac unicum, Christus suam ipse resurrectionem operatus est.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit conciliationem expositam n. 2.

2. Obi. Non distinguit in Christo orante hominem et Deum.

3. Obi. Arguit secundum nudam potentiam naturalem animae et corporis; et abstrahit a virtute divina iuxta quam non solum anima potest plus quam nudum corpus, sed et corpus plus quam nuda anima.

Sed contra est. Virtute propria Christum surrexisse, belle declarat Augustinus his verbis: « Cogitaverunt principes « sacerdotum ut et Lazarum interficerent. O stulta cogitatio, « o caeca saevitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit « mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis « necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud « vobis videtur mortuus, aliud occisus: ecce Dominus utrum- « que fecit, et Lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occi- « sum » [4].

In Corpore. Distincta in Christo duplici virtute, divina et humana, et posita unione hypostatica permanente in utraque parte ab altera seiuncta, S. Thomas quoad virtutem humanam negat in utraque parte, quoad virtutem autem divinam in utraque relate ad alteram partem concedit, Christum resuscitasse seipsum.

[1] Ioann. x, 18.
[2] Ioann. ii, 19.
[3] Ioann. xi, 25.
[4] *In Ioann.* tract. 50 in fine. — *P. L.* xxxv, 1764.

Corollarium I. - Quum verbum *resurgere* sit indolis neutrae, non exprimit per se, utrum qui resurgit, sit ipse causa resurrectionis necne. Quare si alii resurgunt resuscitati, Christus solus resurgit resuscitans. Habetur enim quoad modum resurgendi hoc idem discrimen inter Christum et alios, quod quoad modum in caelos assurgendi exprimitur per *Ascensionem* de Christo et *Assumptionem* de B. Virgine [1]. De qua Assumptione, quae utique in casu, si minus per se, resurrectionem involvit, breviter disseremus post expositam Quaestionem de Ascensione Domini.

Corollarium II. - Christus non est solum causa resurrectionis suae, sed et resurrectionis omnium aliorum hominum. In quantum enim Christus est Deus, causa est prima totius resurrectionis; in quantum autem est Deus-homo, est insuper nostrae resurrectionis causa efficiens, exemplaris et instrumentalis [2]. Sed de hoc argumento mox in Quaest. LVI.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Necessarium fuit resurgere Christum: *a*) ut iustitia Dei per humiliati exaltationem commendaretur, *b*) fides nostra de Christi divinitate confirmaretur, *c*) spes nostra elevaretur, conversio nostra vitato in mortem relapsu, stabilis redderetur ad imaginem Christi non amplius morituri, *d*) demum salus nostra complementum suum per provectionem ad summa bona acciperet (art. 1). - Porro resurgere eum decuit cito, ne de divinitate eius dubium prostare posset; non autem subito, ne de humanitate eius dubium inde oriretur. Sed simul complens ternarium numerum, symbolum sepulturae (de quo in Q. LI, a. 4), tertium statum resurgens inchoavit, statum gloriae, post statum sub figuris Legis, et sub veritate fidei (art. 3). - Intelligendo iam resurrectionem de vita recuperata ad immortalitatem et non ad vitam rursus amittendam, Christus surrexit primo, inde vocatus iure primitiae dormientium (art. 3). - Ita autem in resurrectione Christus

[1] Potest tamen et Christus dici assumptus, conferendo potentiam divinam ad potentiam humanam (Act. I, 22).

[2] Cf. *Supplem.* Q. LXXVI, a. 1.

redivivus factus est, ut secundum virtutem naturae eum oportuerit resuscitari a Deo; secundum autem virtutem unitae divinitatis, et corpus animam et anima corpus reassumpserint. Anima insuper instrumentaliter, capax agendi prae corpore, corpus sibi rursus univit [1] (art. 4).

CAPUT II.

DE QUALITATE CORPORIS RESURGENTIS.

QUAESTIO LIV.

Ordo Quaestionis. S. Th. primo quaerit de veritate et integritate corporis Christi, tum de eius statu glorioso, demum de cicatricibus vulnerum in corpore glorioso servatis.

Et hanc Quaestionem brevissime absolvere liceat, quum subtiliora quae hic moventur, redeant in tractatu de Novissimis, ubi dotes corporum gloriosorum data opera investigabuntur.

Duo autem praemonemus. *a*) Quaecumque sunt de essentia status gloriosi, in Christi corpore, imo perfectissime adsunt. *b*) Insuper in Christi corpore glorioso, ob divinitatem personaliter inhabitantem, virtus illa miraculosa, quae circa alia corpora gloriosa potest quidquid eorum insitam virtutem excedit, est in Christi corpore virtus semper praesens, cuius ipsum Christi corpus est instrumentum coniunctum.

His praemissis, ad quatuor articulos veluti per tot conclusiones accedamus.

ARTICULI I-IV.

UTRUM CHRISTI CORPUS RESURREXERIT
1) VERUM, 2) INTEGRUM, 3) GLORIOSUM, 4) CUM CICATRICIBUS.

I. **Concl.** (**Art. I**). - *Christi corpus surrexit verum.* Veritas quae hic intelligitur, est identitas corporis non aëre aut

[1] Cfr. Q. XIII, a. 3.

aliqua re huiusmodi conflati, sed veri, ita ut quod moriendo ceciderat, et sepultum iacuerat, idipsum rursus surrexerit in vitam. Hanc veritatem Christus ipse demonstravit, quum Apostolis de ea dubitantibus [1] dixerit: « Palpate et videte, etc. « quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis « habere » [2]. Quare Ecclesia in festo Resurrectionis exclamat cum Apostolis: « Surrexit Dominus vere, et apparuit Si- « moni » [3]; et Mariam alloquens canit: « Gaude et laetare, « Virgo Maria, alleluia! quia surrexit Dominus vere, alle- « luia! ».

Porro veritati huius resurrectionis non obest *a*) transitus per aliud corpus. Si enim per miraculum Deus id facere potest de corpore non glorioso, quanto magis de glorioso? Si autem, uti aliqui putant, Angelicus autem negat [4], haec proprietas sit consequens dotis subtilitatis, a fortiori nulla inde difficultas oriri potest [5].

b) Nec obest invisibilitas, quippe de qua valet eadem argumentatio. Imo magis pertinet ad corpus gloriosum facultas se reddendi invisibile, quam per alia corpora transeundi.

c) Quodsi Christus primo a discipulis in Emmaus pergentibus non est agnitus, ratio petenda est magis ab illis quam a corpore Christi. Dicit enim Scriptura: « Oculi eorum tene- « bantur, ne eum agnoscerent » [6].

Huc facit condemnatio haereseos Origenistarum circa conditionem corporum resurgentium: « Si quis dixerit, Christi « corpus post resurrectionem fuisse aetherium et figura « sphaerica: et quod talia etiam reliquorum post resurrec- « tionem futura sunt corpora: A. S. » [7].

Huc quoque spectant verba fidei ab Innocentio III Waldensibus praescriptae: « Resurrexit vera carnis suae resurrectione » [8].

[1] Luc. xxiv, 57. Providam fuisse hanc Apostolorum haesitationem, manifestum est. Exinde enim Christus manifestius veritatem sui corporis declaravit.

[2] Ibid. 39.

[3] Ibid. 34.

[4] Lege subtilem argumentationem S. Th. *Suppl.* lxxxiii, art. 2.

[5] Huiusmodi miracula Christus anticipavit nascendo de Matre intacta. Cf. dicta ibidem.

[6] Luc. xxiv, 16. — Cf. addenda Q. lv, art. 4.

[7] Can. 10, Conc. v. (Denzinger, n. 196).

[8] Ibid. n. 368.

II. **Concl.** (**Art. II**). - *Christi corpus resurrexit integrum.* Haec conclusio fluit ex consideratione praemissa. Quomodo idem corpus vere surrexisset, nisi integrum? Quare quaecumque ad integritatem corporis pertinent, in Christi corpore glorioso admittenda sunt. Haec omnia ipse Christus comprehendit dicens: « Palpate et videte, quia spiritus car- « nem et ossa non habet » [1]. Caro hic dicit carnem cum sanguine aliisque humoribus, qui viventem carnem humanam constituunt [2]. Ossa dicunt totam structuram solidam corporis cum nervis iuxta varia membra quae caro circumvestit.

Et sane, si iam nullius hominis capillus inscio et improvido Deo perit; quantam non debuit Deus adhibere curam ad integritatem huius sacratissimi corporis gloriose restituendam. Inde bene dicuntur Angeli summa reverentia Sanguinem pretiosissimum passionis tempore effusum resurrectionique destinatum, carniumque partes sive capillos flagellis manibusve carnificum dire avulsa, collegisse.

Quid inde censendum sit de reliquiis pretiosissimi Sanguinis, quae in variis locis asservantur, alibi diximus [3].

III. **Concl.** (**Art. III**). - *Christi corpus resurrexit gloriosum.* Ut veritas huius conclusionis magis eluceat, oportet nonnulla monere quae ad naturam gloriosorum corporum pertinent. Status gloriosus non est per se consequens ipsius resurrectionis, sed effectus redundantiae animae gloriosae in corpus. Quare corpus per se manet quidem elementis compositum, colore distinctum, palpabile tactu, vita organica praeditum. At ob redundantiam gloriae hoc compositum et hoc palpabile nullam corruptionem involvunt; imo hoc coloratum potest a luce nimia veluti in ipsam lucem nullo amplius colore distinctam transire. Vides proin, ex hoc quod Christi corpus cum colore visum fuerit - id sane resultat ex narrationibus evangelicis, - quod palpandum se praebuerit, quod vere comederit, nihil contra gloriosum corpus probari; demonstrari autem exinde eiusdem corporis veritatem et vitam humanam.

[1] Loc. cit.

[2] De hoc argumento fusius in Eschatologia.

[3] T. IV, 816, sq.

Porro Christi corpus surrexisse gloriosum, est manifestum nimis. Etenim *a*) quaenam unquam anima potentius in corpus redundavit? *b*) quisnam unquam homo maiori merito hanc clarificationem impetravit? - Hoc de Christo sibi. Adde iam *c*) Christi resurrectionem esse causam resurrectionis nostrae. Quum ergo resurrectio nostra futura sit gloriosa, a fortiori talis esse debuit resurrectio Christi. - Hanc gloriam corporis Christi redivivi praefigurabat Transfiguratio in monte; demonstrat autem modus quo discipulis pluries apparuit, ac demum in caelum assumptus est.

Huc facit professio fidei a Leone IX Petro episcopo proposita: « Firmiter credo... Filium Dei... resurrexisse a mortuis « tertia die vera carnis resurrectione: propter quam confir- « mandam cum discipulis, non indigentia cibi, sed sola volun- « tate et potentia comedisse » [1].

Ex dictis discrimen apparet inter modum quo Christus post resurrectionem cum Apostolis et quo angelus Raphael in itinere comedit. Uterque quidem non ex indigentia; at Christus vere comedit, more humano, in corpore sibi vitaliter coniuncto; Angelus autem nonnisi apparenter, utpote in forma corporea non sua [2].

IV. **Concl.** (**Art.** IV) *Christi corpus surrexit cum cicatricibus.*

1) Si absolute resurrectionem gloriosam perpendis, absentia cicatricis ad integritatem incorruptibilis corporis pertinere videtur. At si in istis cicatricibus adsit quaedam gloria specialis in pulchritudinem non minus redundans quam in meritum; potest permanentia huiusmodi vulnerum non solum cum statu glorioso componi, sed et huius status gloriam augere.

2) Hic autem factum praemittendum est. Fide utique est tenendum, Christum inter resurrectionem et ascensionem cicatrices saltem in manibus, pedibus et latere servasse. Dicit enim Apostolis: « Videte, etc. » et addit Lucas: « Et cum « hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes » [3]. Quare, quaeso,

[1] DENZINGER (op. cit., n. 293).

[2] Inde Angelus dixit: « Videbar quidem vobiscum manducare et bibere: sed « ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor » (TOB. XII, 19).

[3] LUC. XXIV, 25.

nisi quia haec membra cicatrices clavorum servantia, non poterant esse nisi manus et pedes Iesu crucifixi?[1] Inde, audita hac narratione, Thomas dixit: « Nisi videro in manibus eius « fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum cla- « vorum, et mittam manum meam in latus eius, non cre- « dam »[2]. Cui post octo dies Iesus dixit: « Infer digitum « tuum huc, et vide manus meas et affer manum tuum et « mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis »[3]. Ergo non solum factum constat; sed ex modo quo narratur, iam immediata ratio facti apparet.

3) Hic autem distinguendae sunt rationes temporaneae, et rationes aeternae. *a*) Rationes temporaneae respiciunt aliae stadium huius vitae, aliae finem temporis. α) Per stadium huius vitae ad fidem nostram roborandam bonum fuit ut Christus cicatrices servaret. Dubium autem Thomae est dubium cuiusvis aetatis. Inde Christus dixit: « Quia vidisti me, Thoma, « credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt »[3]. - β) In fine temporum, Christus ultimum iudicium consummans, impios per ipsas suas cicatrices veluti per tot fidei et amoris argumenta confundet, iuxta illud Psalmistae: « Sagittae tuae « acutae, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis »[4]. - γ) Inter utrumque, scilicet inter stadium vitae et finem temporum, sese movet ratio Mediatoris, quatenus Christus de caelo per ipsa sua vulnera, quae Patri iugiter exhibet, tum iracundiam peccatis provocatam declinat, tum uberiores gratiarum effusiones impetrat.

b) Rationes autem aeternae respiciunt Deum, Christum et Sanctos. α) In Deum redundabunt in aeternum cicatrices Filii Dei, veluti gloriosa synthesis totius operis Incarnationis et Redemptionis. - β) Christi triumphum adaugebunt, tanquam argumenta victoriosi duelli, atque meritorum pretii infiniti - γ) Demum in aeternum exhibebunt Sanctis omnibus amorem illum ineffabilem, quo redempti sunt, Angelisque ipsis pretium, quo caelestis civitas, lapsu daemonum veluti sauciata, pulchrior est instaurata.

[1] Ioann. xx, 25.
[2] Ibid. 27.
[3] Ibid. 29.
[4] Ps. xliv, 6.

Ratio *b*) β) non solum de Christo valet, sed et de aliis martyribus. Unde sat probabile est aureolam martyribus reservatam etiam aliquid addituram splendori eorumdem corporum, utpote gloriosis cicatricibus distinctorum [1].

Porro Christi corpus gloriosum surrexisse in aeternum, Concil. V definivit contra Origenistas. « Si quis dixerit... quod « ipso Domino primum deponente proprium suum corpus, et « omnibus similiter, abibit in nihilum natura corporum: A.S. » [2].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Nisi Christi redivivi corpus fuerit verum ac eiusdem prorsus humanae naturae, Christus non vere resurrexisse dici potest (art. 1). - Proinde negare integritatem corporis Christi secundum carnes, sanguinem et ossa, est vel negare resurrectionem in proprio vero corpore eiusdem naturae, vel Christo corpus caelestiale non terrenum tribuere (art. 2). - Porro corpus Christi resurrexit gloriosum *a*) propter rationem exemplarem qua eius resurrectio est nostrae resurrectionis prototypus, *b*) propter rationem meriti, demum *c*) propter unionem hypostaticam et gloriam animae, quae, completa passione, nullo iam obstaculo impediri poterant, quin in corpus redundarent (art. 3). - Cicatrices nihilominus in glorioso corpore Christus servare voluit, *a*) ad augendam sibi gloriam triumphi, *b*) ad confirmandam discipulorum fidem, *c*) ad interpellandum eloquentius pro nobis apud Patrem, *d*) ad convincendos damnatos de iusto iudicio sibi illato ab Illo, quem confixerunt et respuerunt (art. 4).

[1] Parum convincit ratio a S. Gregorio M. in resp. ad 3.m allata. Cicatrices enim in glorioso corpore Christus ascendens in caelum tollere potuisset, quin ideo in mortem redire debuisset. Imo nisi aliae adessent rationes praeter confirmandam fidem, forsan Christus in caelum ascendens, eas abstulisset.

[2] DENZINGER, n. 196.

CAPUT III.

DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS.

QUAESTIO LV.

Ordo Quaestionis. S. Th. quaerit 1) de *extensione* huius manifestationis (1); tum 2) de *modo a*) quoad *tempus, b*) quoad *conversationem, c*) quoad *apparentiam* (2, 3, 4); demum 3) de *argumentis* quibus resurrectionem suam reddidit manifestam (5, 6).

ARTICULUS I.

UTRUM RESURRECTIO DEBUERIT OMNIBUS MANIFESTARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Ad solutionem pleniorem huius quaesiti sedulo est distinguendum tum in voce « omnibus », tum in voce « manifestatio ».

1) « Omnibus » potest fieri manifestatio vel *a*) re, vel *b*) destinatione.

a) *Re* manifestationem Christi non debuisse fieri omnibus, ex hoc solo patet, quod destinabatur omnino omnibus hominibus. Resurrectio enim Christi, etiam uti factum historicum, non minus pertinet ad saeculum nostrum, quam ad tempus quo contigit; et hoc tempore non minus pertinebat ad Romam quam ad Ierusalem. Quare si debuisset se Christus manifestare omnibus Iudaeis tunc in sancta Civitate degentibus, id facere debuisset hoc tempore pro omnibus partibus orbis, et iugiter id pro singulis generationibus sibi succedentibus praestare deberet.

b) *Destinatione* autem debuit se manifestare omnibus ob ipsam voluntatem salvificam universalem, et ob salutem post lapsum nonnisi in nomine Iesu obtinendam.

2) At hic inducenda est distinctio in ipsa manifestatione,

et quidem sub duplici respectu. *a*) Sub respectu *medietatis* α) alia est manifestatio immediata, β) alia mediata. α) Prima est sors eorum, quibus Christus post resurrectionem suam in persona apparuit, quales fuerunt praeter Apostolos, Maria Magdalena, discipuli pergentes in Emmaus, pluresque qui Dominum in Galilaea conspexerunt. β) Mediata manifestatio est ipsa praedicatio fidei de resurrectione, iuxta effatum: « Fides ex auditu ». Quam manifestationem iuvante lumine Spiritus Sancti, S. Petrus in die Pentecostes solemni oratione inauguravit.

b) Sub respectu *officii* manifestatio est α) alia indolis potius occultae, β) alia iuris publici γ) alia veluti media. α) *Occultae* indolis fuit sane prima omnium Beatissimae Virgini facta; quae imo tam intima fuit, ut Scripturae de ea ne verbum quidem habeant. - β) *Publici* iuris e contra fuit manifestatio facta Apostolis, utpote quibus officium commissum erat eundi et docendi omnes gentes. - γ) Indolis *mediae* est manifestatio mulieribus facta cum munere Apostolos monendi, at non cum officio publice praedicandi.

4) Quod si quaeras, cur tantum spatium relictum sit magisterio, et cur tam pauci fuerint illi, quibus Christus se redivivum monstraverit, responderi potest paucis. *a*) Quo magis doctrina exsuperat ordinem et vires naturae, eo magis oportet ut per magisterium fide perceptum communicetur. *b*) Inde parcus numerus est α) ex una parte in meritum eorum, qui docilem mentem praebent nuntio divino, iuxta sententiam Domini: « Beati qui non viderunt, et crediderunt »; β) ex altera parte in punitionem eorum, quorum cor mentem depravavit, iuxta alteram sententiam: « Animalis homo « non percipit ea quae sunt spiritus Dei ».

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat principium expositum in 4) *a*).

2. Obi. Non distinguit inter manifestationem mediatam et immediatam. Cf. 3) *a*); necnon 2).

3. Obi. Negligit distinctiones factas n. 3) *b*).

Sed contra est. Adverte hanc praeordinationem alibi extendi quoque ad illos, qui manifestationem mediatam per verbum praedicationis sibi factam fructuose excipiunt.

In Corpore. S. Thomas solvit argumentum iuxta distinctionem n. 4 evolutam.

Resp. ad 3m. Adverte, distinguendum esse inter apparitionem factam soli Mariae Magdalenae, et aliis mulieribus. Utrum altera posterior praecesserit apparitionem Christi ad Petrum, non omnino constat. Sed a discutiendo hoc ordine apparitionum Christi brevitatis causa abstinemus.

ARTICULUS II.

UTRUM FUISSET CONVENIENS QUOD DISCIPULI VIDERENT CHRISTUM RESURGERE.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Hucusque de immediata manifestatione, quam paucioribus reservari decebat. Iam de visione ipsius resurrectionis. Nonne haec quoque debuit aliquibus patere; ut ab his testibus ocularibus tota praedicatio sumeret exordium? Factum statuamus, ac dein rationem facti inquiramus.

2) *Factum* ex Scripturis constat. Etenim, si Maria Magdalena, cui primae Christus redivivus apparuisse narratur, revolutum vidit lapidem, Angelosque praecones mysterii iam completi; nullus eorum quibus se monstrasse Christus in Evangelio exhibetur, ipsius resurrectionis testis exstitit.

Quid autem si quis teneret, B. Virginem, utpote Christi Matrem Angelorumque Reginam, miraculose advectam fuisse, ut Filium e tumulo surgentem conspiceret, primasque ei laudes exsultans decantaret, dum angelicus chorus, Filio simul et Matri congaudens, intonabat Paschalis iubili carmen: « Regina caeli, laetare? ».

3) *Ratio* iam facti quaerenda est. Absconditum provide fuit resurrectionis mysterium, si *a*) ex una parte gravia motiva ita suadebant, et *b*) ex altera parte nullum detrimentum inde obveniebat.

a) Iam vero α) quo celsiora sunt gratiae dona, eo decentius eorum ipsa maiestas mysterio obtegitur, iuxta illud Angeli ad Tobiae familiam: « Sacramentum Regis abscondere, « bonum est » [1]. Hinc possunt mysterio resurrectionis domini-

[1] Tob. xii, 7.

cae haec Liturgiae verba applicari: « Dum medium silen-
« tium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter
« haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de caelis a rega-
« libus sedibus venit » [1].

β) Nec Apostolis istud mysterium sine magno bono absconditum fuit. Etenim quum totum praedicationis opus innitatur fidei, exercenda quoque Evangelii praeconibus fides fuit. Viderunt utique Magistrum redivivum; credendum tamen erat, eum gloriosum e sepulchro surrexisse. Inde initialis eorum haesitatio, imo tanta quam Christus improperare debuerit.

b) Nec inde sequitur testimonium eorum carere illa virtute, quae rationabile fidei obsequium exigat. Secus nonnisi Christus solus, Homo-Deus, aut visionis divinae comprehensor dignus esset praeco credendae veritatis, cui audientes parere tenerentur.

4) At forsan ex ascensione Domini obiicies, quatenus ob correlationem decuerit, ut resurrectio non minus quam ascensio cerneretur. - Concedo quidem inter utrumque mysterium correlationem dari; non autem talem, quae paritatem sibi vindicet. Et sane, *a*) uti optime advertit S. Thomas, in resurrectione tum terminus *a quo*, tum terminus *ad quem* excedunt omnino ordinem naturae; dum in ascensione ista disproportio non tantopere valet de termino *a quo*. - *b*) Ascensio habebat ex ipsa sua indole ut cerneretur tanquam argumentum ultimae apparitionis Christi non amplius cum suis visibiliter conversaturi. Unde apparitiones sequentes confirmabant resurrectionem; nulla autem futura erat apparitio Christi ad suam ascensionem declarandam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 3) *b*).

2. Obi. Non attendit 4) *a*).

3. Obi. Confundit resurrectionem imperfectam Lazari cum resurrectione perfecta Christi.

Sed contra est. Forte ad absconditam gloriam suae resurrectionis Christus alludebat orans Patrem: « Clarifica me tu,
« Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui prius quam
« mundus esset, apud te » [2]. - Praeconium Cerei Paschalis

[1] Intr. Octav. Nat. Dom. — Cf. SAP. XVIII, 14, 15.

[2] IOANN. XVII.

eloquenter celebrat secretum horae qua Christus triumphator mortis vincula rupit. « O vere beata nox, quae sola me- « ruit scire tempus et horam in qua Christus ab inferis « resurrexit » !

In Corpore. S. Thomas eleganter arguit ex elevatione mysterii, et ex convenientia proportionis ut per ministerium angelicum hominibus manifestaretur. Ex quo sane crescit analogia inter Christi nativitatem in mundum et ad gloriam; ac proin facilius intelligitur quomodo S. Paulus ad resurrectionem Christi applicare potuerit dictum illud aeternum simul et propheticum: « Filius meus es tu, ego hodie genui te » [1].

ARTICULI III ET IV.

UTRUM CONVENIENTER CHRISTUS APPARUERIT 1) NON CONTINUO, 2) SEMEL IN ALIENA EFFIGIE.

Argumentum utriusque articuli de convenientia modi quo Christus apparuit, brevibus hisce conclusionibus comprehendere liceat; quarum ultima tantum ad articulum quartum pertinet.

I. **Concl.** - *Conveniens fuit, Christum nonnisi interdum cum discipulis suis post resurrectionem conversari.* Haec conclusio patet directe et indirecte. *a*) *Directe* quia, ut optime animadvertit S. Thomas, modus conversandi Christi cum discipulis duplicem scopum habuit demonstrandi eis simul α) veritatem suae resurrectionis, et β) conditionem alterius gloriae. Propter α) decebat eum sat frequenter et sat intime cum eis conversari, ut de sua identitate eos omnino redderet certiores. Propter β) cum aliqua parcimonia et servatis quibusdam intervallis cum eis eum agere decebat.

b) *Indirecte* idem probatur. Etenim, - et haec consideratio quoad alias conclusiones pariter valet, - si Dei opera semper sunt ordinata, quid, quaeso, maiori decentia et harmonia Deus disposuisse dicendus est, quam modum quo Christus redivivus sese manifestando fundamentum Ecclesiae suae ipse posuit ac solidavit?

[1] Ps. II, 7; — Act. XIII, 33. Lege hanc orationem a S. Paulo Antiochiae Pisidiae habitam.

II. **Concl.** - *Decuit Christum frequentius apparere in ipso resurrectionis die.* - Solemnitas solemnitatum inaugurabat ordinem novum, diem novum post saecula noctis. Unde in ea canit Ecclesia: « Haec dies quam fecit Dominus ». Sicut ergo in transitu a tenebris ad lucem rutilantia quaedam specialis oriente sole naturam inundat, ita per totum hunc diem, ab aurora ad occasum, pluries Christus apparuit, quatenus sub tanti splendoris vespere iam nullus esset amicorum Iesu in sancta civitate tunc degentium, qui magnum factum ignoraret.

Porro in his apparitionibus adverte aliquam veluti gradationem: ab apparitione ad Mariam Magdalene usque ad apparitionem ad discipulos Emmaus, diuturnam per viam, luminosam per colloquium, exstaticam in fractione panis; - ab apparitione ad Simonem usque ad apparitionem in coenaculo ubi omnes, excepto Thoma, erant congregati.

Quod si die octavo sequenti Christus ibidem, Thoma praesente, apparuit, signum est, Apostolos per hosce dies Ierusalem permansisse, ac interim nullam ad omnes Apostolos apparitionem factam esse, quin tamen inde quaevis peculiaris apparitio excludatur. Non enim omnia sane in Evangeliis narrata sunt.

Ipsam autem absentiam Thomae non caruit provido mysterio; ut scilicet *a*) ostenderetur periculum pro homine religioso, ut, maxime in adiunctis quae animum deprimunt, se a sociis suis seiungat; *b*) dubium S. Thomae fidem nostram firmaret; *c*) exclamatio Apostoli fieret splendidum argumentum divinitatis Christi; *d*) beatitudo exaltaretur eorum, qui firmiter credunt in Christum, quem tamen numquam viderunt.

III. **Concl.** - *Decuit Christum familiarius apparere in Galilaea.* - Rationes autem huius oeconomiae plures fuisse videntur. 1) Movit ad hoc Christum ratio prudentiae. Sciebat enim odium quo Iudaei, nedum morte placati, triumpho ipsius fierent crudeliores; quare a praecoci procella suos opusque suum praeservare voluit.

2) Nec abfuit ratio familiaris consortii, quatenus ubi maiori intimitate cum suis discipulis ab exordiis sui ministerii erat

conversatus, ibidem iucundius cum eisdem colloqueretur de salute universo orbi proxime manifestanda.

3) Imo et ratio compensandi honoris amorisque patrii ad hoc Christum impulisse videtur, ut apud quos concives propheta vix agnitus fuerat mortalis, iam « devicto mortis « aculeo » maiori gratia ac fide gauderet.

IV. **Concl.** - *Convenientissime Christus ita apparuit discipulis in Emmaus pergentibus, ut ab eis veluti in aliena effigie non agnosceretur.*

Ad hanc conclusionem fulciendam sufficit mirabilis narratio S. Lucae, qua vix aliquid pulchrius reperiri potest. Unde etiamsi nullatenus dicere possemus, qua ratione factum sit ut discipuli Iesum non agnoverint, haec difficultas quoad modum non deberet minuere admirationem quoad ipsam rem.

Porro, quod iam superius monui, verba: « oculi eorum « tenebantur ne eum agnoscerent » [1] demonstrant, phaenomenum potius quaerendum esse a parte discipulorum quam a parte Iesu, quatenus interna eorum dispositio fuit ratio, ob quam corporeus sensus defecerit. Non ideo tamen in ipso Christo nihil adesse potuit, quo eorum inadvertentia nutriretur. Quantopere enim vestitus, gestus, vox, expressio vultus ad hoc contribuere possint, ut illi, quorum mens est a praesentiae suspicione valde aliena, veluti impediantur quin praesentem agnoscant, nemo est qui ignoret, nec raro experientia probavit. Adde tenebras vespertinas huiusmodi scenis apprime propitias.

Et haec de hoc argumento satis. Minutiora ad exegeticam criticam spectant.

ARTICULI V ET VI.

UTRUM CHRISTUS RESURRECTIONIS SUAE VERITATEM ARGUMENTIS 1) OSTENDERE DEBUERIT, 2) SUFFICIENTER OSTENDERIT.

Liceat gemina conclusione hunc utrumque articulum comprehendere; breviter rursus, quia de hoc argumento

[1] Luc. xxiv, 16.

sermo redibit fusior tum in analysi fidei, tum in tractatu de vera Religione.

I. **Concl.** (**Art. V.**) *Christus debuit veritatem suae resurrectionis demonstrare argumentis non quidem intrinsecis demonstrativis, sed extrinsecis credibilitatis.*

Tria praemittenda sunt, veluti aliunde nota, ut huius conclusionis tota vis percipiatur. 1) Assensus fidei, utpote ordinis supernaturalis, demonstrationem ex rationibus intrinsecis non solum non exigit, sed, ut talis, excludit. - 2) Licet fides sit assensus ordinis supernaturalis, nihilominus fundatur in ratione, quatenus, iuxta pulchram S. Augustini sententiam, credere non possemus, nisi animas rationales haberemus; unde S. Paulus obsequium fidei, quod authentica praedicatio iure exigit, vocat rationabile. Rationabile autem est inde, quod menti credentis cum fundamento legitimo constat, quae credit esse a Deo revelata. - 3) Haec duo conciliantur distinguendo duo genera argumentorum. *a*) Alia sunt intrinseca demonstrativa, et haec in assensu fidei dari nequeunt propter indolem supernaturalem huius assensus (n. 1). *b*) Alia sunt extrinseca credibilitatis, et haec exiguntur propter indolem rationalem eiusdem assensus (n. 2).

Haec autem argumenta extrinseca qualia fides supponit, petuntur alia ex auctoritate Scripturarum, sive ipsius Dei loquentis; alia ex signis quibus Deus suum sermonem aut facta credenda illustrat. Quae signa possunt exigi pauciora vel plura, minora aut maiora, iuxta indolem veritatis manifestandae, et dispositionem eorum quibus manifestatur.

Quum igitur Christi resurrectio esset veritas fide supernaturali credenda, non debuit quidem, imo non potuit illustrari argumentis intrinsecis; nam haec si desumpta fuissent ex principiis ignotis, nihil iuvissent, et si ex principiis cognitis, fidem parere non potuissent.

Conclude ex dictis *a*) argumenta extrinseca sive auctoritatis sive signorum non tollere meritum fidei, quum sine eis fides fundamento careat; *b*) posse autem meritum fidei minuere, si ultra debitum exigantur; *c*) imo fidem impedire, si neque tunc mens certitudinem fidei accipiat.

Ad Textum. - En argumentum *Corporis* schemate contractum:

- Christus veritatem suae resurrectionis
  - I) probavit:
    - 1) non ex rationibus intrinsecis:
      - *a*) principia ignota nihil iuvissent;
      - *b*) principia nota fidem parere non potuissent;
    - 2) sed ex auctoritate Scripturarum;
  - II) ostendit:
    - 1) signis evidentibus:
      - *a*) factum illustrantibus,
      - *b*) non autem totaliter;
    - 2) et quidem multis:
      - *a*) tum ob discipulorum tarditatem;
      - *b*) tum ob maiorem efficaciam praedicationis.

II. **Concl.** (**Art. VI**) *Christus veritatem suae resurrectionis sufficientibus argumentis ostendit.*

Sufficientia argumenta ad demonstrandam aliquam veritatem dicenda sunt quae 1) sibi non contradicunt, et 2) obiectum determinatum ita circumscribunt, ut sat complete et nonnisi ipsum ostendant.

1) Porro de contradictione duo sunt sedulo monenda. *a*) Alia contradictio vera, alia apparens. Vera contradictio non est, si, dum plures aliquod factum narrant, unum alius, aliud alius exponit, non omnes totum. Neque vera est, si id idem quod narrant, non tamen exhauriunt, ita ut invicem collati non pugnent, sed sese compleant. In casu ergo diversus modus quo Evangelistae Angelum vel Angelos in sepulchro Domini apparuisse narrant, re penitius inspecta, et considerata monumenti structura, non est talis, qui veram contradictionem involvat.

b) Alia contradictio inter varia phaenomena, quae tamen in subiecto eodem conveniunt. Ita in casu, praesens status corporum et status gloriae contradictionem involvunt in sensu composito, ut, v. gr., corpus cum palpatur sit subtile; non autem in sensu diviso, quatenus idem corpus verum et gloriosum potest se manifestare, non quidem simul quoad eamdem qualitatem: sed successive in utroque statu. Dico, quoad eamdem qualitatem; nam quoad qualitatem diversam haec repugnantia saltem directa non apparet. Ex quo vides contradictionem, non simultaneam sed successivam, posse

contribuere ad obiectum perfectius, id est, sub diversis respectibus maxime oppositis manifestandum.

2) Ad determinatam autem circumscriptionem obiecti manifestati non oportet, ut omnis manifestatio per se totum obiectum comprehendat, sed *ut a*) modus quo fit, et *b*) omnes manifestationes simul non nisi huic determinato obiecto convenire possint. *a*) Ratione modi, manifestatio angelica v. gr., Tobiae facta, licet in quibusdam conveniat cum apparitione Christi redivivi, non impedit quominus haec altera Christum vere determinet: Raphaël enim dixit se esse Angelum; Christus, se esse Christum. - *b*) Ratione manifestionis completae, omnes quidem manifestiones Christi ob modum quo fiebant, iure sibi vindicabant fidem; nihilominus ex earum veluti synthesi maior apparet tum certitudo in re revelata, tum sapientia in revelante.

3) Imo haec divina sapientia potest elucere etiam in manifestationis limite, si hic limes cedit in ipsius manifestationis profectum. Ita S. Thomas ingeniose illustrat, cur Christus claritatem sui corporis anticipative demonstraverit in Transfiguratione, et post resurrectionem occultaverit.

Ad Textum. - En hoc egregium argumentum schemate contractum:

- Veritatis suae resurrectionis Christus sufficienter praebuit
  - I) *testimonia:*
    - 1) Angelorum,
    - 2) Scripturarum;
  - II) *argumenta:*
    - 1) resurrectionis *verae:*
      - *a*) a parte *corporis:*
        - α) veri (« palpate »);
        - β) humani (in vera effigie);
        - γ) eiusdem (cum cicatricibus);
      - *b*) a parte *animae* viventis:
        - α) vita nutritiva (manducando);
        - β) sensitiva (conversando);
        - γ) intellectiva (disserendo);
      - *c*) a parte *virtutis divinae:*
        - α) per capturam piscium,
        - β) per ascensionem.
    - 2) *gloriosae:*
      - *a*) ingrediendo ianuis clausis,
      - *b*) subitanee evanescendo.

Brevissima Quaestionis Synopsis.

Quum Christi resurrectio sit factum ad munera gratiae spectans, conveniens fuit illud ad quosdam a Deo electos manifestari, per quos omnes in eius notitiam devenirent (art. 1). - Ipsam autem resurrectionem ordo divinitus institutus postulabat solummodo ab Angelis videri, a quibus, uti a legatis, hominibus nuntiaretur (art. 2). - Iam vero post resurrectionem suam Christus debuit aliquoties et quidem familiariter cum discipulis conversari, ut veritas eius resurrectionis sine dubio patesceret; non autem continuo cum ipsis agere, ne crederent, eum in eumdem statum resurrexisse et non in statum gloriae (art. 3). - Insuper ad se accomodandum mentibus eorum quibus apparebat, poterat, quin veritati proprii corporis aliquid detraheret, apparere in aliena specie se occultante, usquedum mentes ad eum agnoscendum aptae redderentur (art. 4). - Porro decuit Christum discipulis de veritate suae resurrectionis praebere argumenta non simplicis rationis, sed fidei seu auctoritatis, et signa externa in evidentiam facti conducentia; quae signa eis praebuit tum ad medendum dubietati eorum mentium, tum ad eorum testimonium de ipsa re corroborandum (art. 5). - Porro utriusque generis argumenta sufficienter eis praebuit: *a*) auctoritatis quidem seu fidei, per testimonium Angelorum et Scripturarum; *b*) signorum quidem, ostendendo eis tum α) corpus verum, humanum, idem; tum β) animam corpori unitam, per operationes triplicis vitae nutritivae, sensitivae, intellectivae; tum demum γ) proprietates vitae gloriosae (art. 6).

CAPUT IV.

DE RESURRECTIONIS CHRISTI CAUSALITATE.

QUAESTIO LVI.

Ordo Quaestionis. - S. Th. causalitatem resurrectionis Christi considerat 1) quoad resurrectionem *corporum*, 2) quoad resurrectionem *animarum*.

ARTICULUS I.

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI SIT CAUSA RESURRECTIONIS CORPORUM.

I **De ipsa Quaestione.** - 1) Ut manifestum reddatur, quo sensu resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum, oportet determinare *a*) modum, quo haec resurrectio hic sumitur, *b*) causalitatis respectus, qui hic considerantur.

2) Resurrectio corporis Christi, si consideratur unice illud corpus singulare quod ad vitam revocatur, non habet unde resurrectionis omnium corporum praedicetur causa. Sed ecce hanc formalitatem induit, si considero nexum huius corporis *a*) ex una parte cum virtute divina per quam resurrexit, et *b*) ex altera parte cum tota familia humana.

a) Virtus divina non modo qualicumque operata est resurrectionem corporis Christi, sed per modum intimae compenetrationis et coniunctionis, quatenus Verbum non alienum, sed suum proprium corpus ad vitam revocavit. - *b*) Homo autem Iesus, qui per hanc resurrectionem vitam suam humanam recuperavit, est novus Adamus, inter quem et omnes homines idem nexus existit ad vitam, qui inter primum Adamum et genus ab eo oriundum existit ad mortem. Ex utraque consideratione iam apparet, resurrectionem corporis

Christi non amplius esse factum dumtaxat extrinsecum, particulare, sed Deo intrinsecum, universale. Est enim resurrectio perfecti mediatoris inter Deum et hominem, utpote Hominis-Dei.

3) Ex his iam patet qualis causalitas resurrectioni corporis Christi tribuenda sit. *a*) Non est primaria principalis, sed secundaria instrumentalis; - *b*) neque est instrumentalis absolute necessaria, sed hypothetice. - *c*) Est tamen simul efficiens et exemplaris. α) Efficiens ea efficientia quae competit causae instrumentali; β) exemplaris, non ad quam agens respicere debeat, sed ad cuius imaginem, utpote in hoc ordine primam et perfectissimam, aliae omnes conformantur.

d) Imo potest et meritoria causa dici, non quidem directe, quia Christus per mortem clausit sibi meriti stadium; sed indirecte, quatenus per passionem Christus non solum meritus est sibi ut resurgeret, sed et ut resurrectio eius fieret causa resurrectionis nostrae.

4) Vides proin, quid intersit inter causalitatem mortis et resurrectionis Christi relate ad nostram resurrectionem. *a*) Mors Christi est resurrectionis nostrae causa directe meritoria, et efficiens, non autem exemplaris. - *b*) Resurrectio autem Christi est causa simul efficiens et exemplaris; at nonnisi indirecte meritoria.

5) Rursus vides, quid intersit inter causalitatem resurrectionis Christi quoad bonos et quoad malos. *a*) Nihil interest, si respicis causam efficientem, nisi quatenus resurrectio bonorum, utpote habens plus de ente, ob maiorem perfectionem, - est enim gloriosa, - ita et plus recipit a causa efficiente.

b) Interest tamen, si respicis causam exemplarem: haec enim non extenditur ad malos, nisi per oppositionem.

c) Pariter quoad causam meritoriam indirectam non differt quidem in radice, salus enim in radice omnibus hominibus destinatur, unde Christus pro omnibus mortuus est; sed differt quoad fructum seu applicationem, licet ipsa malorum resurrectio, utpote redundans in gloriam Dei, derivet etiam a meritis Christi.

II. **Ad Textum.** - Comprehende totius huius articuli se-

quenti doctrinam schemate, quo inspecto, iam apparebit quomodo singulae obiectiones deficiant.

- Resurrectio Christi, (utpote prima in genere), est causa resurrectionis corporum:
  - 1) *non meritoria* (nisi indirecte)
    - *a*) Christus non meretur nisi ut viator,
    - *b*) resurgens non est iam nisi comprehensor;
  - 2) sed *efficiens* (pro omnibus)
    - *a*) non primaria principalis: Deus solus,
    - *b*) sed secundaria instrumentalis:
      - α) ratione unitae virtutis divinitatis,
      - β) ratione oeconomiae potestatis iudiciariae.
  - 3) et *exemplaris* (pro iustis tantum)
    - *a*) est prima tempore, dignitate et perfectione;
    - *b*) proin exemplar:
      - a) non quo indigeat exemplans,
      - β) sed exemplatum.

Adverte, principium: « quod est primum in aliquo genere, « est causa omnium quae sunt post », non valere nisi ubi nexus existit vel intentionis vel efficientiae ac derivationis. Qui nexus proin facit rem non esse qualitercumque, felici veluti casu primam, sed ob intimam rationem, ob quam alia ad idem genus, sed dependenter a primo, pertinent.

Correlationem inter efficaciam resurrectionis Christi et potestatem iudiciariam Christo commissam evolvemus in ultima Quaestione huius tractatus. Nexus autem ille exprimitur per verba Domini: « Sicut enim Pater suscitat mor- « tuos et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat. Neque « enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit « Filio » [1].

ARTICULUS II.

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI SIT CAUSA RESURRECTIONIS ANIMARUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Primo intuitu videretur neganda relatio causalis inter resurrectionem Christi et resurrectionem animarum, quia videtur deesse proportio inter corpus Christi materiale et animas spirituales. Et sane si in resurrectione corporis Christi non consideratur nisi virtus

[1] Ioann. v, 21, 22; cf. nexum inter 26 et 27.

producta in singulari Christi corpore, nulla proportio adest. Imo, uti in praecedenti articulo vidimus, neque adest inter resurrectionem Christi et nostram corporalem. Si autem in resurrectione corporis Christi attendis tum virtutem divinam, cuius corpus Christi est instrumentum coniunctum, tum altiorem rationem exemplaritatis, iam proportio mirabilis eaque duplex exsurgit.

2) Tam potenter corpus Christi unitum est Verbo, ut per illud divina virtus agere possit non solum in corpora sed in animas spirituales. Aliquid huiusmodi in nobismetipsis animadvertimus. Ob mirabilem virtutem unionis vitalis inter corpus et animam, anima nostra potest agere in semetipsam per instrumentum corporis, ope voluptatis, cruciatus aut laboris; quanto magis Deus per corpus suum sibi subsistentialiter coniunctum agere poterit in substantiam animae nostrae [1].

3) Accedit et ratio exemplaritatis. Resurrectio enim Christi non est dumtaxat exemplar resurrectionis corporum, sed et animarum. Inde ipse Christus de animarum conversione locutus est sub imagine resurrectionis mortuorum per vocem Filii Dei e monumentis suis exeuntium. « Amen, amen dico « vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient « vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent » [2]. - Inde S. Paulus peccati statum vocat somnium. « Ideo... et dormiunt multi » [3].

4) Ubi adverte cum S. Thoma, symbolismum mortis et resurrectionis Domini aliter et aliter figurare remissionem peccatorum: mors potius figurat remissionem culpae, resurrectio potius exprimit resurrectionem vitae. Cave tamen, ne hanc comparationem ita intelligas, ac si in resurrectione spirituali prius remittatur culpa quam vita nova infundatur. Imo potius infusa vita pellit culpas, sicuti mane accedens sol tenebras effugat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit communicationem vitae

[1] Quantum lumen ex hac consideratione accedat quaestioni de efficacia etiam physica Sacramentorum, nemo non videt. Sed de hoc ubi de Sacramentis disputabimus.

[2] Ioann. v, 25, quae autem habentur v. 28, sq. explicitius comprehendunt resurrectionem corporum.

[3] Cor. xi, 30.

divinae non posse fieri per virtutem instrumentalem corporis Deo subsistentialiter uniti. Procedit insuper ex male intellecto textu S. Augustini.

2. Obi. Abstrahit a virtute divina, cuius corpus Christi est instrumentum coniunctum.

3. Obi. Non attendit ad diversam rationem utriusque ministerii. Ministerium resurrectionis animarum non tendit nisi ad meritum; ministerium resurrectionis corporum tendit in praemium simul et in poenam. Primum est Salvatoris; alterum et Iudicis.

4. Obi. Bene arguit, quatenus passioni sive morti Christi tribuit vim remissivam peccatorum; sed falso arguit, quando inde negat efficaciam resurrectionis Christi. Nam ambae simul conveniunt quoad causalitatem efficientem; imo quoad causalitatem exemplarem, licet alium et alium respectum figurent, iuxta dicta n. 3.

Sed contra est. Connexionem intimam inter resurrectionem spiritualem et corporalem exprimunt diserte verba Christi: « Haec est autem voluntas eius qui misit me Patris, « ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resu- « scitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas « Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium et « credit in eum, habeat vitam aeternam; et ego resuscitabo « eum in novissimo die » [1].

In Corpore. Praemissa virtute divina per quam agit resurrectio Christi, S. Thomas exponit quomodo in eadem resurrectione sit virtus tum efficiens instrumentalis, tum exemplaris relate ad resurrectionem non solum corporum, sed et animarum.

Corollarium. Doctrina huius Quaestionis rationem exhibet excellentiae S. Eucharistiae, quatenus est Sacramentum corporis gloriosi [2] Christi, per quod tum vita datur animae tum beatae resurrectionis germen inseritur corpori. Utramque efficaciam Christus Dominus exprimit his verbis: « Amen, « amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii homi- « nis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in

[1] Ioann. vi, cf. 54-59.

[2] Cf. initium hymni: « Pange, lingua, gloriosi — Corporis mysterium ».

« vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum san-
« guinem habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in
« novissimo die » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Resurrectio corporis Christi est primum in genere resurrectionis. Ergo Deus qui vivificat per Verbum, vivificat omnia corpora per vivificatum proprium corpus (art. 1). - Nec corpora modo, sed et animas; quarum resurrectionis per iustificationem resurrectio Christi insuper dicenda est causa exemplaris (Art. 2).

MEMBRUM II.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

QUAESTIO LVII.

Ordo Quaestionis. S. Th. ordine logico simul et historico quaerit:

1) de *convenientia* ascensionis, sive de facto in genere (1);
(terminus a quo)

2) de *subiecto* ascensionis: (medium)
- *a*) quoad *naturam* (2),
- *b*) quoad *virtutem* (3);

3) de *termino* ascensionis: (terminus ad quem)
- *a*) *materiali:* (super omnes caelos) (4),
- *b*) *spirituali* (super omnes Angelos) (5),

4) de *effectu* ascensionis (6).

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM ASCENDERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Factum ascensionis Christi disertis oraculis annuntiatum, expresse narratum in Scrip-

[1] Ioann. vi, 52. sq.

turis, in Symbolis proclamatum, quotannis solemni ritu colitur veluti terminus *ad quem* omnium festorum ipsius Redemptoris.

2) Ratio autem seu convenientia facti multipliciter illustratur a parte Dei, a parte Christi, a parte generis humani, a parte militiae caelestis, a parte daemonis. Processus argumentationis est prope idem ac de Christi resurrectione.

a) A parte *Dei* convenientia ascensionis constat, iuxta illud Psalmistae: « Dixit Dominus Domino meo, sede a « dextris meis ». Etenim si iam videmus principes mundi ad palatium suum vocare duces, qui, parta victoria dilatatisque regni finibus, a castrensi periculo domum revertuntur triumphos pacis gustaturi; quanto magis Pater Filium suum post victoriam tam illustrem de Satanae imperio relatam, ad se attrahere debuit summis honoribus in caelesti curia cumulandum. Eo vel magis quod Filius hanc gloriam impetravit, utpote in gloriam ipsius Patri redundantem: « Pater, « venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarifi- « cet te » [1].

b) A parte *Christi* pariter ascensio in caelum decebat, quum caelum sit locus proportionatus vitae gloriosae; unde erat consequens ipsius triumphi Christi, necnon complementum gloriae quam Christus sibi meruerat, quamque orando sibi impetrarat.

Ne autem ultra limites extendatur illud, quod per ascensionem Christus consecutus est, prae oculis habeatur oportet Christum ab ipso instanti mortis clausisse stadium viatoris. Fuit proin quoad animam in inferis nonnisi comprehensor. Ab instanti autem resurrectionis corpus Christi habuit plenam beatitudinem, quae propria est conditionis gloriosae. Quare Christo nihil deerat nisi aliquid accidentale, scilicet proportio debita loci, et gloria inde derivanda. At si mere accidentale, bonum ascensionis nullatenus erat despiciendum, quum praesertim nobis et curiae caelesti haec ascensio esset maxime optabilis.

c) Etenim a parte *generis humani* decebat summopere Christum ascendere ad Patrem, ad augendam α) *fidem* in

[1] Ioann. xvii, 1.

ipsum Christum Filium Dei; β) *spem* in futuram gloriam membris cum Capite destinatam; γ) *charitatem,* idque tripliciter: α') purificando, magisque spiritualem reddendo amorem quem erga Christum corde nutrimus, β') elevando ad caelestia nostros affectus [1], γ') elargiendo nobis superne Spiritum amoris.

d) *Curia caelestis* pariter exposcebat exaltationem Christi super Angelorum choros. Usquedum enim Christus cum glorioso suo corpore thronum occupabat sibi in summitate caelestis gloriae ab aeterno reservatum, civitas illa beata primario suo splendore carebat. Lucerna quippe caelestis Ierusalem est ipse Agnus. Capite insuper suo destituebantur hierarchiae angelicae. Inde exsultatio illa ineffabilis, qua Christus ab Angelis exceptus est. Si enim resurrectio Christi iam erat, teste S. Gregorio [2], festum Angelorum simul et hominum, quanto magis hoc verum est de eius ascensione?

e) Exsultatio autem Angelorum confusio est *daemonum.* Quae confusio adhuc magis intelligitur in sententia eorum qui existimant, destinationem Christi in Caput caelestis civitatis universae fuisse causam rebellionis daemonum, quatenus hi noluerint accipere sibi Regem inferiori natura vestitum. Sed et in alia sententia ascensio Christi consummat daemonis cladem. Si enim, uti Anselmus post Augustinum opinatus est, homines Deus ideo condidit ut vacuas daemonum sedes occuparent, et si Satan protoparentes invasit invidia, ne sibi in amissa beatitudine succederent, triumphus Christi cum corpore glorioso supra Cherubim et Seraphim ascendentis, quo sublimius exaltavit hominem, eo hostem eius splendidius devicit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat in Christo elementum creatum.

2. Obi. Negligit augmentum gloriae accidentalis per ascensionem obtinendum.

3. Obi. Duo praetermittit: *a*) Christum remanere quidem cum Apostolis, quoad divinitatem; *b*) magis profuisse ut secundum humanitatem caelum conscenderet.

[1] Cf. Orationem festi Ascensionis Domini.
[2] Homil. XXI in Evang.

4. Obi. - Non perpendit symbolicum tempus quadraginta dierum, per quod Christus suam ascensionem distulit.

Sed contra est. Ascensionem Christi Evangelistae parce descripserunt. Tacent Matthaeus et Ioannes Marcus non habet nisi verba: « Assumptus est in caelum » [1], Lucas in Evangelio breviter ait: « Recessit ab eis et ferebatur in cae- « lum » [2]; in Actibus autem factum parumper magis describit: « Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab « oculis eorum » [3].

Ipse autem Iesus utilitatem suae ascensionis in ultima coena declaravit, et quidem triplicem: *a*) propriae gloriae: « Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Pa- « tem » [4]; *b*) parandarum Apostolis sedium: « Quia vado « parare vobis locum » [5]; *c*) mittendi Spiritus Sancti: « Ex- « pedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Para- « clitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum « ad vos » [6].

Identitatem pariter ascendentis et descendentis S. Paulus proclamavit: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit super « omnes caelos » [7].

Ob hanc Apostoli sententiam canitur in Symbolo: « De- « scendit de caelis,.. et ascendit in caelum ». - Porro nexum inter ascensionem Christi et plenitudinem eius operis atque triumphi Ecclesia celebrat cum Psalmista: « Ascendens Chri- « stus in altum, captivam duxit captivitatem ». Et in Praefatione eiusdem solemnitatis canitur: « Qui post resurrectio- « nem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et « ipsis cernentibus est elevatus in caelum, ut nos divinitatis » suae tribueret esse participes » [8].

In Corpore. S. Thomas argumentum solvit ex proportione inter caelum et immortalem vitam gloriosam, quam Christus redivivus etiam quoad corpus possidet.

[1] Marc. xvi, 19.
[2] Luc. xxiv, 51.
[3] Act. i, 9.
[4] Ioann. xiv, 28.
[5] Ibid. 2.
[6] Ibid. xvi, 7.
[7] Ephes. iv, 11.
[8] Cf. et textum *Communicantes*.

Corollarium de SS. Sacramento. Quod S. Thomas in resp. ad 3m dicit de permanentia Christi nobiscum quoad divinitatem, extendendum est etiam ad humanitatem Christi in statu sacramentali. Quare optime potest ad SS. Eucharistiam applicari promissio Iesu: « Ecce ego vobiscum sum omnibus « diebus usque ad consummationem saeculi » [1].

Corollarium de B. Virgine. Nexus intimus qui existit inter resurrectionem et assumptionem Christi, valet et de Beatissima Virgine. Imo Sanctissima Deipara fuit simul ad vitam revocata et in caelos assumpta; quia rationes quae exposcebant dilationem inter resurrectionem et assumptionem Christi, pro B. Virgine non aderant. Sed de hoc argumento mox fusius.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENERIT CHRISTO ASCENDERE IN CAELUM SECUNDUM DIVINAM NATURAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad nitidam huius quaesiti solutionem oportet apprime distinguere inter sermonem proprium et metaphoricum.

a) Loquendo *proprie*, quum ascensio, sicuti et descensio, involvat motum localem, qui repugnat in ente infinito ac immenso, Christus ascendit secundum naturam non divinam, sed humanam. Et sane humanitas Christi per ascensionem motu locali terram nostram, in qua erat, reliquit, et caelum, in quo nondum fuerat, nova praesentia ingressus est; dum Christi natura divina caelum et terram semper aequaliter implet.

b) At loquendo *metaphorice,* descendere et ascendere de Deo potest dici iuxta novam operationem sive missionem, quae in tempore incipit, et cuius terminus *ad quem* relate ad terminum *a quo* consideratur deorsum sive et desursum; aut habet respectum humiliationis vel exaltationis.

Hoc sensu Christus dici potest ascendisse secundum suam

[1] MATTH. Vers. ult. Idem dic de petitione discipulorum Emmaus. « Mane nobis- « cum » (LUC. XXIV, 29).

naturam divinam, idque ob duplicem rationem: α) primo quidem quia per ascensionem incoepit in caelo agere virtute divina in sua natura humana; β) secundo quia ipsa virtus per quam ascendit in caelum, est virtus divina, uti in articulo sequenti fusius exponetur.

3) Hic autem adverte discrimen inter rationes ob quas Christus dicitur descendisse et ascendisse. *a*) Si intelligitur de natura humana, non convenit Christo descendisse nisi ad inferos quoad animam; convenit autem ascendisse quoad animam ab inferis in corpus, et quoad animam et corpus a terra in caelum.

b) Si intelligitur de natura divina, deest pro descensione ratio β) modo exposita; ratio autem α) non solum adest, sed augetur tum ob exinanitionem in incarnatione a Verbo peractam, tum ob initialem operationem potentissimam, qua Verbum hanc servi formam sibi personali vinculo copulavit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Duo praetermittit: sermonem proprium de Christo futuro, et metaphoricum de Deo.

2. Obi. Non attendit varios respectus sub quibus descensus Christo tribuitur.

3. Obi. Vitium huius obiectionis in Quaestione sequenti patebit, iuxta duplicem respectum in consessu paternae dexterae servandum.

Sed contra est. Doctrina huius articuli valde efficaciter exhibet in Christo singularem personam Dei-Hominis, cum gemina perfecta natura. Ideo enim quae sunt humanae et divinae naturae possunt in omni veritate de eodem praedicari, quia Christus ille idem Deus et homo, est unicus Dei Filius, Verbum Patris.

Porro ascensionem tribui posse naturae divinae ob virtutem qua completa est, probatur per verbum S. Marci et S. Petri: « assumptus est », et S. Lucae: « elevatus est »; scilicet, Christus ut homo assumptus est a Christo ut Deo.

In Corpore. Distincta in τῷ *secundum* conditione ascendentis a causa ascensionis, S. Thomas docet, Christum ascendisse quoad prius secundum naturam humanam, quoad alterum autem secundum naturam seu virtutem divinam; de qua iam penitius est investigandum.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS ASCENDERIT PROPRIA VIRTUTE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Virtus desumitur a natura. Quum ergo in Christo sit duplex natura, divina et humana, quaerere utrum Christus ascenderit propria virtute, est quaerere utrum ascenderit virtute divina, an humana.

2) Porro in humana virtute Christi distinguenda est virtus corporis et animae; eaque rursus in statu naturali, et in statu gloriae.

3) His praemissis, per gradationem ascendentem quaesito respondeamus. *a*) Nec corpus, nec anima, si mere in statu naturali considerantur, habent virtutem ascendendi in caelum: anima enim alligatur corpori, et corpus fertur deorsum.

b) Utrum corpus in statu glorioso habeat quod feratur aeque desursum atque deorsum, quaestio est disputata; quam penitius investigandam ad Eschatologiam remittimus. At certum est, animam gloriosam reddere sibi corpus per redundantiam ita docile, ut possit illud ferre quocumque velit: nam non deest ei nec virtus, nec ordinatio voluntatis.

c) Haec autem virtus, quum sit fructus actionis divinae in animam quam visione collustrat, recte dicitur redundare in ipsam virtutem divinam. Quae virtus, si in aliis Sanctis limitatur ad communicationem gratiae, in Christo est ipsa substantialis inhabitatio divinitatis.

4) Christus igitur ascendit virtute propria, non humanae quidem naturae per se, sed animae glorificatae, et divinitatis personaliter inhabitantis. Quae ultima ratio Christo est singularis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit dicta superius, ubi de Christi resurrectione. Cf. Corollarium.

2. Obi. Arguit unice secundum virtutem naturalem corporis.

3. Obi. Duo praetermittit: *a*) Deum libere mensurare virtutem quam operibus applicat; - *b*) motum localem in instanti esse impossibilem.

Sed contra est. Doctrina huius articuli probatur per sententiam S. Pauli: « Quod autem ascendit, quid est nisi quia « et descendit? » [1]. Iam vero τὸ ascendit, sicut et τὸ descendit, active sumitur. - Idem dic de formula Symboli superius citata. Inde discrimen inter nomen utriusque festi: *Ascensionis* Domini et *Assumptionis* Mariae.

In Corpore. En schema argumenti:

- Christus ascendit virtute propria
  - I) divina — concedo;
  - II) humana
    - 1) naturali, nego:
      - nec corporis,
      - nec animae;
    - 2) gloriosa
      - *a*) corporis, transmitto;
      - *b*) animae, concedo (quae virtus est a Deo in animam, ab anima in corpus).

ARTICULI IV ET V.

UTRUM CORPUS CHRISTI ASCENDERIT 1) SUPER OMNEM LOCUM, 2) SUPER OMNEM CREATURAM SPIRITUALEM.

Tam intime connexi sunt isti duo articuli, ut per modum geminae conclusionis eos contrahere lubeat.

At praemittenda sunt pauca de natura locationis, iuxta quam aliquid dicitur supra vel infra aliud ascendere vel locari. Principium duplex tenendum est. 1) Unumquodque locatur secundum suam naturam. Quare *a*) substantiae spirituales locantur iuxta determinatum *ubi* per applicationem virtutis, de quo modo praesentiae fuse dicemus in tractatu de Angelis; - *b*) substantiae corporales locantur per determinatum *locum* proprie dictum. Unde quum corpora gloriosa non desinant esse corpora, non desinunt esse in loco.

2) Unumquodque locatur iuxta propriam suam dignitatem, ratione cuius altiora tenent altiora, quatenus dignitatem sub ratione altitudinis concipimus. Quare si mere consideras dignitatem naturae, substantiis spiritualibus competit ut altiora teneant, prae hominibus. Si autem accedit dignitas supernaturalis ob elevationem per gratiam, possunt permisceri

[1] EPHES. IV, 9.

sedes Angelorum et hominum, iuxta gradum elevationis sive propinquitatis ad vitam divinam. Quanto magis Christus, utpote Deus, supereminere debet hierarchiis angelicis.

His praemissis, sit brevis gemina conclusio.

I. **Concl.** (**Art. I**). *Christus ascendit super omnes caelos.* Ita enim diserte docet S. Paulus [1], et cum eo canit Ecclesia [2].

Ratio petitur a proportione quae requiritur inter locum et occupantem. Porro cum caelum sit habitaculum gloriae, et Christus sit super omnia quae locari possunt, patet altissimum in caelis Christo competere locum.

Cave autem, ne nimis materialiter hanc celsitudinem intelligas. Altissimus ille caelorum locus non est veluti cacumen cuiusdam immensae pyramidis. Imo potius est locus centralis alicuius immensae sphaerae, quatenus centrum globi est re vera altissimum globi punctum, a quocumque puncto superficiei in illud tendatur.

Plura de hoc argumento dicemus, ubi de habitudine corporum gloriosorum ad spatium erit disserendum.

Adverte interim quae S. Thomas hic habet, tum de virtute corporis Christi perveniendi extra caelum et locum continens; tum de virtute miraculosa requisita, ut duo corpora possint simul esse in eodem loco, ac proin unum transire per aliud.

II. **Concl.** (**Art. V**). *Christus ascendit super omnem creaturam spiritualem.* Id rursus docet S. Paulus [3], et ratio evincit. Licet enim secundum naturam suam humanam Christus sit Angelis inferior, teste eodem Apostolo [4], attamen uti Homo-Deus immensa illis dignitate supereminet. Oportet ergo ut huic principalitati congrua exaltatio respondeat.

Haec autem exaltatio celsior nequit ita intelligi, ut, quum Angeli sint praesentes per contactum virtualem, Christus quoque nonnisi praesens sit modo angelico. Hic conceptus esset falsus. Corpora enim gloriosa non transeunt in spiri-

[1] « Ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia » (Ephes. iv, 10).

[2] « Qui ascendens super omnes caelos » (Praef. festi Pentecostes).

[3] « Supra omnem principatum, et potestatem, ... et supra omne nomen quod « nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro » (Ephes. i, 21). — Huc spectat et invocatio hymni angelici : « Tu solus *Altissimus*, Iesu Christe ».

[4] Hebr. ii, 7; — Cf. Ps. viii, 5.

tum; nec dignitas unionis hypostaticae facit ut corpus Christi iam non sit corpus.

Quare haec supereminentia intelligenda est servato utrobique proprio modo praesentiae. Unde τὸ *super*, quando fit comparatio inter nobilitatem loci quem occupat Chr. prae Angelis, non potest intelligi simpliciter univoce, quum ipse modus quo corpora et spiritus alicubi esse dicuntur, non sit univocus.

Ex hac conclusione recte percepta Christus rursus apparet vere centrum regni caelestis, circa quod, veluti per gyros, lumina sua emittunt Angeli atque Beati; lumina tamen tantopere subordinata splendori Christi, ut universae civitatis Ierusalem lucerna sit Agnus [1].

Corollarium. Ex doctrina huius gemini articuli apparet, quam profunde Dantes Aligherius humanitatem gloriosam Christi collocaverit in altissimo centro paradisi, ubi SS. Trinitatis unus simul ac trinus splendor coruscat; et quidem ita ut in circulo, qui reflexam lucem exhibet Patris, mirabili quodam connubio humana forma simul effulgeat. Placet hos versus altissimae contemplationis afferre, utpote utriusque mysterii Trinitatis et Incarnationis descriptionem vere sublimem [2].

Nella profonda e chiara sussistenza
Dell'alto lume parvemi tre giri
Di tre colori e d'una continenza,
E l'un dall'altro, come Iri da Iri,
Parea riflesso, e il terzo parea fuoco
Che quinci e quindi egualmente si spiri.
O quanto è corto il dire, e come fioco
Al mio concetto! e questo, a quel ch'io vidi
È tanto, che non basta a dicer poco.
O luce eterna, che solo in te sidi,
Solo t'intendi, e da te intelletta
Ed intendente te ami ed arridi!
Quella circulazion, che sì concetta
Pareva in te come lume riflesso,
Dagli occhi miei alquanto circonspetta,
Dentro da sè del suo colore stesso
Mi parve pinta della nostra effigie
Per che il mio viso in lei tutto era messo.

[1] Apoc. xxi, 23.

[2] *Parad.* cant. xxxiii, v. 115. Et huic catholici dogmatis contemplatori altissimo massonici viri qui Italiam deturpant, mox in Urbe signum erigent tanquam Romanae Sedis hosti! Quidni basi statuae inscribant praecipua eius carmina in laudem Dei, Christi, Deiparae, ipsiusque Petri in Papa redivivi!

Quod princeps christianorum poëtarum hoc mirabili forma describit, Ecclesia quotidie brevius canit: « Tu solus Altissi- « mus, Iesu-Christe, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris ».

ARTICULUS VI.

UTRUM ASCENSIO CHRISTI SIT CAUSA NOSTRAE SALUTIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Tam intimo nexu resurrectio et ascensio Christi inter se colligantur, ut quidquid de efficientia resurrectionis Christi relate ad nostram salutem superius dictum sit, hic quoque de efficientia ascensionis valeat [1]; servata tamen propria significatione utrique propria: quatenus resurrectio dicit initium novae vitae, et ascensio consecutionem plenae gloriae.

2) Hic autem iuvat animadvertere cum S. Thoma, efficaciam ascensionis Christi, - quod et de resurrectione valet, - considerari posse directe et indirecte, secundum quod causat ipsa salutem, vel agit in nos ut salutem nostram operemur.

a) *Directe* itaque ascensio Christi nostram salutem operatur dupliciter: α) per ea quae Christus caelos ingressus agit pro nobis: α′) parando nobis locum, β′) interpellando pro nobis vi ipsius suae humanitatis gloriosae, quam pro fratribus suis Patri iugiter repraesentat: γ′) mittendo nobis superne gratiarum dona.

β) Operabitur praeterea ascensionem nostram per instrumentalem virtutem ascensionis suae [2], quae insuper erit causa exemplaris resurrectionis nostrae, haud secus ac resurrectio.

b) *Indirecte* autem ascensio Christi multipliciter nostram

[1] Hinc S. Paulus utramque permiscet: « Si consurrexistis cum Christo, quae « sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt « sapite, non quae super terram » *. Inde quoque Sanctorum resurrectio coniungetur per modum unius cum eorum ingressu in gloriam.

[2] Haec virtus instrumentalis minus urgenda est in ascensione quam in resurrectione. Etenim iuxta ea quae in art. 3 huius Quaestionis diximus, maior datur proportio virtutis in Sanctis resuscitatis ut caelum cum corpore glorioso ascendant, quam in animis Sanctorum ut corpora sua viva reassumant.

* Coloss. III, 1, 2.

salutem operatur. Virtutibus a S. Thoma allatis, utpote quas hoc mysterium stimulat, adde magnanimitatem in servandis mandatis et in patiendo pro Christo, iuxta verba ipsius Domini: « Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare « in gloriam suam? » [1] necnon iuxta sententiam S. Pauli: « Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. « Propter quod et Deus exaltavit illum » [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si nulla esset efficientia nisi per modum meriti. Recole quae superius diximus de causa meritoria resurrectionis.

2. Obi. Arguit ac si causalitas passionis Christi obesset causalitati eius ascensionis. Confer modum quo eamdem obiectionem quoad resurrectionis causalitatem depulimus.

3. Obi. Confundit ius seu titulum cum libero usu eiusdem.

Sed contra est. Recole alios textus in primo articulo adductos.

In Corpore. En argumenti schema:

- Ascensio Christi est nostrae salutis causa:
  - 1) ex *parte nostra* stimulando
    - *a*) fidem,
    - *b*) spem,
    - *c*) charitatem,
    - *d*) reverentiam erga ipsum Christum;
  - 2) ex *parte ipsius:*
    - *a*) Christus in caelum ascendens nobis parat loca,
    - *b*) interpellat pro nobis per gloriosam suam humanitatem,
    - *c*) mittit nobis exinde dona divina.

Resp. ad 3m. Argumentatio qua S. Thomas hic utitur quoad apparitionem Christi ad S. Paulum, non valet per se nisi de ista apparitione; unde non est ad alias apparitiones extendenda. Quod et de apparitionibus B. M. Virginis dictum intellige.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum terra sit locus corruptibilium, Christus ad immortalem vitam de sepulchro egressus, terram relinquere no-

[1] Luc. xxiv, 26.
[2] Philipp. ii, 8, sq.

stram, et incorruptibilitatis sedes ascendendo petere debuit (art. 1).

Ascendit autem Christus in caelum secundum naturam humanam, non divinam, si sumitur τὸ *secundum* in sensu *conditionis* ascendentis, Deus enim ubique aequaliter est; ascendit autem secundum naturam divinam, si sumitur τὸ *secundum* in sensu *causae* ascensionis, cuius humana natura per se et primario causa non fuit (art. 2). - Propria igitur virtute Christus ascendit ut Deus; sed insuper ut homo, non quidem virtute naturae humanae per se, sed virtute animae gloriosae; insuper, - quod pro solo Christo valet, - virtute instrumentali divinitatis, ratione unionis hypostaticae (art. 3). - Iam vero singularis participatio gloriae divinae exegit ut Christus ascenderit super omnes caelos (art. 4); - imo super omnem creaturam spiritualem, cui, licet per se natura assumpta inferior esset, praeerat tamen unione hypostatica, dignitate officii et gloriae fulgore (art. 5). - Haec autem ascensio Christi nostrae salutis causa est, *a*) a parte nostra, quia auget fidem, spem, charitatem, et fiduciam; et *b*) a parte Christi, quia ascendit in caelos, nobis ibi mansiones paraturus, pro nobis interpellaturus, indeque dona collaturus (art. 6).

MEMBRUM III.

DE SESSIONE CHRISTI A DEXTRIS PATRIS.

QUAESTIO LVIII.

Ordo Quaestionis. - Ordine logico S. Thomas quaerit 1) de *facto* (art. 1); - 2) de *modo* quo conveniat subiecto: utrum *a*) secundum divinam (art. 2), an *b*) secundum humanam naturam (art. 3); - demum 3) de *singularitate* huius facti, sive dignitatis (art. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT SEDERE AD DEXTERAM DEI PATRIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Superest ut terminum *ad quem* exaltationis Christi penitius investigemus. In quo succurrit nobis Psalmista dicens: « Dixit Dominus Domino meo: sede « a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pe- « dum tuorum » [1]. Quare tanta exaltatio Christi tendit quidem in requiem, sed in requiem plenam maiestate et virtute, in requiem quae est veluti perdurans victoria, usque ad ultimum de omnibus suis inimicis triumphum.

2) Duplex igitur in hac sessione considerandus est aspectus. *a*) Requies post laborem veluti pretiosissima merces Christo tribuitur; *b*) at haec requies non est huiusmodi, quae Christum longe a theatro mundi veluti detineat. Quin imo nuptialis lectus cui insidet uti Sponsus, fit ei thronus iudiciarius, in quo sedet ut arbiter sortis omnium hominum.

3) Sed hae voces intelligendae sunt in sensu figurativo. Sicut enim Pater non habet dextram proprie dictam, ita nec Christus omnino aut semper sedere dicendus est. Secus quo-

[1] Ps. cix, 1.

modo de virginibus dici posset, eas sequi Agnum quocumque ierit? Magis tamen haec locutio est propria de Christo quam de Patre. Pater enim nonnisi metaphorice potest dici habere dexteram; Christus autem, quum verum corpus gloriosum habeat, potest in sensu stricto dici sedens, stans aut ambulans.

4) Utrum autem ipse Iesus cum corpore suo glorioso apparuerit stans beato martyri Stephano, an haec apparitio fuerit solummodo imaginaria, res difficilis est dictu. Etiamsi quis teneret, Christum in vero corpore sese Protomartyri ostendisse, nil inde sequeretur contra aeternam mercedem Christo collatam, ut indefesse gloria Patris frueretur. Inde S. Stephanus vidit quidem Iesum stantem; sed « a dextris « Dei » [1], ut per hoc ipsum significaretur, Christum, sive stet, sive sedeat, semper participare illam potentiam divinam, quae vocatur dextra Dei.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit sermonem proprium et metaphoricum.

2. Obi. Eodem vitio laborat. Caeterum etiam in sermone proprio, quod est a dextris, non ideo facit minoris dignitatis esse id quod est a sinistris, si ratio positionis petitur ab ipso exercitio virtutis. Ita gladius quo utitur bellator est a dextris eiusdem, ipseque gladio sinister.

3. Obi. Praetermittit symbolismum qui in actione sedendi aut standi reperitur.

Sed contra est. Praesens veritas derivata a Psalmo Messianico, quem ipse Marcus prae oculis habuisse dicendus est, solemniter celebratur in Liturgia. In Symbolo Romano usuali, post verba « ascendit ad caelos », additur: « sedet ad dex- « teram Dei Patris omnipotentis ». In Canone Missae Ascensionis Domini dicitur: « Communicantes et diem sacratissi- « mum celebrantes, quo Dominus noster Unigenitus Filius « tuus unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae « tuae dextera collocavit ». Et in hymno ad Vesperas et ad Laudes eiusdem festi canitur:

« *Victor triumpho nobili,*
Ad dextram Patris residens ».

[1] Act. vii, 55.

Porro virtutem, qua in dextris Patris pollet, Christus maxime demonstravit emittendo caelitus Spiritum Sanctum. Unde in Festo Pentecostes canit Ecclesia: « Qui ascendens « super omnes caelos, sedensque ad dexteram tuam, promis- « sum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effu- « dit » [1]. Quae effusio quum iugiter perseveret, sine intermissione gratiam ac potestatem Christi demonstrat.

At quam uti Sponsam semper adornat Ecclesiam, uti militantem quoque incessanter corroborat. Symbolica enim apparitio, quam Stephanus intuitus, in agone perseveravit invictus, per saecula Ecclesiam contra tyrannidem mundi decertantem solatur ac fulcit.

In Corpore. Distincta in sessione figura duplici quietis ac iudiciariae potestatis, S. Thomas quoad utramque demonstrat, convenientissime Christum a dextris Patris assidere in gloria.

ARTICULI II ET III.

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS CONVENIAT CHRISTO 1) SECUNDUM QUOD DEUS, 2) SECUNDUM QUOD HOMO.

Hi duo articuli tantopere correlativi sunt, ut simul exponendi videantur. Quo clarior autem solutio pateat, oportet determinare 1) quid significet « Patris *dextera* »; 2) quid importet particula « *ad* », 3) quid afficiat τὸ « *secundum quod* « homo ».

1) « *Dextera* Patris », uti optime animadvertit S. Thomas, comprehendit tria: *a*) gloriam divinitatis Patris, *b*) beatitudinem Patris, *c*) regiam sive iudiciariam potestatem.

2) Particula « *ad* » potest *a*) involvere dumtaxat distinctionem suppositorum cum adsignificatione habitudinis unius ad alterum, sicuti Filius se habet ad Patrem; *b*) potest superaddere aliquam distinctionem dignitatis, quatenus non dicit quidem aequalitatem, sed approximationem.

3) Demum in formula « *secundum quod* homo », quum in voce « homo » contineatur suppositum et natura, et in Christo

[1] Praefatio.

suppositum sit Deus, bene distinguendum est, utrum τὸ *secundum quod* afficiat hominem ut suppositum, an ut naturam.

Hisce distinctionibus praemissis, et in memoriam revocata gemina significatione τοῦ *sedere*, iuxta doctrinam articuli praecedentis, sint duae conclusiones sequentes:

I. **Concl.** (**Art. II**). *Christus sedet ad dexteram Patris ut Deus,* sumendo utique particulam *ad* in primo sensu superius indicato (2. *a*). Nam Christus est Deus, quia Filius Dei. Quare quum sit Patri aequalis in gloria, in beatitudine, in potestate, et simul sit personaliter distinctus ab eo uti Filius a Patre, recte dicitur *sedere* (in gemino sensu) *ad* (in sensu priori) *dexteram* (in triplici sensu) Patris.

Nec huic conclusioni obest, quod Spiritus Sanctus numquam dicatur sedere ad dexteram Patris sive Filii. Nam quo sensu hic dicitur de Filio, posset dici de Spiritu Sancto. Non occurrit tamen, quia, ut mox videbimus, haec tota locutio theologica inducta est propter Incarnationem, quae propria est in Filio.

II. **Concl.** (**Art. III**). *Christus pariter sedet ad dextram Patris secundum quod homo;* idque in sensu duplici. 1) Sumendo *hominem* in sensu *hypostaseos*, Christus sedet ad dextram Patris secundum quod homo, id est, secundum quod Homo-Deus, eo iure quo ibidem sedet secundum quod Deus; nec aliud per « secundum quod homo » tunc adsignificatur, nisi in homine quidem Christo haberi duplicem naturam, sed tamen in unitate personae. Unde « secundum quod Deus » dicit unitatem naturae et distinctionem personae; et « secun- « dum quod homo » ex opposito dicit distinctionem naturae, sed unitatem personae, non quidem cum eo ad cuius dexteram sedet, sed in ipso Deo-Homine sedente. Vox autem « *ad* » in hoc sensu idem significat ac in conclusione praecedente.

2) Sumendo hominem in sensu *naturae humanae* distinctae in Christo a natura divina, Christo convenit sedere ad dextram Patris, non in sensu gloriae divinitatis (1, *a*), sed in sensu participatae beatitudinis (1, *b*) ac regiae potestatis (1, *c*). Sed tunc particula « *ad* » sumenda est in altero sensu (2, *b*).

Utramque conclusionem hoc schemate contrahe:

- Christus sedet ad dextram Patris,
  - I) secundum quod *Deus:*
    - 1) *sedet* — in duplici sensu art. 1;
    - 2) *ad* — cum relatione Filii ad Patrem
    - 3) *dexteram:*
      - aequalis Patri *a)* in gloria divinitatis,
      - *b)* in beatitudine,
      - *c)* in regia ac iudiciaria potestate.
  - II) secundum quod *homo:*
    - 1) sumendo *hominem* in sensu unius hypostaseos divinae et humanae (uti in I);
      - *a) sedet* (cf. art. 1)
    - 2) sumendo *hominem* in sensu naturae humanae,
      - *b) ad*
        - cum dependentia inaequalitatis;
      - *c) dexteram:*
        - α) non in primo sensu; sed in duobus aliis, participative.

Doctrina utriusque articuli et geminae conclusionis continetur in Symbolo. 1) Praedicando de eodem: « Descendit « de caelis; incarnatus est »; et « sedet ad dexteram Patris », insinuat, sedere ad dexteram Patris convenire Christo etiam ut Deo; 2) praedicando de eodem: « crucifixus, mortuus et « sepultus est »; et: « ascendit... sedet ad dexteram Dei Patris « omnipotentis », proclamat, hanc sessionem de Christo praedicari secundum quod est homo.

Ex tribus autem significationibus quas S. Thomas in his articulis vindicat (Cf. schema I, II, 1, 2), tertia magis obvia dicenda est.

ARTICULUS IV.

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS SIT PROPRIUM CHRISTI.

De ipsa Quaestione. - 1) Ut huic quaesito lucide respondeatur, distinguere oportet in locutione « sedere ad dexte- « ram Patris » sensum pressum et minus pressum. Dein in sensu minus presso distinguendi sunt varii gradus.

2) In sensu presso proprium est Christo sedere ad dexteram Patris. Quod facillime demonstratur redeundo ad doc-

trinam articulorum praecedentium. Etenim, ut optime arguit S. Thomas, *a*) hanc sessionem propriam esse Christo uti Deo, nimis est manifestum. *b*) Nec eam omnino communicari posse, in quantum competit Christo uti Homini, rursus apparet: titulus enim cui superstruitur, est singularis. Est enim ipse titulus Capitis, in Redemptoris dignitate et officio radicatus.

3) Sensu autem minus presso competit omnibus comparticipibus Christi, i. e., omnibus membris eius, sedere ad dexteram Patris, quia omnes iusti cum Christo unum corpus efformant, et in ipso iudicio omnes a dextris collocantur.

4) Sed in hac sessione dantur multi gradus, quemadmodum et in membris in ordine ad caput. Gradus autem hi sunt ordinis privati, vel publici.

a) Privati ordinis sunt ipsi gradus virtutis quos unusquisque acquisivit, quatenus quo sanctior aliquis factus est, eo propinquior erit ad Christum. *b*) Publici autem ordinis est ratio ministerii et muneris. Unde Apostolis promisit Christus, ut iudiciariis thronis insiderent [1]. Et ipse Magister promisit fore ut ministri eius fierent loci sui comparticipes [2].

5) Quatenus autem gloria Capitis est gloria membrorum, et quatenus unum omnes sumus in Christo, dici potest sessio Christi sessio nostra, quemadmodum et Apostolus a resurrectione Christi ad resurrectionem nostram arguit [3]. Utrumque simul coniungit, ubi scribit: « Deus autem, qui dives est « in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit « nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos « in Christo, (cuius gratia estis salvati), et conresuscitavit et « consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu » [4]. Sed hoc nil demit proprietati quam in n. 2) demonstravimus.

II. **Ad Textum**. - *1. Obi.* Non attendit ad nexum membrorum cum capite (Cf. n. 5).

2. Obi. Confundit sensum pressum cum sensu minus presso, iuxta dicta n. 3.

[1] Matth. xxv, 23.
[2] Ioann. xii, 26.
[3] I. Cor. xv, 12, sqq.
[4] Ephes. ii, 4, sqq.

3. Obi. Eodem vitio laborat.

4. Obi. Non attendit ad munus speciale, subordinatum tamen muneri principali Christi.

Sed contra est. Haec proprietas evincitur etiam e loco Psalmi ex quo Apostolus arguit: « Dixit Dominus Domino « meo: sede a dextris meis » [1]. Etenim quemadmodum Christus hoc loco usus est ad suam divinitatem ostendendam [2], ita quoque demonstratur ex hoc versu sessionem hanc nonnisi Christo Homini-Deo competere posse. Communionem omnium Sanctorum in hac gloriosa sessione Christi praedixit Psalmista: « Delectationes in dextera tua usque in « finem » [3]. Ad quae verba S. Bernardus: « Concupiscamus « illam dexteram, fratres, quae totos amplexabitur nos; suspi- « remus ad delectationes illas, ut, sicut breve est omnino « tempus, etiam pauci videantur nobis dies prae amoris « magnitudine » [4].

In Corpore. S. Thomas arguit iuxta sensum proprium. Cf. n. 2.

Corollarium. Christo specialissimo modo in gloria consedere, prae omnibus Angelis et Sanctis, Beatissimam Dei Matrem et Caeli Reginam Mariam, ex proxima dissertatione abundanter apparebit. Si autem Angelos et Sanctos confers ad invicem, ratio membrorum et participati officii habet in Sanctis aliquid magis proprii, quod Angelis, licet in gloria sublimioribus, non competit. Sed de hoc in ultima Quaestione sermo redibit.

[1] Ps. CIX, 1.

[2] MATTH. XXII, 44.

[3] Ps. XV, 10.

[4] Serm. de divers. 1. n. 4. — *P. L.* CLXXXIII, 539 D. Quae iam saepius e Mellifluo Doctore deprompsimus, ostendunt quanto iure Dantes Bernardum ad altissima regni caelestis elegerit ducem, ob charisma contemplationis, quo prae aliis affulgebat, nec non ob devotionem tenerrimam, qua ardebat erga Beatissimam Virginem.

E la Regina del Cielo, ond' i' ardo
Tutto d'amor, ne farà ogni grazia,
Poich' io sono il suo fedel Bernardo.

(Parad. Cant. XXX, 100. sqq.).

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Sessio Christi ad dexteram Patris dicit *a*) requiem post exantlatos labores in inamissibili felicitate Patris; *b*) participationem regalis et iudiciariae potestatis Patris (art. 1). - Ad dexteram Patris convenit Christo sedere ut *Deus* est, quia est persona ab ipso Patre distincta, immutabiliter cum ipso participans requiem beatitudinis, splendorem gloriae et potestatem iudiciariam (art. 2). - Sed et Christo convenit ad Patris dexteram sedere ut est *homo*; non quatenus *ad* dicit convenientiam in natura et non in persona, sed quatenus dicit *a*) unionem in persona cum Verbo, et insuper *b*) accessum per plenissimam gratiae mensuram. Igitur secundum conditionem simul naturae et personae Christus ad dexteram Patris sedet ut Deus; ut homo autem secundum conditionem personae et gratiae (art. 3). Utrumque autem esse Christo proprium, ex divinitate et singulari humana dignitate Christi apparet (art. 4).

APPENDIX.

DISSERTATIO DE ASSUMPTIONE ET EXALTATIONE B. M. V.

Locus hic opportunus est complendi Mariologiam. Quae enim modo de Christi ascensione et exaltatione exposuimus, correlativam investigationem appellant de assumptione B. M. V. deque eius elevatione super omnes Beatorum et Angelorum choros; verbo, de duobus ultimis mysteriis gloriosis, quae Marianum cyclum nomine Rosarii complent. Agemus igitur *A*) de assumptione, *B*) de exaltatione B. M. V.

A) **De Assumptione B. M. V.**

Ordo huius partis erit sequens. Assumptionem B. M. V. illustrabimus 1) argumentis Scripturarum, 2) traditione catholica, liturgica simul et patristica, 3) rationibus theologicis; - 4) demum de definibilitate et certitudine huius veritatis pauca adnectemus.

I) Perpenduntur argumenta scripturistica.

Cum sensu catholico accedendum est ad huiusmodi examen. Quemadmodum superius vidimus Immaculatam Conceptionem, licet fidei dogma, nonnisi parce Scripturis fulciri posse; ita hic caute incedendum est. Lux autem a praecedenti dogmate non parva accedit, ut Scripturae testimonia de praesenti veritate, utpote aliqualiter correlativa, magis clarescant. Porro alia sunt argumenta verbalia, alia realia.

1) *Verbale* argumentum constituunt *a*) verba protoëvangelii: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen « tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum ». Ex quibus verbis ita argui potest. Quidquid peccatum consequitur, conterendum est, ut plena oppositio habeatur inter daemonem et Virginem. Atqui mors pertinet ad ea, quae per peccatum in mundum inducta sunt [1]. Oportet ergo ut B. Virgo de morte, sicuti de peccato et de concupiscentia, specialem victoriam retulerit. Hoc argumentum e priscis scriptoribus affert Andreas Cretensis [2].

b) Confirmatur haec consideratio per verba salutationis angelicae: « Ave, gratia plena,... benedicta tu inter mulieres ». Bene Alexander III: « Migravit sine corruptione iuxta ver- « bum Angeli, imo Dei per Angelum, ut plena, non semiplena « gratiae esse probaretur » [3]. Idem insinuat S. Thomas: « Plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae in car- « nem » [4]. Eodem modo diserte arguit Suarezius [5]. - Porro verba « Benedicta tu inter mulieres », quum alludant manifeste ad maledictionem primae Evae [6], removent perfecte quidquid ab ista derivatur. « Tertia (maledictio) ait S. Tho- « mas, fuit communis viris et mulieribus, ut scilicet in pul- « verem reverterentur; et ab hac immunis fuit B. V., quia « cum corpore est assumpta in caelum » [7].

[1] De nexu inter peccatum et mortem cf. S. Paulum Rom. v; I. Cor. xv, etc.

[2] *P. G.* xcvii, 1079.

[3] Epist. 23. — Cf. auctorem sermonis in Assumptionem. — *P. L.* xl, *App. S. Aug.* 1147.

[4] Opusc. viii, in *Salut. Angel.*

[5] *De Myst. vitae Chr.* D. 3, S. 5.

[6] Id expresse docet Bulla *Ineffabilis.*

[7] Ibid.

c) Quare de B. Virgine indissolubili vinculo cum Christo in triumpho de morte coniuncta intelligendus est versus psalmi Messianici: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu « deaurato, circumdata varietate ». Quae verba non assumptionem tantum, sed et exaltationem Mariae exprimunt [1]. Nec sine iure eidem applicantur verba Cantici: « Surge, amica « mea, speciosa mea, et veni » [2]. Quum autem iuxta Assumptionis narrationes Christus ipse gloriosam Matrem in caelum induxerit, possunt et huc referri verba, iam superius de hoc mysterio allata: « Quae est ista, quae ascendit de « deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » [3].

d) Adde verba Apocalypseos: « Signum magnum apparuit « in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius » [4]. Quae verba traditio orientalis imprimis intellexit de B. Virgine in caelum exaltata.

2) *Reale* testimonium est *a*) imprimis oppositio inter primam et secundam *Evam*. De qua oppositione iam superius plus semel diximus. Ad rem nostram S. Germanus Constantinop.: « Illa (Eva) mortis demoratio et sedes; tu (Maria) a « morte translatio.... Illa ut terra in terram cessit; tu et « nobis peperisti vitam, et ad vitam rediisti.... » [5]. Et S. Ildephonsus (?): « Eva de paradiso mittitur in exilium, Maria « de exilio huius saeculi elevatur in caelum » [6].

b) Adde *arcam* foederis incorruptibili ligno setim confectam [7], auro mundissimo intus et foris deauratam et corona aurea circumductam, templo Hierosolymitano uti firmae sedi destinatam [8]. In qua arca Patres non solum figuram Mariae agnoverunt, sed et eius incorruptibilitatis et assumptionis symbolum. Quam pulchre S. Damascenus: « Hodie « sacra et animata arca Dei viventis, quae suum in utero « gestavit artificem, in templo Domini, quod nullum est

[1] Cf. Orat. in *Deip. Annunt.* inter op. S. Athan.; — S. Petrum Dam., Serm 40 in *Virg. Assumpt.*, etc. etc.

[2] Cant. II, 13. — Cf. S. Germanum, orat. 1, *in Dormit.* — *P. G.* XCVIII, 346.

[3] Cant. VIII, 5,

[4] Apoc. XII, 1.

[5] Orat. II, *in dormit. B. M.* — *P. G.* XCVIII, 350.

[6] Serm. XII *de S. Maria.* — *P. L.* XCVI, 280.

[7] Exod. XXV, 10, sqq.

[8] I. Paral. XXVIII, 2; II. Reg. VII, 1, sqq.

« exstructum manibus, requievit » [1]. Et Theodorus Studita: « Hodie inaurata et divinitus fabricata sanctitatis arca de « terrenis habitaculis ad supernam Hierusalem commi- « grat » [2]. Et Sanctus Ildephonsus (?): « Venite, quaeso, et « videte, quoniam hodie translata est arca testamenti Dei « ad superos, exterius inaurata virtutibus, et fabricata inte- « rius auro purissimo maiestatis, in qua lex testamenti Dei « et manna fuit. Illa namque omnia umbra sunt futurorum, « in Maria manifesta veritas.... Quae nimirum Virgo ac si « arca hodie de captivitate huius saeculi angelorum exequiis « glorificata reducitur, non in Ierusalem, quam decoxit et « devastavit Chaldaeorum exercitus, sed in illam veram et « caelestem, quam fundavit Deus et non homo, collocatur » [3].

Hanc applicationem sancivit Ecclesia per invocationem: « Foederis arca ».

Unde in promptu erat ut de B. Virginis Assumptione Patres interpretarentur verba Psalmistae: « Surge, Domine, in re- « quiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae! » [4]. Ita S. Modestus Hierosolym. ait: « Qui in Sinai dedit legem, et in « Sion legem tulit, ipse Deus noster inde misit, qui ad se « ferret suam arcam sanctificationis, de qua progenitor ipsius « David cecinit dicens: « Surge, Domine, etc. » [5].

Pariter huc referri possunt verba Apocalypseos: « Et « apertum est templum Dei in caelo: et visa est arca testa- « menti eius in templo eius » [6]. Optime Suarezius utrumque locum coniungens ait: « Merito accommodatur illud ps. CXXXI: « Surge, etc.: haec enim arca videtur esse illa, de qua Eccle- « sia canit: " Ventris sub arca clausus est " » [7]. Unde a Pa- « tribus Graecis frequenter Virgo arca sacrosancta appella- « tur ad quam merito accommodari possunt verba illa Apo- « calyps.: " Apertum, etc. etc. " » [8].

c) Adde symbolicum factum *Danielis* in fossa leonum

[1] Homil. II, *in Dorm.* — *P. G.* XCVI, 723.
[2] Orat. *de Virg. Dorm.* — *P. G.* IC, 722.
[3] Serm. *in Deip. Ass.* — *P. L.* XCVI, 246, 248.
[4] Ps. CXXXI, 8.
[5] Encom. *de Dormit. V. Deip.* — *P. G.* LXXXVI, 3287.
[6] Apoc. XI, 19.
[7] Hymn. « *Quem terra, pontus, aethera* ».
[8] *Comment.* in III P., S. Thom. Q. XXXVII, art. 4.

incolumis servati, per quod figurabatur Maria in lacu mortis illibate servanda: « Mariam incorruptam praeter natu- « ram non servabit gratia? Servatus est Daniel ab intempe- « ratissima fame leonum, non servanda est Maria tantis « donata meritis dignitatum? In Mariae integritate plus « potuisse gratiam quam naturam, non dubitamus » [1].

Et haec satis sint de argumentis quae e Scripturis desumi possunt. Quibus si adiungis ea per quae Immaculatam B. V. Conceptionem illustravimus, et nexum inter utramque veritatem sane arctissimum, fatendum est, Assumptionem B. M. V. minus facile quidem e Scripturis erui posse quam eius Immaculatam Conceptionem; at nihilominus non deesse textus animi suasibiles, magnamque inter hanc veritatem et modum loquendi Scripturarum tum verbalem tum realem adesse harmoniam.

II) **Exhibetur traditio liturgica et patristica.**

Iam multum crescit vis theologicae demonstrationis de praesenti argumento. Imo longe facilius demonstratur catholica traditio de Assumptione B. M. V. quam de eius Immaculata Conceptione.

Argumentatio his paucis contrahitur. Tam antiquum est in Ecclesia catholica festum, quod modo κοίμησις, dormitio, pausatio, modo μετάστασις transitus, translatio, modo θάνατος ζωτικός ζωηφόρος, mors vivifica, modo ἀνάστασις assumptio [2], B. Virginis vocabatur, et in hoc festo tam expressa est doctrina de corporali assumptione B. M. Virginis in caelum, ut haec traditio explicari nequeat, nisi ab apostolica aetate derivetur. Iam vero apostolica huiusmodi traditio de facto dogmatico tam intime cum fide connexo, immunis est ab errore. Ergo revera B. V. Maria est cum corpore glorioso in caelum assumpta.

Ad festi, de quo quaerimus, antiquitatem vindicandam, omittimus facta recentioris aetatis. Ascendendo ad remotiora

[1] Serm *in Assump.* inter op. S. Aug. — *P. L.* XL, 1147.

[2] Imo duplex festum olim celebratum esse, alterum dormitionis die 18 Ianuarii, alterum assumptionis medio mense Augusti, mox videbimus. Festum Ianuarii in Augustum transtulisse dicitur imperator Mauritius (582-602).

tempora habemus sequentia: anno 858 Nicolaus I, in rescripto ad Bulgaros, festum Assumptionis cum ieiunio praevio colendum assignat; anno 847 Leo IV idem festum per totum orbem celebrandum iniungit; synodi Salisburgensis (a. 713), Cloveshoensis (a. 747) festum assignant in Germania et in Anglia; Chrodegangus Metensis de eodem statuit in suis Regulis (150). Anno 633 statuta synodalia Rhemensia hoc festo abstinendum iniungunt ab opere forensi. Pipini tempore apud Gallos celebratur more Romano [1]. In Sacramentario Gregorii Magni bis occurrit. Tempore Gregorii Turonensis (a. 590) iam cum vigilia apud Gallos celebratur. In Missali Mozarabico iam occurrit « iuxta disciplinam Synorum, Fran- « corum, et Armenorum et Romanorum » [2]. Antiquissimum usum gemini festi antiquitus celebrati Ecclesia Mediolanensis adhuc retinet. Sacramentarium Gelasianum (a. 495) festum assignat; non autem introduxit [3]. Martyrologium Damasianum, a pluribus Hieronymo auctori assignatum, duplex festum habet dormitionis 18 Ian. et Assumptionis 18 Kal. Sept.

Crescit vis huius antiquitatis, ex traditione Ecclesiarum Orientalium dissidentium, scilicet tum Eutychianorum tum Nestorianorum qui festum Assumptionis sive migrationis magno cultu usque servant. Ex quo argumentum invictum deducitur, festum sive simplex, sive geminum, dormitionis et assumptionis B. M. V. antiquius esse conciliis Ephesino et Chalcedonensi, quippe ab quibus haeretici illi nullum sane usum in B. M. Virginis cultum accepissent unquam. Imo nisi iam a remotissimo tempore hoc festum coluissent, id potius separationis tempore dimisissent. Restat igitur ut, quod Nicolaus I dicebat Romanam Ecclesiam suscepisse *antiquitus,* intelligatur de cultu usque ad primaeva tempora ascendente, id est, ad ipsam usque aetatem apostolicam. Quomodo enim tam praecox potuisset publicus Assumptionis B. V. vigere cultus nisi de vera eiusdem in caelos elevatione absque dubio fides antiquissima viguisset?

Verum est, nullum testimonium scriptoris sacri e primis

[1] Cf. Hugon. Menard. Praef. ad Sacram S. Greg. M. — *P. L.* LXXVIII, 15.

[2] Cf. Binterim (*Denkwürdigkeiten. Kath. Zeitschr.* 1880 L d. 135).

[3] Leonem Magnum huic sacramentario iam apposuisse manum, constat. (Cf. Thomas, *Praef. in Gel. Sacr. P. L.* LXXIV).

tribus saeculis prostare Deiparae privilegium asserentis. Antiquior textus S. Gregorii Nysseni esse videtur, qui velato modo ait: « Tanquam Dei Matris Mariae tempore ab Adamo « usque ad eam regnum mors obtinuerit » [1]. Inter spuria autem S. Athanasi opera exstat sermo a nonnullis S. Cyrillo Alexandrino assignatus, in quo versus psalmi messianici: « Astitit Regina a dextris tuis, etc. » diserte de Assumptione Deiparae explicatur. « Non quidem secundum simpli- « citatem spiritualem et quasi sine carne et corpore adstat, « sed circumamicta secundum suam sacratissimam car- « nem, incorruptione et immortalitate, et circumdata varie- « tate, secundum ossa eius sanctissima, quae carnem eius « fulciunt » [2].

Magni quoque momenti pro re nostra est modus dubius quo S. Epiphanius de morte loquitur Deiparae. Unde privilegium assumptionis a fortiori deducitur [3].

Sed ecce fides illa antiquissima incipit admisceri narrationibus apocryphis, quorum praecipuae, - ut Dionysianam taceam, - sunt Euthymiaca, a S. Damasceno servata [4], et ps. Melitoniana, sub variis formis, et in variis linguis per orbem celeriter sparsa. Id movit Gelasium I, ut anno 494 decretum ederet ad praemonendum contra scripta apocrypha, quibus adnumeravit narrationem *de transitu Mariae.*

Pontificis mentem falso interpretantes, nonnulli putaverunt non fabulosas dumtaxat narrationes a Gelasio sepositas fuisse, sed ipsum Assumptionis Deiparae cultum. Id stimulare visum est ignotum quemdam auctorem, Hieronymum dictum, sed saeculi VI aut VII, qui, magni huius Doctoris nomine, specie epistolae ad Paulam et Eustochium, modo plus minus indifferenti, de Assumptione Deiparae loquitur veluti de re ignota: « Quod, quia Deo nihil est impossibile, nec nos « de beata Virgine Maria factum abnuimus, quamquam « propter cautelam, salva fide, pio magis desiderio opinari « oporteat, quam inconsulte definire, quod sine periculo nesci-

[1] *De Virgin.* — *P. G.* XLVI, 378.

[2] *P. G.* XXVIII, 938.

[3] Cf. quae diximus de hoc dubio, agentes de morte B. M. V.

[4] Homil. II *in Dormit. B. V. M.* n. 18. *P. G.* XCVI, 748. — Cf. lectiones II Noct. diei 4 Oct. Assumpt. B. V. M.

« tur » [1]. Usurpata auctoritas tanti nominis sat magnam huic elucubrationi gratiam conciliavit [2]. Inde per aliquod tempus laudes Deiparae Assumptae etiam in ore piissimorum B. Virginis cultorum veluti reverentiali quodam timore continentur.

Ambrosius Autpertus ait: « Hoc idcirco dicimus, fratres, « quia sicut iam in consuetudinem Christi suscepit Ecclesia, « hodierno die ad caelos assumpta fuisse traditur Virgo « Maria. Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, « nulla catholica narrat historia. Non solum respuere apocry- « pha, verum etiam ignorare dicitur haec eadem Dei Eccle- « sia... etc. » [3]. Hinc in Synodo Aquisgranis an. 819 habita, statutis aliis festis, legitur: « De assumptione S. Mariae inter- « rogandum relinquimus » [4].

Sed ecce quaesito respondet opus, quod e regione se habet ad epistolam ps-Hieronymi, et Augustini nomine decoratur. Auctor, quem non unus Alcuinum esse opinatur [5], traditionem antiquam strenue vindicat. Placet ex hoc scripto haec pauca afferre: « Quid ergo de Mariae morte, quid de « eius assumptione dicendum est, unde divina Scriptura nihil « commendat, nisi quaerendum ratione quid consentiat veri- « tati.... Memores enim conditionis humanae mortem illam « subiisse temporalem non metuimus, quam idem certe eius « Filius, qui et Deus et homo est, lege sortis humanae susti- « nuit.... Sed si dicimus eam mortis teneri vinculis et resolu- « tam in communem putredinem, vermem et cinerem, libran- « dum est, si hoc conveniet tantae aulae Dei praerogati- « vae...[6]. Si ergo voluit integram matrem virginitatis servare « pudore, cur non velit incorruptam a putredinis servare « foetore... Caro enim Iesu, caro est Mariae... Ipse ergo idem- « que caelos ascendit, et carnem quam de matre suscepit, « super astra transvexit » [7]. Et concludit: « Consideratis igi- « tur his universis et vera ratione, confitendum censeo, Ma- « riam in Christo et apud Christum esse: in Christo, quia in

[1] *P. L.* XXX, 12b.
[2] Cf. *Kathol. Zeitschr.* Innsbruck 1887.
[3] Serm. 208, App. op. S. Aug. *P. L.* XXXIX, 2129.
[4] Capitul. l. I, c. 164.
[5] *P. L.* XL, 1141. Monit.
[6] Cap. 2, *P. L.* XL, 1144.
[7] Cap. 2, 5, 1144, sq.

« ipso vivimus, et movemur et sumus; apud Christum glo-
« riose ad aeternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi
« honoratius susceptam caeteris, quam hic gratia honoravit
« prae caeteris, atque ad communem humilitatem non esse
« adductam post mortem, putredinis videlicet et vermis et pul-
« veris, quae suum et omnium genuit Salvatorem » [1].

Eloquens iste sermo non caruit fructu. Anno 813 Concilium Moguntinum, rogante imperatore Ludovico, Assumptionis festum antiquitus celebratum rursus sancivit. Nihilominus omnem haesitationem tollere non potuit. Inde in martyrologiis Adonis et Usuardi influxus decreti Gelasiani et epistolae ps-Hieronymianae remanet manifestus. Collato mysterio quod corpus B. Virginis obtegit cum simili mysterio circa corpus Moysis, ait Ado: « Pia tamen mater Ec-
« clesia, quae suis observationibus integerrima fide fundata
« consistit, eius venerabilem memoriam sic festivam agit, ut
« pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Ubi autem
« venerabile Spiritus S. templum illud, id est, caro ipsius bea-
« tissimae Virg. Mariae divino nutu et consilio occultatum sit,
« magis eligit sobrietas Ecclesiae cum pietate nescire, quam
« aliquid frivolum et apocryphum inde tenendo docere » [2]. Ad quae optime, inter alia Baronius: « Dum apocryphum
« vitare putant, in deterius lapsi sunt » [3]. Quodsi iste textus martyrologii Adoniani nonnisi anno 1668 [4] in Ecclesiis Gallicanis abrogatus est, falso inde concluderetur, gravem haesitationem in hoc textu expressam Ecclesias adhuc revera tenuisse.

Stat igitur firmiter traditio antiquissima, imo eo firmior quo validius procellam a decreto Gelasiano obortam superavit. Inspiciamus ergo, quaenam sit ista traditio, quid doceat: festa enim id valent, quod per eadem colitur. Iamvero hic testes adhibendi sunt tum Patres scriptoresque sacri, tum ipsae Liturgiae.

1) Si *Patres* scriptoresque sacros quaeris, ecce, - praecipuos dumtaxat nomino, - tibi occurrunt, non interrupta

[1] Cap. 8, 1148.

[2] *P. L.* CXXIII, 202. — Eadem verba alter refert.

[3] Vehementer etiam Adonem et Usuardum corripit Suarezius (In III P. S. Thom. Q. XXVII, a. 4).

[4] Eodem fere tempore anno 1672 Hierosolymis synodus contra Calvinistas collecta solemniter B. M. Assumptionem proclamavit.

caterva, S. Gregorius Turonensis, S. Gregorius M., S. Ildephonsus Toletanus, S. Modestus Hierosolym., S. Andreas Cretensis, S. Ioannes Damascenus, S. Nicephorus Constantinop., S. Theodorus Studita, S. Petrus Damiani, S. Bernardus, Fulbertus Carnutensis, Hugo Victorinus, B. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, S. Bernardinus Senensis, Facultas Parisiensis [1], S. Thomas a Villanova, Melchior Canus, Suarezius, Natalis Alexander, Bossuetius, Billuart, Gotti, Trombelli, etc., etc. [2], quorum unanimis devotionis ac fidei ducenti illi Patres Concilii Vaticani sese veluti interpretes constituerunt, in libello suo supplici ad Pium IX v. m. directo inter alia dicentes: « Gregorii Turonensis, Andreae Creten- « sis, Gregorii M. Pontificis, Ildephonsi Toletani Episcopi, « Ioannis Damasceni, Bernardi Abbatis assertiones praeclare « ostendunt, Beatissimam Virginem placida morte terris erep- « tam in caelis statim assumptam fuisse ».

2) Sed iam consulamus nonnulla *documenta liturgica* quibus manifestum fiat, hanc fidem fuisse in utraque Ecclesia publicam et indubitatam [3]. Unum tamen praemonemus. Licet antiquitus duplex haberetur festum dormitionis et assumptionis Deiparae, ita tamen celebrabantur ambo, ut nec a primo aspectu alter, nec ab altero prior aspectus excluderetur. Quod ex hoc solo apparet, quod multae conciones disertissime Assumptionem celebrantes inscribuntur tamen « in « Dormitione ». Unde iure optimo dixit Benedictus XIV: « Su- « mat quisque voluerit suam operam in vetustis monumentis « excutiendis, in quibus haec festivitas appellatur dormitio, « ac illud responsum habeat: in hac quaestione idem valere « dormitionem et assumptionem » [4]. Quae animadversio factis ipsis inconcusse suffulta, ideo magni momenti est, ne quis forte credat prius dumtaxat B. Virginis dormitionem cum tran-

[1] Anno 1497 haec Facultas privilegium Deiparae contra assertiones Ioannis Morcelli O. P. strenue vindicavit.

[2] Adde recentioribus Graecis Nicephorum Callistum († 1341), Ioannem Thessalonicensem († 1401) et Emmanuelem Palaeologum. Inter recentissimos theologos de Assumptione B. V. haud secus ac de eius Immac. Conceptione optime meritus est Passaglia (Op. cit. P. III, c. 6, art. 1, n. 1468).

[3] Superfluum est hic rursus monere, quae circa Immaculatam Conceptionem B. V. de vi liturgici cultus in Ecclesia recepti exposuimus. Haec et isto loco valeant.

[4] De Fest. B. V. M. P. II, n. 120.

situ animae celebratam esse, postea huic memoriae adnexum esse cultum Assumptionis.

Audi iam nonnullas antiquas formas liturgicas *a*) Ecclesiae *Occidentalis*. In sacramentario Gelasiano in Missa Assumptionis diei XV Augusti sacerdos orat: « Accipe munera, « Domine, quae in B. Mariae iterata solemnitate deferimus, « quia ad tua praeconia recurrit ad laudem, quod vere talis « assumpta est » [1]. In Sacramentario Gregorii M. pro eodem festo oratur: « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festi- « vitas, in qua S. Dei Genitrix mortem subiit temporalem: « nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum « de se genuit incarnatum ». In Sacramentario Gothico legitur: « Generosae diei dominicae Genitricis inexplicabile sacra- « mentum, tanto magis praeconabile, quantum est inter ho- « mines assumptione virginis singulare apud quam vitae « integritas obtinuit Filium, et mors non invenit par exem- « plum. Nec minus ingerens stuporem de transitu, quam « exultationem ferens unico beata de partu. Non solum mira- « bilis pignore, quod fide concepit, sed translatione praedi- « cabilis qua migravit » [2]. - In liturgia Mozarabica habetur: « Ingenite Pater... sicut illa hodie inter Angelorum virginum- « que choros meruit assumi, sive dono illibatae carnis feli- « citer iucundari, sic nos beatiores ibidem misericorditer « admitte » [3]. - Ecclesia Mediolanensis eloquenter quoque Mariae privilegium celebrat. In Praefatione vigiliae Assumptionis oratur, quod superius a Sacramentario Gregoriano deprompsimus. In ipso autem die haec dicuntur: « Æquum et « salutare, nos te in tuis sacratissimis virginibus exultanti- « bus animis laudare, benedicere et praedicare. Inter quas « beata Dei Genitrix intemerata Virgo Maria gloriosissime « fulget, cuius Assumptionis diem omni devotione colendum « praesenti sacrificio celebremus » [4].

b) Nec minus expresse *Orientalis* Ecclesia in his laudibus consonat. Ex Menaeis a S. Sabba uti aiunt, collectis

[1] *P. L.* LXXIV, 1174.

[2] Plura lege ibidem. *P. L.* LXXII.

[3] *P. L.* LXXXV, 822.

[4] Omitto argumentum ducere e recentioribus fontibus, uti sunt imprimis Missale et Breviarum Romanum; sunt quippe prae manibus omnium, nec esset dicendi finis, si cuncta quae praebent, hic forent adducenda.

sequentia verba attulisse sufficiat. In Men. diei 17 Aug. legitur: « Filius tuus Deusque noster, ut fidem duarum, quas « habet, naturarum, stabiliret, mortuus est quidem ut homo, « sed resurrexit ut Deus. Te quoque mori, o Genitrix Dei, « ad praescriptum naturae perplacuit Deo, ne a fide alie- « nis Incarnatio Christi tanquam phantasma videretur, ut « cuius Mater mortalis non esset. Migrasti autem a terra « in caelos, veluti sponsa de thalamo tuo, seu tabernaculo « progressa. Et quemadmodum terram illuminasti pariendo, « sic et aethera sanctificasti ascendendo. Interim Apostoli « intaminatissimum funus tuum curarunt, atque inter exe- « quias viderunt et corpus tuum sublime abiisse haec omnino « verba cum metu praefati: " Haec est mutatio dexterae « Excelsi " » [1].

Ecclesiam Orientalem in hac fide constanter perstitisse, docet declaratio synodi episc. Armenorum anno 1342 collectae: « Sciendum est, quod Ecclesia Armenorum credit et « tenet, quod S. Dei Genitrix virtute Christi assumpta fuit « in caelum cum corpore ». Docet recentior synodus Hierosolymis anno 1672 adversus Calvinistas adunata: « Ipsa est « procul dubio Virgo Sanctissima, quae magna in terra « signum cum exstiterit, eo quod Deum in carne genuit et « post partum integerrime virgo permansit, recte etiam « signum esse dicitur in caelo, eo quod ipsa cum corpore « assumpta est in caelum. Et quamvis conclusum in sepul- « chro fuerit immaculatum corporis eius tabernaculum, in « caelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa « die in caelum migravit ».

Ex hac concordi traditione utriusque Ecclesiae concludere liceat cum Benedicto XIV: « Si Ecclesia non modo « assumptam in caelum Virginem celebrat die XV Aug. et « aliis sequentibus, sed etiam homilias sanctorum Dama- « sceni et Bernardi legendas fidelibus tradit, quae corpore « simul et anima assumptam disertissimis verbis affirmant,

[1] Ps. LXXVI, 11. Si, uti non pauci opinantur, B. Virgo non multos annos Filio supervixit, facile potuerunt Apostoli funus Deiparae conducere. Quod funus Hierosolymis peractum omnes praecitatae narrationes affirmant. Catherina autem Emmerich, (cuius dictae illustrationes valeant quod valent), describit haec ut Ephesi peracta.

« de eius auctoritate et suffragio neutiquam dubitandum « esse videtur » [1].

III) Perpenduntur rationes theologicae.

Iam libremus praecipuas rationes theologicas quibus haec constans traditio dogmatice fulcitur. In qua expositione veluti tesseram adhibebimus verba Patrum Concilii Vaticani, qui in laudata sua postulatione haec habent: « Piae et reli- « giosae sententiae de assumpto in caelos Virginis corpore « rationes etiam theologicae suffragantur petitae ex digni- « tate Matris Dei, ab excellenti virginitate, ab insigni super « omnes homines et angelos sanctitate, ex intima cum Chri- « sto Filio coniunctione et consensione, ex Filii in Matrem « dignissimo affectu ». Quibus breviter per partes evolutis unam alteramve rationem addemus.

1) *Dignitas Matris Dei* Assumptionem expostulat. Hanc rationem iidem Patres potissimam iure appellant: « Si enim « Christi caro, caro Mariae est, prout ille corruptionem mi- « nime vidit, ita et ista ». Quod argumentum iam superius a ps.-Augustino auditum, apud Patres et in Liturgiis passim occurrit. Potest autem evolvi *a*) indirecte et *b*) directe:

a) *Indirecte* evolvitur per medium incorruptionis, hoc pacto. Caro B. Virginis debuit remanere incorrupta; atqui si incorrupta remansit, assumptione debuit in caelum transferri. Nexus inter utrumque iam exprimitur a S. Petro qui de Christo ex incorruptione sepulchri arguit ad resurrectionem [2]. Eumdemque nexum Patres passim supponunt.

b) *Directe* argumentum evolvitur considerando tum respectum Mariae ad Christum, tum respectum Christi ad Mariam.

α) Respectus Mariae ad Christum est proprie respectus *maternus*. Hunc respectum laudatus ps.-Augustinus, et cum eo multi scriptores eloquenter exponunt. Breviter et optime S. Germanus Constantinop.: « Impossibile erat, ut mortuo- « rum sepulchro clausum teneretur, quod vas Dei susce-

[1] *De Canonis. SS.*, l. I, c. 42, 15

[2] Act. II, 24.

« ptivum esset, ac sanctissimae Unigeniti Deitatis animatum « templum » [1]. - Potest etiam hic respectus exhiberi sub ratione sublimissimi ministerii, quod beata Virgo in ordine Incarnationis exercuit, ac ita praesenti mysterio applicari illud Christi verbum: « Ubi sum ego, illic et minister meus « erit » [2].

β) Respectus Christi ad Mariam est potius respectus *filialis*. Huc facit maxime illud: « Potuit, decuit, ergo fecit », quatenus nisi Christus Matrem exaltasset, videretur in filiali pietate infra Matris meritis egisse. Bene ps.-Augustinus: « Numquid non pertinet ad benignitatem Domini, Matris « servare honorem, qui Legem non venerat solvere sed « adimplere? [3] Lex enim sicut honorem matris praecipit, « ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita prae caeteris « illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere sin- « gulari salvatione in morte, et speciali gratia honorasse » [4]. Utrumque respectum coniungit Bossuetius: « Il y a un « enchaînement admirable entre les mystères du Christia- « nisme; et celui de l'Assomption de Marie a une liaison « particulière avec l'Incarnation du Verbe Eternel. Car si « la divine Marie a reçu autrefois le Sauveur Jésus, il est « juste que le Sauveur reçoive à son tour l'heureuse Marie; « et n'ayant pas dédaigné de descendre en elle, il devait « ensuite l'élever à soi pour la faire entrer dans sa gloire » [5].

Totum hoc argumentum comprehendunt sequentia verba S. Germani: « Neque enim fieri poterat, ut quae Dei capax « vasculum esses, emortuum corpus corrumpente diffluere- « pulvere. Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus « erat a principio, ac vitae saeculis antiquior; utique par « quoque erat, ut Vitae Mater, vitae pariter contubernalis « fieret, dormitionemque somni instar susciperet ac migra- « tionem, haud secus atque expergefactionem, ceu Vitae « Parens, subiret. Uti enim caro proles propriam quaerit ac « desiderat parentem, atque parens vicissim cum prole amat

[1] Orat. I, *in Dormit.* — *P. G.* XCVII, 346.

[2] IOANN. XII, 26.

[3] MATTH. V, 17.

[4] Loc. cit. c. 5. — *P. L.* XL, 1145.

[5] *Exorde du 1r. Serm. pour la fête de l'Assomption.* Lege quidquid magnus iste orator de hoc mysterio habet.

« versari, ita et se, quae prolis amantibus in Filium tuum « ac Deum visceribus praedita esset, congruum erat redire « ad Filium; par vicissim erat, ut pro ea, qua Deus ad Ma- « trem haberet amoris affectione suam sibi contubernalem, « consuetudine donans, adpingeret » [1]. Has rationes opinor tam solidas, ut qui eas inficietur, nec Matris nec Filii titulum in Maria et in Christo perpendere videatur.

2) *Excellentia Virginis* idem sibi privilegium vindicat. Etenim si attenduntur prodigia quibus Christus Matris integritatem summo veluti zelo custodivit, ut Virgo esset in conceptione, in partu, intemerataque permaneret post partum: quomodo ultimum honorem honoratissimo corpori Matris recusasset? Recolantur hic verba superius e Sacramentario Gothico desumpta. Est argumentum petitum ex harmonia, quae in operibus gratiae semper adest, eoque splendidior quo perfectius creatura gratiam in se recepit atque faecundavit. Optime S. Ioannes Damascenus: « Tibi Rex omnium « Deus, quae supra naturam sunt impertit; sicut enim in « partu te Virginem custodivit, ita in sepulchro corpus tuum « servavit incorruptum; divinaque translatione glorificavit, « te Matrem utpote Filius donis augens » [2]. Recte igitur de virginitate Deiparae ait Bossuetius: « Elle est comme un « baume divin, qui préserve de corruption le corps de « Marie » [3]. Huc spectabat directe Arcae foederis symbolismus, quem superius evolvimus.

3) *Sanctitas Immaculata B. Virginis* pariter eius assumptionem exposcit, maxime *Immaculata* eius *Conceptio,* uti optime dixerunt laudati Patres Concilii Vaticani: « Immacu- « lata insuper Conceptio huc etiam potissimum spectat. Si « enim a labe peccati fuit immunis, ita etiam ab eiusdem « peccati poena, ideoque a corruptione carnis immunis esse « debuit ». Pulchre id iam evolvebat antiquum Missale Gallicanum: « Quod nec de corruptione suscepit contagium, nec « resolutionem pertulit in sepulchro, pollutione libera, ger- « mine gloriosa, assumptione secura, sumens vota de fructu, « non subdita dolori per partum, nec dolori per transitum ».

[1] Orat. II. — *P. G.* XCVIII. 347.
[2] In Men. die 15 Aug. *ad Matut.*
[3] Ibid. 2. point.

Rectissime proin dici potest Immaculatam Conceptionem, veluti terminum *a quo* appellare Assumptionem tamquam terminum *ad quem;* ita ut, nisi B. Virgo gloriose sit assumpta, aedificatio huius mirabilis templi veluti culmine careat, et « illa incorruptibilis ac deaurata foederis Arca » splendenti corona frustretur. Absit ut de aedificatione « Turris eburneae » valeat illud verbum Christi: « Coepit aedificare, et non potuit « consummare » [1]. Et sane Immaculata Conceptio ponit Mariam in ordine omnino singulari, in quo neminem habet consortem, quum simul sit redempta et omni labe expers. Oportet igitur ut quoad consummationem pariter unico privilegio fulgeat. Christus in caelos ascendit, quia Redemptor; Maria in caelos assumitur quia a Redemptore, ipsa tamen redempta, separari non potest. Vides proin, quanto iure superius ex plenitudine gratiarum Deiparae concessa ad Assumptionem eius concludere potuerimus [2].

4) *Coniunctio Matris cum Filio* pariter exigit Mariam non seiungi a Christo in gloria. Praeter respectum maternum et filialem quem modo exposuimus, haec coniunctio hic intelligenda est in munere et in vita. Si Christus est novus Adam, Maria est nova Eva. Quemadmodum ergo Christus per passionem et mortem in suam gloriam intravit, ita oportet ut Maria, consors passionis et mortis sui Filii, pariter cum illo triumphet. Oportet ut in caelo alterum sexum in gloria figuret. Huc faciunt verba Psalmistae et Cantici « Astitit Regina, etc. ». « Quae est ista quae ascendit, etc. »? Paucis hunc aspectum hic absolvimus, quia mox de B. V. exaltatione plura dicemus.

5) Hisce rationibus a Patribus Concilii Vaticani breviter comprehensis adde rationem petitam ex *absentia Reliquiarum* B. M. V. Quod argumentum ita contrahi potest. Nullibi unquam dictum est, reliquias B. M. V. asservari. Atqui hoc factum explicari decenter nequit, nisi corpus B. Virginis sit in caelos miraculose translatum. Et re quidem vera, si tanta devotione coluntur, v. gr., sepulchra Principum Apostolorum, si non semel per supernam manifestationem reli-

[1] Luc. xiv, 30.

[2] Quare et exordium Bullae *Ineffabilis* Assumptionem B. Virginis implicite continere, dicendum est.

quiae insigniores innotuerint, quomodo Deus tantum thesaurum inviolabili secreto obtegisset, nisi illum in caelestem patriam iamdudum collocasset? Iure ergo aiunt postulatores Patres Vaticani quorum verba huic parti nostrae investigationis finem imponant: « De hac Immaculatae Virginis re-
« surrectione et in caelos assumptione, uti ex concordi maio-
« rum consensu, et constanti, publico, solemnique cultu evin-
« citur, antiqua est utriusque Ecclesiae traditio, ad quam
« servandam rei manifesta cohaerentia cum aliis B. Virginis
« praerogativis, carentia reliquiarum, sepulchrumque cor-
« pore virgineo vacuum conspirabat » [1].

IV) **Definibilitas Assumptionis B. V. vindicatur.**

Quae in praecedentibus paginis evolvimus, iam declarant quid de hac quaestione moveri solita opinemur, utrum necne Assumptio B. M. V. sit veritas ab infallibili magisterio Ecclesiae definibilis ut dogma deinceps fide divina credendum. Quaestionem potius invertere liceat. Ecquid cur, quaeso, non esset definibilis? Si traditionem spectas, longe magis est de Assumptione B. Virginis quam de eius Immaculata Conceptione manifesta. Si Scripturam attendis, facilius quidem e Sacris Litteris eruitur Immaculata Conceptio quam Assumptio; at posita Immaculata Conceptione, ex eisdem plerumque argumentis adductis et aliis, vi harmoniae dogmaticae proxime Assumptio deducitur. Assumptionem autem esse per se factum aevi apostolici sat cum dogmate connexum, ut ex hac parte saltem definibilis sit, nemo sane negabit. Quare putamus optimo nexu ac iure postulatores definitionis ita Pium IX esse allocutos: « Quae cum ita sint, SS. Pater....
« Nos Vaticani Concilii a Te indicti Patres, et ad Tuos pe-
« des.... devote provoluti, Deiparam anima immaculata et
« virgineo corpore in caelos viventem, supremo tuo magi-
« sterio, in hac sacrosancta Synodo firmari, proclamari, defi-
« niri, enixis precibus postulamus ».

Quaeres. – Usquedum autem huius definitionis gaudium,

[1] De hoc argumento fusius disserit P. Renaudin O. S. B. in *Revue Thomiste* (1901-1902).

novaque gloria Ecclesiae obveniat, quonam certitudinis gradu potest ac debet assumptio B. Virginis certo tenenda a theologo proclamari?

Catherinus quidem putabat rem iam tempore suo esse de fide tenendam. Contra quem Suarezius, qui sane in huiusmodi quaestionibus non solet in mitius inclinari statuit: « Sententiam Assumptionis Virginis in corpore et anima in caelum non esse de fide, quia neque est ab Ecclesia definita, neque est testimonium Scripturae aut sufficiens traditio, quae infallibilem faciat fidem; tamen *summae temeritatis* reus crederetur, qui tam piam religiosamque sententiam hodie impugnaret » [1]. In eamdem, aut quasi eamdem censuram conveniunt Natalis Alexander [2], Billuart [3], Benedictus XIV [4], Gotti [5], Trombellius [6], aliique passim. Quae censura ob conspirationem mentium et cultus solemnitatem magis magisque excrescentem, sane hodie severior potius quam mitior esset ferenda.

B) De B. Virginis in caelo exaltatione.

Hucusque de quarto mysterio glorioso. Superest ut quaedam de quinto addamus, dignitatem illam praecelsam contemplantes qua Filius Matrem suam in caelorum summitate cumulavit. Quae sane dignitas animam Deiparae imprimis respicit, ita tamen ut et in corpus eius glorificatum redundet, secundum illud: « Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate » [7].

Uno verbo potest haec Deiparae exaltatio definiri, est condecens participatio dignitatis quam Christus a dextris Patris sedens in mercedem sui operis salvifici accepit. Si Christus novus Adam, Maria Eva nova; si Christus Sponsus, Maria Sponsa; si Christus Rex, Maria Regina; si Christus Mediator, Maria et ipsa in ordine suo Mediatrix.

[1] III P. Q. XXXVII, art. 4. Disp. 25, s. 2.
[2] *H. E.* l. II (§ unico de libro ps. Melitonis).
[3] *Summ. Theol.* tit. VIII, art. 2.
[4] Op. cit. Tom. X, *De festo Ass.* n. 18.
[5] *Verit. relig. Chr.* t. IV, pars alt. c. 41, § 2.
[6] *Vit. Deip.* in dist. XXXV, q. 3.
[7] Ps. XLIV, 10.

Tunc verificata sunt symbola matris Salomonis, Esther et Iudith: « Surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, « et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri « regis, quae sedit ad dexteram eius » [1]; « Et posuit diadema « regni in capite eius...; dixitque ei rex: Quid petis, ut « detur tibi? etiam si dimidiam partem regni petieris, impe- « trabis » [2]; « Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: « Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia « populi nostri » [3]. Vide quanta contineantur in sponsali invitatione Cantici: « Veni de Libano, sponsa mea, veni de « Libano, veni: coronaberis! » [4]. Quantamque gloriam secum involvat effusio sponsalis amoris: « Laeva eius sub capite « meo, et dextera illius amplexabitur me » [5].

Nil mirum proin, si Ecclesia Mariam sub titulo Reginae ac Dominae libentius invocat: « Salve Regina, Mater Miseri- « cordiae! »; « Regina caeli, laetare »; « Ave Regina caelo- « rum; ave Domina Angelorum »; « Regina Angelorum, « Regina Patriarcharum, etc. etc. »; « O Gloriosa Domina « excelsa super sidera! ». Et in Assumptionis Festo Ecclesia intonat: « Assumpta est Maria in caelum, gaudent Angeli, « laudantes benedicunt Dominum »; « Maria Virgo assumpta « est ad aethereum thalamum, in quo Rex regum stellato « sedet solio » [6].

Hunc exaltatae Virginis splendorem Dantes Aligherius variis in locis poëmatis sui cantavit. Duos saltem textus afferre liceat. Supereminentiam Mariae prae omnibus Sanctis et Angelis ita depingit:

Ma guarda i cerchi fino al più remoto,
Tanto che veggi seder la Regina,
Cui questo regno è suddito e devoto.

Io levai gli occhi; e come da mattina
La parte oriental dell'orizzonte
Soperchia quella dove il sol declina,

[1] III. Reg. ii, 19.
[2] Esther, ii, 17; v, 6.
[3] Iudith, xv, 10.
[4] Cant. ii, 8.
[5] Ibid. ii, 6. Adverte, hunc gestum quasi supponere Mariam a dextris Christi sedentem, sicuti de matre Salomonis narratur.
[6] Ant. ad Vesp.

Così, quasi di valle andando a monte
Con gli occhi, vidi parte nello stremo
Vincer di lume tutta l'altra fronte.

. . . . . .

Ed a quel mezzo con le penne sparte,
Vidi più di mille angeli festanti,
Ciascun distinto e di fulgore e d'arte,

Vidi quivi a' lor giuochi ed a' lor canti
Ridere una bellezza, che letizia
Era negli occhi a tutti gli altri Santi [1].

Tantam autem gratiam in Mariam a Christo derivari, celebrat hisce carminibus vere caelestibus:

Riguarda omai nella faccia ch' a Cristo
Più s'assomiglia, chè la sua chiarezza
Sola ti può disporre a veder Cristo.

Io vidi sovra lei tanta allegrezza
Piover, portata nelle menti sante,
Create a trasvolar per quella altezza,

Che, quantunque l'avea visto davante,
Di tanta ammirazion non mi sospese,
Ne mi mostrò di Dio tanto sembiante.

E quell'amor che primo lì discese
Cantando: « Ave Maria, gratia plena »,
Dinanzi a lei le sue ali distese.

Rispose alla divina cantilena
Da tutte parti la beata Corte,
Sì ch'ogni vista sen fe' più serena [2].

Iam vero, quis non videat hanc B. Virginis associationem gloriae divini sui Filii exigere, uti modo dicebamus, ut a dextris Christi Regis in anima et corpore gloriosi adstet Maria Regina non in anima tantum sed et in corpore mirabiliter rutilans? Inde Ecclesia intimo nexu coniungit Deiparae Assumptionem cum potenti intercessione quam apud Filium pro nobis in caelis exercet: « Munera, Domine, apud tuam « clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco « de praesenti saeculo transtulisti, ut pro peccatis nostris « fiducialiter intercedat » [3].

[1] *Parad.* Cant XXXI, v. 115, sqq.; 130, sqq.

[2] *Parad.* Cant. XXXII, v. 85, sqq. — De singulari devotione qua Dantes in Deiparam ardebat, lege orationem Illmi Iac. Poletto *(Maria e la divina Commedia).*

[3] Secret. in Vigil. Assumptionis.

De qua B. Virginis potentissima intercessione, sive mediatione, in praecedentibus iam sat diximus, ut ex una parte excellentia huius officii eluceat, et ex altera parte haec ipsa excellentia, pars hyperdulici cultus, in latriae cultum Christo Deoque servatum redundare probetur [1].

MEMBRUM IV.

DE IUDICIARIA POTESTATE CHRISTI.

QUAESTIO LIX.

Ordo Quaestionis. - 'S. Thomas tria quaerit:

1) de *subiecto* iudiciariae potestatis: { *a*) Christus (1), *b*) ut homo (2);

2) de *causa* huius potestatis (3);

3) de *obiecto* huius potestatis: { *a*) quoad homines (4), *b*) in utroque iudicio (5), *c*) quoad Angelos (6).

Ultimam hanc Quaestionem liceat pariter absolvere paucis, quum de hoc argumento sermo redeat in Eschatologia.

ARTICULI I ET II.

UTRUM IUDICARIA POTESTAS SIT ATTRIBUENDA 1) SPECIALITER CHRISTO, 2) SECUNDUM QUOD EST HOMO.

Tam intime rursus connectuntur isti duo articuli, ut praemissis quibusdam considerationibus de ipsa potestate iudi-

[1] De Assumptione et exaltatione B. M. Virginis praeter theologos passim qui de Mariologia tractaverunt, lege P. LÉPICIER (op. cit. p. 288, sqq.; necnon 367, sqq.); TERRIEN (*La Mère de Dieu et la Mère des Hommes.* — Prem. part. t. I, l. VIII, 2-5, p. 240 ch. sqq.); D. PAUL. RENAUDIN O. S. B. (*De la définition dogmatique de l'Assomption de la T. S. Vierge. — Dissertation théologique.* — Angers 1900); in qua dissertatione traditio liturgica et patristica erudite exponitur; pars autem theologica sive dogmatica evolvitur minus.

ciaria, duplicis ope conclusionis veluti per modum unius exponendi videantur.

1) Iudiciariam potestatem ad perfectionem societatis spectare [1] manifestum est. Quare nihil absurdius quam ipsi Deo denegare potestatem Iudicis supremi. Idem esset ac ei detrahere dominium universi, gubernationemque rerum iuxta altissima veritatis et iustitiae dictamina. Inde ab ipsis mundi exordiis Deus apparet Iudex: Angelos rebelles ad inferos in aeternum deiicit; protoparentes paradiso pulsos aerummis devovet per saecula in posteros transmittendis. Decursu temporum, in diluvio, in excidio Sodomorum, in captivitate Babylonica, in ruina Hierusalem, etc., de maioribus culpis maiorem vindictam sumit ultor novissimoque iudicio claudet historiam mundi.

2) At pariter Christo competere iudiciariam potestatem, extra controversiam est. Ipse enim expresse proclamat de se: « Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio « habere vitam in semetipso: et potestatem dedit ei iudicium « facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia « venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient « vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt, in resur- « rectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem « iudicii. Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut « audio iudico et iudicium meum iustum est » [2]. Integrum locum adduxi, utpote ad quem saepius in sequentibus erit redeundum. - Inde qui iudicium ultimum exercebit est ipse « Filius hominis »: « Cum autem venerit Filius hominis in « maiestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super « sedem maiestatis suae, et congrebabuntur ante eum omnes « gentes et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat « oves ab haedis » [3]. - Ad hanc supremam potestatem Christus passionis suae tempore coram summo sacerdote provocat: « Tu dixisti: verumtamen dico vobis, amodo videbitis « Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venien- « tem in nubibus caeli » [4]. - Apostoli hanc potestatem Christo

[1] Inde enim hanc Ecclesia contra iuris sui oppressores tam strenue sibi debitam vindicat, quippe quam Apostoli iam exercuerint et proclamaverint.

[2] Ioann. v, 26-30. — Cf. superius v. 22, in 1 Concl. mox afferendum.

[3] Matth. xxv, 31, sq.

[4] Matth. xxvi, 64.

collatam optime intellexerunt. Petrus, v. gr., in domo Cornelii ait: « Praecepit nobis (Christus) praedicare populo, et testi- « ficari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vi- « vorum et mortuorum » [1]. Inde haec veritas Symbolo inserta est tanquam ad principaliora fidei pertinens. Antiquissima forma Romana Symboli habet: « Sedet ad dexteram Patris, « inde venturus est iudicare vivos et mortuos » [2]; in *Credo* Missae canitur: « Et iterum venturus est cum gloria iudi- « care vivos et mortuos »; et in hymno *Te Deum:* « Iudex « crederis esse venturus ».

3) Duo igitur quum certissima sint, Iudicem esse Deum et Christum, quaeritur de Christo, utrum sit Iudex ut Deus, an ut homo. Ubi adverte tres dari possibilitates: Christum esse Iudicem *a*) unice secundum quod est Deus, *b*) unice secundum quod est homo, *c*) simul secundum quod est Deus et homo. Haec tertia solutio verum dicit. Quo plenior autem appareat, oportet duo prae oculis habere.

a) In potestate iudiciaria alia sunt veluti praeambula, sive conditio praerequisita ut quis iudicium recte exercere possit: dominium scilicet in subditos iudicandos, et libertas ab omni passione extranea iudicio; aliud est id quod ipsum iudicium constituit: sapiens scilicet applicatio normae aequitatis. - *b*) Potestas iudiciaria potest esse alia primaria, alia delegata. - *c*) Pariter potest alicui prae alio tribui vel proprie vel per appropriationem nonnisi.

His praemissis iam ad conclusiones accedamus.

I. **Concl.** (**Art. I.**) *Iudiciaria potestas speciali titulo tribuenda est Christo in quantum est Deus, Verbum, Sapientia Patris.*

Deum simpliciter, id est totam SS. Trinitatem esse universi Iudicem, negari nequit: est enim unus Dominus, unus Legislator, et iudicium est expressio huius dominii in urgendo leges. Imo non deest ratio ob quam iudicium fontaliter tribuatur Patri, tanquam Principio sine principio, et Spiritui Sancto, tanquam Dono sapientiae. Attamen, quum iuxta dicta 3) *a*), iudicium proprie consistat in applicatione aeternae sapientiae, et ipse Filius, utpote procedens per intellectum

[1] Act. x, 42. — Cf. Rom. xiv, 10.

[2] Denzinger (op. cit. n. 2. — Cf. alia Symbola ibidem).

sit sapientia Patris, nihil magis obvium quam ut iudicium speciali titulo Christo, tanquam Filio Patris tribuatur.

At non ideo, quia specialiter tribuitur Filio, tribuitur ei independenter a Patre. Quin imo, quum hanc ipsam sapientiam habeat a Patre, secundum eamdem habet a Patre quomodo iudicet. Inde verba relata superius: « Non possum ego a « meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico » [1]. Quae verba per seipsa sumpta, possunt quidem intelligi de Christo secundum quod est homo, iuxta doctrinam in altera conclusione mox evolvendam. Dicta autem sunt potius de Filio relate ad Patrem, quemadmodum paulo ante in eodem sermone dixerat: « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod « viderit Patrem facientem » [2].

Duo igitur simul stant: Filium habere a Patre ut iudicet, et nihilominus Patrem non iudicare nisi per Filium: « Neque enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium « dedit Filio » [3].

II. **Concl.** (**Art. II.**) *Iudiciaria potestas speciali titulo tribuenda est Christo etiam secundum quod est homo.* Factum stat ex modo loquendi Scripturarum. Filius enim hominis dicitur ille, cui competit exercere iudicium. Iam vero hoc nomine in hoc munere non bene vocaretur, nisi hoc munus relationem haberet cum humana Verbi natura.

Non quasi iam desinat Christus iudicare ut Deus. Nam si Pater ipse, licet per Filium iudicet, dat nihilominus Filio ut iudicet et quomodo iudicet, a fortiori iudicium commissum Filio hominis nullum detrimentum facit iudiciariae potestati totius Trinitatis. Sed Christus ut homo habet titulum specialem ut sit iudicii universalis praeco et minister.

a) Fundamentum huius tituli est ipsa humana natura, qua sicuti affinis est nobis, ita nos omnes affines sumus ei. At in hac affinitate ipse nobis supereminet uti Caput; non solum

[1] Ioann. v. 30.

[2] Ibid. 19.

[3] Ibid. 22. Adverte similitudinem inter hanc sententiam et verba Ioannis: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil » *. Caeterum in hac oratione Domini iudicium apparet tanquam unum e principibus operibus quae Pater agit per Filium.

* Ioann. I, 3.

quia ipse simul est Deus, sed etiam quia ut homo est novus Adam, ad quem in ordine gratiae omnes referuntur.

b) Adde iam relationem intimam inter resurrectionem corporis et iudicium ultimum. Convenit ergo ut, qui corpora est suscitaturus, ipse sit iudicaturus. Unde Christus ipse nexum inter utrumque exhibet arctissimum: « Et potestatem « dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est. Nolite « mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monu- « mentis sunt, audient vocem Filii Dei » [1].

Cave autem, ne hic incidas in circulationem. Superius resurrectionem Christi esse causam efficientem resurrectionis omnium corporum inde demonstravimus, ex hoc quod haec resurrectio est praeambulum iudicii, quod Christo glorioso competit. Hic autem probamus iudicium Christo competere, quia ad ipsum quoque spectat suscitare mortuos. Si ad utramque veritatem ostendendam non haberemus nisi mutuam hanc correlationem, circulatio non abesset. Quum autem utraque veritas aliunde quoque pateat, haec mutua correlatio potest sine vitio vicissim adduci.

c) Adde, aequum esse, ut mali quoque homines iudicem videant; quum autem hi iudicem Deum videre non possint, decet ut in forma hominis eum cernant.

Conclude ex dictis, potestatem iudiciariam Christi pertinere ad illam exaltationem quam celebrat Apostolus: « Et dedit ei « nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne « genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum » [2].

Quaeres, quid censendum sit de sententia S. Ioannis Chrysostomi, qui hanc secundam conclusionem non admittere videtur? Aliud est, quod S. Chrysostomus non admittat iudiciariam potestatem, subordinatam utique, pertinere ad Christum; quod certe non recusat, imo in aliis locis agnoscit: est enim apud omnes caeteroquin res in confesso. Aliud est, quod in loco aliter intelligat nexum sententiarum. Animadvertens enim, ex una parte versum praecedentem agere de Christo ut Filio Patris: « Sicut enim Pater habet vitam in semet- « ipso; sic dedit et Filio habere vitam in semetipso »; [3] ex

[1] Ioann. v. 27, sq.
[2] Philipp, ii, 9, sq.
[3] Ioann. v. 26.

altera autem oppositionem inter verba « Filius hominis » et « Filii Dei » ; S. Chrysostomus putavit, verba: « Et potesta- « tem dedit ei iudicium facere », complere sententiam praecedentem, quae agit de Verbo uti Verbo. Sequentia autem verba immediate coniunxit cum versu sequenti: « Quia Filius « hominis est, nolite mirari hoc ». Scilicet non uti Filius hominis Christus est universalis iudex; sed est insimul Filius Dei, et sicuti omnes resurgent ad sonum vocis Filii Dei, ita eum quoque iudicem habebunt.

Ingeniosa quidem interpretatio, at subtilior quam solidior. Sensus enim obvius est alius, quem S. Augustinus exhibet, et quem prope universalis tenet traditio. Connexio insuper Scripturae hunc sensum vindicat, uti apparet ex locis in initio huius expositionis allatis.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS EX MERITIS ADEPTUS FUERIT IUDICIARIAM POTESTATEM.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Superius vidimus, Christum non nobis tantum meruisse, sed et sibi; meruisse autem sibi quidquid ad plenam gloriam sui muneris pertinebat, et quod non possidebat ab initio. Iam vero ad hanc plenam gloriam spectare munus iudicis, manifestum est. Ergo ut haec gloria a mercede Christi excluderetur, oporteret ut adesset aliqua ratio validissima.

2) Haec autem ratio non potest desumi ex hoc quod Christus, ut Deus, iam est omnium iudex. Nam non contendimus, Christum hanc potestatem sibi meruisse ut Deo, sed ut homini, iuxta doctrinam articuli praecedentis.

3) Nec valida ratio desumi potest a gratuitate gratiae Capitis, quae gratia continet in se potestatem iudiciariam. Dupliciter enim haec ratio deficit.

a) Non considerat, aliquid posse conferri alicui ex duplici titulo. Secus vel merita nostra non essent vera merita, vel non essent ex gratia. Gratuitas ergo gratiae Capitis non excludit meritum iudiciariae protestatis, at super gratiam Capitis fundatae. - *b*) Non distinguit in gratia Capitis funda-

mentum, quod unice ex gratia est, et explicationem plenam, quae Christi meritum supponit. Unde quod valet de merito mortis Christi relate ad resurrectionem gloriosam Christi et ad salutem mundi, valet quoque de merito relate ad potestatem iudiciariam. Nisi enim Christus fuisset Caput nostrum, mors eius salutem nostram operari potuisset; et resurrectio eius iam ipsi tanquam Capiti debebatur, quin inde excludatur meritum per mortem acquisitum.

4) Denique inefficax est ratio quae petitur ex affectu recto iudicandi quem gratia confert. Nam hic agitur de potestate iudiciaria omnino singulari, quae, licet habeat etiam relationem ad gratiam quoad affectum, fundatur tamen in titulo dominii universalis, distincto ab ista gratia, quantacumque etiam ponatur, uti erat in anima Christi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit iuxta gratiam unionis hypostaticae. Cf. n. 2.

2. Obi. Arguit a gratia Capitis. Cf. n. 3.

3. Obi. Procedit iuxta gratiam habitualem. Cf. n. 4.

Sed contra est. Nexum meriti inter passionem Christi et eius potestatem iudiciariam, S. Paulus exprimit in loco iam saepius adducto: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque « ad mortem, mortem autem crucis. *Propter quod* et Deus « exaltavit illum, etc. » [1]. Iam vero, uti in articulo praecedenti diximus, iudiciaria potestas Christi pertinet ad eius exaltationem; ergo et ad eius meritum.

Et sane, uti optime monet S. Augustinus, quemadmodum Christi resurrectio gloriosa respondet morti, et ascensio mirabilis respondet eius descensui; ita potestas iudiciaria Christi respondet eius iniquae damnationi. Hoc ipse Iesus insinuavit in passione sua, quando principi sacerdoti sciscitanti, num ipse esset Christus Filius Dei vivi, respondit: « Tu dixisti, « verumtamen dico vobis: amodo videbitis etc. » [2]. Quasi diceret: Utique ego sum quem tu petis; nec ignoro damnationem, quae me ob hanc confessionem exspectat. Sed in praemium mortis iniquo iudicio mihi illatae, potestatem accipiam

[1] PHILIPP. II, 8, seq.
[2] MATTH. XXVI, 64.

iudicandi cum maiestate orbem universum, imprimis autem iudices meos.

Huc quoque faciunt verba Christi ad suos discipulos. « Amen « dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, « quum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sede- « bitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tri- « bus Israël [1]. Adde diserta verba S. Pauli: « In hoc enim « Christus mortuus est, et resurrexit; ut et mortuorum et « vivorum dominetur » [2]. Haec autem dominatio est in ordine ad iudicium. Ergo hanc Christus per mortem meritus est. Si enim Apostolis in mercedem fidelitatis, qua, relictis omnibus, Christo adhaeserunt promittitur participatio ad iudiciariam potestatem Christi, quid aequius quam in ipso quoque Christo hanc potestatem habere rationem mercedis pro fidelitate suprema, qua munus suum consummavit?

Hanc participationem bene illustrat S. Ambrosius, ostendens simul hanc sedem iudiciariam in sensu spirituali esse intelligendam: « Non victus et potus nobis praemii loco « spondetur et honoris, sed communicatio gratiae caelestis « et vitae. Neque duodecim throni tanquam aliqua corpo- « ralis sunt receptacula sessionis; sed quia sicut secundum « divinam similitudinem iudicat Christus cognitione cordium, « non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impie- « tatemque condemnans: ita et Apostoli in iudicium spiri- « tale formantur remuneratione fidei, et execratione perfi- « diae, virtute errorum redarguentes, sacrilegos odio perse- « quentes » [3].

In Corpore. Praemisso principio, quod aliquid idem potest multiplici titulo possideri, S. Thomas agnoscit quidem in iudiciaria potestate Christi titulum unionis hypostaticae, Capitis et plenitudinis gratiae; et simul vindicat titulum mercedis.

Corollarium. - Correlatio quae existit inter iniquam damnationem Iesu et eius potestatem iudiciariam perdurat decursu saeculorum. Quotiescumque enim Christi ministri atque fideles pravo mundi iudicio succumbunt, toties Christo ve-

[1] Matth. xix, 28.
[2] Rom. xiv, 9.
[3] In Luc. c. xxii, lib. x, n. 49. — *P. L.* xv, 1816.

luti novus titulus accrescit, ut de inimicis suis in iudicio triumphet. Inde autem Apostoli, qua repraesentant Ecclesiam universam, ut iniustitia in eam eiusque membra commissa per ipsas victimas iam exaltatas fortius vindicetur, Christo coniudicaturi assidebunt. Huic potestati omnes iusti unusquisque gradu suo participabit. Deus enim ipse bonos contra malos armabit: « Acuet autem duram iram in lan- « ceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insen- « satos » [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT IUDICIARIA POTESTAS QUANTUM AD OMNES RES HUMANAS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) De subiecto ac titulo potestatis iudiciariae diximus. Iam de eius extensione, et primo quidem quoad omnes res humanas. Porro quum in Christo Iudice distinguendi sint Filius Dei et Filius hominis, haec ipsa potestas quoad omnes res humanas iuxta utrumque consideranda est.

2) De primo aspectu superfluum est disserere. Conditor universi, Rex et Legislator sit oportet, ac proin Iudex. Hoc dominium iudiciarium Deus exercet in historia mundi, quando iuxta arcana sua iudicia potestatem ab una natione ad aliam transfert, modo deiiciens modo extollens. Quod dominium sublimi eloquio celebravit Bossuetius in celebri exordio orationis funebris pro regina Angliae: « Celui qui règne dans « les cieux, etc. ». Quare sicut Pater omnia facit per Verbum, ita per Verbum, ac proin per Christum omnia iudicat.

3) Sed estne haec potestas iudiciaria quoad omnes res humanas etiam agnoscenda in Christo uti Filio hominis? Responsum patet. Ad haec omnia haec potestas est extendenda, si nulla sit limitationis ratio in titulis quibus innititur. Iam vero, uti vidimus, hi tituli sunt, - praeter unionem hypostaticam, quae redundat in divinitatem, - meritum, gratia Capitis et plenitudo gratiae habitualis.

[1] Sap. v, 21.

a) *Meritum* se extendit ad omnes et ad omnia. α) Ad omnes, nam id apparet ex descriptione ultimi iudicii, iuxta sermonem Domini superius allatum; necnon ex verbis S. Pauli quae ad hunc locum distulimus: « Omnes enim stabimus ante « tribunal Christi » [1]. Iam vero praecedentia verba exhibent hanc potestatem uti merito passionis acquisitam; ergo est potestas Christi uti Filii hominis. - β) Ad omnia pariter se extendere demonstratur ex visione in qua Daniel vidit Filium hominis accedentem ad Antiquum dierum: « Et dedit « ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tri- « bus et linguae servient ei » [2].

b) *Gratia capitis* pariter omnia continet. Si enim caput dominatur omnibus membris ob excellentiam qua pollet, Christus uti Caput non solum hominibus quos salvavit, sed, vi eiusdem proportionis, omnibus aliis rebus in ordine ad salutem hominum dominetur oportet. Sicut enim opus salutis definitur a S. Paulo « instaurare omnia in Christo, » ita consummatio eiusdem operis dici potest: « iudicare omnia « per Christum ».

c) *Plenitudo gratiae habitualis* eamdem universalitatem continet. Sicuti enim qui stat in cacumine montis, uno ictu oculi circumspicit quaecumque sol illuminat in valle, ita anima Christi per gratiarum plenitudinem usque ad summa deitatis advecta, ex hac celsitudine sapientissimo lumine cuncta penetrat atque iudicio discernit. Quod enim S. Paulus iam tribuit gratiae fidelium: « spiritualis iudicat omnia » [3] plenissime de anima Christi verum sit oportet.

4) Hic autem sedulo distingue *a*) inter ius et usum iuris, *b*) rursus inter ius in rem et usum rei. - *a*) Quoad ius Christus, sicut habet dominium universi, ita quoque de omnibus iudicare posset, sicut regere omnes civitates. Quod si interdum se subtrahit a temporalibus quo spiritualia magis emineant, non ideo non habet ius in omnes res humanas. - *b*) Pariter alia sunt quidem Christi destinatione, quin iam sint re. Sed haec distinctio magis spectat ad ordinem supernaturalem regni Christi.

[1] Rom. xiv, 10.
[2] Dan. vii, 14.
[3] I. Cor. ii, 15.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 4) *a*).

2. Obi. Negligit dicta n. 4) *b*).

3. Obi. Non distinguit inter Filium Dei et Filium Hominis. Iudicium Filii hominis incipit ab Incarnatione; Iudicium Filii Dei a principio mundi.

Sed contra est. Exempla potestatis iudiciariae Dei in omnes res humanas habes in diluvio, in ruina Sodomorum, in punitione gentium quae populo Hebraico restiterant, etc. Quaestio est, utrum Deus eodem dominio usus sit quando, v. gr., spoliis Ægyptiorum ditavit Hebraeos, aut daemones immisit in porcos.

In Corpore. Distincto Filio Dei et Filio hominis, S. Thomas breviter demonstrat, 1) Christum iudicare omnes res humanas ut Filium Dei; 2) fusius probat hanc potestatem in Christo Filio hominis; *a*) ex plenitudine gratiae, *b*) ex plenitudine meriti, *c*) ex lege proportionis, arguendo a maiori ad minus.

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli duo sequuntur: 1) monstruositas civitatum in quibus a iuribus Christi omnino abstrahitur; 2) ingratitudo imo iniustitia populi, quem Deus provide posuit sub regimine Vicarii Sui tanquam custodem libertatis Ecclesiae, si, ob vanam libertatem falsamque patriae unitatem, iura ordinis inferioris extollens, altiora Christi iura pedibus conculcat.

Corollarium II. - Rursus ex hac doctrina sequitur ius Ecclesiae ut sua ipsa iudicet, suum possidens forum. Huc spectat, quod habet S. Paulus in prima epistola ad Corinthios: « Audet aliquis vestrum habens negotium adversus « alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? An « nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si « in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis « iudicetis? » [1].

[1] I. Cor. vi, 1, sq.

ARTICULUS V.

UTRUM POST IUDICIUM QUOD AGITUR IN PRAESENTI TEMPORE, RESTET ALIUD IUDICIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - Verbulum sufficiat de hoc quaesito, utpote quod recurret in tractatu de eschatologia.

1) Ex una parte certum est: *a*) animam in fine huius vitae ita iudicari, ut definitivum de ea iudicium feratur. Etenim si damnetur, nullam spem veniae servat [1]; si salvatur, nullo timore amittendae beatitudinis angetur; quodsi per purgatorium transire debeat, haec poena temporalis est, cui solutae, beatitudo sine fine succedit.

b) Certum est pariter, iudicium de eodem sub eodem aspectu non ferri nisi semel.

2) Sed ecce non desunt rationes quae exigant alterum iudicium in fine temporum publice coram omnibus hominibus et Angelis ferendum. *a*) Oportet ut mutabilia quae in sortem hominum influere possunt, si minus essentialiter, saltem accidentaliter, sese evolverint. - *b*) Oportet ut ipsa corpora, emenso mutabilitatum stadio, socientur animabus iuxta partem quam habuerint ad actionem animarum. - *c*) Imo absoluta evolutione historiae mundi, oportet ut veritas et sanctitas tam saepe oppressa decursu temporum, in fine triumphent, impiosque publice victoria sua confundant.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat nisi 1) *a*).

2. Obi. Non attendit nisi 1) *b*).

3. Obi. Praetermittit 2) *b*).

Sed contra est. Vis huius loci Ioannis [2] consistitit in usu Scripturarum, ex quo verba « in novissimo die » significant

[1] Hanc doctrinam temerarie recens impugnavit D. Schell, utpote antiqui erroris apokatastaseos instaurator. Sed iudicium in scripta huius theologi a S. Sede latum monet, quid de hac doctrina sit tenendum. — Quum autem criticus quidam vir publice dixerit, non improbabile sibi videri, iudicium preparatorium operum Cl. Schell fuisse a me confectum, unum salvo iuramento reponam: quomodo iudicium hoc tulissem ego, qui tunc temporis ad S. Indicis Congregationem nondum pertinebam?

[2] Ioann. xii, 48.

ultimum diem iudicii universalis [1], licet per se « novissimus « dies » sit unicuique dies mortis. - Hoc iudicium universale Liturgia describit in sublimi sequentia *Dies irae,* e qua saltem hosce versus afferre lubet:

« *Mors stupebit et natura,*
Cum resurget creatura
Iudicanti responsura.
Liber scriptus proferetur
In quo totum continetur
Unde mundus iudicetur.
Iudex ergo cum sedebit,
Quiquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.

Hunc autem Iudicem fore Christum, ex toto carmine apparet:

Recordare Iesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die! » [2].

Pariter in festis Apostolorum canitur:

Ut quum Iudex advenerit
Christus in fine saeculi,
Nos sempiterni gaudii
Faciat esse compotes [3].

In Corpore. S. Thomas evolvit considerationem quam breviter contraximus n. 2) *a.*

Mutabile autem secundum quid, ratione cuius praeter iudicium privatum in morte, iudicium ultimum ferendum est in fine mutationum, id est temporum, S. Th. ad quinque aspectus reducit: 1) ad memoriam, 2) ad filios, 3) ad effectum operum, 4) ad corpus, 5) ad ea in quibus homo affectum suum defixit.

Porro quando Angelicus ait: « De his omnibus perfectum « et manifestum iudicium haberi non potest, quamdiu huius

[1] Cf. illa Christi: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet « vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die ». Ioann. vi, 55.

[2] Ex hoc mirabili carmine, quod Thomae a Celano tribui solet, liceat rursus occasionem arripere ut studium etiam litterarium horum operum christianae artis iunioribus commendemus. Sed heu nimis! haec passim dimittuntur ab ipsis gymnasiis christianis; quasi nihil sit efficax ad iuvenum gustum excolendum, quod artis paganae non ferat sigillum! Cf. de hoc argumento Godefridum Kurth (*Les humanités chrétiennes,* - Discours prononcé au Collège S. Joseph à Virton, le 19 mars 1901).

[3] Hymn. Laud.

« temporis cursus durat », haec sententia non est intelligenda de Deo quippe cuius scientia non alligatur evolutioni rerum; sed de ipsis iudicandis, maxime si agatur de iudicio publico. Quare complenda est haec ratio per ea quae diximus n. 2) *c*.

Resp. ad 1.m Quod hic S. Th. defendit, de conditione scilicet animarum iustarum ante ultimum iudicium, expresse traditur in multis documentis Ecclesiae, qualia sunt: Confessio a Clemente IV proposita Michaëli Palaeologo, Constitutio « Benedictus Deus » Benedicti XII, Decretum unionis Graecorum Concilii Florentini, Professio Fidei a Gregorio XIII, nec non ab Urbano VIII et Benedicto XIV Graecis praescripta [1].

ARTICULUS VI.

UTRUM IUDICIARIA POTESTAS CHRISTI SE EXTENDAT AD ANGELOS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Aliter et aliter sese praesentat haec quaestio secundum sententiam quam quis tenet de lapsu daemonum et de perseverantia Angelorum. Si Deus-Homo Rex caelestis curiae ab exordio saeculorum praedestinatus fuit lapis offensionis, in quem impegerunt rebelles, manifestum est ad hunc Deum-Hominem, Filium hominis pertinere, ut iudicium tum de daemonibus in poenam, tum de Angelis bonis in mercedem solemni iudicio ratificet.

2) Si autem Verbum est caro factum ad redimendum genus humanum, quatenus ordo Incarnationis in mente divina fuit logice consequens ad ordinem Redemptionis, Christus nequit dici iudex Angelorum quoad mercedem essentialem, nisi quatenus est Deus.

3) At et tunc restat, ut sit eorum iudex secundum quod est homo, relate ad mercedem accidentalem. Tituli autem huius potestatis sunt plures. *a*) Primarius est ipsa unio hypostatica, quae confert Christo dignitatem longe superiorem dignitati angelicae. *b*) Accedit titulus meriti: nam si haec potestas est exaltatio praecellens, eo magis oportet ut ad

[1] DENZINGER (op. cit., n. 387, 456, 588, 870).

Christum ex mercede pertineat. Quod indicari videtur per verba Apostoli: « Ut in nomine Iesu omne genu flectatur « caelestium, terrestrium et infernorum » [1], ubi per caelestia et inferna indicari videntur Angeli boni et daemones. *c*) Tertius titulus est *Caput generis humani,* unde oportet quod Christus iudicet de omnibus, quae Angeli boni in salutem et daemones in perditionem hominum egerunt.

4) Hoc autem iudicium Christi non solum spectat ad praemium Angelorum vel poenam accidentalem daemonum, ob salutem aut perditionem hominum eorum ministerio stimulatam; sed respicit etiam dispensationem eorum quae tum per bonos tum per malos aguntur.

5) Adde rationem, quae respondet rationi in articulo praecedente n. 2. *c*) allatae. Confusio enim daemonum in ultimo iudicio exigit, ut et ipsi a Christo iudicentur; nec a Christo solum, sed a caelesti curia, ab Apostolis, a Sanctis omnibus cum Christo unitis; imprimis autem a Beatissima Virgine, quae in hoc solemni instanti ictu veluti supremo conteret serpentis caput.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat nisi mercedem et poenam essentialem; abstrahit a mercede et poena accidentali, necnon a iudicio dispensationis; insuper praetermittit rationem allatam n. 5.

2. Obi. Si valeret haec obiectio, neque Apostoli essent iudicandi, quia iudicabunt; imo nullus Sanctus, quum omnes aliquo gradu iudicabunt malos.

3. Obi. Non considerat rationem ministerii, ob quam, etsi Christus, secundum quod est homo, iudicet universum, non ideo est independens a supremo iudicio et dominio Dei.

Sed contra est. In loco S. Pauli hic allato angeli sumendi sunt pro daemonibus [2]. Bene Tertullianus: « Dolet diabolus, « quod ipsum et angelos eius Christi servus ille peccator iudi- « caturus est » [3]. Daemones et alibi in Scriptura vocari angelos, utpote ministros principis daemonum, constat [4]. Iudicium de

[1] Philipp. II, 10.
[2] Cf. Estium (hoc loco).
[3] *Lib. de poenit.* c. 7. — *P. L.* I, 1352.
[4] Cf. sententiam ferendam in damnatos.

angelis malis a Christo per crucem latum S. Paulus his quoque verbis describit: « exspolians principatus et pote- « states, traduxit confidenter, palam triumphans illos in se- « metipso » [1]. Quod iudicium de daemonibus Christus tulit etiam quotiescumque eos ab obsessorum corporibus expulit.

In Corpore. En argumentum S. Thomae schemate contractum:

- Christus iudicat Angelos
  - I) non solum in quantum est Deus;
  - II) sed in quantum est homo:
    - 1) tituli huius iudicii sunt:
      - *a*) excellentia ob unionem hypostaticam;
      - *b*) meritum exaltationis supremae;
      - c) dignitas Capitis hominum, quibus boni Angeli prosunt, vel mali nocent;
    - 2) exercet hoc iudicium:
      - *a*) quantum ad dispensationem eorum, quae per eos aguntur:
      - *b*) quantum ad eorum praemium vel poenam accidentalem;
      - *c*) quantum ad eorum praemium vel poenam essentialem. Sed hoc in quantum est Deus.

Corollarium. - Potestas iudicandi angelos, scilicet malos quam Paulus affirmat esse penes Christianos, ab Ecclesia modo speciali exercetur per exorcismos. Nisi enim Christus Ecclesiam suam participem fecisset dominationis, quam ipse in daemones exercet, non posset Ecclesia per sacramentalem permanentem ritum hanc potestatem transmittere suis ministris. Neque posset affigere quibusdam signis vel rebus virtutem specialem quasi sacramentalem. Efficacia aquae enim lustralis ad effugandos daemones notissima est.

Nec tacenda hic mirabilis virtus numismatis S. Benedicti, quod decursu saeculorum tot prodigia contra daemones operatum est, imo iugiter maxime in regionibus ethnicis operatur. Porro prima verba quae huic numismati inscribuntur, sunt iudicatoria: « Vade retro, Satana! ». Vis autem huius numismatis desumitur a Cruce iuxta illa quae Ecclesia canit

[1] Coloss. II, 15.

in festis SS. Crucis quibus verbis utpote totum Redemptoris opus complectentibus, hunc tractatum absolvere iuvat: « Ecce « crucem Domini: fugite partes adversae! vicit leo de tribu « Iuda, radix David, alleluia » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Officium iudicis continet potestatem coercendi subditos, zelum rectitudinis, sapientiam discernendi. Quum autem Filio tribuatur Sapientia, apparet competere iudiciariam potestatem Christo ut Deo (art. 1). - Sed et specialius competit ei ut est homo: Nam *a*) Caput est generis humani et Ecclesiae, *b*) specialem habet cum hominibus affinitatem, *c*) ipse causa est resurrectionis corporum in ultimo iudicio, et *d*) ipso iudice, damnati, qui Deum videre nequeunt, non condemnantur quin cernant se damnantem (art. 2). - Quae potestas iudiciaria Christo multiplici titulo competit: *a*) ex divinitate, *b*) ex unione hypostatica, *c*) ex gratia Capitis, *d*) ex merito (art. 3).

Porro si extensionem huius potestatis quaeris, nihil rerum humanarum ipsam fugit, nam *a*) unio animae Christi cum Deo summa est, *b*) meritum mortis infinitum, demum *c*) nihil humanarum rerum remanet salutis fini extraneum (art. 4). - Ex quo iam patet necessitas iudicii ultimi, quando omnes res humanae sese a causa ad ultimos effectus evolverint, tunc enim iudicabuntur singuli etiam iuxta ea quae quovis modo spectant *a*) ad memoriam eorum post mortem, *b*) ad filios ab eis procreatos, *c*) ad operum eorum effectus, *d*) ad honores corpori datos, *e*) ad res erga quas afficiebantur (art. 5). - Imo ad ipsos Angelos haec Christi iudiciaria potestas sese extendit. Christus enim praeest Angelis *a*) ratione assumptionis, *b*) ratione exaltationis ex merito, et *c*) ratione eorum quae ipsi Angeli circa homines operantur. Subsunt autem Angeli iudicio tum *a*) quoad dispensationem eorum quae per ipsos aguntur, tum *b*) quoad accidentalia praemiorum sive poenarum. Quoad essentialia enim ab initio iudicem habuerunt quidem Christum, sed unice ut est Deus (art. 6).

[1] Antiph. 3. Vesp. et Laud.

EPILOGUS.

« Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? » [1].

His olim verbis Praecursor discipulos suos ad Christum deputavit. Quae verba, haud secus ac qualitas mittentis, Messiam eloquenter designant, utpote in quem convergebat saecularis exspectatio populi Iudaici, imo et universi, et quem vatum ultimus felicior indigitaverat: « Ecce Agnus « Dei, ecce qui tollit peccatum mundi » [2].

Et sane messianitas Christi tanta luce clarescit, ut nonnisi ignorantia aut praeiudiciis aliunde obiectis obnubilari possit. Hanc quidem ostendebant ipsa portenta, quae Iesus in signum suae missionis operabatur. Unde nuntiis Ioannis respondit: « Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidi- « stis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, « surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. « Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me » [3].

Sed et ipsa Iudaici populi historia, ipsae prophetiae per totam vitam Christi mirabiliter impletae, pariter ostendunt Christum verum Messiam.

Quantopere a toto populo fuerit exspectatus Ille, qui esset liberaturus Israël, non modo demonstrant vicissitudines huius gentis, quae ex magna illa promissione divinitus sibi facta animum sumpsit per adiuncta durissima in poenam infidelitatis a Deo vindice immissa; sed et apparet ex animorum dispositione, quae in narratione evangelica ubique recurrit. Beata Virgo in cantico suo exclamat: « Suscepit Israël « puerum suum recordatus misericordiae suae, sicut locutus « est ad patres nostros Abraham et semini eius in saecula » [4].

[1] Matth. xi, 3.

[2] Ioann. i, 29.

[3] Matth. ibid. 4-6. — Ex his verbis ipsius Christi rursus vides, quanti in re apologetica momenti sint miracula a Christo patrata. — De quo argumento nuperrime scripsit Bernies *(Valeur apologétique du miracle)*.

[4] Luc. i, 54, sq.

Zacharias pariter eructat: « Benedictus Dominus Deus Israël, « quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae. Et erexit « cornu salutis nobis in domo David pueri sui; sicut locutus « est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius: « salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui ode- « runt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: « et memorari testamenti sui sancti: iusiurandum, quod iura- « vit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis ». Et missionem sui Filii exaltat: « Et tu puer, propheta Altissimi « vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini, parare vias « eius » [1]. Quae omnia verba eloquenter probant, animam huius populi Iudaici fuisse exspectationem salutis per Messiam promissae. Idem evincit brevis illa sed uberrima exclamatio Andreae ad Simonem: « Invenimus Messiam! » [2] et fusior Philippi ad Nathanaël: « Quem scripsit Moyses in Lege, « et Prophetae, invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth » [3]. Nec minus hanc unanimem fidem proclamat mulier Samaritana: « Scio quia Messias venit. Cum ergo venerit, ille nobis « annuntiabit omnia ». Cui Iesus: « Ego sum, qui loquor « tecum » [4]. Haec fides tam universalis erat, tamque inconcussa, ut nullus sive de vulgo, sive de maioribus eam in dubium vocaverit. Quaestio enim cum Christo numquam fuit, utrum aliquis exspectaretur Messias; sed utrum Messias esset ipse non alius exspectandus: « Tu es, qui venturus es? » Nam aliquem esse venturum, in confesso erat apud omnes, « an alium exspectamus? »

Nec confusam fuisse hanc exspectationem, sed cognitione Scripturarum erudite suffultam, ostendit historia Magorum. Quibus sciscitantibus: « Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum? « Vidimus stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum », Scribae populi nullatenus mirantur veluti de inaudito verbo; sed potius diu exspectatum nuntium laete excipientes, sine haesitatione locum eius nativitatis assignant. « In Bethlehem « Iudae. Sic enim scriptum est per prophetam: " Et tu Beth- « lehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus

[1] Luc. I, 68, sq.
[2] Ioann. I, 41.
[3] Ibid. 45.
[4] Ibid. 46.

« Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum « Israël " » [1]. Quodsi iidem Scribae sine praeiudicio attendere voluissent, et inquirere de hoc puero, invenissent eum, iuxta Prophetas ortum esse ex domo David, de Matre virgine; agnovissent tempus a Daniele praedictum. Porro tota vita Iesu ab Ægyptiaco exilio usque ad mortem, a morte usque ad missionem Spiritus Sancti, tam manifesto continetur in Scripturis, ut ex fragmentis Prophetarum et Psalmistarum possit historia, interdum maxime minuta confici Messiae [2].

Caeterum Iesus ipse hunc nexum arctissimum inter Scripturas Vet. Testamenti et semetipsum frequenter testatus est: declarans Abrahamum de viso suo die exsultasse, Davidem de se uti Domino suo prophetasse, etc. [3]. Quod maxime apparuit in colloquio Iesu cum discipulis Emmaus: « Et incipiens « a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in « omnibus Scripturis, quae de ipso erant » [4]. Unde iidem, agnito Iesu, exclamaverunt: « Nonne cor nostrum ardens erat « in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scriptu- « ras? » [5]. Eamdem, ut ita dicam, ardentem exegeseos lectionem dedit paulo post discipulis dicens. « Haec sunt verba « quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, « quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in « lege Moysi et Prophetis et psalmis de me: » Et addit Evangelista: « Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent « Scripturas » [6].

Quantopere autem Scripturas intellexerint, et quo sensu, ostendit tota praedicatio apostolica. A primis suis concionibus Petrus ex Vet. Testamento subtiliter arguit ad Christum annuntiandum, adducens testimonia David, Moysis et Abraham. Unde proclamat, non esse aliud nomen datum hominibus in salutem [7]. Paulus pariter a Christo Scripturas edoctus, mira subtilitate Christum ex Antiquo Testamento illustrat, tantaque

[1] Matth. 2, 5, 6.

[2] Haec fusius evolvenda remittimus ad tractatum de vera religione.

[3] Ioann. viii, 56; — Matth. xxii, 42, sqq. — Hoc optime expositum invenitur apud Devivier S. I. (*Apologétique*. p. 140, sqq.).

[4] Luc. xxiv, 27.

[5] Ibid. 32.

[6] Ibid. 44, sq.

[7] Act. iv, 12.

certitudine Dominum praedicat Iudaeis ac Gentibus ut etiamsi Angelus de caelo descenderet aliam doctrinam annuntians, esset damnandus, non audiendus [1]. Eodem modo Christus praecavendum dixerat a falsis prophetis liberatorum specie venturis.

Nec defuit historia huic praedictioni, sicuti nec alteri de persecutionibus a fidelibus suis mox subeundis. Non enim truces dumtaxat tyranni, sed astuti haeretici decursu temporis depraedaverunt haereditatem Christi. « Beatus, qui non « fuerit scandalizatus in me! » Haec Christi vox ad concives primo directa, per saecula perstrepit. Scandalum abnegationis et crucis quod iam tempore Christi potentes, superbos et vitiosos homines a doctrina et persona Messiae arcebat, in quavis aetate mentes et corda discernit [2]. Si recentioris aevi historiam consulimus, facile dictu est quid libido, quid superbia, quid dominationis ambitio egerint in apostasia gentis Anglorum, in rebellione maioris partis Germanorum. Sed et in aliis nationibus, quae nomini catholico fideles permanserunt, quot defectiones, quot scandala! In Universitatibus, in ephemeridibus, in aulis politicis nomen Christi deridetur, et Ecclesia Christi Sponsa iniquis legibus opprimitur.

Ingrati homines, tot beneficiorum immemores quae civitatibus contulit et iugiter confert spiritus Christi, ad varia doctrinae monstra nova et antiqua se convertunt, exspectantes ab errore salutem, quam unice detinet Ecclesia Christi.

Inter Christum et societatem, uti aiunt, modernam praeiudiciis quibuscumque altiorem in dies impii effodere moliuntur abyssum, nec interdum ipsi defensores catholicae veritatis sat percipere videntur, ad ruptam harmoniam instaurandam non spectare ad Ecclesiam ut sese reconciliet cum civitate moderna [3], sed huius civitatis esse, ut ad fidem regressa Ecclesiae iura rursus agnoscat ac tueatur.

[1] Gal. ii, 8.

[2] Hoc ipsum iam praedixerat senex Simeon in templo. (Luc. ii, 34, sq.).

[3] Hoc sane vitium est, aut saltem hic est defectus opellae Ehrhardt superius allatae, nec satis corrigitur ab altera, cui titulus: *Liberaler Katholicismus?* quemadmodum optime declaravit Illmus Keppler in gemina concione 30 aprilis et 8 iunii huius anni habita (Cf. *Köln. Volkszeit.* n. 392, 521). — Cf. pariter Illmum Egger *(Zur Stellung des Katholizismus im XX Iahrhundert).*

Et quaenam est, quaeso, ratio huius defectionis, quae altiorem coetum per auditionem falsam, coetum medium per male digestae scientiae fucum, coetum autem infimum manibus operantium per impias declamationes et inania promissa magis magisque invadit ac seducit? [1] Num forte studia perfectiori methodo instituta falsitatem Christianismi ostenderunt? Num materialis profectus inutilitatem eiusdem evicit? Nequaquam! Veritas Christi elucet splendidior, quo magis imbelles demonstrantur quotquot errores eam impugnant. Utilitas, imo necessitas doctrinae Christi per truces commotiones magis in dies patescit. Quidni ergo recurrunt omnes ad Christum, et ad Petri Sedem, quae sola in mundo iura Christi plene servat?

« Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » [2]. En vera ratio pugnae, quae perdurat inter Christum et mundum. Nisi Christi doctrina bellum indiceret homini corrupto, id est, superbiae, quam domat per humilitatem, voluptati, quam mortificatione continet, Christus ipse tot coruscans sublimioribus titulis, opus Christi tot meritis illustre, non nisi admiratores haberent et aemulos. Sed instigante mendaci ser-

[1] Primae classis exemplum sit recens elucubratio eruditissimi at revelationi infensissimi HARNACK: *Das Wesen des Christenthums. Sechszehm Vorlesungen vor Studierenden aller Facultäten im Wintersemester 1899-1900 an der Universität Berlin gehalten* (Leipzig 1901); — mediae classis exemplum sit iam citata opella comitis DE RENESSE, *Le Christ et sès Disciples au XIX. siècle,* quam nuperrime eloquenter confutavit J. HALLEUX: *Le Fils de l'Homme, lettre ouverte au Comte Camille de Renesse.* (Louvain, Polleunis et Ceuterick, 1902). Placet ex hac responsione sequentia saltem afferre verba, quae et in aliorum huiusmodi scripta aeque valent: « En vérité, si le Christ n'a été que le personnage très humain dépeint par les rationalistes, d'où peut lui être venu un tel prestige? Rien ne sert d'invoquer la légende, car il faut précisément expliquer comment la légende s'est formée et a pu s'accréditer. La croyance à la divinité du Christ, sa diffusion par le monde, sa persistance à travers les siècles, apparaît, dans l'hypothèse rationaliste, comme un fait mille fois plus merveilleux, que tous les miracles réunis de l'Evangile. On le voit, le rationalisme ne gagne rien à ses négations, il repousse l'explication surnaturelle pour se trouver en présence de l'inexplicable, et le merveilleux apparaît sous une autre forme, comme apparaîtra un jour le Christ triomphant aux yeux de ses ennemis déconcertés ». (Ibid. p. 58). — Tertiae autem classis referre blasphemias honestum calamum pudet. Quis enim sancto horrore non fremat, dum per vias ex infernali abysso eructati perstrepunt clamores, uti: « Le Christ à la voirie! la Vierge à l'écurie! » quasi, ablatis etiam divinitatis splendore, divinaeque maternitatis gloria, IESUS et MARIA non remaneant figurae nitidissimae atque maxime sublimes, quas omnium saeculorum exhibet historia.

[2] IOANN. VI, 61.

pente, qui protoparentes seduxit et per Christum devictus est, homo vetus novum hominem exstinguere conatur, ut, si non possit ex toto pelli Christus, saltem doctrina eius minuatur, ac formae truncatae, in omnes errores fatali pondere pronae, de forma integra, id est, Catholica triumphent.

Christus vero, quotiescumque nova haeresis exsurgit novaque rebellio saevit, ad suos conversus iterat verba olim ad Petrum dicta: « Numquid et vos vultis abire? » Beatus ille, qui cum Apostolorum Principe reponit: « DOMINE, AD QUEM « IBIMUS? VERBA VITAE AETERNAE HABES. ET NOS CREDIDIMUS « ET COGNOVIMUS QUIA TU ES CHRISTUS FILIUS DEI » [1]. Beatus qui exclamat cum Apostolo gentium et Ecclesia: « NOS AUTEM « GLORIARI OPORTET IN CRUCE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI: IN « QUO EST SALUS, VITA ET RESURRECTIO NOSTRA, PER QUEM SAL- « VATI, ET LIBERATI SUMUS! » [2]. « CHRISTUS HERI ET HODIE, IPSE « ET IN SAECULA! » [3].

[1] IOANN. VI, 68-70.
[2] GAL. VI. Introit. Missae de Cruce.
[3] HEBR. XIII, 8.

INDEX RERUM

ALPHABETICUS ANALYTICUS.

ADAM A S. VICTORE. — Maria flos sine spina, 76. — Maria, Virgo in concipiendo et in partu, 283. — Maria Creatoris Genitrix, 465. — Maria, triclinium Trinitatis, 488. — Eva mortem, Maria dedit vitam, 492. — Maria, Mater et refugium Christianorum, 494-496.

ADO. — In eius Martyrologio dubium exprimitur circa assumptionem B. Deiparae, 952.

ADVENTUS. — Duplex Christi adventus, 509, 510.

AEGIDIUS ROMANUS. — Interpres S. Thomae, XVII. — Refert, S. Thomam negasse Conceptionem Immaculatam, 130, 144. — B. Mariam quasi statim post conceptionem ab originali peccato mundatam docet, 147, 148. — Fomitem peccati non totaliter exstinctum in sanctificatione B. Virg. putat, 159.

AGNUS. — Quare Christus vocetur Agnus Dei, 562-565, 772.

ALANUS (Card.). — Christus non invenitur sine B. Virgine, 12.

ALBERGOTTI. — De cultu B. Mariae, 834.

ALBERTUS MAGNUS. — B. Maria sanctificata est ante nativitatem suam, 23, 100, 101. — Fomes peccati num fuerit exstinctus in sanctificatione B. Virginis, 158, 159. — Maria locus omnium gratiarum, 176. — Quatuor sensus nominis Mariae, 220. — Maria, virgo virginum, 313. — Dignitas Mariae ostendit infinitam bonitatem Filii eius, 470.

ALCORAN. — Mariam omnibus puriorem agnoscit, 165.

ALCUINUS (B.). — Divinitas Christi mansit unita corpori in sepulchro et animae in inferno, 844. — Maria corporaliter in caelum assumpta est, 951, 952, 957 (dubia auctoritas).

ALEXANDER III. — B. Maria ascendit in caelum sine corruptione, ut plena gratiae esse probaretur, 945.

ALEXANDER VII. — Intuitu meritorum Christi B. Maria a labe originali praeservata est, 33, 35, 40. — In primo instanti creationis suae, anima Virginis a peccato originali est praeservata, 72, 109, 123.

ALEXANDER VIII. — Purificatio non dicit indigentiam purificationis, 160.

ALEXANDER DE HALES. — Eius sententia circa Immaculatam Conceptionem, 101, 106. — Fomitem peccati non totaliter exstinctum in sanctificatione B. Virginis docet, 158. — Aspectus B. Mariae extinguebat concupiscentiam, 200. — Femina aliquo modo active se habet in conceptione, 416.

ALFORD. — Citatur, 316.

ALPHONSUS (S.). — B. Maria in plenitudine gratiae praecellit omnibus sanctis simul, 175. — Ab exordio vitae

suae, B. Maria superavit gratia Sanctos omnes in statu termini, 179. — Excellentia divinae Maternitatis, 468.

Alvarez. — Christus satisfecit pro peccatis hominum secundum rigorem iustitiae, 783.

Ambrosius (S.). — B. Mariae prius quam caeteris omnibus fructus Redemptionis applicatus est, 19. — Maledictio lata a Deo in Satanam, 46. — Mulier Satanae inimica est Maria, 49. — Semen mulieris principaliter est Christus, secundario sunt electi, 52. — Maria integra ab omni labe peccati, 77, 163 164. — Plena semper sunt divina beneficia, 178. — Aspectus B. Virginis integritatem aspicientibus conferebat, 200. — B. Virgo triennis in templo praesentata est, 206. — Sensus nominis Mariae, 214, 219. — Maria, Virgo in partu, 228, 229, 278. — Errores et sectatores Ioviniani, 231. — Porta clausa, nubes levis, vellus Gedeonis significant virginalem conceptum B. Mariae, 240, 242-244. — Miracula antiqui Testamenti ostendunt possibilitatem partus virginalis, 245. — Sicut Adam ex terra virgine natus, ita Christus ex Matre Virgine, 258. — Qui omnia restaurare venit, eum ab Immaculata Virgine nasci oportuit, 262. — In sua nativitate ex Virgine, Christus virginitatem commendavit, 264. — Ecclesia romana semper inte meratum custodit symbolum, 265. — Multa in figura Ecclesiae de Maria prophetata sunt, 271. — Conceptus virginalis secum fert partum virginalem, 279, 280. — Quomodo natus sit Christus scrutari non expedit, 281. — Commendans Matrem suam Ioanni, Christus testimonium fert de materna virginitate, 302. — Perpetua virginitas B. Mariae, 304. — B. Maria virginitatem voverat, 312, 313, 315, 316. — Matrimonium facit fides et pactio coniugalis, 323. — Num S. Ioseph ante matrimonium cum B. Virgine filios genuerit, 348. — S. Ioseph mortuus est ante passionem Domini, 350. — Quod ex aliquo est, aut ex substantia aut ex potestate huius est, 411. — Regia Christi dignitas, 548, 549. — Homines sunt pisces qui hanc enavigant vitam, 560. — Christus locutus est per os prophetarum, 573. — Num in morte Christi divinitas fuerit seiuncta a natura humana, 838, 839, 844, 845. — B. Maria non est mortua morte violenta, 864. — Quaenam sit participatio iudicialis potestatis Christi, electis reservata, 971.

Ambrosius Autpertus (S.). — Maria, hortus conclusus, 61. — B. Maria assumpta est in caelum, 951. — Cf. *pseudo-Hieronymus*.

Amicus (Fr.). — Variae sententiae de mandato moriendi quod Christus a Patre accepit, 723. — Negat inter Deum et Christum intercedere posse iustitiam proprie dictam, 783.

Amphilochius Icon. — Mulier quae serpenti inimica dicitur, est B. Maria, 49.

Anabaptistae. — Negarunt virginalem conceptum B. Mariae, 229, 384.

Anastasius. — Negavit B. Mariam esse Dei Genitricem, 464.

Andreas Cretensis (S.). — Maria Evae opponitur, 58. — Festum Nativitatis B. M. V. argumentum praebet pro Conceptione Immaculata, 67. — Saeculo VII apud Graecos celebrabatur festum Conceptionis B. Mariae, 69. — Maria incorrupta ad caelum migravit quia plenam de peccato victoriam reportaverat, 945.

Andreas Hieros. (S.). — Maria, imago pulchritudinis supremae, 197.

Angelus. — Christus magni consilii Angelus, 575, 576.

Angolemus. — B. Mariae virginalis conceptus, 242.

Animatio. — Probabilius animatio fit in conceptione activa, 201.

ANNA. — Anna, mater Samuelis, figura B. Mariae, 7, 373.

ANNA (S.). — De festo conceptionis S. Annae, 69, 71. — Annam fuisse B. Virginis matrem multi scriptores testantur, 190.

ANSELMUS (S.). — Christus omni adoratione dignus, XVIII. — Eius sententia de Immaculata Conceptione, 97-99. — Relatio B. Virginis ad tres personas Trinitatis maximam quae cogitari possit puritatem in ipsa postulabat, 112. — B. Virgo inter omnes pulcherrima, 195. — Qui natus est de Virgine non contrahit peccatum originale, 257, 258. — Causa salutis nata est de femina sicut causa damnationis fuit a femina, 261. — Quatuor modis Deus potuit facere hominem, 262, 389. — Partus virginalis B. Mariae, 280. — Maria perpetuam Deo virginitatem promiserat, 312. — Nihil est aequale Mariae; nihil nisi Deus, maius Maria, 489. — Maria, mater Christianorum, 494. — Quare Christus baptismum a Ioanne receperit, 598. — Quare Christus pauperem duxerit vitam, 622, 623. — Necessitas passionis et mortis Christi fuit necessitas consequens, ex libera eius conformitate erga praeordinationem divinam, 682-684. — Ad solamen infirmorum Christus agoniam pati voluit, 701. — Possibilitas mortis Christi per omnipotentiam divinam explicatur, 716, 717, 736-740. — Suavitas Christi crucifixi, 751-753. — Symbolismus Crucis, 753, 754. — Passio Christi est satisfactio pro peccatis hominum, 766, 767. — Christus seipsum sibi sicut Patri et Spiritui Sancto obtulit, 773, 774.

ANSELMUS (Ep. Lond.). — Instituit in Anglia festum Conceptionis B. Mariae, 70.

ANSELMUS (pseudo). — Non omnino expers a peccato originali dicitur B. Virgo, quatenus debitum remotum ad illud contrahendum in ipsa fuerit, 41, 42, 72. — Decuit Mariam esse immaculatam, ergo fuit immaculata, 76, 111-113. — Proportio B. Virginis ad alios sanctos ipsam requirebat Immaculatam, 115. — Dignitas Reginae Angelorum postulabat Imm. Conceptionem, 115. — Abusus scientiae dubitationem circa hoc dogma ingessit, 118.

ANTIDICOMARIANITAE. — Negant virginitatem B. Mariae, 232.

ANTONINUS (S). — Adversatur Immaculatae Conceptioni, 106. — S. Thomam negasse Imm. Conceptionem asserit, 130, 149. — Mariam omnibus gratiis plenam docet, 177, 178. — Pulchritudinem B. Mariae Virginis demonstrat, 193, 195-197, 204. — Passiones in B. Maria concedit quae ad perfectionem pertineant, 205.

APHTHARTODOKETAE. — Errant circa incorruptibilitatem corporis Christi, 873, 874.

APOLLINARIS. — Christum negat de virgine natum, 228.

APOLOGIA. — Quid sentiendum sit de apologia immanentiae, 650, 654.

AQUISGRAN. SYNOD. — De assumptione B. Mariae dubitare videtur, 951.

ARCA. — Arca Noë, Arca foederis, figurae B. Mariae Virginis 9, 10, 61.

ARENDT. — De authenticitate commatis Ioannei, 376.

ARIANI. — Duplicem Christi nativitatem negabant, 452.

ARISTIDES. — Christum testatur natum ex Virgine, 252.

ARISTOTELES. — Sexus femineus deficientiae cuidam tribuendus est, 204. — Principium femineum passive se habet in conceptione, 416.

ARNALDI. — Contendit B. Virginem non esse mortuam, 861.

ARNOBIUS. — Oracula sybillarum, 228.

ARUCH. — Citatur, 574.

ASCENSIO. — Quare Christus ascenderit ad caelum, 924-928. — Proprie non nisi secundum humanam naturam ascendit

Christus, 928, 929. — Christus ascendit super omnes caelos et omnem creaturam spiritualem, 931-934. — Quomodo ascensio Christi sit causa nostrae salutis, 934, 935.

Assemani. — Citatur, 84.

Assumptio. — Assumptio B. Virginis, num ex Scriptura probari possit, 944-948. — Assumptionis veritas eruitur ex traditione, 948-956. — Rationes theologicae in favorem assumptionis, 956-960. — Haec veritas ab Ecclesia definibilis est, 960, 961.

Athanasius (S.). — Quare Christus ex matre virgine natus sit, 255, 256. — Christus carnem sumpsit ex matrice Virginis, 393. — Christus filius Dei et filius B. Virginis, 453. — Maria Dei Genitrix, 464. — Corpus Christi in morte mansit divinitati unitum, 841, 842.

Atto. — Testis institutionis festi Conceptionis B. Mariae in Gallia, 71.

Augustinus (S.). — Novum Testamentum in vetere latet, vetus in novo patet, XII. — Dissimilitudo inter Evam et Mariam, 6, 491. —Maria soror Moysis, typus B. Mariae Virginis, 7. — Christus prae omnibus praedestinatus, 20. — Sanctificatus est Ioannes Baptista ante nativitatem, 23. — Mulier Satanae inimica est B. Maria, 49. — Semen mulieris intelligitur secundario de Ecclesia, 52. — Duos natales tantum, Christi et Ioannis Baptistae celebrat Ecclesia, 65. — Sententia S. Doctoris quoad Immaculatam Conceptionem, 77, 78, 85, 86, 90-92, 141. — Quod melius vera ratione occurrerit, hoc fecit Deus, 119. — Quae contra fidem sunt, non approbat Ecclesia, 122. — Multa ad fidem pertinentia, mota lite ab haereticis, clarius intelliguntur, 125. — B. Maria ab omni peccato actuali est immunis, 160, 164. — Gladius doloris qui animam B. Mariae transivit, 168. — Nemo maior S. Ioanne Baptista, 182, 183. — Maria orta est ex stirpe David, 191. — Errores Iovviniani, 230, 231. — Maria Virgo significatur in figura portae clausae, 240. — Ex fructu ventris dicitur Christus quia ex Virgine natus, 241, 242. — Lapis de monte praecisus, est Christus ortus ex gente Iudaeorum, 243. — Miracula antiqui Testamenti probant possibilitatem conceptus virginalis, 245. — Sicut Adam ex terra virgine natus est, ita Christus ex Matre Virgine, 259. — Dignitas matris Christi requirebat conceptum virginalem, 259, 260. — Maria sicut et Ecclesia, virgo et mater, 260, 492. — Christus nascens ex Virgine, virginitatem commendavit, 264. — S. Virginis partus, omnium virginum decus, 270. — Virgo genuit quem Virgo concepit, 279. — Christum nasci, illaesa Matris virginitate, non fuit impossibile Deo, 281. — B. Maria perpetuam vovit virginitatem, 311. — Excellentia virginitatis, 316, 317. — Essentia matrimonii, in quibusnam sit, 323, 324, 331. — Verum intercessit matrimonium inter Mariam et Ioseph, 331, 332. — Qua ratione B. Ioseph dicatur pater Iesu, 335. — B. Ioseph semper virginitatem servavit, 348. — Ortus S. Ioseph ex David sufficeret ad praedicandum Christum filium David, 387. — Sicut mors ita salus mundo data est per feminam, 389. — Uterque sexus nobilitatur si Christus nascitur de femina, 389. — Christus non est filius Spiritus Sancti, vel SS. Trinitatis, 414. — Tempus necessarium ad evolutionem corporis humani, 426. — Christus a primo instanti conceptionis Deus et homo, homo perfectus, 433, 442. — B. Maria meruit suscipere Filium Dei, 471. — B. Maria prius concepit Deum mente quam corpore, 472. — Relationes Mariae ad Deum, 476. — Maria, spes unica peccatorum, 493, 494. — Christus manifestatus est

ante quam verba proferret, 515. — Relatio inter stellam Magorum et vocationem gentilium, 517. — Unio hypostatica, fundamentum sanctitatis in Christo homine, 543. — Christus parvus lapis qui factus est mons magnus, 551. — Christus recte dicitur Salvator, quamquam latina lingua hanc vocem olim non habuit, 561. — Christus Redemptor, 562. — Christus propheta et Dominus prophetarum, 573, 574. — Angelus Christus et Dominus Angelorum, 575, 576. — Christus via, veritas et vita, 578. — In apparitione columbae Ioannes cognovit Christum esse baptizantem in Spiritu Sancto, 610. — Verum animal fuit illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus, 614. — Redemptor vicit diabolum deceptorem, 686. — Num tertia an sexta hora crucifixus sit Christus, 707. — Christus non est passus secundum divinam naturam, 713. — Iudaei potius quam Pilatus occiderunt Christum, 749, 750. — Christus passus est pro omnibus hominibus, 759, 760. — Christus sacerdos simul et sacrificium, 773. — Mors Christi satisfactio est pro peccatis, 779, 780. — Ut Christus clarificaretur, prius humiliatus est in passione, 804. — Pretium infinitum Sanguinis Christi, 808, 809. — Efficacia mortis Christi desumenda est a divinitate morientis, 837. — In morte Christi divinitas carni et animae mansit hypostatice unita, 843. — Mors Christi morti nostrae tum corporali tum spirituali saluti fuit, 859. — Maria mortua est propter peccatum Adae, 862. — Quamdiu Christus manserit in sepulchro, 877, 878. — Rationes mysticae numerorum qui in Scriptura referuntur, 878. — Christus descendit ad inferos, 880. — Imperfecta tantum resurrectione corpora Sanctorum in Christi morte surrexerunt, 899. — Virtute propria surrexit Christus, 900.

Averroës. — Citatur, 416.

Azor. — In Cantico Canticorum admittit fundamentum historicum, 12.

Bach. — Laudatur, 812, 813.

Baillet. — Citatur, 190.

Baius. — Damnata propositio qua peccatum adiiciebatur B. Virgini, 163, 862.

Ballerini. — Citatur, 58, 69, 71, 74, 77, 80, 81, 82, 93, 340.

Baltus. — De ruina doctrinali Protestantismi, xvii, xviii.

Bandellus a Castr. — Testimonia Patrum colligit quae adversari videntur Immaculatae Conceptioni, 85. — Doctrinam Imm. Conceptionis haereticam putavit, 91, 107. — Negavit corpus Virginis animatum fuisse in momento conceptionis, 202.

Banucci. — Citatur, 557.

Baptismus. — Sacramentum baptismi figurat ortum Christi ex Virgine, 263. — Causae, effectus, finis baptismi Ioannis, 585-598. — Quare Christus baptizatus sit baptismo Ioannis, 599-605. — De apparitione Spiritus Sancti et voce Patris audita in baptismo Christi, 607-616.

Barbieri. — Laudatur, 872.

Bardenhewer. — De sensu nominis Mariae, 209-224. — Oracula sybillina, 228. — Qui sint fratres Domini, 303. — Canticum B. Mariae nequit Elisabethae adscribi, 366, 367.

Barnabas (S.). — Sacrificium Isaac, typus sacrificii Christi, 772.

Baronius (Card.). — Maria, gratia plena, 177. — Maria virginitatem vovit, 312. — De morte B. Virginis, 861. — De eius assumptione, 952.

Barth. — Citatur, 222.

Basileense Conc. — Proclamavit immunitatem B. Mariae a peccato originali et actuali, 107, 163.

Basilius (S.). — Maledictionem tulit Deus in Satanam, 46. — Quisnam sit gla-

dius animam B. Virginis pertransiens, 168. — Prophetia Isaiae de Virgine paritura, 238. — Christus ex incorrupta Virgine natus est, ut omnia instauraret, 262, 263. — B. Maria remansit virgo post partum, 307, 308. — Christus ex muliere carnem sumpsit, 392, 393. — Laudes ieiunii, 633. — Christus obediens usque ad mortem est exemplar obedientiae monasticae, 740. — Sanguis Domini redemptio pro omnibus, 781.

Basilius Seleuc. (S.). — B. Maria omnibus sanctis excellentior, 175. — Maria gratia plena, mediatrix Deo et hominibus, 471, 472.

Beda (S.). — Maledictio lata est a Deo in Satanam, 46. — Gladius doloris qui animam B. Mariae transivit, 168. — B. Maria orta est ex stirpe David, 188. — Sensus nominis Mariae, 219. — Sicut clauso Virginis utero natus est Christus, ita clauso sepulchro resurrexit, 282. — B. Maria inter omnes mulieres prima virginitatem vovit, 312, 313. — B. Ioseph perpetuo virginitatem servavit, 348, 349. — Christus materna ex carne traxit carnem, 392. — Maria beata quia Mater Dei, 473. — Quare Christus vocetur Oriens, 536. — Piscis assus, Chr. est passus, 560.

Bellarminus. — Immaculatam Conceptionem docuit, 106, 166. — Quaenam sit auctoritas decisionis Ecclesiae in canonizatione Sanctorum, 121. — Mandatum beneplaciti accepit Christus a Patre ut moreretur pro omnibus, 724. — Christus est mediator ut Deus-homo, 788. — De septem verbis a Christo in cruce prolatis, 832.

Benedictus (S.). — Citatur Regula, 7. — Quinam apti sint ad vitam anachoreticam, 629, 630. — Eius virtus miraculosa, 662. — Christus exemplar obedientiae, 730. — Numisma S. Bened., 979.

Benedictus XII. — Christus non est passus secundum divinam naturam, 713.

Benedictus XIII. — Nomen S. Iosephi litaniis inseruit, 351.

Benedictus XIV. — Citatur, 190, 191, 328, 816. — Praesentatio B. Virginis in dubium minime verti potest, 206. — B. Maria virginitatem vovit, 312, 315. — Substantia matrimonii habetur sine copula coniugali, 325. — Temerarium esset negare matrimonium B. Mariae cum S. Ioseph, 332. — Assumptio B. Mariae, 953, 955, 956, 961.

Bengel. — Citatur, 376.

Berlen. — Quidquid de sanctis viris vel feminis sacra recitat historia, Virginis Mariae encomium est, 9.

Bernardinus de Bustis. — S. Thomam Immaculatae Conceptioni faventem exhibet, 136. — Qualis fuerit virtus pulchritudinis B. Mariae Virginis, describit, 200. — Propugnavit devotionem erga S. Nomen Iesu, 558.

Bernardinus Sen. (S.). — Esther, figura B. Mariae Virginis, 8. — Intuitu Mariae Deus praeservavit humanum genus ab interitu, 18. — B. Maria cum S. Ioseph visitavit Elisabeth, 328. — S. Ioseph excellentia virtutis suo statui conveniente donatus est, 344, 352. — Maria, vicinissima Christo, 489. — Cultus S. Nominis Iesu, 557, 558.

Bernardus (S.). — Oppositio inter Evam et Mariam, 6, 491. — Rubus Moysis, vellus Gedeonis, figurae B. Mariae Virginis, 10, 244. — Canticum Canticorum simul cum Psalmo xiv Beatae Virgini applicantur, 13, 14. — Quomodo de B. Virgine dictum sit, Sapientiam in ea excidisse columnas septem, 15. — B. Maria, ab aeterno praedestinata, 17. — Propter Mariam totus mundus factus est, 18. — Sanctificatio in utero remittit originale peccatum, 22. — Maria sancta fuit ante nativitatem, 23. — Maledictio lata est a Deo in Satanam, 46. — Mulier Satanae inimica, Maria intendebatur, 50. — Maria gratia plena, 58. — Institutio festi

Conceptionis Beatae Mariae, 71. — Mens S. Doctoris quoad Immaculatam Conceptionem, 93-96. — Beata Virgo ab omni concupiscentia terrenorum aliena, 154, 159. — Maria post sanctificationem ab omni peccato immunis, 164. — Gladius doloris animam B. Virginis dividens, 168. — Potentia B. Virginis in Filium suum, 169. — Maria praecedit gratia Angelos, 174. — Sicut prima mulier perfecta exiit ex intentione Dei, ita et Maria, 204. — Maria, stella maris, 219, 220. — Femina circumdans virum, Virgo est concipiens Deum, 241. — Virga Aaronis perpetuam virginitatem B. Mariae significat, 244, 245. — Mulier amicta sole est B. Virgo Maria, 246. — Maria, Virgo in concipiendo et in pariendo, 283, 284. — S. Maria virginitatem vovit, quod nemo ante ipsam fecerat, 312, 313. — S. Ioseph neque pater filii, neque vir matris exstitit, 331. — S. Ioseph volebat dimittere B. Virginem, indignum se reputans eius consortii, 342, 343. — B. Maria in Annuntiatione non dubitavit accedere divinae voluntati, 361. — Maria, omni laude digna, 468. — Maria, mulier amicta sole, 477. — Iesus subditus erat Mariae et Ioseph, 479. — Sponsae nomine censetur anima quae amat, 483. — Tota Trininitas gloriam a Maria accepit, 488. — Maria de haeresibus omnibus triumphat, 495. — Christus sine labore nec dolore Matris natus est, 504. — Sensus mysticus donorum quae a Magis Christo offeruntur, 524, 525. — Quare Christus circumcidi voluerit, 529. — Ratio nominum quae ab Isaia Christo tribuuntur, 531, 532. — Connexio inter circumcisionem et nomen Iesu, 533, 534. — Virtutes S. Nominis Iesu, 554, 555. — B. Virgo purificationis ritum implevit, in exemplum nostrum, 583. — Passio Christi peccatores ad poenitentiam ducit, 681. — Christus oblatus est, quia voluit, 718, 719. — Peccatum crucifigentium Christum fuit gravissimum, 750. — Merita passionis Christi certam fiduciam praebent salutis, 762. — Christus passione sua delevit peccata, 791. — Quare Cor Iesu lancea vulneratum sit, 817, 820, 821. — In morte Christi divinitas non est separata ab humanitate, 844. — Electis competit sedere cum Christo ad dexteram Patris, 943.

Bernardus Cassinensis. — Monachus victima obedientiae, 741.

Bernardus de Lutzemb. — Citatur, 183.

Bernardus Toletus. — Citatur, 67.

Bernies. — Citatur, 981.

Bérulle (Card. de). — Mariam contulisse Patri auctoritatem in Filium dicit, 480.

Besson. — Citatur, 83.

Bethlehem. — Sensus huius nominis, 505. — Quare in Bethlehem Christus natus sit, 504, 506.

Bethsabee. — Figura B. Mariae Virginis, 7.

Beza. — Errat circa virginitatem B. Mariae, 231.

Biancheri. — Laudatur eius disputatio in favorem definitionis Imm. Conceptionis, 110.

Bickell. — Citatur, 284.

Biel (Gabriel). — Defensor Immaculatae Conceptionis, 105, 106. — Negavit satisfactionem Christi ex se fuisse condignam, 781.

Bigoni. — Laudatur, 110.

Billot. — Semen mulieris principaliter intelligitur Christus, 52, 53. — Maternitas B. Virginis, 455. — Christus a Patre accepit moriendi mandatum quoddam beneplaciti, 723. — Ratio iustitiae propriae dictae non potest intercedere inter Deum et Christum, 783, 785. — Excessus scientiae criticae, 897.

Billuart. — Citatur, 726, 774, 953, 961.

Binterim. — Citatur, 949.

Birgitta (S.). — B. Maria praeter leges

concupiscentiae concepta est, 154. — Christus Matri suae similis in vultu, 196. — S. Ioseph senescens B. Mariam coniugem accepit, 341.

Boethius. — Sola vere christiana est catholica religio, 233.

Böttcher. — Citatur, 223.

Bonaventura (S.). — Similitudo inter Esther et Beatam Mariam Virginem, 8. — Textus in favorem Immaculatae Conceptionis, 29. — Sanctificationem Beatae Virginis in ipso conceptionis instanti S. Doctor non concedendam iudicat, 101-104, 150. — Festum Immaculatae Conceptionis nec probat nec reprobat, 102, 103. — Fomitem in B. Mariae prima sanctificatione non fuisse exstinctum docet, 157, 158. — Impossibilitas peccandi in Beata Virgine, 166-168, 170. — Aspectus B. Virginis nullam concupiscentiam excitare potuit, 200. — In statu naturae integrae, sexus prolis subesset voluntati generantis, 204. — Triplex sensus nominis Mariae, 221. — Quale votum virginitatis B. Maria voverit, 315. — Coniunctio carnalis non est de essentia matrimonii, 325. — B. Maria, comite S. Iosepho, visitavit Elisabeth, 328. — S. Ioseph mortuus est ante inceptam vitam publicam Christi, 350. — Qua ratione aliquid decimari possit in parentibus, 400. — Qua ratione opus Incarnationis appropriari possit tribus personis Trinitatis, et specialius Spiritui Sancto, 408-410. — Quidnam B. Virgo praestiterit in conceptione Christi, 419-422. — Quare in corpore Christi formatio et distinctio membrorum facta sit in instanti, 426-428. — Conceptio Christi partim naturalis, partim miraculosa, 437, 438. — Excellentia divinae Maternitatis, 470. — Passio Christi fuit aptissimus modus reparationis humani generis, 684-686. — Num Christus in triduo mortis fuerit homo, 851, 852.

Bonazzi. — Laudatur, 825.

Bonosus. — Eius haeresis circa virginitatem B. Mariae, 232.

Borgianelli. — Citatur, 417.

Bossuet. — Admittit fundamentum historicum sub allegorico sensu Cantici Canticorum, 12. — Summa decentia Immaculatae Conceptionis, 114. — Ut veritas Imm. Conc. appareat, sufficit solvantur obiectiones contrariae, 118, 119. — Pulchritudo B. Virginis, 192. — In formatione primi hominis cogitabatur Christus, 197. — Amore virginitatis nascitur Christus ex Virgine, 265. — Excellentia virginitatis, 317. — Matrimonium B. Mariae cum S. Iosepho mutua virginitatis custodia constabat, 334. — Quibus titulis B. Ioseph pater Iesu dicatur, 335-337. — Quale depositum commissum sit B. Iosepho, 345. — Maternitas B. Virginis, 455. — B. Maria prius concepit Filium mente quam corpore, inde plena est gratiarum, 472, 473. — Maria eumdem cum Patre Filium habet, 474, 475. — Maria mater Christi et mater omnium fidelium, 478, 492, 493. — Cultus S. Nominis Iesu, 558. — Sacrificium Christi praefiguratur in veteri lege, 769. — Pretium Sanguinis Christi, 809. — B. Maria amore mortua est, 866. — B. Virgo corporaliter in caelum assumpta est, 957, 958.

Bourassé. — Citatur, 64, 199.

Bourlier. — Sensus locutionis « Quid mihi et tibi », 482, 543.

Brentius. — Citatur, 165.

Broise (de la). — Laudatur, 62.

Bromiard. — Num corruptio admittenda sit in locis S. Thomae qui agunt de Conceptione Immaculata, 144.

Brunetière. — Facetias advertit saepe adhiberi ad occultandam ignorantiam, 233.

Bruno. — Citatur, 226.

Bucerus. — Christum corpore tantum de virgine conceptum dixit, 230, 231.

— Christum non esse verum Messiam Iudaeis promissum contendit, 748.

BULLINGER. — Confitetur perpetuam B. Mariae virginitatem, 308. — Contendit Christum exercere officium mediatoris secundum utramque naturam, 788.

BURINGERIUS. — Erravit circa virginitatem B. Deiparae, 231.

CAELUM. — Quomodo caeli aperti sint in baptismo Christi, 605-607.

CAESARIUS (O. Cist.). — De institutione festi Conceptionis B. Mariae, 71, 72. — Significationes nominis Mariae, 220.

CAIETANUS (Card.). — Testimonia Patrum quae difficultatem faciunt contra Immaculatam Concept., 85. — Num concedendum sit hoc privilegium B. Virgini, 106, 148, 149. — S. Thomas Immac. Conceptioni adversarius, 130, 142. — B. Maria cum S. Iosepho visitavit Elisabeth, 328. — Gratia comprehensorum superat gratiam viatorum, 445, 446. — Maria ad fines divinitatis propria operatione attigit, 489. — Actiones Christi humanae sunt finitae et infinitae, 782, 783. — Citatur, 888.

CALDERON. — Crux Christi est mundi salus, 754.

CALMET. — Typicam accipit interpretationem Cantici Canticorum, 12. — Quo sensu verba a Christo in Cana pronuntiata accipienda sint, 482.

CALVINUS. — Negavit excellentiam B. Mariae Virginis, 165. — Contendit Christum exercere officium mediatoris secundum utramque naturam, 788.

CANISIUS. — Vide *Petrus Canisius.*

CANTICUM CANTICORUM. — Laudes B. M. V. praedicat, 11, 12, 483-485.

CANUS (Melchior). — Citatur, 85, 121.

CAPPONI A PORRECTA. — S. Thomam Immaculatae Conceptioni faventem exhibet, 131, 132, 142. — Citatur, 402.

CAPREOLUS. — Non favet doctrinae Immaculatae Conceptionis, 106, 142.

CAPUT. — Christus caput Ecclesiae, 547, 757-763.

CARISIAC. CONC. — Passus est Christus pro omnibus, 762.

CARMELUS. — Figura B. Mariae Virginis, 10.

CARO. — Caro peccati, multiplici sensu dicitur, 89. — De carne Christi, cf. *Conceptio Christi.*

CARPOCRATES. — Impugnavit virginitatem B. Mariae, 226.

CASTALION. — Alterat textum prophetae virginalem conceptum praesagientis, 239.

CATECHISMUS ROM. — De natura matrimonii, 325. — Christus a Patre et a semetipso traditus est in mortem, 722.

CATHERINI. — Assumptio B. Virginis est de fide tenenda, 961.

CAVELLI. — Scotus vindex Immaculatae Conceptionis, 105.

CEDRENUS. — S. Ioseph ante inceptam publicam vitam Chisti mortuus est, 350.

CELSUS. — Negavit virginalem conceptum B. Mariae, 227. — Citatur, 384.

CENTURIATORES MAGDEB. — Citantur, 165, 230, 293.

CERDON. — Negavit veritatem passionum Christi, 693.

CERINTHUS. — Citatur, 226.

CHARLESON. — Laudatur, VIII.

CHERLOG. — B. Maria gratia superat sanctos omnes simul, 175.

CHEVALIER. — De Sindone Taurinensi, 871.

CHIESA (Steph.). — Doctrinam S. Thomae Imm. Conceptioni favere putat, 152.

CHRYSOSTOMUS (S.). — Vide *Ioannes Chrysost.*

CHYTRAEUS. — De virginitate B. Mariae quid senserit, 233.

CICERO. — Oracula sybillae, 560. — Servator minus dicit quam σωτήρ, 561.

CIRCUMCISIO. — Quare Christus circumcisus sit, 526-530.

CLARITAS. — Claritas corporis Christi in Transfiguratione, 665, 666. — Claritas nonnullis Sanctis in praesenti vita concessa est, 665.

CLARIUS. — Typicam admittit interpretationem Cantici, 12.

CLEMENS ROM. (S.). — Iudaei impugnant virginalem conceptum B. Mariae, 226. — Christus tradidit carnem pro carne nostra, animam pro anima nostra, 772.

CLEMENS VI. — Satisfactio a Christo praestita est infiniti valoris, 782.

CLEMENS XI. — Festum Conceptionis B. Mariae ad universam extendit Ecclesiam, 71, 109.

CLEMENS ALEX. — Maria, Virgo in partu, 285. — Fratres Domini dicit filios fuisse Iosephi, 295.

CLICTHOVEUS. — B. Maria non est mortua ex infirmitate, 863, 866.

COLLYRIDIANI. — Cultum divinum B. Mariae tribuebant, 497.

COLUMBA. — Quare Spiritus Sanctus sub specie columbae apparuerit in baptismo Christi, 607-614.

COMPREHENSOR. — Christus a primo instanti suae conceptionis comprehensor, 445, 446. — Gratia comprehensorum superat gratiam viatorum, 445, 446.

CONCEPTIO CHRISTI. — Quomodo caro Christi fuerit in Patribus, 377-381, 395-402. — Quomodo caro Christi sit ex Maria Virgine, 387-395, 415-422. — Quaenam fuerit operatio Spiritus S. in conceptione Salvatoris, 404-415. — Corpus Christi formatum, animatum, assumptum a Verbo est in instanti conceptionis, 423-438. — A primo instanti conceptionis Christus plenitudinem dotum gratiae et naturae habuit, 439-443. — A primo instanti conceptionis Christus fuit viator et comprehensor, 443-447.

CONCEPTIO IMMACULATA B. M. V. — Explicatio dogmaticae definitionis, 30-42. — Conceptio, num activa an passiva intelligenda sit in definitione dogmatis, 32. — Vindicatur dogma Immac. Conc. ex I Capite Genesis, 44-56. — Item ex aliis locis Scripturarum, 56-64. — Mulier serpenti inimica est Maria, 48-51. — Lex transfusionis originalis peccati non obstat privilegio B. Virginis, 62-64. — Festum Nativitatis B. M. V. implicite exprimit Immaculatam Conceptionem, 65-69. — Festum Conceptionis est validum argumentum in favorem dogmatis, 69-73. — Testimonia Patrum in favorem Immac. Conceptionis, 73-85. — Obiectiones e Patribus desumptae, 85-93. — — Doctrina S. Bernardi, 93-96. — Doctrina S. Anselmi, 97-99. — Doctrina S. Bonaventurae, 101-104. — Doctrina Scoti, 104-106. — Acta S. Sedis, 107-110. — Rationes theologicae in favorem dogmatis, 110-127. — Tria momenta logica quae distingui possunt in praeservatione B. Virginis a peccato, 120. — Ratio definitionis dogmaticae, 120-124. — Quaenam evolutio inde in dogmate admittenda sit, 124-126. — Maria seipsam dicit Immaculatam Conceptionem, 128. — Doctrina S. Thomae, 130-151, 400. — Num in ipsa conceptione activa animata fuerit B. Virgo, 201. — Immaculata Conceptio praeparavit Maternitatem divinam, 470.

CONCUPISCENTIA. — B. Maria Virgo prorsus immunis fuit a concupiscentia, 40, 41, 151-160. — Doctrina eorum qui putent fomitem in B. Virgine fuisse in sanctificatione ligatum, in conceptione Verbi sublatum, 151-157. — Concupisc. est poena praecipua peccati, 152.

CONFALONIERI. — Laudatur, xv.

CONRADUS DE SAXONIA. — Maria omnibus gratiis plena, 176, 177.

CONRADY. — Originem fabulosam assignat narrationi evangelicae de ortu Christi, 247, 248.

CONSTANTINOP. CONC. I. — Proclamat virginitatem B. Deiparae, 228, 266.

CONSTANTINOP. CONC. II. — Damnavit Theodori Mopsuesteni litteralem Cant. Canticorum interpretationem, 12. — Proclamat duplicem Christi nativitatem, 452. — Proclamat B. Virginem vere Dei Genitricem, 459, 460.

CONSTANTINOP. CONC. III. — B. Maria Dei Genitrix, 459. — Christus natus est sine dolore matris, 503. — Damnatio additionis « crucifixus pro nobis » ad trisagion, 713.

CONSTITUTIONES APOST. — Christus ex Virgine natus est, 254.

CONVERSATIO. — Christi conversatio cum hominibus, 617-625.

COR IESU. — De obiecto et fine devotionis erga SS. Cor, 813-825.

CORLUY. — Laudatur, 56.

CORNELIUS A LAPIDE. — Dicit B. Virginem peccasse in Adam, sed formale peccati non habuisse, 140. — B. Virgo gratia omnes Sanctos excedit, 175. — Sensus nominis Mariae, 222.

CORNELY. — Citatur, 386, 387.

CORNOLDI. — Sententiam S. Thomae componit cum doctrina Imm. Conceptionis, 132.

CORPUS CHRISTI. — Cf. *Conceptio Christi.* — Corpus Christi fuit formatum, anima a Verbo, assumptum in primo instanti conceptionis, 423-438. — Num corpus Christi in triduo mortis fuerit idem numero ac corpus eius vivum, 855-858.

COSTA-LUZI. — Citatur, 81.

CRUX. — Quare Christus supplicium crucis passus sit, 686-690. — Figurae crucis in antiquo Testamento, 689. — De specie et symbolismo crucifixi Domini, 751-756. — Virtus Crucis, 980, 986.

CULMANI. — B. Mariam ignorantiae arguit, 206.

CYPRIANUS (S.). — Serpens in I Cap. Genesis est Satanas, 46. — Mulier Satanae inimica est Maria, 49. — Maria a culpa prorsus immunis, 163. — Ex eo quod Christus dicitur semen mulieris probatur virginalis conceptus B. Mariae, 241. — Partus virgineus B. Mariae, 293. — S. Ioseph num vita cesserit ante passionem Christi, 350.

CYPRIANUS ANTIOCH. (S.). — Citatur, 271.

CYRILLUS ALEX. (S.). — Dignitas Christi requirebat matrem virginem, 255. — Partus virginalis B. Mariae, 283. — Maria virgo perpetua, 304. — B. Maria vere est Dei Genitrix, θεοτόκος, 460, 462, 463. — B. Maria, sacrarium Spiritus Sancti, 486. — Christus est Lucifer, stella matutina, 537. — Sensus nominis Emmanuel, 539.

CYRILLUS HIEROS. (S.). — Mulier serpenti inimica est B. Maria, 49. — Quod apud homines est impossibile, Deus facere potest, 245. — Eva nata est sine matre, Maria genuit sine viri consortio, 261, 262. — Decebat Doctorem puritatis ex Virgine nasci, 264.

CYRILLUS LUCARIS. — Mors B. Virginis nullam e contagione peccati causam habuit, 77. — B. Maria, si ita voluisset, non esset mortua, 865.

DAMASCENUS. — Vide *Ioannes Damasc.*

DAMASUS (S.). — Filius Dei ex Virgine carnem assumpsit, 266.

DANTE ALIGHIERI. — Sapientes antiqui, vitiis maculati, 310. — Maria Mater, Filia Filii sui, 465, 476, 497, 498. — Iudas typus sceleratorum, 749. — Visio SS. Trinitatis et humanitatis Christi, 933. — S. Bernardus, amore B. Virginis insignis, 943. — Excellentia Mariae supra omnes Sanctos, 962, 963.

DAVIDSON. — Citatur, 384.

DE BASLY. — Citatur, 825.

DEBITUM. — Quousque debitum contrahendi peccati originalis fuerit in B. Maria, 34-42. — Tabella synoptica exhibens sententias diversas circa hoc debitum contrahendum, 38. — Distinxeritne S. Thomas debitum a peccato, 141, 142.

DEBORA. — Figura B. Mariae Virginis, 9.

De Buck. — Introductio festi Conceptionis B. Mariae in Occidentem, 70.
Dechamps (Card.). — Maria, nova Eva, 75.
Decimatio. — Quidnam significet, 400, 401. — Christus non est decimatus in Abrahamo, 400-402. — Num B. Maria fuerit decimata, 402.
De Coninck. — Laudatur eius poëma de redemptione, 569.
Delage. — Citatur, 870.
Delitzsch. — Citatur, 217.
De Romo (Card.). — Laudatur eius disputatio de Imm. Conceptione, 110.
De Rubeis. — Citatur, 136, 144.
De Santi. — Laudatur eius opus de litaniis lauretanis, 151, 176, 288.
Devivier. — Laudatur, 983.
De Waal. — Citatur, 340, 342.
Diabolus. — Ignoravit Christi divinitatem, 320, 656, 657. — Devictus est per crucem Christi, 688. — In passione Christi dominio suo pulsus est, 792-794.
Didon. — Vis apologetica miraculorum, 654.
Dietlein. — De cultu B. Mariae, 499.
Dionysius Alex. — Maria Dei Genitrix, 460.
Dionysius Areop. — Purgari dicuntur etiam Angeli, in quibus non est macula, 134, 135. — Maria divinitatis speciem prae se ferebat, 193. — Sol obscuratus est in morte Domini, 658.
Dionysius Carthus. — Propugnator Immaculatae Conceptionis, 105, 106, 111. — Pulchritudo spiritualis et corporalis B. Mariae, 191, 193, 198. — Christus Mariae subditus, 480.
Dioscorus. — Christum negavit de Virgine natum esse, 228.
Doerholt. — De satisfactione pro peccatis a Christo praestita, 777.
Dogma. — Evolutio dogmatum, quo sensu concedi possit, 124-126.
Dominus. — Christus multiplici ratione est Dominus, 547, 548.
Donnadieu. — Citatur, 870.
Dornstetter. — Citatur, xii.
Duchesne. — Citatur, 274, 275.
Durand. — De origine cantici Magnificat, 366.
Durandus. — Non agnovit Immaculatam Conceptionem, 106. — Fomitem peccati alligatum tantum in sanctificatione B. Virginis docuit, 159. — Negavit Christi satisfactionem fuisse ex se condignam, 780.

Eadmerus. — Quid intelligat sub purificatione B. Virginis, 89. — Maria in annuntiatione mundata est ab omni quod de peccato superesse potuerit, 152, 153. — Angelorum custodia B. Virgo iugiter a peccati macula protecta est, 154, 164. — Sanctitas B. Mariae muneri redemptricis proportionata, 471. — B. Maria, omnium Domina, 496.
Ebion. — Impugnavit virginitatem Beatae Mariae, 226, 456.
Ecclesia. — Ecclesiae est custodire depositum revelationis, 31, 32. — Auctoritas Ecclesiae antiquitus agnita, 95. — Quaenam sit eius auctoritas in instituendis festis Sanctorum, 121.
Eck. — Parentes B. Annae nominat, 190.
Egger. — Laudatur, 984.
Ehrhard. — Citatur, xiv, xv, 832, 984.
Eichovius. — Componit S. Thomae doctrinam cum dogmate Imm. Conceptionis, 131, 132.
Einig. — Citatur, 318, 455, 723, 783, 825.
Emmanuel. — Proprium nomen Messiae, 237, 238. — Sensus huius nominis, 531, 538-540.
Emmerich (Cath.) — Citatur, 955.
Endemann. — Citatur, 294.
Ephesinum Conc. — Condemnat impugnantes virginitatem Matris Dei, 228. — Proclamat B. Virginem Dei Genitricem, 459. — Christum dicit Emmanuelem, vere Deum, 539. — Verbum Dei carne passum declarat, 714.
Ephrem (S.). — Maledictio a Deo in Satanam pronuntiata, 46. — A labe peccati

semper aliena B. Virgo, 84. — Maria, plenitudo gratiarum Trinitatis, 488, 489. — Christus sine dolore matris natus est, 503, 504. — S. Ioseph fuit minister circumcisionis Christi, 529.

Ephrem Antioch. — Nomen Dei Genitricis totum includit mysterium Incarnationis, 457. — Ubinam primo occurrat vox θεοτόκος, 463.

Epiphanius (S.). — Mariam Virginem victoriam reportaturam in Satanam praenuntiatur in I Genesis, 46. — Mulier serpenti inimica est B. Maria, 49. — Ioachim et Anna parentes B. Virginis, 189. — Sensus nominis Mariae, 215. — Iudaei impugnant virginalem conceptum B. Mariae, 226. — Virginitas perpetua B. Mariae, 232, 295, 304. — Quinam sint fratres Domini, 295, 348. — Apud Iudaeos regia tribus cum sacerdotali matrimonia inibat, 322. — B. Maria et S. Ioseph vero matrimonio uniti sunt, 332. — Aetas S. Ioseph quando B. Virginem uxorem accepit, 340, 349. — Maria, omni laude digna, 468. — Maria, nova Eva, 490, 491. — De haeresi Collyridianorum, 497. — In morte Christi divinitas separata est ab eius corpore, 839, 840. — Num mortua sit B. V. Maria, 861, 950.

Erasmus. — De genealogia Christi apud Lucam, 189. — De erroribus Ioviniani, 231.

Esser. — Citatur, 835.

Esther. — Figura B. Mariae Virginis, 8.

Estius. — Citatur, 134, 217, 222.

Eucharistia. — Sacramentum resurrectionis, 928, 924. — Christus nobiscum manet in SSmo Sacramento, 928.

Eucherius Lugd. — Sensus diversi nominis Mariae, 219.

Eusebius Caesar. — Prophetia Isaiae de virginali conceptu, 238.

Eusebius Emiss. — Solus Christus (per se) immunis a peccato originali, 86. — B. Mariae virginitas significatur porta clausa, 240.

Eutherius. — Rubus Moysis significat B. Mariam Virginem, 241.

Euthymius. — Christus natus est, illaesa Matris virginitate, 282. — Maria Deum genuit, non vero divinitatem, 466, 467.

Eutyches. — Negabat carnem Christi de virgine natam esse, 457.

Eva. — Figura B. Mariae, 5, 6. — Oppositio multiplex inter Evam et Mariam, 5, 6, 388, 389. — Sine macula prodiit utraque Eva, 116. — Relatio virginitatis Mariae ad virginitatem Evae, 260-262. — Maria, nova Eva, 490-492.

Exaltatio. — Exaltatio Christi triplex, 803. — Per suam passionem Christus meruit exaltari, 802-804.

Eymericus. — Citatur, 173.

Faber. — Christo detrahitur, si Matris dignitati derogatur, 469. — Laudes S. Crucis, 689.

Facundus Herm. — Beata Maria vere est Dei Genitrix, 461, 462.

Farrar. — Negat virginitatis excellentiam, 316-318.

Faustus. — A S. Augustino impugnatur, 380, 384.

Felix III. — Christus non est passus secundum divinam naturam, 713.

Ferdinandus II. (Imper.). — Ab Urbano VIII expostulavit definitionem Immaculatae Conceptionis, 75.

Ferdinandus III (Imper.). — Statuam dicavit Mariae Immaculatae, 117.

Ferrandus. — Minus recte loquitur de immunitate Mariae a peccato, 87. — Christum per Mariam factus est ex semine David, 380. — Christus ex Maria assumpsit veram carnem, 432, 433. — Maria divinitatem Filii genuit, incarnatam, 466. — Christus totus fuit in sepulchro et in inferno, sed non totum, 884, 885.

Figura. — Figurae B. Mariae V. in Veteri Testamento, 4-15.

FILIATIO. — Una est relatio realis filiationis in Christo, 500-502.

FILIUS. — Christus Filius Dei, Filius hominis, 540-542.

FISCHER (B. IOANNES). — Ecclesia regitur Spiritu Sancto, 126.

FLOQUET. — Citatur, 351.

FOMES. — Fomes peccati quid sit, 155. — Immunitas B. Virginis a fomite peccati, 151-160.

FONCK. — De adversariis virginitatis B. Mariae, 230, 261.

FRANCISCUS SALESIUS (S.). — Quare S. Ioseph cogitaverit dimittere B. Virginem, 344. — B. Maria ex amore mortua est, 866.

FRANCUS. — Etymologia nominis Mariae, 217, 222.

FRANZELIN. — Citatur, 318, 394, 455, 722, 723, 770, 783, 825.

FRASSEN. — Abundantia gratiae salvificae ostendit convenientiam Immaculatae Conceptionis, 116, 117. — S. Thomas docuit Imm. Conceptionem, 132.

FRATER. — Frater multiplici sensu dicitur in Scripturis, 295, 296. — Quinam sint fratres Domini, 294-297.

FRIEDRICH. — Citatur, 150.

FÜRST. — Citatur, 223.

FULBERTUS CARNOT. — Deus maledixit Satanae sub specie serpentis apparenti, 46. — Ex gloriosa Nativitate B. Virginis concludi potest ad eius Conceptionem Immaculatam, 67, 80. — Beata Maria prima est quae Deo virginitatem voverit, 313.

FULGENTIUS (S.). — Maria, nova Eva, 58, 261. — Caro Mariae quo sensu dicatur caro peccati, 87. — Christus natus ex Virgine quia auferre venit peccatum originale, 263, 264. — Christus ex muliere sumpsit carnem, 393, 394. — In instanti conceptionis caro Christi assumpta est a Verbo, 433. — B. Maria Mater Dei, 460, 461. — In morte Christi, divinitas mansit unita cum corpore et anima, 843. — Corpus Christi non est corruptum in sepulchro, 874.

FUNCK. — Citatur, 251.

GABRIEL (S.). — Ad quemnam ordinem Angelorum pertineat, 356. — Prophetia hebdomadum septuagínta, 357. — Corporaliter B. Mariae in annuntiatione apparuit, 357, 358.

GALENUS. — Pulchritudo est complexio optima, 203. — Femina aliquid active praestat in conceptione, 416.

GALLIFET. — De cultu SS. Cordis Iesu, 813, 816.

GARNIER. — Citatur, 464.

GASQUET. — Laudatur, XVII.

GARUCCI. — Citatur, 273.

GAUDE. — Citatur, 132, 150.

GAUFRIDUS. — De origine esti Conceptionis B. Mariae, 70.

GAUTHIER. — Citatur, 391.

GELASIUS I. — Decretum contra scripta apocrypha, 950, 952.

GENEALOGIA. — Christi genealogia secundum Matthaeum et Lucam, 381-387.

GENNADIUS. — Citatur, 432, 457.

GEORGIUS CEDRINUS. — Pulchritudo Beatae Virginis, 199.

GEORGIUS DE NICOMED. — Testis antiquitatis festi Conceptionis B. Mariae, 69. — Mariae pulchritudinem exaltat, 195.

GERARDIN. — Laudes SS. Ioachim et Annae, 190.

GERMANUS CONSTANT. — Maria Evae opposita, 58, 946. — Maria refugium peccatorum, 493. — Maria in caelum assumpta, 946, 956-958.

GERSON (Cancell.). — Non est abutendum argumentis convenientiae, 111. — Maria possidet omnia gratiae charismata, 177. — Pulchritudo B. Virginis, 192, 197. — S. Iosephi excellens puritas, 349.

GERTRUDIS (S.). — Eius modus colendi SS. Cor Iesu, 823, 824.

GESENIUS. — Citatur, 51, 222, 223.

GIEGER. — De relatione Mahummedi ad Iudaismum, 212.

GILBERTUS. — Citatur, 242.

GILDEMEISTER. — Maria significat pulchram, 223.

GODEFRIDUS (Abb. Admont.). — Citatur, 89. — B. Mariam a peccato originali liberandam docet, 153.

GONET. — Citatur, 726.

GONZALEZ. (Thyrs.). — S. Thomae sententiam componit cum doctrina Imm. Conceptionis, 132, 143.

GOTTI. — Assumptio B. Virginis certe est tenenda, 953, 961.

GOTTLOB. — Citatur, 332.

GRABMANN. — Laudatur, 772.

GRANADO. — Corpus B. Mariae in conceptione activa animatum et organizatum censet, 202.

GRATIA. — Plenitudo gratiae B. Mariae Virginis, 56-59, 171-184. — Gratia B. Mariae comparata cum gratia Angelorum et Sanctorum, 174-179. — Plenitudo gratiarum B. Mariae praeparatio erat maternitatis divinae, 471, 472.

GRAVOIS. — Citatur, 74, 107.

GREGORIUS MAGNUS (S.) — Satanas sub nomine serpentis maledictus est a Deo, 46. — Lapis de monte praecisus est Christus ex caelesti curia descendens, 243. — Eodem instanti conceptionis caro Christi assumpta est a Verbo, 433. — Christum nondum loquentem elementa muta praedicaverunt, 517. — Christus pisci comparatur, 560. — Quare et quomodo Christus tentatus sit a diabolo, 628. — Passio Christi est satisfactio pro peccatis, 780. — B. Maria mortem temporalem subiit, 861.

GREGORIUS X. — Propagavit cultum SS. Nominis Iesu, 557.

GREGORIUS XV. — Interdixit disputationes contra Immaculatam Conceptionem, 108, 122.

GREGORIUS DE VALENTIA. — Quale mandatum patiendi Christus habuerit a Patre, 724, 783.

GREGORIUS NAZIANZ. (S.). — Verbum assumpsisse carnem damnatam dicit, 88. — Maiorem gratiam Mariae esse quam caeterorum Sanctorum affirmat, 175. — B. Virgo inter omnes pulcherrima, 195. — Maria virilem naturam superavit, 204. — Sicut clauso sepulchro resurrexit, ita illaesa Matre natus est Christus, 282, 293.

GREGORIUS NEOCAESAR. (S.). — Mulier serpenti inimica est mater Christi, 49.

GREGORIUS NYSS. (S.). — Ioachim et Anna parentes B. Virginis, 190. — B. Maria triennis in templo est praesentata, 206. — Decebat eum qui omnia instaurare venit, ex incorrupta Virgine nasci, 262. — Sicut in utero Virginis, ita in omni animo casto Christus generatur, 264. — Analogia inter generationem personarum Trinitatis et nativitatem Christi ex Virgine, 264, 265. — B. Maria Deo se dicaverat per votum virginitatis, 311. — Sponsalia B. Ioseph cum B. Virgine, 339, 340. — In morte Christi divinitas nec a corpore nec ab anima separata est, 842. — Textus in favorem assumptionis B Virginis, 950.

GREGORIUS TURON. (S.). — Maria stella vel stilla maris, 218. — Maria assumpta est in caelum, 953.

GRIMM. — Citatur, 223. — Fides S. Ioseph, 345, 346, — Sensus verborum Christi « quid mihi et tibi », 482.

GUAL. — De mente S. Thomae circa Immac. Conceptionem, 132.

GÜNTHER. — Docuit filium hominis, non autem Verbum Dei, passum esse, 713, 714. — Rationem impeccantiae Christi a sola divina praescientia repetit, 720. — Eius opinio circa satisfactionem a Christo praestitam, 778.

GUÉPIN. — Citatur, 73.

GUÉRANGER. — Quo iure Ecclesia potuerit definire dogma Immaculatae Conceptionis, 31, 32. — Argumentum liturgicum in favorem dogmatis Imm.

Conceptionis, 73. — Laudatur eius opus de Immaculata Conceptione, 111. — Relatio Virginis ad tres personas S. Trinitatis requirebat immaculate Conceptam, 112, 113. — Quae contra fidem sunt, non approbat Ecclesia, 122. — Quanam auctoritate ferri debuerit definitio Immaculatae Conceptionis, 126. — Quanta beneficia oritura sint ex definitione Imm. Conceptionis, 129. — Mens S. Thomae circa Immaculatam Conceptionem, 130.

Guffens. — Laudatur, 829.

Guilelmus Antiss. — Citatur, 71.

Guilelmus II. — Imperium suum Cruci mancipat, 833.

Guillaume. — Citatur, 496.

Gutberlet. — Citatur, 318, 345, 417, 455, 690, 726.

Haeften. — Christus in sua morte est obedientiae exemplar, 740.

Halleux. — Laudatur, 985.

Haneberg. — Sensus nominum Miriam et Maria, 210, 223.

Harnack. — Citatur, 210, 233, 239, 240, 251, 255, 261, 290, 360, 985. — Quomodo essentiam Protestantismi definiat, 246. — Quibusnam argumentis narrationem evangelicam circa virginalem B. Mariae conceptum alterare conetur, 247-250. — Refutantur argumenta quibus canticum Magnificat ascribit Elisabethae, 366-372, 376.

Heigl. — Sensus sententiae « quid mihi et tibi », 481, 482.

Heinrich. — Citatur, 318, 345, 417, 455, 690.

Heller. — Etymologia nominis Mariae, 222, 223.

Helvidius. — Errat circa virginitatem B. Deiparae, 231, 232, 293, 296, 297, 308.

Hengstenberg. — Citatur, 56.

Henricus Gandavensis. — Conceptio activa B. Mariae celebranda non est, 73, 103, 106.

Hermes. — Contendit Deum non exigere satisfactionem pro peccatis, 778.

Hermeneutica. — Principia hermeneuticae fundamentalia, 133.

Hervaeus Natalis. — Affirmat S. Thomam Immaculatae Conceptioni adversari, 130.

Hesichius. — Maria universum Trinitatis complementum, 488.

Hieronymus (S.). — Maledictio Dei ad Satanam sub serpentis specie occultatum directa est, 46, 53. — B. Maria immaculata dicitur, 153. — B. Maria orta est stirpe David, 190, 191. — E vultu Christi splendor oriebatur, 199. — Sensus nominis Mariae, 214, 216-218. — Gentiles plura narrant de conceptibus virginum, 227, 228. — Errores Ioviniani, 230, 231. — Errores Helvidii, 232, 296-301. — Prophetia de porta clausa significat virginitatem B. Mariae, 240. — Sepulchrum Christi imago virginitatis Mariae, 246. — Partus virgineus B. Mariae, 293. — Quinam sint fratres Domini, 295, 296. — Maria, virgo post partum, 298-303. — Maria voto virginitatis Deo se consecraverat, 311. — Virginitas potior statu nuptiali, 315. — Maria, sponsa B. Ioseph, 330, 332. — Quare S. Ioseph voluerit dimittere B. Virginem, 343. — S. Ioseph tota vita virginitatem professus est, 348. — Canticum B. Virginis in quibusdam codicibus Elisabeth tribuitur, 367, 368. — Christus per excellentiam vocatur Sanctus, 542. — Christus Nazarenus dicitur per prophetas, 544.

Hieronymus (pseudo). — Maria, hortus conclusus, 61. — De assumptione B. Virginis dubitative loquitur, 950, 951.

Hierosol. synod. (a. 1672). — Mariam sine labe conceptam agnoscit, 77. — Proclamat assumptionem B. Virginis, 952, 955.

Hilaire de Paris. — Citatur, 74.

Hilarius (S.). — Christus carnem pec-

cati recepit, 88. — Splendor in vulto B. Mariae fulgebat, dum Filium suum gestaret, 199. — Num S. Ioseph ante matrimonium cum B. Virgine, aliam uxorem habuerit, 348. — Genealogia Christi, 386. — Maria in formatione corporis Christi praestitit ea quae matris sunt, 393. — Christus de Spiritu Sancto conceptus est, 407. — Non ex se corpori Christi Maria originem dedit, sed ex virtute divina, 467. — In morte Christi recessit divinitas a corpore, 840.

Hildebertus. — Canit Mariam sine macula, 76.

Hilgenfeld. — Citatur, 250.

Hillmann. — Originem dogmatum rationalistice explicat, 247.

Himpel. — Citatur, 252.

Hincmarus. — Sensus nominis Mariae, 219.

Hippolytus (S.). — Duplex Christi nativitas, 452. — Verbum incarnatum est ex Maria Virgine, 464.

Höpfl. — Laudatur eius opus de critica biblica, xii, xiii, 769.

Holzhammer. — Citatur, 482.

Holzmann. — Citatur, 247.

Homerus. — Reges sunt pastores populorum, 570.

Hoppenot. — Laudatur eius opus de Crucifixo, 756.

Hort. — Citatur, 211.

Hugo (Abb. Rading.). — In Gallias introduxit festum Conceptionis B. Mariae Virginis, 70, 71.

Hugo a S. Victore. — Immaculatam B. Virginis Conceptionem non agnovit, 100. — Vinculum charitatis, magis quam carnalis coniunctio matrimonium efficere docet, 324, 325. — In morte Christi divinitatem ostendit ab humanitate non esse separatam, 845, 846. — Christum in triduo mortis hominem fuisse aestimat, animam cum statuat esse hominem, 852-854. — Christus ad infernum non totus homo descendit, 885.

Hugo de Summo. — Maria a labe originali redemptione anticipata praeservata est, 80.

Hugo (Victor). — Versus in honorem Crucifixi, 755.

Hurter. — Citatur, 132, 318, 455.

Huysmans. — Citatur, xiii.

Iahel. — Figura B. Mariae Virginis, 9.

Iansenius. — Propositiones damnatae, 742, 743, 763.

Ianssens (Ios.). — Repraesentatio S. Faciei, 812.

Ianucci. — De morte B. Virginis, 861.

Ieiunium. — Necessitas ieiunii, 632. — Ieiunium Christi in deserto, 631-634.

IESUS. — Sensus huius nominis, 530-534, 552-560.

Ignatius (S.). — Ex Virgine natus est Christus, 251, 256, 257. — Christus conceptus de Spiritu Sancto, 407. — Christus ex Deo et ex Maria, 452. — Maria Dei Genitrix, 464. — Christus verum obtulit sacrificium, 772.

Ignatius de Loyola (S.). — Devotus Beatae Virgini, 497. — Cultor S. Nominis Iesu, 558.

Ihering (von). — Excellentiam doctrinae S. Thomae agnoscit, xv, xvi.

Ildephonsus (S.). — B. Maria praeter leges concupiscentiae concepta est, 154. — Sensus nominis Mariae, 219. — Virginitas perpetua B. Mariae, 232, 280. — B. Mariae votum virginitatis emisit, 311. — B. Maria assumpta est in caelum, 945, 947.

Imago. — Imagines B. Mariae Virginis, 270-275.

Imitatio Christi. — Virtus S. Nominis Iesu, 555, 556. — Virtutes Crucis, 689, 690.

Immaculata Conceptio B. M. V. — Vide *Conceptio Imm.*

Impeccabilitas. — Distinctio inter impeccabilitatem et impeccantiam; gradus impeccabilitatis, 161, 162. — Impeccabilitas B. Mariae Virginis, 162, 163.

IMPERIALI. — B. Mariam de matre virgine ortam dixit, 191.

INFERNUM. — Infernus dicitur de diversis locis, 882. — Ad inferos Christus descendit, 879-889. — Ad quamnam inferum regionem descenderit Christus, 882-884. — Quosnam inde liberaverit, 887-889.

INNOCENTIUS I. — Damnat Evangelia apocrypha, 186. — Damnat haeresim Bonosi, 232.

INNOCENTIUS III. — Maria, gratia plena, Evae peccatrici opponitur, 58. — Claritatem corporis gloriosi Christo in Transfiguratione tribuit, 665, 666. — Christum docet surrexisse in vera carne, 903.

IOACHIM (S.). — Pater Beatae Virginis, 190.

IOANNES ANTIOCHENUS. — Nomen Dei Genitricis antiquissima traditione consecratum, 463.

IOANNES A S. THOMA. — Interpretatur S. Thomam in sensu Imm. Conceptioni favente, 131.

IOANNES BAPTISTA (S.). — Sanctificatus ante nativitatem, 182, 183. — Natura et effectus Baptismi ab ipso collati, 585-598.

IOANNES CHRYSOSTOMUS (S.). — Maledictio a Deo lata est in Satanam, sub specie serpentis occultatum, 46. — Mulier quae vicit diabolum est Maria, 19. — Semen mulieris primario intelligitur Christus secundario sunt electi, 52. — Videtur imperfectionis accusare B. Virginem, 161. — Angelos gratia excessit B. Virgo, 174. — Fulgor in vultu Christi resplendebat, 199. — Prophetiae de conceptu virginali B. Mariae, 238, 240. — Rubus ardens significat virginitatem B. Mariae, 244. — Christus potuit egredi de utero Matris sicut potuit penetrare ostia clausa, 281. — Maria Virgo perpetua, 304. — S. Ioseph, qua ratione pater Iesu, 337. — Christus filius Dei et filius hominis, 452, 453. — Verbum caro factum est revera Emmanuel, 539. — Qua ratione Christus Nazareus dicatur, 544. — Christus caput Angelorum et hominum, 547. — Satisfactio a Christo praestita fuit superabundans, 781, 782. — Virtus Sanguinis Christi, 807, 808. — Quomodo iudiciaria potestas competat Christo, 968, 969.

IOANNES CONSTP. — Maria mori voluit propter utilitatem nostram, 865.

IOANNES DAMASCENUS (S.). — Maria, Evae opposita, 58. — Ex festo Nativitatis B. Virginis argumentum deducitur in favorem Conceptionis Immaculatae, 67. — Maria immaculata, 82, 83. — B. Maria purgata est a fomite ante conceptionem Filii Dei, 152. — Beata Virgo praeter leges concupiscentiae concepta est, 154. — Gladius doloris animam B. Mariae divisit, 168. — Ioachim et Anna, parentes B. Virginis, 190. — Christus fuit Matri sui simillimus, 196. — Maria perfectissimum opus naturae et gratiae, 197, 207-209. — B. Mariae praesentatio, 206. — Sensus nominis Mariae, 216. — Virginitas perpetua B. Mariae, 232, 240. — Evae et Mariae similitudo, 261. — In Incarnatione operata est tota Trinitas, 407. — In primo instanti conceptionis corpus Christi animatum est et a Verbo assumptum, inde et S. Maria dicitur Deipara, 430, 434, 435. — Nomen θεοτόκος totum commendat Incarnationis mysterium, 456. — B. Maria vere et proprie dicitur Dei Genitrix, 461. — Maria omnibus laudibus digna, 468. — Maria proxima Deo, 488. — Corpus et anima Christi in eius morte hypostatice unita manserunt divinitati, 842, 843. — B. Maria mortem subiit, 861. — B. Maria mortua est ut conformis esset Filio suo, 865. — Sepulchrum Christi est adorandum, 869. — Corpus B. Mariae praeservatum est a corruptione, 875. — B. Maria assumpta est in caelum, 946, 947, 958.

IOANNES EUBAEENSIS. — Testimonium de antiquitate festi Conceptionis B. Mariae, 69. — De nomine Mariae, 216.

IOANNES EUCHAIT. — Dignitas Matris Christi exigebat virginal. conceptum, 259.

IOANNES GEOMETRA. — Citatur, 58, 69, 312. — Maria, altera a SS. Trinitate, 489.

IOANNES PRAEPOSITUS. — Sententia S. Hilarii circa maternitatem divinam, 467.

IOANNES SEGOB. — De imaginibus B. M. V. in Scripturis, 61. — De auctoritate declarationis Concilii Basileensis circa Immaculatam Conceptionem, 75. — S. Thomam Imm. Conceptioni favere aestimat, 135.

IOANNES THESSAL. — Propugnat assumptionem B. Mariae, 953.

IOCHAM. — Citatur, 190.

IOSEPH (S.). — Sanctificatus ante nativitatem, et in gratia confirmatus creditur, 184-186. — Verum matrimonium iniit cum B. Virgine, 323-334. — Quibus de titulis dicatur pater Iesu, 334-337, 386, 387. — Eius merita et dotes 338-352. — Christum circumcidit et nomen Iesu imposuit, 529, 530.

IOVINIANUS. — Erravit circa virginitatem B. Mariae, 230, 231, 308.

IRENAEUS (S.). — Maledictio a Deo contra Satanam lata, 45. — Mulier Satanae inimica est Maria, 49. — Iudaei impugnant virginalem conceptum B. Mariae, 226. — Christus dicitur de fructu ventris quia filius Virginis, 241. — Lapis de monte praecisus est Christus, natus de Maria Virgine, 243. — Qui negant Christum de Virgine conceptum privantur vita aeterna, 253. — Canticum B. Mariae, 368, 369. — Evae incredulae opponitur Maria fidelis, 388. — Duplex Christi nativitas, 452. — Maria Dei Genitrix, 464. — Verbum Dei est Emmanuel, nobiscum Deus, 539.

ISIDORUS HISPAL. (S.). — Sensus nominis Mariae, 219. — Coniugium ex fide mutua oritur, 324.

ISIDORUS PELUS. (S.). — Semen mulieris serpenti inimicum, est Christus, 48. — Christus dicitur semen mulieris, quia Filius virginis, 241.

ISIDORUS THESSAL. (S.). — Maria concepta est sine iniquitate, 80, 82, 83.

IUDAEI. — Negant Virginitatem B. Mariae, 226, 227.

IUDAS. — Gravitas peccati eius, 749-751.

IUDICIUM. — Iudiciaria potestas quibus de titulis competat Christo, 964-972. — Haec potestas se extendit ad omnia, 972-974. — Iudicium particulare et universale, 975-977. — Iudicium Christi super Angelos, 977-980.

IUDITH. — Sub multiplici respectu figura B. Mariae Virginis, 7, 8.

IULIANISTAE. — Errant circa incorruptibilitatem corporis Christi, 873, 874. — Item circa B. Virginem, 875.

IULIANUS APOSTATA. — Negavit virginitatem Beatae Mariae, 227, 457. — Citatur, 384.

IUNGMANN. — Obiectum devotionis erga SS. Cor Iesu, 819.

IUSTINUS (S.). — Serpens in I Cap. Genesis est diabolus, 45, 46. — Mulier Satanae inimica est Maria, 49. — Calumniae ethnicorum in B. Virginem, 227. — Prophetia de Virgine paritura respicit Matrem Christi, 238. — Christus natus est ex virgine, 251, 252. — Christus ex semine David natus, 380. — Eva inobediens, Maria fidelis, 388. — Sacrificium Christi, 773.

IUSTUS. — Christus saepe hoc nomine designatur, 545.

IVO CARNOT. — Christus Matrem suam a peccato originali redemit, 80.

KATSCHTHALER. — Citatur, 318, 455, 724.

KEMNITIUS. — Citatur, 165.

KLEE. — Citatur, 285.

KEPPLER. — Laudatur, 984.

KLEUTGEN. — Citatur, 778.

KLÖDEN. — Maria stilla maris dicta est ab Hieronymo, 217.

KNABENBAUER. — Sensus nominis Mariae, 224. — Prophetia B. Isaiae de partu virginis, 238. — Citatur, 379, 481, 771, 898.

KNOLL. — Citatur, 773.

KÖNNECKE. — Transliteratio nominum ab hebraica in graecam linguam, 210.

KRAUS. — Etymologia nominis Mariae, 224. — Imagines B. Virginis, 270, 271. — Eius merita circa artem archeologicam, 273, 274.

KROGH-TONNING. — Ruina protestantismi nostri temporis, XVII.

KURTH. — Laudatur, 976.

LACORDAIRE. — Maioris efficaciae est sermo ore prolatus, quam scriptus vel typis mandatus, 644.

LACTANTIUS. — De oraculis sybillinis, 228. — Duplex nativitas Filii Dei, 257. — Verbum Dei recte dicitur Emmanuel, 539.

LA GARDE (de). — De nomine Mariae, 210, 213.

LAGRANGE. — Num B. Mariae certo adscribi debeat canticum Magnificat, 365, 367, 374, 375.

LAMARTINE. — Laudes cecinit Crucifixi, 755.

LAMBRUSCHINI (Card.). — Laudatur eius dissertatio in favorem Imm. Conc., 111. — S. Thomam Imm. Conceptioni favere aestimat, 132.

LAMPRIDIUS. — Citatur, 85.

LANCIA. — Laudatur, 82.

LANGEN. — Citatur, 207.

LANGÉNIEUX (Card.). — Laudatur, 756.

LAPIS. — Christus, lapis angularis, lapis offensionis, 549-551.

LATERANENSE CONC. (a. 649). — Virginalis maternitas B. Mariae, 267, 305. — Christus conceptus *de* et *ex* Spiritu Sancto, 412. — Christus ante saecula de Patre, in tempore de B. Maria natus, 452. — B. Maria, Dei Genitrix, 459. — Christus sponte passus est pro nobis, 722, 723.

LATERANENSE CONC. IV. — Christus est a tota Trinitate communiter incarnatus, 408. — Christus descendit ad inferos in anima, 881.

LAUNOIS. — Citatur, 85.

LAURENTIUS IUSTINIANUS (S.). — B. Maria omnium Sanctorum gratia ornata est, 177. — Virtus S. Nominis Iesu, 556.

LAUTH. — Citatur, 217.

LEBLANC. — Imagines orantium, 271. — Monagramma Christi, 551.

LEGRAND. — Citatur, 724.

LEHNER. — Citatur, 238, 270, 279, 286.

LEITNER. — Obiectum devotionis erga SS. Cor Iesu, 818.

LEO MAGNUS (S.). — Satanas sub nomine serpentis a Deo maledictus est, 46. — Christus solus sine peccato natus, num ad exclusionem B. Mariae, 85. — Baptismus figurat ortum Christi ex Virgine, 263. — Maria Virgo in partu, 280, 282. — Natura humana in conceptione Christi est assumptione a Verbo creata, 435. — Quare Christus in Transfiguratione gloriosus apparuerit, 668, 669. — Christus aperuit nobis ianuas caeli, 802.

LEO IV. (S.). — Festum assumptionis B. Mariae ubique celebrandum praecipit, 949.

LEO IX (S.). — Christus resurrexit vera carnis resurrectione, 905.

LEO XIII. — Condemnatio erroris Rosminii circa explicationem Immaculatae Conceptionis, 120. — Elevatio festi S. Ioachim ad ritum superiorem, 190. — Excellentia ordinum religiosorum, 316. — S. Ioseph vere coniux B. Virginis, 333. — Ioseph patriarcha est figura sponsi B. Virginis, 339. — Familiaritas B. Ioseph cum Iesu, 342. — S. Ioseph, opificum exemplar, 347. — S. Ioseph, patronus Ecclesiae, 351, 352. — Excellentia divinae maternitatis, 468. — Maria, sponsa Spiritus Sancti, 487. — Saeculum XX Christo Redemptori dicatum, 755. — Iniuriae in

Urbe religioni illatae, 833. — Martyrium doloris B. Virginis, 866.

Leo Allatius. — Citatur, 207.

Leo Imperator. — Ex festo Nativitatis B. M. concludi potest ad Immaculatam Conceptionem, 67, 69. — Maria a maledictione peccati excepta est, 80.

Leonardus de Nogarolis. — Composuit Officium Immac. Conceptionis, 107, 126.

Leonardus de Portu Mauritio (S.). — Praesagiit definitionem Immaculatae Conceptionis, 117. — Quanta bona ex hac definitione oritura sint mundo et Ecclesiae, 128, 129. — S. Thomas Immac. Conceptioni videtur favere, 136.

Lépicier. — B. Maria votum virginitatis emisit, 309. — B. Maria virginitatem, si opus fuisset, praetulisset divinae maternitati, 362. — Maternitas B. Virginis, 455. — Maria contulit Patri auctoritatem in Filium, 480. — Maria contulit Spiritui Sancto ut faecundus fieret generatione temporali Christi, 487, 488. — S. Ioseph circumcidit Christum, 530. — Mors B. Virginis, 866.

Leporius. — Putat divinitatem a corpore recessisse in morte Christi, 840.

Leroy. — De cultu SS. Cordis, 813.

Lessius. — Citatur, 724, 788.

Leusden. — Citatur, 222.

Liell. — Citatur, 270-273, 279, 286, 340, 465.

Lightfoot. — Citatur, 222, 250, 294, 295.

Lindner. — Citatur, 231.

Liturgia (romana). *(Testimonia ex fontibus liturgicis desumpta).* — Oppositio inter Evam et Mariam, 5, 6. — Rubus Moysis, Vellus Gedeonis, figurae B. Mariae Virginis, 10, 244. — Canticum Canticorum praedicat laudes B. M. V., 12. — Praedestinatio B. Virginis, 16. — Sanctificatio S. Ioannis Baptistae et B. M. V., 23. — Intuitu meritorum Christi Maria a labe originali praeservata est, 33, 35, 40. — Maria, nova Eva, 58. — Testimonia librorum sapientialium in favorem Conceptionis Immaculatae, 59-62. — Dogma Conceptionis Immaculatae evincitur ex festo Nativitatis et ex festo Conceptionis, 64-73. — Maria immaculata, ut digna esset Mater Dei, 76. — Evae lapsus restituitur in Maria, 116. — Definitio dogmatis Immaculatae Conceptionis, 127. — S. Ioannes agnovit Salvatorem ex utero matris, 183. — Maria orta est ex stirpe David, 189. — Maria pulcherrima inter mulieres, 194, 198. — Maria, in passionibus fortissima, 207. — Sensus nominis Mariae, 220. — Maria Virgo in partu, post et ante partum, 225, 305, 306. — Oraculum sybillae, 228. — Christus lapis angularis, 243. — Christus descendens sicut pluvia in vellus, sicut imber super gramen, 244. — Maria Virgo et Mater, 260, 268-270, 285. — Maria, Virgo in partu, 286-288. — — Commendans matrem Ioanni, de materna virginitate testificatur Christus, 302. — Maria, Virgo virginum, 313. — Excellentia virginitatis, 316. — Matrimonium B. Virginis cum S. Ioseph, 332, 333. — Christus de Virgine natus est, 388. — Christus conceptus de Spiritu Sancto, 412. — Christi nativitas aeterna et temporalis, 452. — Maria, Mater Dei, 465. — Plenitudo gratiarum B. Mariae ordinabatur ad Maternitatem divinam, 471. — Relationes inter Deum et B. Virginem, 476, 479. — Applicationes Cantici Canticorum ad B. Virginem, 483-485. — Maria, sacrarium Spiritus Sancti, 486. — Maria, mater et auxilium Christianorum, 494, 495. — Regnum Christi caeleste, 523. — Christus dicitur Oriens, Lucifer, Radix, 535-538. — Laudes SS. Nominis Iesu, 557. — Christus Redemptor, 562. — Christus est Agnus Dei, 563, 564. — Virtus Christi de morte triumphavit, 565. — Christus,

liberator noster, 568. — Christus, bonus Pastor, 571. — Christus gloriosus in Transfiguratione apparuit, 668. — In Transfiguratione significatur adoptio filiorum Dei, 669, 670. — Quare Christus in Cruce passus sit, 686, 687. — Passio Christi est verum sacrificium, 770, 772, 774. — Sanguis Christi pretium mundi, 786. — Passio Christi delet peccata, 790, 837. — Passio Christi liberavit homines a poena peccati, 796. — Christus reconciliavit peccatores Deo, 798. — Christus aperuit nobis ianuam caeli, 801, 802. — Cultus SS. Sanguinis Christi, 806, 811. — Cultus Sacratissimi Cordis Domini, 814-818. — Cultus septem dolorum B. Virginis, 834, 835. — In morte Christi divinitas unita mansit corpori, 841. — Mors Christi causa nostrae salutis, 859. — B. Maria mortem obiit, 861. — Christus descendit ad inferos, 882. — Effectus resurrectionis Christi, 893. — Christum resurgentem nemo vidit, 911, 912. — Christus ascendit ad caelos, 927. — Christus ascendit super omnes caelos, 932. — Christus sedet ad dexteram Patris, 938, 939. — Traditio liturgica circa assumptionem B. Mariae, 948-954. — Maria prae omnibus Sanctis et Angelis exaltata in caelo, 962, 963. — Universale iudicium in fine mundi, 976. — Virtus Crucis Domini, 980, 986.

Liturgia armena. — Mater Dei immaculata, 84.

Liturgia chaldaica. — Conceptio Mariae laude plena, 83.

Liturgia coptica. — Maria, columba immaculata, 83.

Liturgia gothica. — Maria Virgo et Mater, 256, 288. — Maria assumpta est in caelum, 954.

Liturgia graeca. — Maria Virgo singulariter praedestinata ab aeterno, 18. — Testimonia in favorem Immaculatae Conceptionis, 81-83. — Maria ab omni peccato alienissima, 164. — Maria, Virgo perpetua ἀειπαρθένος, 306. — B. Maria corporaliter assumpta est in caelum, 955.

Liturgia syriaca. — Conceptio Mariae, a labe originali immunis, 83, 84.

Lobstein. — Citatur, 247.

Loisy. — Tribuit Elisabethae canticum Magnificat, 365-374. — Rationem figurae negat Israelitas agnovisse in sacrificiis Veteris Legis, 769, 772.

Lombardus. — Vide *Petrus Lomb.*

Loth (Arth.). — Authenticitas S. Sindonis Taurinensis, 871.

Lucas Brug. — Quare genealogia Christi ducatur per Ioseph, 386.

Lucifer. — Hoc nomen diverso sensu in Scripturis sumitur, 536, 537.

Ludovicus ab Alcazar. — Sensus nominis Mariae, 222.

Ludovicus de Leon. — De nominibus Christi, 534.

Lugdunense II Conc. — Reverentia nomini Iesu debita, 557.

Lugo (Card. de). — Num Christus sit ex obedientia mortuus, 720, 724, 731. — Num satisfactio a Christi praestita sit secundum rigorem iustitiae, 783.

Lutherus. — Agnovit Immac. Conceptionem B. Mariae Virginis, 151. — De genealogia Christi secundum Lucam, 189. — Sensus nominis Mariae, 221. — Excellentia gratiarum B. Mariae, x, 473.

Maas. — Citatur, 56.

Mabillon. — S. Bernardus in quaestione de Immaculata Conceptione non distinguit inter conceptionem activam et passivam, 96. — Citatur, 289.

Macedonius. — Christum negavit de virgine natum, 228.

Maccioli. — Citatur, 144.

Macedo (Fr.). — Citatur, 861.

Magi. — Num adoratio Magorum ponenda sit ante Praesentationem in templo, 517-520. — Qualis fuerit stella quam viderunt Magi, 520-522. — De

sensu triplicis Magorum doni, 523-535.

MAGISTER. — Christus, multiplici titulo magister, 574-577.

MAI (Card.). — Citatur, 58, 228, 386.

MALDONATUS. — De auctoritate declarationis Concilii Basileensis circa Immaculatam Conceptionem, 75. — Christus via veritas et vita, 578.

MALLA (Ph.). — In ipso conceptionis momento corpus B. Virginis fuit organizatum, 202.

MALOU. — A pluribus saeculis Ecclesia nullam dogmaticam definitionem edixerat cum proclamata est Immaculata Conceptio, 30. — Maria, nova Eva, 58. — Antiquitas festi Conceptionis B. Mariae, 69. — Testimonia Patrum in favorem Immaculatae Conceptionis, 74, 75, 81. — Acta S. Sedis circa Immac. Concept., 107, 109. — Scripta circa definitionem dogmatis, 110, 111. — Utilitas definitionis, 129. — Mens S. Thomae circa Immaculat. Conceptionem, 130, 131, 134. — Epuratio non semper supponit maculam, 134. — Sententia communis Ordinis Praedicatorum fuit contra Imm. Conceptionem, 147.

MANDATUM. — Quale mandatum acceperit Christus a Patre ut moreretur, 721-743.

MANGENOT. — Citatur, 237.

MANGEY. — Citatur, 213.

MARBODUS. — Maria, sine peccato concepta, 80.

MARGARITA (B.) — Revelatio institutionis festum SS. Cordis, 823.

MARIA. — Praefiguratur in Veteri Testamento, 4-15. — Speciali ratione praedestinata est, 15-20. — De eius sanctificatione, 21-224. — De Immaculata Conceptione, 30-151. Cf. *Conceptio Immac.* — Cultus Mariae pars integralis fidei catholicae, 55, 56. — Maria, gratia plena, 56-59, 171-184. — Immunitas ab omni actuali peccato, 160-170, 181. — Orta est Maria ex semine David, 186-191. — Eius pulchritudo, 191-200. — De nomine Mariae, 209-224. — De virginitate B. Mariae, 225-318. — Eius desponsatio, 319-337. — Annuntiatio, 353-365. — Non dubitavit B. Virgo assentire nuntio angelico, 361-362. — Canticum Magnificat, 365-376. — Quid B. Virgo praestiterit in conceptione Christi, 387-395, 415-422. — Maria, Mater Christi, 453, 454. — Maria Mater Dei, 455-500. — Relationes B. Mariae ad singulas personas SS. Trinitatis, 474-490. — Maria, coredemptrix, et comediatrix, 499, 500, 786, 787. — Quare B. Virgo ritum purificationis impleverit, 581-584. — Devotio erga Cor purissimum et septem dolores B. Virginis, 833-835. — Mortua est B. Virgo, etsi potuisset non mori, si voluisset, 860-865. — B. Virginis corpus post mortem mansit incorruptum, 878. — Assumptio B. Virginis eruitur ex Scriptura, traditione et ratione theologica, 943-961. — Exaltata est B. Virgo super omnes Sanctos et Angelos, 961-964.

MARIA (soror Moysis). — Figura B. Virginis, 6, 7, 209, 210.

MARIA DE AGREDA. — S. Ioseph, in aetate 33 annorum B. Mariam coniugem accepit, 341.

MARIANA. — Typicam recepit interpretationem Cantici Canticorum, 12.

MARIOLOGIA. — Eius obiectum, x, 4, 447.

MARIOTT. — Citatur, 273.

MARTENSEN. — Partum virginalem B. Mariae admittit, 277.

MARTIANAY. — De onomasticis graecis, 213.

MARTIGNY. — Citatur, 564.

MARTYROLOGIA. — Testantur de antiquitate festi assumptionis B. Deiparae, 949, 952.

MARUCCHI. — Citatur, 270.

MASTRIUS. — Negat Christi satisfactionem fuisse secundum iustitiae rigorem, 780, 783.

MATER. — Maria, Mater Christi, 387-422,

453, 454. — Maria, Mater Dei, 455-500. — Excellentia divinae maternitatis, 468-500. — Gratia maternitatis gratum faciens et gratis data, 498, 499.

MATRIMONIUM. — Ad essentiam matrimonii non requiritur eius usus, 323-326. — Bona matrimonii, 334.

MAURITIUS (Imper.). — Dicitur festum Assumptionis in 15 Augusti transtulisse, 948.

MAURITIUS (Ep. Paris.). — Prohibuit institui festum Conceptionis B. Mariae, 61, 143.

MAXENTIUS. — Maria non est Deitatis Genitrix, quia est Dei Genitrix, 466.

MAXIMUS (S.). — Celebrat laudes S. Ioannis Baptistae, 183. — Probat conceptum virginalem B. Mariae ex eo quod Christus dicatur vermis et non homo, 242. — Ostendit quomodo illaesa Matris virginitate Christus natus sit, 281. — Citatur, 265, 278.

MECHTILDIS (S.). — Eius devotio erga SS. Cor Iesu, 824.

MEDINA. — Mandatum beneplaciti accepit Chr. a Patre ut moreretur, 723, 740.

MEIGNAN. — Laudatur, 56.

MELANCHTON. — Contendit Christum exercere officium mediatoris secundum utramque naturam, 788.

MENARD. — Citatur, 949.

MERITUM. — Meritum Christi perfectum fuit a primo instanti suae conceptionis, 444. — Meritum B. Mariae, ut Christi mater fieret, 471, 472. — Meritum Christi in sua passione, 721-740. — Meruit Christus nostram salutem, 757-763.

METAPHRASTES. — Citatur, 340.

MEYER. — Citatur, 316.

MILEVITANUM CONC. — Nullum a peccato immunem proclamat, 161.

MIRACULUM. — Miracula a Christo patrata, 645-663. — Vis apologetica miraculorum, 646-650, 652-655, 981.

MIVART. — Dubia manifestavit de virginitate B. Mariae, 230.

MODESTUS HIEROS. (S.). — B. Maria assumpta est in caelum, 947, 953.

MOLANI. — Citatur, 863.

MOLINA. — Verum mandatum moriendi accepit Christus a Patre, 724. — Qualis sit satisfactio a Christo praestita, 783.

MOLINAEUS. — Erravit circa virginitatem B. Mariae, 231.

MONE. — Citatur, 282, 476.

MONSABRÉ. — Citatur, 575.

MORCELLI. — Impugnavit assumptionem B. Virginis, 953.

MORGOTT. — S. Thomam Imm. Conceptioni favere sentit, 132, 138, 142, 144. — Citatur, 318, 417, 455.

MORIN. — De cantico B. Mariae, 365, 366.

MORINI. — Citatur, 834.

MÜLLER. — De sensu typico scripturae, XII.

MUGER. — Citatur, 247.

MURATORI. — Indefinibile iudicavit dogma Immaculatae Conceptionis, 129.

MUSSET. — Laudes cantavit Christi crucifixi, 755.

NATALIS ALEXANDER. — Putat S. Thomam Imm. Conceptioni favisse, 131. — Errores Ioviniani, 231. — Sensus dicti « Quid mihi et tibi », 481. — B. Maria in caelum est assumpta, 953, 961.

NATIVITAS. — Duplex acceptio, 22, 139. — Sanctificatio est nova nativitas, 22. — Significatio festi Nativitatis B. M. Virginis, 64-69. — De nativitate Christi, 448-525. — Duplex Christi nativitas, 450-453. — Circumstantiae nativitatis Christi, 502-508. — De manifestatione nativitatis Christi, 509-525.

NAZAREUS. — Quare Christus Nazareus vocetur, 544.

NEANDER. — Citatur, 316.

NESTLE. — De cantico Magnificat, 367.

NESTORIUS. — Negabat B. Mariam esse Matrem Dei, 455, 457, 466.

NEWMAN (Card.). — Laudatur, VIII, 151, 469.

NICAETAS PAPHLAG. — Testimonium fert de antiquitate festi Conceptionis Beatae Mariae, 69.

NICEPHORUS CALL. — Ioachim et Anna, parentes B. Virginis, 190. — Pulchritudo B. Mariae Virginis, 199. — Maria significat donum, 216. — S. Ioseph sponsus B. Virginis, 340. — B. Maria assumpta est in caelum, 953.

NICOLAS (Aug.). — Citatur, 352.

NICOLAUS I. — Festum Assumptionis celebrandum praecipit, 949.

NICOLAUS A S. ALBANO. — Propugnavit Immaculatam Conceptionem rationibus convenientiae, 111, 112.

NICOLAUS CUSANUS. — Accurate exponit doctrinam Imm. Conceptionis, 145, 146.

NIEREMBERG (Eus.). — S. Thomae sententiam componit cum doctrina Imm. Conceptionis, 131, 132, 143. — Citatur, 150.

NILLES. — De festo SS. Cordis Iesu, 813.

NISIUS. — Virtus intercessionis B. Mariae, 481, 482.

OBEDIENTIA. — Christus ex obedientia mortuus est, 721-743.

OECOLAMPADIUS. — Alterat textum Isaiae promittentis virginem parituram, 239. — Admittit virginitatem B. Mariae perpetuam, 308.

OLIVIER. — Citatur, 294, 546.

OLSHAUSEN. — Citatur, 222.

ONKALOS (Rabbi). — Propter Mariam Deus creavit mundum, 18.

OPITZ. — Laudatur, 111.

OPTATUS (S.). — Christus vocatur piscis quia auctor Baptismatis, 560.

ORANTES. — Imagines orantium, quid repraesentent, 270-272.

ORIENS. — Nomen exprimens Christi ortum, 535, 536.

ORIGENES. — Deus maledixit Satanae sub serpentis specie absconso, 46. — De impeccabilitate B. Mariae Virginis, 161. — Splendor in vultu B. Virginis resplendebat, dum gestaret Filium suum, 199. — De libris onomasticis, 213. — Emmanuel a propheta promissus est Christus, 237, 238. — Qui negat virginitatem B. Mariae, alienus est a fide, 254. — De partu virginali, 285, 295. — Fratres Domini minime sunt filii B. Virginis, 295, 297, 303, 304, 348. — S. Ioseph indignum se reputans consortii B. Virginis, eam dimittere cogitabat, 342. — Mariae est canticum Magnificat, 367, 368.

ORIGENES (pseudo). — Mulier serpenti inimica, Maria est, 49.

ORIGENISTAE. — Nonnulli corporibus resurgentium sphaericam figuram tribuunt, 903, 907.

OVIDIUS. — Citatur, 536, 572.

PALAU. — Corpus B. Mariae fuit iam evolutum in ipso die conceptionis, 202.

PALLAVICINUS. — Quale mandatum patiendi acceperit Christus a Patre, 724.

PALMIERI. — Citatur, 46, 48, 49, 58, 66, 74, 77, 78, 120, 121, 132, 161. — Ante definitionem dogmaticam, theologice certa erat veritas Immaculatae Conceptionis, 122. — Conciliationes inventae inter S. Thomae doctrinam et dogma Imm. Conceptionis post huius definitionem, 131.

PALUDANUS. — Vide *Petrus de Palude.*

PAPEBROCHIUS. — Citatur, 387.

PAQUET. — Citatur, 318, 455, 667, 783.

PARADISUS. — Figura B. Mariae Virginis, 9.

PARAYRE. — Citatur, 814.

PASCHALIS II. — Sacravit altare Conceptioni B. Mariae, 71.

PASCHASIUS RADBERTUS (S.). — Festum Nativitatis B. M. V. probat eius immunitatem ab originali peccato, 67, 68. — Maria ab omni contagie primaevae originis aliena, 79, 80, 152. — Si B. Maria non fuisset virgo in partu, neque in concipiendo fuisset virgo, 276. — Christus natus est, clauso Virginis utero, 289-292. — Christus filius

Mariae primogenitus et unigenitus, 300, 301.

PASOR. — Sensus nominis Mariae, 222.

PASSAGLIA. — Citatur, 15, 53, 58, 70, 73, 111, 489, 953.

PASSIO. — Quo sensu necessaria fuerit passio Christi, 674-679. — Passio Christi fuit convenientissimus modus quo liberaretur humanum genus, 679-686. — Quare Christus passus sit in cruce, 686-690. — Intensitas dolorum Christi in passione, 686-697. — In sua passione Christus visione beata frui non cessavit, 697-703. — Circumstantiae passionis Christi, 703-711. — Num decima quarta an quinta mensis passus sit Christus, 705, 706. — Christus non est passibilis secundum divinam naturam, 712-714. — Christus mandatum accepit a Patre, ut pateretur, 720-743. — Passio Christi causavit nostram salutem per modum satisfactionis et sacrificii, 757-789. — Effectus passionis Christi, 789-805.

PASTOR. — Christus bonus Pastor, 569-572.

PATRIZI. — Citatur, 44, 386, 578.

PAULINUS NOL. (S.). — Sensus fidelium, argumentum veritatis, 93. — Virtutes SSm̃i Nominis Christi, 553, 554. — Christus aquae vivae piscis, 560.

PAULUS IV. — Proclamat virginalem conceptum B. Deiparae, 267, 305.

PAULUS V. — Interdixit impugnationem Immaculatae Conceptionis, 108.

PAULUS DIAC. — Maria sine macula, 79. (Dubia auct.).

PAUPERTAS. — Quare pauperem in hoc mundo vitam duxerit Christus, 621-623.

PEROSI. — Laudatur, 754.

PERRONE. — Citatur, 43, 44, 74, 78, 96, 109, 111, 132. — Multimode potuisset Ecclesia definire Immaculatam Conceptionem, 123, 124.

PESCH (Chr.). — De mente S. Thomae circa Immaculatam Conceptionem, 130. — Citatur, VIII, 186, 224, 297, 318, 455, 722, 724, 726, 728, 781, 783, 785, 825.

PETAVIUS. — De laudibus a graecis Patribus Mariae tributis, 74. — Testimonia Patrum quae difficultatem ingerunt contra Immaculatam Conceptionem, 85, 86, 92. — Sensus fidelium magnum est argumentum in favorem Imm. Conceptionis, 92, 93. — Caste loquendum est de virginitate B. Mariae, 235. — Nullus unquam Christianus negavit virginalem conceptum B. Mariae, 251. — Partus virginalis, 276, 285. — Sententia Tertulliani circa perpetuam B. Mariae virginitatem, 303. — Maternitas B. Virginis, 455, 469. — Deipara per se minus dicit quam θεοτόκος, 457. — B. Maria χριστοτόκος, 460. — B. Maria ab antiquissimis scriptoribus dicitur θεοτόκος, 463, 466. — Christus natus est sine dolore matris, 502. — Sensus nominis Emmanuel, 539. — Mandatum beneplaciti accepit Christus a Patre ut moreretur pro hominibus, 723. — Passio Christi est sacrificium, 773. — Christus satisfactionem praestitit pro peccatis, 780. — Mens S. Ambrosii circa separationem divinitatis ab humanitate in morte Christi, 838, 839.

PETERMANN. — Citatur, 210.

PETITALOT. — Laudatur, 455.

PETRUS AUREOLUS. — Propugnavit Immaculatam Conceptionem, 105, 106.

PETRUS CANISIUS (B.). — Defendit Immaculatam Conceptionem S. Thomae auctoritate, 136. — Laudatur eius opus de excellentia B. Mariae, 146, 161, 165. — B. Maria triennis in templo est praesentata, 206. — Etymologia nominis Mariae, 221, 222. — Calumniae Iudaeorum in B. Virginem, 226, 227. — Virgo paritura est B. Maria, 239, 240. — Maria, Virgo in partu, 280, 282, 293. — Maria, Virgo post partum, 308. — S. Ioseph, sponsus B. Virginis, 340. — Maternitas B. Virginis, 455.

PETRUS CELLENSIS. — Virginem decet, virgineis loqui verbis, 235. — Maria,

una et prima post Unitatem et Trinitatem, 489.

PETRUS CHRYSOLOGUS (S.). — Maria omnes Sanctos superat plenitudine gratiae, 175. — Sensus nominis Mariae, 219. — Conceptus virginalis B. Mariae commendat virginitatem, 264. — S. Ioseph, sponsus B. Virginis, 331. — Quare S. Ioseph cogitaverit dimittere B. Virginem, 344. — Maria, sponsa Verbi, 483. — Christus pisci comparatus, 560.

PETRUS DAMIANI (S.). — B. Maria ante constitutionem mundi ab aeterno praeelecta, 19. — Caro Virginis de peccato concepta dicitur, 87, 88. — Maria gratia ceteris Sanctis praecellit, 175. — Pulchritudo B. Virginis, 195. — Christus diutius quam Praecursor in utero latuit, 203. — Partus virginalis nihil habet impossibile, 283. — S. Ioseph virginitate praecellens, 349. — In morte Christi, divinitas remansit corpori unita, 844.

PETRUS DE ALVA. — Citatur, 71, 132, 136, 144.

PETRUS DE ARGOS. — Saeculo IX iam celebrabatur festum Conceptionis B. Mariae, 69. — Maria immaculate concepta, 82.

PETRUS DE PALUDE. — Non agnovit Immac. Conceptionem, 106. — S. Thomam Imm. Conceptioni adversari dixit, 130. — Quale mandatum moriendi Christus habuerit a Patre, 723.

PETRUS DE TARENTASIA. — Testatur S. Thomam negasse Immaculatam Conceptionem, 130, 144. — Docet cito post animationem, B. Virginem sanctificatam esse, 148. — Fomitem peccati non totaliter exstinctum in sanctificatione B. Virginis putat, 159. — Comparatio inter sanctificationem B. Virginis et aliorum Sanctorum, 182. — Femina passive se habet in conceptione prolis, 416.

PETRUS LOMBARDUS. — Immaculatam Conceptionem B. M. V. non agnovit, 99. — B. Virgo proposuit servare virginitatem, nisi aliter Deus ordinaret, 315. — Caro Verbi prius peccato obnoxia, deinde Spiritus Sanctus operatione mundata, 398, 399. — Christus in triduo mortis qua ratione possit dici homo, 854, 855.

PETRUS MARTYR. — Errat circa virginalem conceptum B. Mariae, 230, 233. — Errat circa officium mediatoris in Christo, 788.

PETRUS TERRACENSIS. — Citatur, 173.

PFLEIDERER. — Citatur, 778.

PHILIPPUS III, IV, V. — Definitionem Immaculatae Conceptionis a S. Pontificibus postularunt, 75.

PHILIPPUS (Abbas B. Spei). — Sententia S. Hilarii de maternitate divina, 467. — Christus libere passus est, 722.

PHILO. — Interpretatio nominis Mariae, 212, 213. — Deus est Pastor universi mundi, 570.

PHOTINUS. — Eius error circa unionem hypostaticam et divinam maternitatem, 455, 466.

PHOTIUS. — Testatur de antiquitate festi Conceptionis B. Mariae, 69.

PHTHARTOLATRAE. — Corpus Christi in sepulchro resolutum in elementa asserebant, 873, 874.

PIAZZA. — Citatur, 70, 85.

PIUS V (S.). — Quidnam statuerit circa Immaculatam Conceptionem, 107, 108, 122.

PIUS VI. — Auctoritas vaticinii Isaiae de conceptu virginali B. Mariae, 239.

PIUS IX. — Figurae B. Mariae Virginis in Veteri Testamento, 9-11. — Praedestinatio specialis B. Virginis, 16, 17. — Definitio Immaculatae Conceptionis, 30. — Immaculata Conceptio ex Gen. I. erui potest, 43. — Laudes increatae Sapientiae applicantur Beatae Mariae Virgini, 59. — Uberrima prostant monumenta liturgica in favorem Conceptionis Immaculatae, 64, 65. — Ioseph patriarcha praefigurat

S. Iosephum, Sponsum B. Virginis, 338, 339. — S. Ioseph, Ecclesiae patronus, 351. — Nulla maior quam B. Mariae sanctitas, 497.

Plaine. — Citatur, 220.

Platelius. — Citatur, 723.

Plauch. — Citatur, 314.

Plazza. — Citatur, 132, 150.

Plummer. — Citatur, 250.

Poletto. — Laudatur, 963.

Polycarpus (S.). — Christus, pontifex sempiternus, 772, 773.

Pontius Legion. — Typicum sensum admittit in Cantico Canticorum, 12.

Pothier. — Laudatur, xiii.

Poza (I. B.). — Dixit corpora B. Mariae et Christi in instanti conceptionis iam plene esse evoluta, 201, 202.

Praedestinatio. — Specialis ratio praedestinationis B. Virginis, ratione eius coniunctionis cum Christo, 15-20.

Praedicatio. — Christi praedicatio Iudaeis facta est, 638-640. — Quaenam occulta sint in praedicatione Domini, 640-642.

Praesentatio. — Quare Christus in templo praesentatus sit, 579-581.

Proclianitae. — Divinam tantum naturam ponebant in Christo, 452.

Proclus (S.). — Christus Matrem ab omni labe praeservavit, 79. — Christus in corpore peccati constitutus, 88. — Dignitas Christi requirebat Matrem virginem, 255. — B. Maria fuit virgo in partu, 279. — Maria Dei Genitrix, 464.

Propheta. — Christus fuit propheta, 572-574.

Prophetiae. — Prophetiae nuntiantes B. Virginem, 9-15.

Prudentius. — Satanas sub nomine serpentis a Deo maledictus est, 46. — Mulier quae serpentem devicit, est Maria, 50. — Maria ab omni labe expers, 77.

Purificatio. — Quare B. Virgo ritum purificationis impleverit, 581-584.

Quesnel. — Propositio eius damnata circa passionem Christi, 694.

Rabbini. — Eorum interpretatio nominis Mariae, 213. — Traditionem conservant virginalis conceptus, 227. — Adamum in utroque sexu creatum docuerunt, 418. — Messiam in figura lapidis agnoverunt, 550.

Rachel. — Figura Beatae Mariae Virginis, 9.

Raimundus (Th.). — Citatur, 218.

Ratramnus. — Eius doctrina circa partum virginalem B. Mariae, 286-292.

Raymundus Iordanus. — Omnium Sanctorum virtutes et gratiae charismata congestá in se habet Maria, 177.

Raymundus Lullus. — Imperfectiones in B. Maria admisit, 155, 173.

Rebecca. — Figura B. Mariae Virginis, 9.

Redemptor. — Titulus Christo proprius, 561, 562, 774-777, 785-787. — De cultu SS. Redemptoris, 805-833.

Reinke. — Quaenam sit mulier, inter quam et serpentem Deus inimicitias posuerit, 48. — Prophetia Isaiae de partu virgineo, 238.

Reinsch. — Citatur, 186.

Reisener. — Erravit circa virginitatem B. Mariae, 231.

Relatio. — Qua ratione multiplicentur relationes, 500-502.

Renan. — Negavit virginitatem B. Mariae, 233. — Citatur, 384.

Renaudin. — Laudantur eius scripta de assumptione B. Deiparae, 960, 964.

Renesse (de). — Citatur, 235, 985.

Resurrectio. — Convenientia et circumstantiae Christi resurrectionis, 890-907. — De manifestatione resurrectionis, 908-918. — Resurrectio Christi causa resurrectionis corporum et animarum, 919-924.

Revelatio. — Completa est revelatio aetate apostolica, 31. — Scriptura, liturgia, scripta Patrum sunt fontes ex quibus dignoscitur revelata veri-

tas, 31. — Ecclesia, depositi revelationis custos, 31.

Rex. — Regalis Christi dignitas, 548, 549.

Rhabanus Maurus (S.). — Sensus nominis Mariae, 219.

Richardus a S. Laurentio. — Laudes Virginis Mariae celebrat, 12, 14. — Maria omnium Sanctorum privilegia congesta habet, 176. — Maria, amicta sole, 198. — Sensus nominis Mariae, 220, 221.

Richardus a S. Victore. — Laudes celebrat B. Mariae Virginis, 188. — Pulchritudo B. Virginis, 193. — Lucifer vocatur princeps angelorum rebellium, 536.

Richardus de Mediav. — Adversatur Immaculatae Conceptioni, 106. — Fomitem in sanctificatione B. Virginis alligatum esse docet, 159.

Rickenbach. — De laudibus B. Annae, 82, 83, 190.

Rivarola. — Laudatur eius disquisitio circa Imm. Conceptionem, 110.

Roberti. — Laudatur eius scriptum de nominibus Christi, 534, 544, 558, 573.

Rösch. — Citatur, 215.

Rösgen. — Citatur, 250.

Rohault de Fleury. — Citatur, 210.

Rolb. — Citatur, 218.

Roller. — Citatur, 270.

Roscovany. — Citatur, 73, 74.

Rosmini. — Explicatio immunitatis B. Virginis ab originali peccato, 119, 120, 397.

Rossi (de). — Laudatur eius opus circa imagines antiquas B. Virginis, 270, 271.

Roswita. — Scripsit vitam B. Mariae Virginis, 186.

Rottmanner. — Citatur, 481.

Rouard. — Citatur, 132, 150.

Rousseau (J. J.). — Citatur, 827.

Rubus. — Moysis Rubus, figura B. Mariae Virginis, 10, 244.

Rufinus. — Porta clausa significat B. Mariam semper Virginem, 240. — Ecclesia romana immutatum conservat symbolum, 265.

Rupertus. — Propter Filium hominis Deus omnia creavit, 19. — Maledictio lata à Deo est in serpentem id est in diabolum et asseclas eius, 45. — Mulier inimica serpenti B. Virgo Maria intenditur, 49, 50. — Semen mulieris per prius intelligitur Iesus Christus, deinde etiam electi omnes, 51, 52. — Maria num in iniquitate concepta, 89, 90. — Gladius doloris animam B. Virginis pertransivit, 168. — Perfectio operum Christi, 197. — Porta clausa est B. Virgo Maria, 302. — Helvidii haeresis pessima, 305. — Matrimonium B. Virginis cum S. Ioseph, 333, 334. — Christus ex mandato accepto a Patre passus est, 722.

Sabatier. — Citatur, 465.

Sacrificium. — Notio sacrificii, 768, 769. — Passio Christi habet rationem sacrificii 768-774.

Salazar. — Putavit S. Thomam probabilem iudicasse Imm. Conceptioni tum faventem tum adversam sententiam, 131. — Propugnavit Imm. Conceptionem, 166.

Salmanticenses. — Citantur, 325, 725.

Salmeron. — Propugnator Immaculatae Conceptionis, 112, 136.

Salvator. — Nomen perfectissime Christo conveniens, 558-561. — Non idem dicit quod servator, 560, 561.

Salzer. — Citatur, 218.

Sanchez. — Citatur, 325.

Sanctificatio. — B. M. V. sanctificata est ante nativitatem, 21-24. — Quid sit sanctificatio, 22. — Cf. *Conceptio Imm.*

Sanctus. — Christus Sanctus et Sanctus Sanctorum, 543.

Sanguis. — Cultus SS. Sanguinis Domini, 806-811. — Rhythmus in honorem SS. Sanguinis, 806, 807.

SANNA SOLARO. — Citatur, 871.
SARA. — Figura B. Mariae Virginis, 8.
SARCERIUS. — Citatur, 129, 165.
SATANAS. — Sub specie serpentis protoparentes tentavit, 44. — Maledictus est a Deo, 44-47.
SAUTER. — De annuntiatione B. Mariae, 353. — De transfiguratione Domini, 672, 673.
SAVONAROLA. — Impugnator neo-paganismi, 832.
SCALA. — Scala Iacob, figura B. Mariae Virginis, 9.
SCHÆFER. — Significatio nominis Mariae, 218, 223.
SCHÆTZLER. — Citatur, 132, 142, 143.
SCHANZ. — Etymologia nominis Mariae, 223.
SCHEEBEN. — Testimonia Patrum in favorem Conceptionis Immaculatae, 74. — S. Thomas ea principia tenet ex quibus doctrina Conc. Immaculatae deduci possit, 149. — Maria *stilla* maris ab Hieronymo dicitur, 218. — Quidnam praestiterit B. Virgo in conceptione Filii, 417. — Ordo inter assumptionem, animationem et conceptionem corporis Christi, 431, 432. — Maternitas B. Virginis, 455, 485, 486. — Quale mandatum moriendi acceperit Christus a Patre, 736. — Nemo unquam perfectius liber fuit quam Christus, 742, 743.
SCHEGG. — De vita S. Annae, 190. — De sensu nominum Mirjam et Maria, 210. 218, 223.
SCHELL. — Putat scholasticam philosophiam non satis respicere ad fieri, XV. — Eius opinio circa indolem Protestantismi, 274-276. — Impeccantiam Christi unice repetit ab unione hypostatica, 737. — Eius sententia de merito Christi, 742. — De apokatastasi, 975.
SCHENKEL. — Citatur, 294.
SCHNEIDER. — Citatur, 271.
SCHÖBERLEIN. — Citatur, 778.
SCHÖNFELDER. — Citatur, 252.
SCHOLZ. — Citatur, 206.
SCHRÖDL. — Citatur, 231.
SCHULZE. — Citatur, 271.
SCHWANE. — Citatur, 232.
SCHWETZ. — Citatur, 318, 455.
SCIENTIA. — B. Mariae scientia supernaturalis, 180, 181. — Eiusdem scientia naturalis, 205, 206.
SCOTUS (Duns). — Vindicavit Immaculatam Conceptionem B. Mariae, concedendo debitum, negando contractionem peccati originalis, 104-106, 141, 150. — Quod excellentius est, tribuendum est B. Virgini, 112. — Votum virginitatis B. Mariae, 315. — Femina aliquid active praestat in conceptione prolis, 416. — Mandatum moriendi strictum in Christo non excludit meritum, 725, 726.
SEDULIUS. — Maria, ab omni labe expers, 78, 79. — Maria Mater Dei, 285, 464.
SEGNERI. — Peccatum originale in B. M. Virgine, omnes eius tolleret praerogativas, 113, 114. — Virtus excellens ea est quae mediis in periculis firma manet, 620.
SENECA. — Citatur, 536.
SENONENSE CONC. — Anima Christi descendit ad inferos, 881.
SEPULCHRUM. — Ratio historica, mystica, dogmatica sepulturae Christi, 867, 868, 871-873. — Cultus S. Sepulchri, 869, 870. — Quamdiu corpus Christi fuerit in sepulchro, 876-878.
SERRY. — Citatur, 190, 861.
SESSIO. — Sessio Christi ad dexteram Patris, 937-944.
SFONDRATI. — Componit sententiam Sancti Thomae cum doctrina Imm. Conceptionis, 132, 136, 144. — Quomodo Ordo Praedicatorum se habuerit circa Immaculatam Conceptionem, 150.
SICARD. — Citatur, 150.
SIEGFRIED. — Laudatur, 213.
SIEFFERT. — Negat perpetuam virginitatem B. Mariae, 294, 303.

SIGISMUNDUS (rex). — A Summo Pontifice postulavit definitionem Immaculatae Conceptionis, 75.

SIMAR. — Citatur, 318, 726.

SIMON CASSIA. — Mariae pulchritudo concupiscentiam excitare non potuit, 200.

SIMONIS. — Sensus nominis Mariae, 223.

SINDON. — Cultus S. Sindonis, 870. — De authenticitate S. Sindonis Taurinensis disputatur, 870, 871.

SIRE. — Citatur, 111.

SIRICIUS PP. — Damnavit Iovinianismum, 231. — Maria, Virgo perpetua, 305.

SIXTUS IV. — Officium Immaculatae Conceptionis probat, 105, 107. — Condemnat eos qui doctrinam Imm. Conceptionis haereticam dicant, 107.

SIXTUS SENENSIS. — Citatur, 384.

SOCINUS. — Negavit Christi passionem habere rationem sacrificii et satisfactionis, 774, 777.

SOPHRONIUS HIEROS. (S). — Maria Evae comparata, 58. — Gladius doloris animam B. Virginis pertransivit, 168. — In instanti conceptionis Christi, simul caro et simul Dei Verbi caro, 432, 434, 435.

PADA. — S. Thomam Immacul. Conceptioni faventem exhibet, 110, 132, 142, 150.

SPAHN. — Citatur, 558.

SPIRITUS SANCTUS. — Qua ratione Ipsi approprietur Incarnatio Christi, 404-415. — Quare sub specie columbae apparuerit in baptismo Christi, 607-612. — Quare in specie ignis descenderit in Apostolos, 612. — Quare in Transfiguratione in nube lucida se manifestaverit, 670.

SPONSUS. — Qua ratione Christus dicatur Sponsus, 545, 546.

STADE. — Citatur, 222.

STANCARUS. — Soli homini Christo tribuit officium mediatoris, 788.

STEININGER. — De nominibus B. Mariae, 215, 217.

STENTRUP. — Citatur, 318, 394, 455, 462, 722, 723, 728, 825.

STERNBERGUS. — Negavit virginalem conceptum B. Mariae, 229, 230, 233.

STILLEMANS. — Laudatur, 799.

STIMMEN AUS M. L. — Obiectio circa modum quo subsistit natura humana in persona Verbi, 404, 405.

STRAUSS. — Citatur, 384. — Facta evangelica tanquam mythos habet, 896, 897.

STRIGELIUS. — Sensus nominis Mariae, 221.

STROHSACKER. — De rigore terminologiae scholasticae, xv.

STROZZI. — Citatur, 71, 72, 140.

SUAREZ. — Defendit Immaculatam Conceptionem et affert scriptores qui pro vel contra sentiant, 106. — De fide dicit esse quod B. Maria ab omni actuali peccato immunis sit, 160. — B. Maria gratiam intensiorem quam omnes sancti simul, accepit, 175. — B. Mariae genealogia, 189. — Pulchritudo B. Virginis, 192. — B. Maria triennis in templo est praesentata, 206. — Quale votum virginitatis B. Maria voverit, 315. — Maria cum S. Ioseph visitavit Elisabeth, 328. — Verum matrimonium intercessit inter B. Mariam et S. Ioseph, 332. — Quidnam de virtutibus S. Ioseph statui possit, 344. — De maternitate B. Virginis, 455. — S. Ioseph fuit minister circumcisionis Christi, 530. — Verum mandatum moriendi accepit Christus a Patre, 724, 725. — Satisfactio Christi fuit secundum rigorem iustitiae, 783. — B. Virgo mortua est ratione universalis legis, quamquam ab originali peccato fuit immunis, 862, 864. — Quali resurrectione multa corpora Sanctorum in morte Christi surrexerint, 898. — B. Maria cum corpore assumpta est in caelum, quia plena erat gratia, 945, 947. — Non nisi summa temeritate posset negari assumptio B. Virginis, 961.

SUIDAS. — Citatur, 293.

SUZANNA. — Figura B. Mariae Virginis, 9.

SWETE. — Citatur, 210.

SYBILLAE. — Earum oracula de partu virgineo, 228, 229.

SYLVEIRA. — Componit S. Thomae doctrinam cum dogmate Imm. Conceptionis, 131.

SYMBOLUM. — Symbola fidei attestantur virginalem conceptum B. Mariae, 265, 266. — Christum natum de Spiritu Sancto proclamant, 407, 412. — Christus natus ex Maria Virgine, 450.

TANNER. — Christus satisfecit pro peccatis secundum rigorem iustitiae, 783.

TANQUEREY. — Doctrina Imm. Conceptionis, non nisi dirigente Spiritu Sancto in Ecclesia fieri potuit universalis, 150. — Citatur, 317, 318, 455.

TELENSE CONC. — Porta Sanctuarii clausa est B. Maria Virgo, 302.

TENTATIO. — Diversa genera tentationum, 626, 627, 636. — Finis et circumstantiae tentationis Christi, 626-637.

TERRIEN. — De ratione formali unionis hypostaticae, VII. — Quaenam sit auctoritas textuum Sapientiae si B. M. V. accomodentur, 61, 62. — Lex servanda in argumentis convenientiae, 111. — Nova Eva pariter ac antiqua immaculate in vitam prodiit, 116. — Quomodo Maria usa sit charismatibus gratiae, 178. — Num gratia B. Mariae ab initio vitae eius superaverit gratiam terminalem omnium simul Sanctorum, 178, 179. — Pulchritudo B. Virginis, 192. — Christus non potuit nasci nisi ex Matre Virgine, 256, 261. — Relatio inter virginitatem et vitam angelicam, 265. — B. Maria virginitatem vovit, 309. — Maternitas B. Virginis, 455, 466. — A maternitate divina derivatur omnis excellentia B. Virginis, 468, 469. — Relatio B. Mariae cum singulis personis SS. Trinitatis, 475, 477, 483, 488. — Maria, omni laude digna, 496. — Cultus SS. Cordis Iesu, 813. — Num S. Epiphanius dubitaverit de morte B. Mariae, 861. — De felici morte B. Virginis, 866. — Assumptio B. Mariae, 964.

TERTULLIANUS. — Carnem peccati ascribit Christo, 88. — In formatione primi hominis, cogitabatur Christus, 197. — Calumniae Iudaeorum in B. Virginem, 226. — Eva causa mortis, Maria causa vitae, 260, 261, 388, 389. — Conceptionem virginalem, non vero integritatem Virginis in partu defendit, 231, 241, 253, 254, 258, 284, 285. — Quidnam de perpetua virginitate B. Mariae sentiat, 303. — Excellentia virginitatis, 317. — Maria cantico magnificavit Dominum, 367. — Christus factus est ex muliere, 392. — Christus natus ex Deo et ex B. Virgine, 452. — Christus dicitur Emmanuel, 539. — Christus pro omnibus gentibus factus est sacrificium, 773. — Homo iudicabit daemones, 978.

THEODORETUS. — Maledictio divina contra Satanam sub specie serpentis occultatum pronuntiata est, 46. — Virginalis partus B. Mariae, 281. — Nestorius negavit B. Mariam esse Dei Genitricem, 457. — Ex apostolica traditione B. Maria vocatur Dei Genitrix, 463.

THEODOTUS ANCYR. — Nova Eva antiquae opponitur, 75. — Christus quia Verbum, nascendo non laesit virginitatem matris, 256, 280. — Non Verbum sed humanitas Christi cepit initium a partu, 467.

THEODORUS MOPSUEST. — Exclusive litteralem Cantici interpretationem damnavit quinta synodus, 12.

THEODORUS STUDITA (S.). — Testimonium circa festum Conceptionis B. Mariae, 69. — B. Maria cum corpore est assumpta in caelum, 947.

THEOPHILUS ANTIOCH. (S.). — Maledictio a Deo in Satanam lata, 45.

THEOPHILACTUS. — Maria significat dominam, 215.

Θεοτόκος. — Sensus dogmaticus huius

appellationis, 456-458. — Ubinam primo diserte reperiatur, 463, 464.

THIEL. — Citatur, 186.

THILO. — De cultu SS. Ioachim et Annae, 190.

THOMAS (S.). *(Loca extra Summ. theol.)*. — Positio quaestionis de tempore sanctificationis B. M. V., 25-28. — Num B. Virgo ratione ortus ex Adamo peccatum originale contraxerit, 26. — Romana Ecclesia saeculo XIII festum Conceptionis B. Mariae nondum celebrabat, 69. — In canonizatione Sanctorum quaenam sit auctoritas declarationis Ecclesiae, 121. — De mente S. Doctoris circa Immaculatam Conceptionem, 130-151. — Textus Imm. Conceptioni faventes, 133-136. — Textus adversantes, 137-146. — Impeccabilitas B. Mariae solius Dei sanctitate inferior, 162. — Pulchritudo B. Virginis aspicientibus castitatem conferebat, 200. — S. Ioseph per totam vitam virginitatem servavit, 349. — Quare Spiritui Sancto approprietur formatio corporis Christi, 406. — Christus non potest dici filius Spiritus Sancti, 413. — Multiplex virtus S. Nominis Iesu, 556. — Num columba in qua apparuit Spiritus Sanctus fuerit verum animal, 614. — Claritas Christi in Transfiguratione, quousque fuerit gloriosa, 665. — Quo sensu necessarium fuerit humanam naturam reparari, 677, 678. — Christus in vita sua mortali mereri potuit, 725. — Sanguis in passione effusus, fuit divinitati unitus, 840, 841. — Num perfecta an imperfecta resurrectione Sanctorum corpora in morte Christi surrexerint, 898. — B. Maria cum corpore est assumpta in caelum. 945.

THOMAS DE ARGENTINA. — Propugnavit Immac. Conceptionem, 106, 111.

THOMAS DE CELANO. — Habetur auctor sequentiae « Dies irae », 976.

THOMAS DE VILLANOVA (S.). — Ante infusionem animae caro B. Virginis ab omni labe mundata est, 154. — In Maria collecta invenitur omnium Sanctorum perfectio, 176. — Christus Matri suae simillimus, 196. — Pulchritudo B. Virginis castos faciebat illam inspicientes, 200. — B. Maria assumpta est in caelum, 953.

THOMASI. — Citatur, 66.

THOMASSINUS. — Citatur, 782.

TIEFENTHAL — Laudatur eius Commentarius in Canticum Canticorum, 12. — Sensus nominis Mariae, 223.

TILLEMONT. — De cultu S. Ioseph, 352.

TIMOTHEUS HIEROS. — Maria pulcherrima inter mulieres, 198.

TIRINI. — Citatur, 578.

TÖBBE. — Mens S. Thomae circa Immaculatam Conceptionem, 131.

TOLETANA CONC. I, IV, XI. — Proclamant conceptum virginalem Matris Dei, 228, 266. — Tota Trinitas operata est Incarnationem Filii Dei, 408. — Deitas Christi non fuit passibilis, 713.

TOLETUS. — Citatur, 166, 421, 481.

TOSCANA-COZZA. — Citatur, 81.

TOURNELY. — Quale mandatum moriendi Christus acceperit a Patre, 723.

TRANSFIGURATIO. — De ratione et circumstantiis Transfigurationis Domini, 663-673. — Documenta ascetica ex mysterio Transfigurationis desumpta, 671, 672.

TRIDENTINUM CONCILIUM. — Lex propagationis peccati originalis non tollit privilegium B. Mariae Virginis, 68, 74. — Confirmatio Constitutionis Sixti Pp. IV circa Immacul. Concept., 107. — Quare concilium non definierit Imm. Conceptionem, 148. — Nullum actuale peccatum admitti potest in B. Virgine, 160. — Excellentiam status virginalis sancit, 267. — Christus pro omnibus mortuus est, 762, 763. — Christus est propitiator pro peccatis totius mundi, 780. — Christus liberavit hominem a servitute diaboli, 793, 794.

TRISTITIA. — Num perfectio moralis admittat tristitiam, 694, 695.

TROMBELLI. — Laudes SS. Ioachim et Annae celebrat, 190. — B. Mariam in caelum assumptam esse docet, 953, 961.

TURRECREMATA (Card.). — Testimonia Patrum quae adversari videntur Imm. Conceptioni, 85. — Non favet huic privilegio B. Virginis, 106, 134. — Haeretici matrimonium damnantes, 334.

UCCELLI. — Citatur, 135, 136.

ULLATHORNE. — Laudatur eius opus circa Immaculatam Conceptionem, 111.

UPPSTRÖM. — Citatur, 212.

URBANUS VIII. — Immaculatam Conceptionem tanquam certam, sed non definitam declarat, 109, 122, 123.

USENER. — Originem dogmatum rationalistice explicat, 247.

USUARDUS. — In suo martyrologio dubium exprimit circa assumptionem B. Mariae, 952.

VALENTIA. — Vide *Gregorius de Val.*

VALENTINUS. — Christum dixit natum de non virgine, 228.

VALERIUS (Card.). — De imaginibus quae dicuntur Agnus Dei, 565.

VALLARSI. — Citatur, 213.

VAN STEENKISTE. — Citatur, 870.

VASQUEZ. — Citatur, 202, 315, 724, 783.

VEGA. — Laudatur eius Theologia Mariana, 14. — Christum et Mariam ante, caeteros homines post praevisa merita praedestinatos docet, 19. — S. Thomae doctrinam Imm. Conceptionis dogmati concordem aestimat, 132. — Gratia B. Mariae superat omnium Sanctorum gratiam, 175, 178, 179. — Pulchritudo B. Virginis, 192, 200. — Num celerius quam ferat lex naturae corpus et intellectus B. Virginis evoluta fuerint, 202, 203, 206.

VELASQUEZ. — Citatur, 132, 150.

VELLUS. — Vellus Gedeonis, figura B. Mariae Virginis, 10, 243, 244.

VENANTIUS FORTUNATUS (S.). — Maria, in sua creatione a labe immunis, 79. — Maria luce splendidior, 198. — Maria, Virgo in partu, 283. — Laudes S. Crucis, 754.

VENTURINI. — Citatur, 233.

VICTORINUS. — Citatur a S. Hieronymo, 303.

VIGILANTIUS. — Negat virginitatis excellentiam, 316.

VIGOUROUX. — Citatur, 318.

VINCENTIUS FERRERIUS (S.) — B. Maria concepta est praeter leges concupiscentiae, 153.

VIGNON. — Authenticitatem S. Sindonis Taurinensis docte propugnat, 870, 871.

VINCENTIUS LIRINENSIS (S.). — Dogmata decursu temporum maiorem evidentiam et distinctionem accipere possunt, 124, 125. — Verissime B. Maria dicitur Dei Genitrix, 457, 458.

VIRAGO. — Qua ratione hoc nomen praefiguret B. Mariam, 5.

VIRGILIUS. — Oraculum Sybillae cumanae, 229. — Citatur, 536, 572.

VIRGINITAS. — De virginitate B. Mariae 225-318. — De virginali maternitate, 234-275. — De virginali partu, 276-293. — Virginitas perpetua B. Deiparae, 293-318. — Virginitas commendatur in nativitate Christi de Virgine, 264. — Praestantia virginitatis in antiquo Testamento iam est agnita, 310. — Excellentia virginitatis prae statu nuptiali, 315-317. — Num B. Maria virginitatem praetulisset divinae maternitati, 361, 362.

VISIO. — Triplex visio: corporalis, imaginaria, intellectualis, 358, 359. — Num in passione sua Christus visione beata frueretur, 697-703.

VITA. — Christus est vita, 576, 577. — Christus, via veritas et vita, 578. — Vita activa et contemplativa, 618.

VITIS. — Christus vitis vera, 577, 578.

VIVES (Card.). — Laudatur eius Dictionarium Marianum, 9.

VOLTAIRE. — Eius inepta iocandi ratio, 233.

VOSSIUS. — Citatur, 84.

WALAFRIDUS STRABO. — Sensus nominis Mariae, 219.
WALSCH. — Citatur, 232.
WANGERICKIUS. — De cultu B. Mariae apud Graecos, 74.
WEIN. — Citatur, 247.
WEINEL. — Negat divinitatem Christi, 246.
WERNLE. — Fidem in divinitatem Christi ethnicae originis, Evangelio oppositam dicit, 246.
WESTCOTT. — Citatur, 211.
WICHELHAUS. — Sensus nom. Mariae, 223.
WILPERT.— De imaginibus B. Mariae, 270.
WINDESCHMANN. — Citatur, 779.
WOELFFLIN. — Citatur, 216.
WOLFF. — De introductione festi Conceptionis B. Mariae in regiones occidentales, 70, 73.
WOLTER (Maurus). — Laudantur eius Commentaria in Psalmos, 13. — Laudatur eius opus de catacumbis romanis, 270, 271, 273. — Utilitas ieiunii, 633, 634. — Christus, obedientiae monasticae exemplar, 740, 741.
WOUTERS. — Genealogia S. Ioseph est etiam genealogia Christi, 387.

XYSTUS BETULEIUS. — Oracula Sybillarum, 228.

YSAMBERTUS. — Mandatum moriendi quod accepit Chistus a Patre, 724, 732.

ZAHN. — Negat perpetuam virginitatem B. Mariae, 294, 295, 303.
ZENO (S). — Christus non potuit nasci nisi ex Matre Virgine, 256.

GTU Library
BX1749.T5 J2 1900 v.5 G
Janssens, Henri Lau/Summa theologica ad
3 2400 00181 5582

BX
1749
T5
J2
1900
v.5
GTU

Janssens, Henri L

Summa theologica
ad modum
commentarii in
Aquinatis
summam

MAY 8 '14 1900

BX
1749
T5
J2
1900
v.5
GTU

Janssens, Henri L

Summa theologica
ad modum
commentarii in
Aquinatis
summam

Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO